This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B 1,176,626

Digitized by Google


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



BC5
M686

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. Francken, J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, E. Mehler, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton, J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDEVICESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1891.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Ad S. Sophronii Anacreonticum XX, scripsit S. A. NABER.	1— 15.
Ad Platonem, scripsit J. v. L. J.F.	15.
Selecta de Montepessulano et Ashburnhamensi Lucani, scripsit C. M. FRANCKEN	16— 40.
Observationes ad poëtas latinos, scripsit J. S. SPEIJER .	41— 61.
Ad Tertulliani Declamationes, scripsit J. VAN DER VLIET.	62.
In Callimachi Hymnum IV, scripsit K. KUIPER	63— 74.
Ad Aristophanem, scripsit J. v. L. J.F.	74.
De iure obnuntiandi comitiis et conciliis, scripsit I. M. J. VALETON	75—113.
Ad Platonem, scripsit J. v. L. J.F.	113.
Observatiunculae de iure Romano (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 403), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . .	114—128.
Homerica (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 229), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	129—160.
Homerica (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 49), scripsit H. VAN HERWERDEN	161—168.
Ad Aristotelem, scripsit H. v. H.	168.
Ad Aristotelis librum de republica Atheniensium nuper repertum, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	169—190.
Notulae Criticae ad Silium Italicum (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 306), scripsit J. S. VAN VEEN . . .	191—199.
Ad Ciceronem, scripsit J. S. S.	199.
Ad Athenaeum, scripsit H. VAN HERWERDEN	200—221.
Ad Platonis de republica. p. 403 B, scripsit H. v. H. . .	221.

Digitized by Google

236188

Pag.

De Catulli Carmine XLIIII, scripsit H. T. KARSTEN . . 222—228.
Ad Etymologicum magnum, scripsit J. v. L. J.F. . . . 228.
De iure obnuntiandi comitiis et conciliis (*continuantur ex huius Vol. pag.* 113), scripsit I. M. J. VALETON. . . 229—270.
Annotationes nonnullae ad Virgilii Aeneidos Lib. II, scripsit H. C. MICHAËLIS. . . . . 271—283.
Ad Plutarchi Moralia (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 386), scripsit H. VAN HERWERDEN. . . . . 284—292.
Ad Tertullianum, scripsit J. VAN DER VLIET. . . . . 292.
Epistula critica ad Batavos Homeri editores, scripsit S. A. NABER . . . . . 293—324.
De locis nonnullis Platonis e libris de Republica, scripsit H. VAN HERWERDEN . . . . . 325—340.
Miscella, scripsit C. M. FRANCKEN . . . . . 341—345.
Ad Apuleium, scripsit J. VAN DER VLIET . . . . . 345.
Ad Oracula Sibyllina, scripsit H. VAN HERWERDEN. . . 346—372.
Ad Vergilii Eclogas III et VII, scripsit H. T. KARSTEN . 373—377.
Pharsalica (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 353), scripsit P. H. DAMSTÉ. . . . . 378—386.
Ad Ciceronem, scripsit J. S. SPEIJER . . . . . 386.
Ad Aristophanem, scripsit H. VAN HERWERDEN . . . . 387—394.
Insolens coniunctionis *et* in sententia locus, scripsit J. VAN DER VLIET . . . . . 394—396.
De novo fragmento Hyperideo (?), scripsit H. VAN HERWERDEN 397—404.
De inaugurationibus Romanis caerimoniarum et sacerdotum, scripsit I. M. J. VALETON . . . . . 405—460.

Digitized by Google

EMENDATUR S. SOPHRONII ANACREONTICUM XX.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Ante paucos dies obiit Theodorus Borretus vir clarissimus, qui patrum memoria eloquentiae laude florebat apud multos et multas, sed postea ex oculis civium recessit seque abdidit in pagum, cui *Vogelensang* nomen, ubi inter pontificios sacerdotis munere fungeretur. Equidem senem comem et humanum suspiciebam; admirabar eius variam et solidam doctrinam; eloquii dulcedine capiebar saepeque me ex eius ore quasi delinitum pendere memini. Quamdiu per corporis vires licuit, nam pervenit ad extremam senectutis metam, libenter cum nostris Academicis una erat in Trippiano et per complures annos Bootius et ego eum collegam habuimus in explorandis carminibus Hoeufftianis, quo in negotio frequenter agnoscebamus acumen eius ingenii et insignem elegantiam. Accepto nuncio de optimi senis obitu cum reliqua omnia memoria repetii, tum Sophronii mihi in mentem venit, de quo ante multos annos Borretus meam exquisiverat sententiam. Semper fore speraram ut ipse eodem rediret, quod quum supersedit facere, nunc expromere iuvat quae tunc adnotavi ad Anacreonticum vicesimum. Equidem in literarum Graecarum angulo penitus diverso habitare soleo et plane hospitem me esse scio in Christianorum poetarum operibus; sed sunt quaedam in Sophronio tam portentose corrupta, ut mirer ea doctos editores fugere potuisse. De qua re ut Mnemosynes lectores ipsi iudicare possint, primum totum carmen apponere iuvat ex recensione Wilhelmi Christii in Anthologia Graeca Carminum Christianorum p. 45.

Digitized by Google

ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΟΘΟΝ ΟΝ ΕΙΧΕΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΓΙΑΝ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΤΣ ΣΕΒΑΣΜΙΟΤΣ ΤΟΠΟΤΣ.

Ἅγιον πόλισμα θεῖον
Ἱερουσαλὴμ τ' ἐς νῦν δὴ
ἐθέλω πύλας παρεῖναι,
ἵν' ἀγαλλιῶν ἐσέλθω.
Εὐαγέων Σολύμων ἔνθεος οἶστρος
αἰὲν ἐμὴν κραδίην σφόδρα δαμάζεις.

Βαδιῶν ἐπὶ πλακῶν σου
ἐς Ἀνάστασιν κατέλθω,
ὅθι παντάναξ ἀνέστη
θανάτου κράτος πατήσας.

Γλυκερὸν πέδον φιλήσω,
ἱερὸν κύβον κατίδω,
μέγαν οὐρανόσεγον τε
τετρα. . . . . .

Διὰ βήματος θεοῖο
μέσον ἐς τάφον θεοῖο
γεγονὼς πέτρην ἐκείνην
μάλα προσκυνῶν φιλήσω.

Ἐπ' ἀναξίου δὲ τύμβου
κίονας κύκλῳ τε κόγχας
ἀκροκρινοχρυσομόρφους
φιλέων ἄγαν χορεύσω.

Ἐπὶ τριστῷον παρέλθω
ὁλομαργαραργυρόχρουν
περικαλλέος γ' ἔπαυλον
Κρανίου τόπον προσέρπων.
Ὠκεανὸς βιοτῆς αἰὲ βιούσης
ἀτρεκέος τελετῆς φωσφόρε τύμβε.

Ζάθεον μεσόμφαλόν τε
πέτραν ἐκταθεὶς φιλήσω,
ὅθι τὸ ξύλον πεπήγει
τὸ λύσαν ξύλου κατάραν.
Ὡς μέγα σεῖο κλέος φαίδιμε πέτρα,
σαυρὸς ὅπῃ μερόπων λύτρον ἐπήχθη.

Digitized by Google

Θαλέων χαρᾷ δ' ἐπέλθω,
ὅθι προσκυνοῦμεν, ὅσσοι
πέλομεν λεὼς θεοῖο,
ἀγλαὸν ξύλον τὸ θεῖον.

Ἵνα παμμέδων ταχύνας
πεχαραγμένῃ γραφῆος
σέβας εἰκόνι προσοίσω
γόνατα δράμοιμι κάμψας.

Κατὰ παμφαὲς δὲ βῆμα
γεγανυμένος πορευθῶ
ξύλον οὗ τὸ θεῖον εὗρεν
Ἑλένη μέδουσα κεδνή.

Μετὰ καρδίης δὲ πλήρους
κατανύξεως ἀνελθὼν
ὑπερώιον θεῶμαι
κάλαμον σπόγγον τε λόγχην.

Νεαρὸν δ' ἔπειτα κάλλος
βασιλικὴν εὖ κατίδω,
μοναχῶν ὅπου χορεῖαι
νυχίους τελοῦσιν ὕμνους.

Ξὺν ἐμοῖς δρόμοις ποσίν τε
ἐπὶ τὴν Σιὼν ἀπέλθω,
ὅθι γλωσσοπυρσόμορφος
κατέβη χαρὰ θεοῖο.

Ὅθι μυσικὸν δὲ δεῖπνον
τελέσας ἄναξ ἁπάντων
ὀπαδῶν ἔνιψεν ἴχνη,
μετριοφρόνως διδάσκων.

Ποταμῶν δίκην ἱάσεις
ἀπὸ τῆς πέτρης ἐκείνης
θεόπαις ὅπου τανύσθη
Μαρίη, βρύουσι πᾶσιν.

Χαῖρε Σιὼν φαέθων, ἥλιε κόσμου
ἣν ποθέων σενάζω νύκτωρ καὶ ἦμαρ.

Digitized by Google

Ῥαγὲν ὡς ἀφῆκεν ᾄδου
νεκάδας ζοφώδες ἔργῳ,
τότε παντάναξ ὁ ῥήξας
ἐφάνη φίλος ἐκεῖσε.

Σκοπιὴν λιπὼν Σιών τε
περιφὺς πέτρην ἐφ' ἣνπερ
δι' ἐμ' ὁ πλάσας ἐτύφθη,
δόμον ἐς πετρᾶν κατέλθω.

Τόπον, οὗ κλάων ςενάζων
σοφίης φίλων ὁ πρῶτος
ἐὸν ἔκλυσεν τὸ πῆμα,
χαμάδις πεσὼν φιλήσω.

Προβατικῆς ἀγίης ἔνδοθε βαίνω,
ἔνθα τέκεν Μαρίην πάγκλυτος Ἄννα.

Ὑποδὺς νέον νεὼν δὲ
θεομήτορος πανάγνου
φιλέων περιπλακείην
ἐρατοὺς ἔμοιγε τοίχους.

Φέρε δὴ μάτην μετέλθω
ἀγορῆς μέσης ὁδεύων,
ὅθι πατρικοῖς ἐτέχθη
θαλάμοις ἄνασσα κούρη.

Χαμόθεν φέρων ἐκείνην
πάρετος κλίνην βεβήκει
ὑγιὴς λόγου κελεύσει·
βάσιν οὖν ἴδοιμι κείνην.

Ψυχοτερπέως τρυφείην
τέμενός γ' ἐπὰν παρέλθω
τὸ δεδεγμένον τὸ σῶμα
Μαρίης θεὸν τεκούσης.

Γεθσημανῆ τέμενος λαμπρὸν ἀείδω,
ἔνθα τέτυκτο τάφος μητρὶ θεοῖο.
Ὦ γλυκὺ πλεῖσα πέλεις ἔξοχον οὖρος,
Χριςὸς ὅθεν μεδέων οὐρανὸν ἦκεν.

Digitized by Google

Codex est in bibliotheca Barberina, ex quo Matranga nostrum carmen descripsit; post eum Christius edidit in Anthologia, cuius rogatu Flaschius Codicem iterum contulit et adnotavit haud ita multos Matrangae in describendo errores. Hinc constat librum manuscriptum mendosissime exaratum esse neque Matranga vel Christius omnes maculas detergere potuerunt, imo longe maximam partem ne animadvertisse quidem videntur. Neque ego profiteor me carmini pristinum, si qui fuit, nitorem redditurum esse, sed tamen in quibusdam haud difficulter paulo verosimiliora reponere possis.

Argumentum insulsi poematis facile est et simplex. Anno 637 postquam Arabes Hierosolyma ceperunt, credibile est patriarcham Sophronium aliquamdiu urbe cessisse et in exsilio aegre tulisse sanctorum locorum desiderium. Utinam, inquit, contingat mihi accedere ad aedem Resurrectionis. Tria sunt quae enumerat in ea: ipsum S. Sepulcrum, et in Calvaria colle locum ubi crux defixa fuit, qui locus diversus erat ab eo, ubi S. Helena multis saeculis post crucem invenit. Praeterea ibi asservantur et monstrantur arundo, spongia et hasta. Adiacet monasterium, quo salutato patriarcha mente ac cogitatione properat in montem Sion, ubi coenaculum est, in quo S. Coena celebrata fuit, post resurrectionem discipuli Iesum adorarunt et quinquagesimo die post repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Hinc de colle descendet, ut veniat ad curiam, in qua Iesum colaphis ceciderunt, dum Petrus sedebat foris in atrio, detestans et iurans quia non novisset hominem, uti apud Evangelistam est. Perget et intra Probaticam portam, quae hodie a S. Stephano nomen habet, videbit aedem S. Annae et piscinam, quae Bethesda cognominatur. Denique in horto Gethsemane extra portam Iesus ascendit in coelum et Sepulcrum Beatae Virginis conspicitur.

Quamvis verum sit patriarcham in urbis obsidione bene de patria meritum fuisse, concedent tamen omnes, uti opinor, Sophronium ridiculum poetam esse, qui sordes plebeii sermonis, quo Graeculi omnes utebantur, inepte admiscere soleat vetustis vocabulorum formis, quas ex Homero arripuit. Modo utitur aoristorum coniunctivis ἐλθω, ἴδω, πορευθῶ pro futuris, modo ex istis extremae barbariei pudendis vitiis adsurgit oratio ad epicam propemodum magniloquentiam, ut in extremo carmine:

Digitized by Google

Γεθσεμανῆ τέμενος λαμπρὸν ἀείδω,
ἔνθα τέτυκτο τάφος μητρὶ θεοῖο.

Nescit poeta mediam et tutam viam tenere et Phaethontis instar modo humi repit, modo fertur sublimis et ipsum coelum petere velle videtur. Nil aequale homini est illi, ut apud Horatium est. Est sane aliquid condonandum illi aetati, qua Graecia decrepita iamdudum delirabat; verumtamen emendandi officium imprimis molestum fit, ubi perpetuo haereas, in utram partem poeta peccaverit nec dicere habeas, utrum cum aequalibus balbutire voluerit an paulo maiora canere et sonatura. Cupit locum videre, ubi Helena crucem invenit:

ξύλον οὗ τὸ θεῖον εὗρεν
Ἑλένη μέδουσα κεδνή.

Summa est infantia in illo ξύλον οὗ τὸ θεῖον εὗρεν· at quam magnificum est S. Helenam μέδουσαν et κεδνὴν appellare!

Metri ratio facili opera apparet. Exceptis septem distichis dactylicis, quae hic illic interponuntur, sunt strophae Anacreonticae viginti duae, quarum initia per totum alphabetum discurrunt, sed duplex est strophe Ε, contra desunt strophae Η, Λ et Ω. Hunc defectum quomodo supplere possimus, nam revera nihil deest, infra videbimus; nunc notabimus illud tantum, stropharum ordinem in Codice turbatum esse, nam post stropham Ψ leguntur strophae Π et Τ, quam librarii negligentiam correxit Matranga. Ceterum poeta satis curat syllabarum quantitates et pauca fortasse fuisset peccaturus, si vocales ancipites potuisset distinguere. Verum hae quidem apud eum pro lubitu aut corripiuntur aut producuntur. Vs. 61 ὀπαδῶν ἔνιψεν ἴχνη, anapaestum fecit, qui bacchius erat. Contrarium vitium est vs. 12 ἱερὸν κύβον κατίδω. Vs. 32 τὸ λύσαν ξύλου κατάραν, accentus iam arguit in participio errorem. Possunt de hoc genere alia multa addi, sed in reliquarum quatuor vocalium quantitatibus poeta nihil peccavit.

Statim ab initio grave vitium latet in prima strophe:

Ἅγιον πόλισμα θεῖον
Ἱερουσαλήμ τ' ἐς νῦν δή
ἐθέλω πύλας παρεῖναι
ἵν' ἀγαλλιῶν ἐσέλθω.

Versus sunt, ut vides, Anacreontici, in quibus poeta perpetuo rectissime corripit antepaenultimam syllabam. Itaque secundus

Digitized by Google

versiculus laborat, sed non laborat poetae ipsius vitio. Coniunctio δή in Codice deest, addidit autem Matranga ut claudicanti metro subveniret. Quam miror ne Christium quidem vidisse, talem correctionem ferri non posse, cum praesertim illud δὴ nil quidquam significet. Sed alloquitur poeta Hierosolyma et dicit, se urbis portas intrare cupere; dabitur mihi in allocutione pronomen possessivum abesse non posse. Itaque certo certius rescribendum est τεὰς νῦν, sed ne sic quidem loci emendatio perfecta erit, quia verbum παρεῖναι cum quarto casu iungi non potest. Legitur in Codice ἐθέλων, pro quo Christius recte rescripsit ἐθέλω estque idem vitium in nostro Codice longe frequentissimum; sic vs. 81 βαίνων legitur, quum sententia planissime requirit βαίνω. Itaque latet vitium in verbo παρεῖναι· ut in incerta re nihil novi commodius quam illud:

Ἱερουσαλὴμ τεὰς νῦν
ἐθέλω πύλας περαίνειν.

Sequuntur duo dactilici versus:

Εὐαγέων Σολύμων ἔνθεος οἶτρος
αἰὲν ἐμὴν κραδίην σφόδρα δαμάζεις.,

in quibus Matranga recte ἐμὴν scripsit pro Codicis lectione ἡμῖν. Strophe B vitio caret sed mutila est strophe Γ, quam Christius sic supplevit:

Γλυκερὸν πέδον φιλήσω,
ἱερὸν κύβον κατίδω
μέγαν οὐρανόσεγόν τε
τέτρασιν φρακτόν τε σήλαις.

Atque hoc quidem probari non debet, nam primum σῆλαι non aptissime hic memorantur, tum vitium metricum est in producta antepaenultima syllaba. Scripserim ego:

τέτρασιν σύλοις τε φρακτόν,

nam σύλοις propter causam quam dixi, apud Sophronium iambi locum potest habere.

Dubius haereo, quid statuam de stropha Δ:

Διὰ βήματος θεοῖο
μέσον ἐς τάφον θεοῖο
γεγονὼς πέτρην ἐκείνην
μάλα προσκυνῶν φιλήσω.

Digitized by Google

Satis bene convenit quod Christius coniecit:

Διὰ βήματος δὲ θείου,

nam saepe ad stropharum coniunctionem utitur poeta particula δέ et praeterea θεοῖο et θεῖον eodem modo copulantur vs. 37:

ὅθι προσκυνοῦμεν ὅσσοι
πέλομεν λεὼς θεοῖο
ἀγλαὸν ξύλον τὸ θεῖον,

sed fieri quoque potest ut omne vestigium pristinae lectionis perierit et librarius eundem errorem erraverit, quem vs. 96 commisit, ubi oculi eius inter scribendum imprudentes ad sequentem versum deerrarunt scripsitque τὸ σῶμα, quum παρέλθω deberet, quod Christius verosimili coniectura reposuit.

Sequuntur duae strophae, quarum utraque ab litera Ε incipit, contra excidisse apparet stropham Λ. Hinc quia librarius versuum ordinem interdum turbavit et integras strophas transposuit, facile fieri potest ut in his quoque fraus quaedam lateat. Prior strophe, quae de S. Sepulcro est, transponi non potest; de altera vide quid coniecerim. Edidit Christius:

Ἐπὶ τριςῷον παρέλθω
ὁλομαργαραργυρόχρουν
περικαλλέος γ' ἔπαυλον
Κρανίου τόπον προσέρπων.

Leve est scribere ὁλομαρμαραργυρόχρουν et περικαλλέος τ' et alia fortasse remanent corrigenda. Quid autem si poeta dedit:

Λιθοτριςῷον παρέλθω?

Atque sic strophe in suum locum relatum pertinebit ad monumentum quod S. Helena eo loco exstruxerat, quo crux inventa fuerat. Παρελθεῖν itidem cum quarto casu componitur vs. 96. Tenendum est autem id quod supra dixi et satis notum est, tria illa loca unius eiusdemque aedis ambitu contineri; exiguum spatium est inter S. Sepulcrum et eum locum, ubi Iesus cruci affixus fuisse traditur. Iam post stropham Ε

Ἐπ' ἀναξίου δὲ τύμβου, κτέ.

rectissime sequitur:

Ὠκεανὸς βιοτῆς αἰὲ βιούσης
ἀτρεκέος τελετῆς ΦωσΦόρε τύμβε,

Digitized by Google

nam interponit fere poeta dactylicos versus, quum se accingit ad novum monumentum celebrandum, et revera strophe Ζ de loco est, ubi crux stetit.

Inter strophas Ζ et Θ interponuntur denuo duo versus dactylici:

Ὡς μέγα σεῖο κλέος Φαίδιμε πέτρα
ϛαυρὸς ὅπη μερόπων λύτρον ἐπήχθη.

Obiter rem considerantibus strophe Η deesse videbitur, sed non est ita et nihil prorsus excidit. Solet poeta, uti dixi, dactylos suos intercalare, ubi ad novum sanctum locum pervenit: hinc vs. 67 est illud χαῖρε Σιών et 81 Προβατικῆς ἁγίης ἔνδοθι βαίνω, sed bis metro coactus fecit quod solum reliquum ei erat. Quia Anacreontici versus non possunt incipere a longa syllaba, in extremo carmine Anacreonticae strophes loco haec habet:

Ὦ γλυκὺ πλεῖϛα πέλεις ἔξοχον οὖρος,

et nostro loco propter causam eandem:

Ἦ μέγα σεῖο κλέος Φαίδιμε πέτρα.

Saepe ᾗ et ὡς in Codicibus confunduntur, sed nusquam vera lectio cum maiore evidentia reponi potest.

Quae sequitur strophe integra superest, sed difficile est dicere de strophe Ι, quae in Codice sic legitur:

Ἵνα παμμέδων τεχύνῃ
κεχαραγμένῳ γραφῆος
εἰκόνι σέβας προσοίσω
γόνατα δράμοιμι κάμψας.

Matranga autem edidit sic:

ἵνα παμμέδων ταχύνας
κεχαραγμένῃ γραφῆος
σέβας εἰκόνι προσοίσω
γόνατα δράμοιμι κάμψαι.

Eadem leguntur apud Christium, praeterquam quod hic admodum absurde scripsit γόνατα δράμοιμι κάμψας, quasi quis posset τρέχειν κάμψας τὰ γόνατα. Reliqua autem probari possunt, excepto illo ταχύνας, quo prorsus nihil proficitur. In τεχύνῃ latet τέχνῃ, ut mihi videtur; tum video in aliarum stropharum initiis abusum quendam coniunctionis δέ et memor vs. 4 ἵν' ἀγαλλιῶν ἐσέλθω, Codicis scripturam sic refinxerim:

Digitized by Google

Ἵν' ἀγαλλιῶν δὲ τέχνῃ
κεχαραγμένῃ γραφῆος
σέβας εἰκόνι προσοίσω,
γόνατα δράμοιμι κάμψαι,

quae aperta sunt et facilia intellectu.

Post stropham Λ, cui suum locum modo reddidimus, sequitur apud Matrangam:

Μετὰ καρδίης δὲ πλήρους
κατανύξεως ἀνελθὼν
ὑπερώιον θεῶμαι
κάλαμον σπόγγον τε λόγχην.

Est videlicet illud ὑπερῷον ἐν τῷ λιθοτριστῷ. Ceterum vulgatam ferremus, si ita in Codice legeretur; verum in eo est:

ἀνέλθω — θεοῦμαι
κάλαμος σπόγγος τε λόγχη.

Necessario in ultimo versu nominativum casum servare debemus et θεοῦμαι non ducit ad θεῶμαι, nam nemo umquam sic potuit errare. A facilitate correctionis commendari poterit:

Μετὰ καρδίης δὲ πλήρους
κατανύξεως ἀνέλθω
ὑπερῷον, οὗ θέαμα
κάλαμος σπόγγος τε λόγχη.

Ultimo versu vitium metricum est, quod poeta vix vitare potuit, in vocabulo σπόγγος· quarta enim syllaba in Anacreonticis per anaclasin perpetuo corripitur, unde in his versiculis non est locus tribus longis syllabis sese excipientibus. Similiter in proxima stropha aliquid poeta sibi licere putavit in vocabulo βασιλικὴν, quo tamen in hoc argumento abstinere non poterat, etiamsi metrum non ferret trium brevium syllabarum concursum. Eandem ob causam, ut videtur, offendi non debemus vs. 81, cuius dactylicum metrum est:

προβατικῆς ἀγίας ἔνδοθι βαίνω,

quamquam fieri potest, ut ibi parata venia sit, si quidem poeta sine dubio pronunciavit: προυατικῆς.

In stropha Ξ offendor quarto versu: κατέβη χαρὰ θεοῖο, nam non video qui Spiritus sanctus χαρὰ θεοῖο dici possit; vera scriptura videtur χάρις θεοῖο. In stropha Π non intelligo quid

Digitized by Google

sit illud quod de Beata Virgine ibi est: ὅπου τανύσθη Μαρίη· melius certe conveniet γανύσθη, licet nesciam quid Mariae cum coenaculo.

Facilius corrigentur dactylici versus, qui post stropham Π leguntur:

Χαῖρε Σιὼν Φαέθων ἥλιε κόσμου,
ἣν ποθέων ϛενάζω νύκτωρ καὶ ἦμαρ.

Vel puer emendabit:

ἣν ποθέων ϛενάχω νύκτα καὶ ἦμαρ.

Ceterum hi versus necessario transponendi sunt post stropham P; visus fuit Iesus τοῖς ἕνδεκα in coenaculo.

Strophe P apud Christium ita legitur:

Ῥαγὲν ὡς ἀφῆκεν ᾅδου
νεκάδας ζοφώδες ἔργῳ,
τότε παντάναξ ὁ ῥήξας
ἐφάνη Φίλος ἐκεῖσε,

et cetera quidem vitia recte emendata sunt, sed prorsus otiosum est illud ἔργῳ. Arridet εἰργμοῦ; verum neutiquam ferri debet Φίλος, nam iambus requiritur, non pyrrichius. Aut fallor aut poeta dedit πύλας.

In stropha Σ non intelligo quid sit δόμον ἐϛ πετρᾶν κατέλθω. Nihil novi commodius quam δόμον ὕϛερον κατέλθω. In proxima stropha non tangam ἐὸν ἔκλυσεν τὸ πῆμα, certe metrum non admittit in quam suspicionem quivis incidet, ἔκλαυσεν.

Duo vocabula corrupta sunt in stropha Φ:

Φέρε δή, μάτην μετέλθω
ἀγορῆς μέσης ὁδεύων,
ὅθι πατρικοῖς ἐτέχθη
θαλάμοις ἄνασσα κούρη.

Pro μάτην simplissimum fuerit reponere ϛέγην, sed ne hoc quidem intelligo, cur Beata Virgo nata esse dicatur πατρικοῖς θαλάμοις. Novi substantivum παρθένος etiam recentissimis Graeculis adiectivi loco esse; hinc reposuerim:

ὅθι παρθένοις ἐτέχθη
θαλάμοις ἄνασσα κούρη.

Sed septimo saeculo ea superstitio fortasse nondum nata erat.

In stropha Ψ Matranga τρυφείην, Flaschius in Codice invenit

Digitized by Google

τρυφοίην· hinc veram lectionem esse existimo τρυφώην. Quod autem ipsum versuum argumentum satis indicat, *ante* eam stropham transponendum est paenultimum distichum. Denique in extremo carmine editur οὐρανὸν ἥκεν· in Codice legitur ἶδεν· non utemur autem Matrangae correctione, sed reponemus ἵκεν, quae emendatio non egit commendatione.

Unica superest suspicio eaque fortasse non nimis certa; nam vs. 12 poeta aedem S. Sepulcri ἱερὸν κύβον appellat, quod quid sit cum minime appareat, poterit reponi θόλον, in quo vocabulo certe non est quod nunc quidem offendamur masculino genere. Fieri quoque potest, ut poeta κύκλον dederit, sed illud malo.

Non alienum mihi videtur emendatum carmen apponere, ut lectores facilius iudicare possint de correctionibus, quas commendavimus.

Ἅγιον πόλισμα θεῖον
Ἱερουσαλήμ, τεὰς νῦν
ἐθέλω πύλας περαίνειν,
ἵν' ἀγαλλιῶν ἐσέλθω.
Εὐαγέων Σολύμων ἔνθεος οἶστρος
αἰὲν ἐμὴν κραδίην σφόδρα δαμάζεις.
Βαδιῶν ἐπὶ πλακῶν σου
ἐς Ἀνάστασιν κατέλθω,
ὅθι παντάναξ ἀνέσχη
θανάτου κράτος πατήσας.
Γλυκερὸν πέδον φιλήσω,
ἱερὸν θόλον κατίδω,
μέγαν οὐρανόσχεγόν τε
τέτρασιν σύλοις τε φρακτόν.
Διὰ βήματος δὲ θείου
μέσον ἐς τάφον θεοῖο
γεγονὼς πέτρην ἐκείνην
μάλα προσκυνῶν φιλήσω.
Ἐπ' ἀναξίου δὲ τύμβου
κίονας κύκλῳ τε κόγχας
ἀκροκρινοχρυσομόρφους
φιλέων ἄγαν χορεύσω.

Digitized by Google

Ὠκεανὸς βιοτῆς αἰὲ βιούσης
ἀτρεκέος τελετῆς ΦωσΦόρε τύμβε.

Ζάθεον μεσόμΦαλόν τε
πέτραν ἐκταθεὶς Φιλήσω,
ὅθι τὸ ξύλον πεπήγει
τὸ λύσαν ξύλου κατάραν.

Ἦ μέγα σεῖο κλέος, Φαίδιμε πέτρα,
σαυρὸς ὅπῃ μερόπων λύτρον ἐπήχθη.

Θαλέων χαρᾷ δ' ἐπέλθω
ὅθι προσκυνοῦμεν, ὅσσοι
πέλομεν λεὼς θεοῖο,
ἀγλαὸν ξύλον τὸ θεῖον.

Ἵν' ἀγαλλιῶν δὲ τέχνῃ
κεχαραγμένῃ γραΦῇος
σέβας εἰκόνι προσοίσω,
γόνατα δράμοιμι κάμψαι.

Κατὰ παμΦαὲς δὲ βῆμα
γεγανυμένος πορευθῶ,
ξύλον οὗ τὸ θεῖον εὗρεν
Ἑλένη μέδουσα κεδνή.

Λιθοτριςῷον παρέλθω
ὁλομαρμαραργυρόχρουν
περικαλλές τ' ἔπαυλον
Κρανίου τόπον προσέρπων.

Μετὰ καρδίης δὲ πλήρους
κατανύξεως ἀνέλθω
ὑπερῷον, οὗ θέαμα
κάλαμος σπόγγος τε λόγχη.

Νεαρὸν δ' ἔπειτα κάλλος,
βασιλικὴν εὖ κατίδω,
μοναχῶν ὅπου χορεῖαι
νυχίους τελοῦσιν ὕμνους.

Ξὺν ἐμοῖς δρόμοις ποσίν τε
ἐπὶ τὴν Σιὼν ἀπέλθω,
ὅθι γλωσσοπυρσόμορΦος
κατέβη χάρις θεοῖο.

Digitized by Google

Ὅθι μυσικὸν δὲ δεῖπνον
τελέσας ἄναξ ἁπάντων
ὀπαδῶν ἔνιψεν ἴχνη
μετριοφρόνως διδάσκων.
Ποταμῶν δίκην ἰάσεις
ἀπὸ τῆς πέτρης ἐκείνης,
θεόπαις ὅπου τανύσθη
Μαρίη, βρύουσι πᾶσιν.
Ῥαγὲν ὡς ἀφῆκεν ᾄδου
νεκάδας ζοφώδες εἰργμοῦ,
τότε παντάναξ ὁ ῥήξας
ἐφάνη πύλας ἐκεῖσε.
Χαῖρε Σιὼν Φαέθων, ἥλιε κόσμου,
ἣν ποθέων σενάχω νύκτα καὶ ἦμαρ.
Σκοπιὴν λιπὼν Σιών τε
περιφὺς πέτρην, ἐφ' ἥνπερ
δι' ἔμ' ὁ πλάσας ἐτύφθη
δόμον ὕσερον κατέλθω.
Τόπον, οὗ κλάων σενάζων
σοφίης φίλων ὁ πρῶτος
ἐὸν ἔκλυσεν τὸ πῆμα,
χαμάδις πεσὼν φιλήσω.
Προβατικῆς ἀγίης ἔνδοθι βαίνω,
ἔνθα τέκεν Μαρίην πάγκλυτος Ἄννα.
Ὑποδὺς νέον νεὼν δέ
θεομήτορος πανάγνου
φιλέων περιπλακείην
ἐρατοὺς ἔμοιγε τοίχους.
Φέρε δὴ σέγην μετέλθω,
ἀγορῆς μέσης ὁδεύων,
ὅθι παρθένοις ἐτέχθη
θαλάμοις ἄνασσα κούρη.
Χαμόθεν Φέρων ἐκείνην
πάρετος κλίνην βεβήκει
ὑγιὴς λόγου κελεύσει·
βάσιν οὖν ἴδοιμι κείνην.

Digitized by Google

Γεθσεμανῆ τέμενος λαμπρὸν ἀείδω,
ἔνθα τέτυκτο τάφος μητρὶ θεοῖο.
Ψυχοτερπέως τρυφώην,
τέμενος γ' ἐπὰν παρέλθω
τὸ δεδεγμένον τὸ σῶμα
Μαρίης θεὸν τεκούσης.
Ὦ γλυκὺ πλεῖσα πέλεις, ἔξοχον οὖρος,
Χριστὸς ὅθεν μελέων οὐρανὸν ἷκεν.

Amstelodami, d. 27 m. Decembris 1876,
retractavi d. 18 m. Augusti 1890.

PLATO.

Euthydem. p. 303 *e* Socrates dialecticam Euthydemi et Dionysodori sophistarum artem sic ironice laudat: *τὸ δὲ δὴ μέγιστον, ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει ὑμῖν καὶ τεχνικῶς ἐξηύρηται, ὥστ' ἐν πάνυ ὀλίγῳ χρόνῳ ὀντινοῦν ἂν μαθεῖν ἀνθρώπων, ἔγνων ἔγωγε καὶ τῷ Κτησίππῳ τὸν νοῦν προσέχων.*

Optime senserunt Schanzius et Badhamus vitium inesse verbo *ἔχει*, quapropter *εὖ ἔχει* proposuit Badham; at ipsum verbum ferri non posse perspiciens Schanzius solum *εὖ* rescripsit — bene quod ad sensum, sed non satis probabiliter; nam si ita refingere licebit quae sunt tradita, in textu praesertim optime servato qualis est Platonicus, quid iam erit vetitum? quidni *καλῶς* substituimus vel *ἁπλῶς*? Aut egregie fallor aut Plato dederat: *οὕτως ὑπέρευ ὑμῖν καὶ τεχνικῶς ἐξηύρηται*, quemadmodum Theaet. 185 *d* legitur: „*ὑπέρευ, ὦ Θεαίτητε, ἀκολουθεῖς*". Nempe fraudem fecit librariis nota paulo rarior praepositionis *ὑπέρ*, litterae *χ* cui in fronte adhaereat *ε* vel *α* simillima, quam signis typographicis satis apte exprimere difficile, sed accurate delineatam reperient lectores apud Bastium Comm. Epigraph. tab. VII, 14 (pag. 846 sq.), Gardthausen Palaeographie p. 260, T. W. Allen Abbreviations in Greek Manuscripts 1889 p. 25 (plate IX, vid. etiam X, 1).

J. v. L. J. f.

Digitized by Google

SELECTA DE MONTEPESSULANO ET ASHBURNHAMENSI LUCANI.

SCRIPSIT

C. M. FRANCKEN.

Utrumque codicem, ex quo de versibus omissis exposui in Mnemosyne superioris anni p. 1 sqq., accuratius cognovi. Et priorem quidem iussu Ministri, qui his rebus in Gallia praeest, mihi officiose transmissum per aliquot hebdomades mea manu domi versare contigit.

M. Montepessulanus, olim Buherianus, nunc in bibliotheca scholae Medicae (École de Médecine de Montpellier) H N 113, in pergamena, 321 mm. altus, 212 latus. Constat ex partibus duabus, quarum prior libros I—VI, altera VII—X complectitur, illa in foliis 1—63, haec in 64—108. Quaterniones sunt omnino 14, quorum primus et ultimus uno folio carent, nempe initiali et finali. Praeposita est (Suetoniana) VITA LUCANI (*Cordubensis* rec. manus). M. ANNEUS LUCANUS CORDUBENSIS PRIMA ingenii experimenta in Neronis", et reliqua, quae sunt apud Oudendorpium ****3, C. F. Weberum „Vitae M. Annaei Lucani collectae" part. 1 p. 7 sqq., Reifferscheid „C. Suetonii reliquiae" p. 50. Sequitur argumentum libri primi, tum: „LUCANUS DE SEMET IPSO. Corduba me genuit", rell. usque ad „feriet" cf. Oudend. ****3, Weber part. 3 p. 4. In parte paginae reliqua scripta sunt manu recentiore haec: „Anno ab incarnacõe dñi M°. CC°. XVI° captū fuit molendinū," et paulo inferius eadem manu: „Quecūq; iudici nota sunt sū examinacõe feriri (s. s.:

Digitized by Google

„iudiciorum"; leg.: ferri) ñ possūt. nā dū accusatoris ꝑsona suscipit᷑, iudiciaria potestas amittitur, ı una enı ead᷑q; ꝑsona ıpossibile est, quia id᷑ hō accusator et iudex." In exteriore s. sinistra folii parte aliquot litterae, (partim abscisae) altera super alteram positae, efficiunt haec vocabula „LIBER S MARTINI HEDNENS.." (non heduensis, ut Steinhart refert).

Lucani ipsius verba incipiunt f° 2. Librum ligandum et ornandum curavit Buhierius, cuius familiae insigne una cum operis inscriptione praefigitur, aliud folium continet imaginem quae Lucanum repraesentare dicitur morientem, similem ei, quae in Senecae editione Lipsiensi anni 1652 tanquam Senecae proponitur. Eam ad statuam marmoream musei Borghesiani expressit P. P. Rubens teste Moreto in editione Senecae laudata ** 2 verso [1]). Buhierius colore eam distinxit et subscripsit verba antiqua (cf. Oudend. ***** 3): „M. Anneo. Lucano. Cordu- „bensi. poetae | beneficio. Neronis. fama. servata." Aetas viri, qui in balneo exstinguitur, et ratio mortis parum cum Lucano conveniunt. Ultimum folium repraesentat „Paulum Constantinopolitanum" in bibliotheca medii aevi cum digitorum motu aliquid explicantem.

In singulis paginis 38, raro 36 aut 37 versus sunt (cf. f° 95r, 93r). Si forte 39us adest, is est manus diversae et suo loco motus in fine paginae positus, signo addito ad verum locum notandum; rarius talis versus suo simul loco in margine iteratur.

Textus modo crassiore, modo tenuiore littera scriptus (cf. e. g. fol. 90 cum superioribus). Diversum esse scriptorem partis alterius (l. VII sqq.) cognoscitur ex forma litterae *a* aperta, quae in priore vix usquam invenitur. Inde a fol. 106v nova manus cognoscitur e caudata forma litterae *i*, tum primum prodeunte (*j*). Diversum a superioribus fol. 39r (IV. 627—664). Sed praeter eos qui textum scripserunt alii in libro perpoliendo et emendando occupati fuerunt. Prima manus non admodum perita fuit, innumeris

1) Statuam marmoream, ad quam Rubbensius Senecam suum, qui dicitur, delineavit, etiamnunc exstare in Museo Parisino Louvre sub nomine „piscatoris Africi", litteris humanissimis me docet Max Rooses v. c. qui museo Plantiniano Antverpiensi praepositus est. Eandem figuram Rubbensius ad picturam suam adhibuit (in Pinacotheca Monacensi 724) qua mortem Senecae repraesentavit.

Digitized by Google

enim locis male vocabula divisit et male legit, subinde quoque spatium vacuum reliquit explendum. Mendas ab eo commissas, erasis prioribus, itemque lacunas illas sustulit coaevus librarius, tam peritus legendi quam correctionis faciendae et occultandae; subinde tamen vel per rasuram apparent primae litterae. Facile autem agnoscitur illa manus atramenti colore. Nusquam apparet eum librarium ex alio exemplo correctiones petivisse, quam quod prior usurpavisset.

Ab hoc mendorum correctore duae manus probe distinguendae, quae quamvis diversae inter se tamen eiusdem aetatis sunt, ut ostendit f^{m} cod. 93^{r}, ceterum utique saeculo recentiores quam primitivus librarius. Earum altera adscripsit in margine versus incuria omissos grandibus litteris et crasso calamo, altera, paulo nitidioribus litteris intra versus interpretationes et varias lectiones addidit.

Nec tamen ea sola; sed ut fit, alii deinceps alia correxerunt; quos a duabus illis quam inter se distinguere utilius est.

Versus interpolatos I 436—439 adscripsit in margine manus saec. XIV aut. XV (v. 440 om.) a superioribus diversa.

Ad aetatem codicis (olim discerpti in duas partes I—VI, VII—X) definiendam nullum usum habet series pontificum in fine libri VI scripta, quoniam ea non ad Stephanum IV († 891), sed ad Stephanum primum continuatur, qui numeris huius tabulae supputatis cognoscitur annis 269, mensibus 11, diebus 10 post Petri adventum, i. e. anno 270 (paene) + 39 = 309 p. c. electus esse, contra vulgarem rationem ex qua 253 sanctam sedem occupavit. Cf. R. A. Lipsius, Chronologie der römischen Bischöfe bis zur Mitte des vierten Jahrhunderts, Kiel, 1869 p. 98, sqq. Steinhart in Symb. Philol. Bonn. p. 290. M. Hertz et L. Bethmann Steinharto teste XI saeculo antiquiorem codicem non existimant. N. Heinsius cum E. Spanhemio nullum Lucani codicem notum esse antiquiorem putabat (Epist. ad Phil. de la Mare d. 24 Nov. 1667), itaque Vossianis 1 et 2, illi cognitis, vetustiorem. Saeculo X adscribit Oudendorpius, recte opinor; litterae similes sunt eius aetatis codicibus, quorum aetas externis indiciis constat. Cf. Arndt, tab. 18 et 46. Eundem characterem scribendi habent aliquot exempla apud Chatelain, veluti 73^{a}, 87^{a}, quae ad s. IX referuntur, sed sine

Digitized by Google

externis indiciis. Contra cf. ib. 89a Horatii Einsiedlensis. Ceterum ne quis nimis veterem existimet M, conferat non tantum nitidas paginas, sed etiam festinantius scriptas, veluti postremas codicis et fum 39r.

Scholia codicis M edidit in progr. Berol. Gymn. zum grauen Kloster anno 1868 H. Genthe cum commentario, qui pluris faciendus est quam scholia ipsa; sunt enim pusilla, nec docta; gratum referimus Genthio, quod haec commenta, partim abscisa et vix extricabilia, non diu nos morantur.

Pauciora etiam et leviora sunt ea quae Ashburnhamensis habet: glossae quaedam interlineares, quae sine dispendio possunt neglegi.

Ipse ASHBURNHAMENSIS hodie in bibl. publ. Parisina Nouv. Acq. lat. 1626 (Libri 28) continet 145 folia, in quibus 34um bis numeratur, alta 270 (269), lata 190 (191) mm. Margines sunt 40 (41) mm. Una eademque manu totus scriptus est, nam quae discrimina cernuntur fol. 63 et 64, 76 et 77, inde explicanda sunt, quod librarius fol. 63 et 76 telam interruptam resumens ab initio paulo tersius et elegantius scribit, paulo post ad suum morem regressus. Folia 144 et 145 postea, saec. XII, addita sunt; fol. 1v, quod est pro involucro, ab exteriore parte tabulam ventorum, ab interiore syngraphum quandam continuisse videtur, in qua DELISLE v. c. agnovit haec verba: sub die lunae mense ..... anno XII regnante KARVLO rege", unde nihil de aetate codicis efficitur; scilicet charta quaedam obseleta ex tempore Caroli ad „ligaturam" adhibita est. In fol. 2, ubi ipse Lucanus incipit, versiculi aliquot paene evanidi saec. XI aut XII exstant; „/////// gessere pares, hinc gener inde socer. | Continuo numquam direxi carmina ductu. | Cur tractim serpant? Plus mihi coma (l. comma) placet | ," reliqua ut apud Oudend. in Vitis. Codicem vir eximius, quem modo dicebam, saeculo nono adscribit; absque eo esset, KRELINGIUS, qui librum mea causa contulit, ad Xum referret. Quicquid est, utique Montepessulano paulo vetustior est, quemadmodum contra hic Vossianum primum et secundum superat, ut quatuor illi libri (AMVU) intra saeculi unius spatium scripti videantur.

Fol. 145 post subscriptionem haec quasi de schola: „Finito libro frangantur crura magistro" et alia pulcella, tum: Ste (? *t*

Digitized by Google

incerta) iustine de padua," quae tamen omnia saec. XII non sunt vetustiora [1]).

Praeter manum quandam recentissimam, saec. XV, duo librarii codicem emendaverunt. Antiquior est illa manus, quae in margine, solito signo apposito, varias lectiones adscripsit. Hac recentiorem esse tertiam, quae textum passim correxit, apparet ex VIII. 809, ubi in textu est *Sertoris*, m. 2 in marg. *Sértori*, cui manus illa correctrix *i* addidit.

Ashburnhamensis et Montepessulanus ex eodem fonte fluxerunt. Exempla sumta sunt e libris I—IV. Ibi igitur A et M:

I. 189 „canos effundens vertice crines | *caesariae* lacera" pro *caesarie*.

483 „iussamque feris *agitantibus* urbem | Romano spectante rapi" (fama fert) pro *a gentibus*.

590 „*sterelique*" pro *sterilique*. (Eandem formam A. IV. 108, A. M. VIII 829, M. IX 382, A. M. IX. 696, M. X 38, M. IX. 822.

624 „per — *rimes*" pro *rimas*, uterque a 1 m.

II. 253 „fugienda *famis*" pro *fames*.

361 „lutea demissos velarunt *flamina* voltus" pro *flammea*.

452 „tela .. altis murorum *turbidus* aptant" pro *turribus*.

III. 484 „virtus *incerta* virorum" A.; *incessa* M. (supra scripta littera *r*) ex *incersa*, forte pro *incensa* scripto; *ss* in M. in rasura.

679 pro „*hastam*" in A. est *hastem*, in M. *hostem*.

IV. 405 „*in molles* Zephyros excurrit Iader" A. *immoles*, M. *immolles*.

801 „quid *prodita iura* senatus." A.: *prodiiura* (supra scripto *ta*), M.: *proditura* (s. s. *ai*). Memorabile est etiam:

VIII. 320 *Grasso* pro *Crasso* uterque, nusquam praeterea.

---

1) Fol. 140 et 141 haec in summis marginibus a m. rec. scripta sunt: [si] sapientia manens ante seculi (l. secula), per quam pater omnia, terram, maria, sidera, condidit, iuxta dicta profetarum gentibus aparuit (l. apparuit). | Orta ////| radice iese (l. Iessae) virga florem protulit, Evae culpa corruit, quia virgo incorrupta salvatorem edidit. Indumento | nostrae carnis se rex potens induit, non decore regio infans pannis involutus iacet in presepio, celi cives in excelsis | bene dicunt domino ceteris (aetheris?) sideribus. (Versiculorum indicia non adsunt.)

Digitized by Google

VI. Sine ulla ratione versus 262 praeponitur versui 261 in utroque manuscripto.

Selegi haec exempla quod locis laudatis reliqui non sunt corrupti; satis igitur haec probant ex eodem fonte fluxisse A. M. et non alios simul. Dubium adeo ex his possit videri, an alter ex altero sit descriptus. Quod tamen non factum esse infra scripta probabunt. Satis erit ex duobus libris documenta afferre. Priore loco posui lectionem Ashburnhamensis. V. 206 furorum, furoris, 518 inverso, inversa, 691 quod mittere, *committere*, 771 *praestare*, praebere, 811 tectas, *tactas*, VI. 32 metatur, *metitur*, 41 tescua (l. *tesqua*), testa, 51 et, *en*, 65 medio, *mediae*, 81 pabula, M. idem in rasura, 101 manent, *iacent*, 118 castris, *claustris*, 128 *ad*, in, 144 implere, *in plebe*, 157 non, *nos*, 189 *premit*, petit, 200 torta, portat, 207 adest in A., om. M., 206 *eligit*, ilicit, varietas e capitali scriptura nata, 208 getulus, sic lybicus (notabilis correctio ad tuendum versum superiorem), 264 *claustra*, castra cf. 118, 376 titares suas, *titaressus*, 393 silide, *sidere*. Nomina geographica, in his versibus mendose scripta in A., satis recta habet M. — 401 terrenumque navas. Manifesto corruptum ex ignaras, et sic fortasse legendum (terrenum ignaras hominem proiecit in undas, cf. Hor. C. IV. 11. 27) M.: terrenum ignotas. — 582 compressas, *conspersos*, 585 avellere, avertere (averrere V U, cf. Prisc. X p. 532 K), 746 excussa, *concussa* [1]).

Quae facile possent ex quovis Pharsaliae libro augeri. Ergo si manifesto cognati sunt A. M., neque tamen alter ex altero descriptus, restat, ut credamus vitia illa communia in archetypo codice fuisse et per aliquot apographa ad A. et M. esse propagata. Quando autem exemplar illud, unde haec familia codicum exstitit, scriptum sit, divinari potest ex catalogo Pontificum, de quo supra dictum, qui, ex archetypo sine dubio transmissus, extenditur usque ad finem saeculi tertii.

Quae in A. sunt scholia, admodum exilia sunt et leviora quam in M., veluti I. 689: Pyrenen — mons. II. 338 „dum sanguis inerat", supra scriptum: antipentimemeris (sic). VII. 569 „Bistonas — populus" et similia. Proprium aliquid, inquit Kre-

1) Meliorem lectionem litteris cursivis notavi.

Digitized by Google

lingius, et paene in libro I solo, hoc est, quod prius ubique scriptum est *que*, tum deletis litteris *ue* factum est *q;* manu 1ª (?), ut v. 34, 49, 51, 53, 59, 61, 65, 68, 77, 87, 91, 96, 99, 123 ut reliqua omittam. Raro hoc fit in reliquis libris, statimque *q;* scriptum. Haec Krelingius. Mire concinit Mont., in quo plane eadem correctio, paulo fortasse constantius. Cf. Philol. Wochenschrift anni 1890, p. 331. Scilicet cavere voluerunt librarii corrigendo ne *que* haberetur pro *quae*, id autem fieri ea demum aetate necesse erat, qua evanuerat ę, perpetuoque pro *ae* scribebatur *e*. Cuius rei etsi aliquot iam exempla sunt saec. X, tamen si credimus viris in Gallicis MSS. versatissimis L. Delisle et Chatelain, quorum sententiam refert F. Plessis de Propertio (études crit. sur Properce, Paris 1884) p. 11, in morem hoc demum conversum est ineunte saec. XIII. Ex eo igitur tempore, ex quo metus erat ne *que* coniunctio acciperetur pro *quae*, i. e. saec. XIII, ea correctio est facta, non sane a prima manu, de quo recte dubitat Krelingius. Ceterum si re vera Paris. 544 de Amicitia Chatelain XLI^{c} est saec. XI ineuntis, *e* iam tum perpetuo pro *ae* scripta, cf. Wattenbach, Anleitung ^{4} p. 49, quem sequitur Blass in I. Müller Handbuch I p. 304, et compara cum tabula laudata apud eundem XLII saec. X ubi ę perpetua est.

Paene per se intellegitur A M non ex minuscula sed ex capitali scriptura esse descriptos. Ostendunt id vocabula centies male divisa, veluti VI. 105 A: peregrinam esse carinae — peregrina messe c.; VIII 76: laudis in hoc sexu — | unica materies coniux *miser; erige mentem*, A. (1 m.): *miserere gemente*, in marg.: *gementem* [1]), quod verum esse posset, si Pompeius gemens ad uxorem loqueretur et non in ipsa miseria coniugis laus esset feminae. Lib. IX. 945, ubi Catonis exercitus ex arenis emergit:

iamque procul nemorum rarae se tollere frondes,
surgere congesto *non culta* mapalia campo,

M.: nunc visa, U n̄c visa, V. tunc visa, Regius: non visa. A et *u* recte non culta: N̄ CULTA, unde exstitit: N̄C UISA, nunc visa, *c* ad superius vocabulum tracta et I cum L, ut centies, confusa. Ridiculi sunt tales alibi errores, veluti Tac. Ann. IV. 73: „soluto iam castelli obsidio et *ad sua tutanda* digressis rebellibus"

1) Manus 8 in A. correxit miserere (*e* in *i* corr.) gemente (in marg. tem).

Digitized by Google

Ptolemaeus contractis vocabulis *suatutanda* II. 11 hinc novum oppidum procudit Σιατούτανδα. Seneca de Ira 2, p. 90. 1 Gertz: „quidam *omni humore* interdixere corporibus (i.e. balneis, lavando)", inde factum *omni umore*, *omnium ore*, et interpolatione simul facta: *animalium omnium ore*, denique coniectura ab interpolata lectione profecta: *animalium omnium carne*. Ostendit porro capitalem formam confusio litterarum C et G in supra laudatis *eligit* — *elicit* (notum est enim quam prope E in angusta litterae illius forma accedat ad I), *Crassus* — *Grassus*. Pulcra est sententia Catonis IX. 211, quam tamen haud scio an minus intellexerint interpretes: „scire mori sors prima viris, sed (l. viri sed, A.: *viri est sed*, m. 2 in marg.: *viri absq; ē* i. e. *viri sed*, V.: *viris est prox.*) proxima cogi." Secundum gradum esse felicitatis, ut quis cogatur mori, quis credat? cum praesertim Stoicus non letum ab hoste vi illatum sed liberum mortis arbitrium sibi optet; et omnes homines sic felicis illius fati participes essent. Nimirum tam *cogi* quam *mori* pendent a *scire:* scire mori est posse mortem sponte obire; scit cogi is, qui iniunctae necessitati paret et fortiter cervices praebet, ut Pompeius. Sed in ea sententia Ashburnhamensis dicit proximam a felicissima sortem esse *coci*. Hoc quoque facile intellegitur deberi confusioni capitalium B et R: implere — in plebe (vid. sup.) et quod IX. 453 (Auster) Aeoliam rabiem totis exercet *arenis*" speciosa lectio *habenis*, de qua infra agam, quibusdam editoribus placere potuit; pro *arenis* stant praeter MVUR etiam A et oppositio silvae (453). Potest etiam de eadem confusione cogitari supra allato loco VI. 393, ubi A sid*ide* pro sid*ere*, sed verius est, librarium oscitantem cum e superioribus *gelido qui* exitum *ido* in ore haberet, eundem importune repetivisse, quod probabilius etiam videbitur, si aliis quoque locis apparuerit eum non tam sollertia ductum quam neglegentia titubantem a vero aberrare.

Sublegam nunc per saturam quasdam ex Ashb. lection**es**, unde statim aliquatenus de codice illo possit iudicari, cum tex**tu** postea totam varietatem editurus.

II. 126 „Te quoque *neglectum violatae, Scaevola, dextrae* | ante ipsum penetrale deae, semperque calentis | mactavere focos," sc. Mariani. Interpretatio vulgaris est: „spretum a nefaria Marii

Digitized by Google

dextra", quam sc. tibi non porrexerat Marius tanquam salutis pignus. Plutarchus Mar. 43 ἐκ δὲ τούτου (φονεύουσιν) ὅσους ἀσπασαμένους μὴ προσαγορεύσειε μηδὲ ἀντασπάσαιτο (ὁ Μάριος), τοῦτο (δ') αὐτὸ σύμβολον ἦν ἀποσφάττειν εὐθὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. Florus III. 21. 16 Ancharius — confossus est, quia fatalem istam scilicet manum (Marius) non porrexerat salutanti." Ita qui a Mario non resalutati erant, statim in via trucidabantur, quod non convenit cum caede in Vestae sacrario commissa, secundum Florum qui III. 21. 21 de Scaevolae salutatione nihil. Exsecratur Lucanus eos qui oscula pollutae Marii dextrae fixerant v. 114, cum quo convenit *neglectu* violatae dextrae, s. pollutae, quod Scaevola non solebat manum cruentam osculari. Weisius, *Vestae*, inquit, in quibusdam codd. legi dicitur. Non est nunc quod de ea re dubitetur; Ashb. a 1ª manu post rasuram 1 fere litterae (fort. ante fuerat *scaevolae*) habet *veste*, m. 2 in marg. *dextrae*. Illud *veste* non intellectum alteri lectioni ansam dedit, inque eo cum Bentleio acquesciendum videtur: neglectu violatae Vestae, i. e. nihil curantes se Vestam violare.

II. 165. Nec Graecia moerens | *tot* laceros artus Pisaea flevit in aula" Ashb. cum deterioribus quibusdam pro *tot* habet *tam*, contra sententiam, puto. Cogitavit poeta turbas, quales describit Sophocles El. 724, sqq.

Ponti vs. 189 supplementum ineptum est pro vocabulo *trunci* forte omisso.

Hostis pro *hastis*, *clade* pro *caede* (de uno homine sermo est), *perdere* pro *pendere* v. 310 sqq. sunt festinantis et parum attenti. Bonas lectiones M. in rasura habet. „Quidquid Romani meruerunt *cernere mortes*" pro *pendere mores* est interpolatio secundae manus in margine, ipsa quoque corrupta ex: *cernere mores*, in quo *cernere* pro adspicere, pati = quascunque Romani pro suis malis moribus poenas subire debent (ἐπιδεῖν). Manifesto non intellexerat interpolator *pendere*.

III. 2 verum puto: „mediumque rates *tenuere* profundum," oblatum ab A. m. 2 Vere observat Burmannus aptius esse *tenuere*, quod de navibus vento motis agatur: propulit ut classem Auster. Contra ubi de remis sermo est, si optio datur, *movere*

Digitized by Google

praeferendum. *Cessarunt somno*, usu trita et vulgaris formula, pro lecta et eleganti *cesserunt somno* substituta est in solo A., qui proprietatem loquendi fortasse non magis intellegebat quam versu 32, ubi M. numquam tibi Magne per umbras | perque meos manes *genero* non esse licebit" (si ego Iulia fui olim, et sum etiamnunc in inferis, tu Pompei gener es Caesaris) cum var. lect. *generum*, quorum utrumque rectum, A. pro stupore suo de genere cogitans scripsit *generi*.

Sed „remeasset *ad* urbem" v. 73 quoniam de triumpho sermo est, quamvis *in urbem* praebeat cum reliquis bonis et 2 m. Ashb. Priscianus III. 91. 48 Keil commendatur perpetua consuetudine.

Placere possit quod m. 2 in marg. habet vs. 84 „praecipitis superaverat Anxuris *arcem*" pro *arces*. Sed pluralis de una urbe saepius usurpatur, ut Dyrrhachii arces VI. 14, Carthaginis IV. 585, Brundisii II. 609, al. Praecipit*is*, quod scribunt A. V., tam ad *Anxuris* quam ad *arces* potest referri; nam etsi codices Lucani VIII. 93, IX. 107 in acc. habent praecipite*s*, tamen multa sunt vestigia accusativi in *-is* in aliis vocabulis: hiantis A. M. I. 624, mortis A. II. 156, vagantis A. M. 638, rudentis A. II. 698 A. III. 44, fontis A. M. II. 419, omnis A. M. V. II. 524, minantis A. 2 m. M. VI. 112, furentis M. VI. 300, montis A. VI. 343, habentis A. VII. 441, ingentis A. U. VII. 679, quibus parisyllaba plura addi possunt. IV. 669 „excivit Libycae gentis extremaque mundi" longa syllaba convenit cum usu Lucani paene constanti et *gentīs* accusativus est, scribendum cum Grotio „excivit, Libyae gentis." V. U. plerumque *e* habent; in M. satis constanter manus prima *is* est correcta in *es*, sic tamen ut *i* etiamnunc possit perspici eo quod *e* supra lineam eminet. Audac*es* I. 474 testatur scribi Priscianus II. 361. 10 K, Vergilio tamen tenac*is* ceras tribuens. Equidem in edendo perpetuam normam sequendam et *is* scribendum puto in omnibus, quae in gen. plur. *ium* habent, praeterquam in monosyllabis substantivis in *x*, certe nondum moveor ut tenui indicio unius loci in A. VI. 14 (*ad arcis* 1 m. sine var.) *arcis* in acc. probem, nec magis *facis*. *Praecipitis* est apud Vergilium, cf. Neue, II. 70.

Digitized by Google

290. „Tot immensae comites *missura* ruinae | excivit populos et dignas funere Magni | exsequias fortuna dedit."

Quod ex coniectura Sabellici Grotius adscivisse putatur *mixtura*, est manus secundae varia lectio in U, sed recte in altera editione ab eo spretum. *Missura* nunc omnes. Mittere aliquem orco, leto, inferis, neci dicitur, sed insolitum ruinae; illa enim (*orco*, rell.) locum aut res significant quae crescunt aut ditescunt accessione, ut dativus ex commodi notione sit explicandus, quod secus est in *ruina*, a quo localis significatio abest. Ferendum tamen putarem, si auctoritas esset dubio maior. Sed in Ashb. m. 2 in marg. adscripsit litteras *mer*, unde haec optima lectio existit: *immensa comites mersura ruina*. Cum semel *mersura* esset depravatum, ut fit, casus corruptelae accommodatus est. Cf. IV. 525 „mergere ponto." In eo *ponto* est ablativus, non dativus, ut opinor. Mergere in aliquid et mersus in corpore dicitur; non, quantum scio, coniungitur manifestus dativus. Vide locos apud Oudend. ad III. 426. Heitland p. CIV dativum esse putat, coniungens dubium illud terrae condit I. 607, quod vel Livio obtruditur V. 51 et similia.

IV. 112. „Et tu perpetuis *impendas* aera nimbis." Dolendum est quod ipsa Heinsii annotatio *intendas* defendentis cum reliquis interiit, nam quae Burmanus ex ea refert non satisfaciunt. Habet id A. in marg. *Impendere* vulgo, quod etiam post lecta commenta virorum doctorum non possum non ineptum putare. Si interpretarentur suspende nimbos ante aethera, quo lux intercipiatur, intellegerem (non probarem), ut quemadmodum impendere nimbos aeri, sic quoque aera nimbis diceretur; sed aera quasi insumere nimbis nimis mire dicitur. Aliquanto melius est *intendere* aethera nimbis; scilicet quemadmodum intendere lyram nervis, sellam loris, similia dicuntur, aera nimbis recte se habet; est enim praepandere nubes aetheri. Alia quoque sunt in hoc loco quae offendunt. Editur vulgo inde a v. 103: nec Phoebum surgere sentit | nox *subiecta* polo" sic Haskins cum Weisio; quanto magis poeticum quod U habet et quo V R (*subtecta*) ducunt et ex Grotii editione superiores sumserunt: *subtexta* = tanquam textura extenta ante lucem surgentis Phoebi. Paulo post v. 106: „sic mundi pars ima iacet, quam zona

Digitized by Google

nivalis | perpetuaeque premunt hiemes; non sidera caelo | ulla videt, sterili non quicquam frigore gignit. | " Hac comparatione tenebrae describi debent, sed reapse describitur *situs* (*iacet*). Porro v. 109 „Sed glacie medios signorum temperat ignis." Itaque sidera (*signorum ignes*) sunt media inter glaciem? Haskins tamen annotat: medios] i. e. it moderates the equatorial heat. Sed quomodo *ima pars* sola i. e. antarctica s. meridionalis possit ambire et includere *medium* aequatorem? poli duo (arctos et antarctos) possunt temperare calores medios, aequatoriales. Locum sic scribo:

sic mundi pars ima, iacet qua zona nivalis
perpetuaeque premunt hiemes, non sidera caelo
ulla videt, sterili non quicquam frigore gignit,
sed glacie *mersos* signorum temperat ignis.

scilicet glacie omnia sunt constricta et radios siderum illa vix transmittit. Comparatio autem iam est: sic pars antarctica non sidera videt. Ante *premunt* accusativus pronominis relativi mente supplendus, constructione potissimum Graeca.

186. Egregie A. confirmat lectionem Hugonis Grotii: „classica *det bello*, saevos tu neglege cantus, | signa *ferat*, cessa: iamiam civilis Erinys | concidet, et Caesar generum privatus amabit." Egregii versus, sic scripti. Sine vobis, inquit, nihil potest Caesar. Iam etsi per se alibi aptissimum sit, classica „dent bellum", quod etiam sine Gronovio sciremus, hoc tamen loco Caesar necessario subiectum esse debet; ille nihil potest, ille frustra bellum canere iubebit, vobis refragantibus, frustra iubebit signa ferre. Farraginem codicum, ut semper, mittimus et animadvertimus tantum ex bonis (V U M R T) *det bello ferat* V. tantum pro altera lectione habere, solus A. lectionem, quam ratio veram esse probat, a 1ª m. habet.

230 quoque cum Grotio consentit A: *pugnabitis* praebens pro *pugnantibus*, quae varietas ratione palaeographica admodum lenis est, sed tamen nullum usum, me iudice, habet. Locus hic est: hostes nempe meos (verba sunt Petreii Pompeiani ad milites suos) sceleri iurata nefando | sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est | vestra fides, quod pro causa pugnantibus aequa | et

Digitized by Google

veniam sperare licet." Vos speratis veniam, quod pugnatis, non quod pugnabitis, nam iam dudum accinxerant arma. Non tam expedita reliqua sunt. Sententia est: vos Pompeiani pro senatu legibusqus pugnatis, nemo si victi eritis vobis succensere potest; at Caesariani bene norunt, si manus dederint, poenam sibi instare ut proditoribus reipublicae; igitur vos facile arma ponitis, illi ad mortem usque perstant. Sceleri iurata nefando sacramenta = iusiurandum quo se erga scelestum (Caesarem) obligaverunt.

V. 811. De Cornelia post discessum Pompeii sui, quem in cubili somno gravata frustra quaerit: „nam quamvis flamma tectas urente medullas | — servatur pars illa tori" (in qua Pompeius decumbere solebat). Ashb. *tectas* et sic V U M m. 2, Taurinensis d'Orvilii; *tactas* M. R. (in quo *tacta surgente*); *tacitas* U. m. 2 et fortasse M. manum primam, paene evanidam, sic correxit. Optio tantum esse potest inter *tectas* et *tactas*, *tacitas* etiamsi aptum esset, quod, cum non significetur clam aut sensim prorepens amor, negandum est (tabes tacitis concepta medullis Petron. 119. 54), tamen auctoritate cederet. Praestat sine dubio contra A.: *tactas* = quamvis tactas medullas, nam *quamvis* ad totum comma pertinet. Multis pugnat Cortius pro *urgente*, sed ratio favet urendi vocabulo (et sic V M), nisi forte medullae ipsae aliquid patiuntur.

VI. 144. Scaeva „castrorum in plebe merebat | ante feras Rhodani gentes" (i. e. ante bellum cum feris R. gentibus, quasi: ante notam feritatem, cf. II. 498 post Rubiconis aquas). Quomodo ex *in plebe* potuerit in A. existere *inplere*, *implere*, dictum, ex *implere* (sic) tum *impellere* factum (m. 2), sed an ex hoc propagata sit lectio, quam m. 3 (ea quae vulgo interlinearia scribit) supra scripsit: *impellere metam* dubito. Sententiam enim habet non malam. Meta est inferior pars molarum trusatilium. Paulus in Dig. XXXIII. 7. 18. 5 totidem verbis: „est autem meta inferior pars molae, catillus superior." Itaque truditur sive versatur proprie catillus, tamen Amm. Marc. XVII. 4. 15 molendinarias rotare metas dixit. Scaeva igitur secundum hanc lectionem molas trusatiles in castris versasset. Magna sane sagacitas librarii, qui lacunam post verbum *impellere*, sic supplevisset, pro

Digitized by Google

molis vocabulum etiam deligens quod metro satisfacit; sed non minus mirabile e contrario esset ingenium eius, qui vulgatam invenisset. Accedit quod minus apte genetivus castrorum iungitur cum *meta*, quasi vero in castris unae tantummodo essent molae, eaeque trusatiles.

Similis quodammodo est coniectura, ut opinor, vetusta, olim iam nota ex V., quam nunc apparet praeter *m* [1]) etiam A habere vs. 200: „hunc aries ferro ballistaque limine *torta* | summoveat," pro *portae*. Oudendorpius iam conatus est eam defendere et commendare, quod sine magna tamen mutatione ei non successit; conicit enim *arundine*, *verbere*, aut *turbine torta*. Vidit recte *torta* absolute poni non posse, sed quidni tum teneamus vulgatam, quae aliquam habet offensionem, si a poeta tanquam a iurato teste rationes repetas. Scilicet Scaeva saltu evasit supra hostes obsidentes, itaque nunc in limite portae esse non potest. Hunc scrupulum exemit, qui ex *portae* fecit *torta*. Sed satis vulgatam defendit Cortius: antequam excessit saltu e castris in muro est, nunc humi in porta Scaeva, ad quam recessit pugnans.

De correctione versus 207 l. VI verbo dictum est. Scilicet Scaeva v. 205:

iam gradibus fessis in quem cadat eligit hostem
par pelagi monstris. Libycae sic belua terrae
Getulus densis elephans obpressus ab armis

(omne—missile—frangit). Sic A., v. 206 a prima manu. Sed eum iure prima manu om. V U M R, proximo versu offerentes: sic Libycus densis. Haec autem cum iuxta versum interpolatum stare non possent, correctum est *Gaetulus*, remedio parum efficaci. Id praeter A. habent deteriores tantum, cf. Oudend.

Omnino ex versibus quos magno numero a 1ª m. omittit M., multi in A. inveniuntur.

Non adsunt a 1ª m. in A.: III. 167 egeritur, 168 pauperiorque, IV. 78 quamvis, 171 et fratres, 251 et scelerum, VI. 152 o famuli, 188 perdidit, VII. 90 sitque, 103 si modo, 200 solis, 257 haec eadem, 258 reddat, VIII. 124 accipe, IX. 83 lin-

1) Litteris minusculis alteram manum indico.

Digitized by Google

quere, 615 morsu (et, ut per se apparet, versus illi nullius auctoritatis I. 436—440).

In M. amplius quadraginta praeter hos desiderantur, ex quibus longe maior pars caret offensione; cf. Mnemos. XVIII p. 5 sqq. Contra qui desunt in A. supra memorati omnes sunt subditicii aut graviter suspecti. Ad posteriores refero unum tantum VII. 200, quem ego cum Kindlero mutato *solis in* in *solus et* sanare conati sumus [1]); nam VII. 90 de quo iam actum l. l. p. 12, nunc non dubito quin exulare debeat: „involvet populos una fortuna ruina, [sitque hominum magnae lux ista novissima parti,] testor, Roma, tamen," rell. Reliqui non sunt simpliciter suspecti, sed sine dubio spurii. Vix opus monere eos, qui in A. adsint, non propterea iam genuinos esse.

VII. 773 „civis adest: sua quemque premit *orroris* imago" A manu prima, quod m. 3 corr. in vulgatum *terroris*. *Premit orroris* metrum fert, ut equidem opinor. Producit eodem versus loco *-at* Lucanus II. 565 „Pompeium transire parat. Hinc consul uterque". Hephthemimeris iuvatur incisione post *adest*, ut manifesto versus in tres probe separatas partes dissidat. Dubium non est aptius esse horroris quam terroris vocabulum; dum enim umbras interemtorum in somniis vident, non tam metuunt quam horrent.

Quaestionem de producta finali in *t* apud Lucanum diligenter tractavit Trampe, in diss. Berolinensi a. '84 „de Lucani arte metrica," p. 9, sqq. post Lachmannum ad Lucr. III. 1042. Ex duobus locis IX. 417 et V. 522, quibus Trampe statuit petīt abīt perfecta esse, alter manifesto praesens habet („quisnam mea tecta petit?") alter dubius esse potest („maior in unam orbis abit Asiam"), quamquam mihi, collatis sequentibus et usu loquendi in geographia: *vergit*, *tendit*, *se extendit*, τείνει praesens videtur. Sed perfecti forma dubia non est X. 64: „terruit illa (Cleopatra) suo si fas Capitolia sistro, | et Romana

1) Doleo Aug. Kindleri dissertationem Monasterii a° 1882 defensam: *de Luc. Pharsaliae versibus, qui desunt in codd. Montep. et Vossiano altero* sero mihi innotuisse, quamquam quod sua uterque via progressus eodem pervenit, communem sententiam confirmat.

Digitized by Google

petit imbelli signa Canopo." VII. 841: sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa | inque feras discerptus abĭt: non intima curant. IX. 205: olim vera fides Sulla Marioque receptis | libertatis obĭt; Pompeio rebus adempto | nunc et ficta perĭt, non, rell. VI. 529 viventis animas — | infŏdit busto: fatis debentibus annos | mors invisa subĭt, perversa funera pompa | rettulit a tumulis. VIII. 701 hac fortuna fide Magni tam prospera fata | pertulit; hac illum summo de culmine rerum | morte petĭt, cladesque omnes exegit in uno. VIII. 320 quas magis in terras nostrum felicibus actis | nomen abĭt aut unde redit maiore triumpho. Duobus igitur locis X. 64 et VIII. 320 perfectum contractum (*petit*, *abit*) ante vocales natura longam habet finalem; quibus missis syllada in *-t* metrica, non prosodiaca, ratione producitur II. 561, V. 522, IX. 417, ad quae iam accedat VII. 773.

805. „Non interpositis urantur corpora flammis, | aut generi si poena iuvat nemus exstrue Pindi." Patienter plerique tulerunt *exstrue*. Burmannus solus duriorem locutionem merito appellat, qua significatur: exstrue *rogum* e nemore Pindi. Mire tamen laudat VIII. 695 „mons exstructus" ut in tradita lectione acquiescat; nam locus ille cum aliis, in quibus est rogus vel acervus exstructus, contrarium probat. Maiore cum iure attulisset II. 158 exstruere robora busti. Merito idem sprevit Langerm. lectionem *extrahe*. Ashb. habet *erue*, sine dubio recte, pro: caede silvam, effode, eradica. Dubitatum est subinde de ruendi transitiva significatione, non de eruendi. Cf. IV. 223 non chalybem—eruerent. III. 156 eruitur templo census. Claud. de Laud. Stilich. I 128 silvas umbone ruebat. Hor. Sat. II. 5. 22 divitias aerisque ruam dic augur acervos. Verg. Georg. I. 105 cumulosque ruit male pinguis arenae. Cf. Aen. I. 35, 85. Apud Hor. Sat. I. 4. 25 teneo quod olim plerisque editorum placuit: „quemvis media *erue* turba," quod in bonis codd. (F. M. apud Mewes) lectum per *elige* et *eripe* explicatum, his in aliis codd. locum cessit; exquisitum eruendi vocabulum non est interpretamentum, sed contra *elige*, quod vocabulum caret notione fortuiti et promiscui, ibi necessaria. In eo quoque non sequor Kiesslingium, quod superiore versu „aut *ob* avaritiam aut misera (malim *miser*)

Digitized by Google

ambitione laborat" parum latinam constructionem eo defendit, quod Horatius aiiud verbum (attendas velim diversam significationem) in mente habens ad illud constructionem accommodaverit: zu ob avaritiam schwebt noch [admodum perverse] *culpari dignus est* als Praedikatsbegriff vor.

Pro *non interpositis* Montep. habet *in compositis* cum var. lect. suprascript. *inter*. Nihil mutandum. Corpora sunt urenda continua, ut alterum alterius latus tegat, neve titionibus cadavera separentur, ut Nestor ille praecipiebat τύμβον — ἕνα χεύομεν ἐξαγαγόντες ἄκριτον, Il. VII. 366. Negatio manifesta non pertinet ad *urantur*. Poetae saepe partim metri necessitate *non* pro *in-*: non tactus III. 156; iamque actu belli non doctas ferre quietem IX. 294, surgere congesto *non culta* mapalia culmo IX. 945, quam lectionem, de qua vide supra p. 22, confirmat Phylargyrius vel Servius ad Georg. III. 340. Alia apud Cortium ad III. 156 sunt dubia. Hor. C. II. 201 non visitata (Bergk pro: usitata). Hoc loco *non* aut *neve* erat necessarium, sed prius praestabat ne ambigua verba essent. De *non* et *nec* pro *ne* et *neve* cf. e Tibullianis IV. 1. 100 tum tibi non desit faciem componere pugnae, 136 non eidem tibi sint aliisque triumphi. IV. 3. 3 nec tibi sit duros acuisse in praelia dentes. Hor. Sat. II. 5. 91 non etiam sileas. Epist. I 18. 22 non ancilla tuum iecur ulceret. Tac. Ann. I. 11 non ad unum omnia deferrent, ubi cf. Nipperdey, Zumpt Gramm. § 529 nota et quos laudat Schmalz ad Reisigium II. 481.

Memorabilis est forma *rusus* in Ashb. et Montep. VIII. 254 e Lucretio et Plauto satis testata, de qua notum est Lachmannum ad Lucr. III. 44, Ritschel. Prolegg. p. CIV et Opusc. II. 259 egisse. Addas nunc Georges, Lex. der Latein. Wortformen i. v. Quamvis illa defendatur formis *prosus* et *prosa* (oratio) et similibus, tamen, cum exempla ex Vergilii codicibus (cf. Ribbeck Prolegg. p. 444) et Ciceronis (cf. Lachm. l.l.) admodum rara sint, his recentioribus scriptoribus eam obtrudendam non puto; sed poetam, qualis est Lucanus, vetustam subinde elegantiam affectasse minime est improbabile.

VIII. 504. Pothini verba: (Pompeius) „quaerit | cum qua

Digitized by Google

gente cadat; rapitur civilibus umbris. | Nec soceri tantum arma fugit; *fugit* ora senatus, | cuius Thessalicas saturat pars magna volucres." Alterum *fugit* omittitur in Taurinensi, in M. in rasura est; in Ashb. m. 2 in marg. *tonet*, fortasse e *timet* corruptum, sed apparet *fugit* errore semel positum esse et locum deinde e coniectura suppletum. Non persuadet Burmannus verba corrupta esse. Pompeius fugit aspectum senatorum, inquit Pothinus, verene an falso parum refert. Magis dubium est *umbris* pro quo A m V U R T habent *armis; umbris* M t. Hoc Oudendorpius defendit allato X. 336: „habitant sub pectore (Pothini) manes ultricesque deae dant in nova monstra furorem," ubi manes furiarum partes explent, sive dearum ultricum Pompeii. Parum aptum ad *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα* illud *rapitur*. *Umbris* e correctione esse videtur, eadem ratione qua altero loco *ultricesque umbrae* legitur in *u* A R T pro *ultricesque deae*. Pompeius rapiebatur civilibus *armis*, belli civilis impetu trahitur invitus. Sentis etiam, quam mire dicantur umbrae civiles pro umbris civium in bello peremptorum. *Civilia arma* aliquoties Lucanus pro bello civili.

Alterius loci X. 336 varia lectio adhiberi potest ad emendandum versum, quem quamvis obiter nolo tamen videri levi manu pertractasse, nam diu me tenuit; est II. 80, ubi narratur impetus in carcere Minturnensium in Marium frustra a Cimbro susceptus, cum „ferrum manu torpente remisisset" Cimber carnufex; scilicet is „viderat immensam tenebroso in carcere lucem (sic, non *lumen*, A M V U) | terribilisque deas (sic Oudend. pro *deos*) scelerum Mariumque futurum." Haskensio si credis, *futurum* est attributum; „Marius as he was destined to be i. e. as consul." Similia Th. Farnabius et C. H. Weise, quae fluxerunt e scholio Bernensi: „MARIUMQUE FUTURUM clare pronuntia ‚Marium', ut fiat emphasis. ‚futurum' autem consulem vel victorem qualis vere fuit." Nimirum sensit ille, sine hoc artificio *futurum* quemque lectorem pro praedicato accepturum fuisse. At nomina propria hominum non recipiunt attributa, nisi sint cognomina, velut Maximus, Caecus, alia; hoc praeceptum neglectum est, quod aqua haerebat interpretibus. Equidem vix dubito, quin admoniti mihi assentiantur latinae linguae periti. Sed parva mutatione vitium tolli non potest.

Digitized by Google

Sententia esse debet: vidit furias scelus ulturas, h. e. „ultricesque deas scelerum Mariique futuras." Ultrices dicuntur furiae l.l., X. 336: ultricesque deae dant in nova monstra furorem. Ulciscuntur scelera Mariumque, pro eo poenas exigunt. — Ashb. pro ultrices: victrices, sine dubio male. Notum est Lucano genetivum nominum propriorum in *ii* familiarem esse et post poetis. Scaurus, qui paulo post Lucanum scripsit, commemorat „paucos" qui unam *i* in genetivo scribant p. 22 K, post eum Velius Longus de more scribi *ii* refert p. 57 K. Claudianus raris exemplis habet genetivum in *i*: *Muci*, de 4° cons. Hon. 406, *Quincti* de b. Gild. 111.

VIII. 756. Sine Ashburnhamensi Burmannus assecutus est quid sententia postularet: (Pompeii) nobile corpus robora nulla premit" A. *praemit*; reliqui: *premunt*. Merito Burmannus: quis unquam legit cadaveri imposita ligna ut premeretur? Explicant sequentia: „nulla strue membra recumbunt", quod nihil est aliud nisi membra non premunt struem. Non iuvat reliqua Bnrmanniana describere, quae unicuique patent.

IX. 411. Tertia pars rerum Libye, si credere famae | cuncta velis; at si ventos caelumque sequaris, | pars erit Europae, nec enim plus litora Nili | quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt." Terminus Europae est Tanais, Africae Nilus. A contraria parte utraque habet Gades. Ergo si aeque Tanais et Nilus distant a Gadibus, Africa Europae aequalis est. Vere igitur pro *pars* A. habet a m. 2 *par*. Si ventos caelumque sequaris = si attendas ad caeli regionem (ventos: est Africa ut Europa a zephyri parte) et ad temperiem sive calores. Pars recte dictum esset, si Europa contineret omnia, quae a zephyro sunt: sic Africa eo, quod a zephyro esset, esset Europae pars. Sed haec non est sententia Lucani, qui *communem* dicit Africae et Europae zephyrum 415, „nam cum communiter istae effundant zephyrum." — Non est tertia pars orbis (411) quoniam par sive gemina est Europae et proinde minor quam Asia, non igitur tertiam portionem omnium terrarum habet. Mentem loci clare designat delineatio in Voss. 1.

Digitized by Google



quam hoc loco addo quod similis alia, a Webero e Berolinensi tertio edita (de quo cod. cf. eius vol. III. p. IX), minus perspicua est et Vossiana proximos quoque versus optime illustrat, veluti 416. Maior orbis pars in unam abit Asiam, cedit, concessa est ei, nempe dimidiam partem circuli habet; nam cum communiter Europa et Africa occidentalem (dimidiam) partem circuli efficiant, Asia sola alteram, orientalem (ab Euro), tenet, et contingit boreae latus sinistrum, et dextrum noti (419), ut est in delineatione, modo a peripheria ad centrum circuli te convertas. Lectionem *descendit*, a Cortio restitutam e deterioribus libris, non confirmat Ashb.; *discedit* habent A M V U R; manus secunda in M.: *descendit*, ut ante Grotium legebatur. „*Descendit* Asia in ortum" (= ad extremum orientem pertingit) dicere potest is, qui terram fingit animo tanquam discum cum declivi margine, quod non est eius temporis sed multo vetustioris. Non huc pertinet: „multaque devexo terrarum margine celat" infra 498, ubi de finitore (horizonte) sermo, quae est linea cogitata, non deciduus margo. *Discedit* contra tam recte dicitur quam paulo ante *abit* (praesenti tempore accipias cf. unde Europa fugit 415). Ad „*effundant* Zephyrum (Europa et Libye)" operae pretium est conferre Senecae doctrinam de ventis in N. Qu. expositam, ex qua venti a terra eiciuntur aut evaporantur partim (c. 4), quod copiose illustrat c. 14 „repetam nunc quod primo dixeram, edi e specu ventos recessuque interiore terrarum." Inde obiter explicandum quod Tacitus Ann. II. 23 austrum dicit tumidis Germaniae terris validum. Discedere et

Digitized by Google

descendere confunduntur etiam III. 632: „aequora discedunt mersa diducta carina".

IX. 455. „Et non imbriferam contorto *pulvere* nubem | in flexum violentus agit (auster)." Secundum Dorvilium Regius habet *puertice* supra scripto *pulvere*, mira varietate, nam prima lectio manifesto exstitit e glossa, nempe: „pro vertice" per compendium (p = pro) et uno tenore scripta. Nihil est cur *vertice* praeferatur; ablativus attributivus saepius est materialis ut h. l. *pulvere*, et: solido adamante columnae Aen. VI. 552, claro surgebat marmore templum Prop. II. 31. 9, aere cavo clypeus Aen. III. 286, immenso igne columnae Luc. VII. 155. *Inflexus* A., corruptum ex assimilatione cum proximo vocabulo. Sed recte *harenis* (*arenis*) pro *habenis* in his „Aeoliam rabiem totis exercet arenis" 454. Non enim simile est II 500: levis totas accepit habenas | in campum sonipes." Ibi de vehementia et impetu, nostro loco etiam de ambitu latoque tractu litoris sermo est; nullo loco obstaculum invenit Auster, sed per totam oram furit: patet omne solum, liberque meatu | aeoliam rabiem totis exercet arenis." Consentiunt in hac lectione boni codd. V U M A, quamquam codicibus propter similitudinem litterarum R et B non magna est auctoritas, cf. var. lect. VI. 309.

V. 459 loco impedito solus paene (nam Cortius Caes. 3 *volitant* habere testatur), A. omittit *que*, in quo fortasse vera lectio latet: *volitantia*. Verba sunt: „regna videt pauper Nasamon errantia vento | discussasque domos; volitantque a culmine raptae | detecto Garamante casae." Quo iure Oudendorpius V. 2 habere dicat *volitant* et Burmannus *volitantia* „plurimos" miror; Voss. 2 non omittit *que*. In loco graviter corrupto nihil neglegendum. *Volitant a* (A.) existere potuit e *volitantia*, ut legatur: „volitantia culmina raptae | detecto Garamante casae." Sententia sic cohaeret: Nasamo videt—discussas domos, volitantia culmina casae raptae detecto Garamante. Casa rapta detecto Garamante (cum Garamas tecto privatus sit) idem est atque: casa Garamantis rapta, usu ablativi absoluti qui paulum ab attributo differt, de quo aliquid Heitlandus p. CIV. „Volitantia culmina" epexegisis est. Totus locus colorem habet iocularem. Ridiculam

Digitized by Google

ipso iudice poeta famam sequitur, non satis opinor claram. Si „fatam morganam" fando auditam originem traditionis vagae nec satis distinctae credas, enormitas illa, quae est in vocabulis: „regna videt pauper Nasamo errantia vento" quodammodo excusatur; nam lucis repercussione illa nota turres, aedificia, alia in aethere apparent.

Pro *raptae* Weberus *ruptae* coniecit, sine causa; nam non offenditur repetitione eiusdem vocabuli in continuis versibus Lucanus. Cf. Oudend. ad V. 170 *Nocentes* bis II. 143, *ferro* III. 434, *tempus* IV. 477. Alia vide in indice Cortio-Weberiano v. repetitio. Admodum notabile exemplum affert Kindler p. 18 ex libro IX, ubi deinceps singulis his versibus 32, 35, 37, 40, 45, 48 haec verba leguntur: carinis, carinas, carinas, rapinas, carinae, carina.

IX. 495 „nec sidera tota | ostendit Libycae finitor circulus orae." „Sidera nota," lectionem Weisii expressit Haskins, cuius explicatio haec est: „nor does the horizon that bounds the realm of Libya suffer the stars they [?] know (i. e. those of the northern hemisphere) to be seen." Th. Farnabius: „alii nota, id est australia, nobis septentrionem versus positis ignota, non visa", iungens: et sidera non nota; melius erat negationem cum *ostendit* iungere: adiumentum, quo nos in definiendo itinere utimur, illis deest (secundum Farnabium esset: habent suum adiumentum nobis negatum). Quidquid est, tam constare debet ex rerum natura verum esse *nota* quam falsum hoc loco. Ostendunt sequentia: „multaque devexo terrarum margine celat," i. e. magnam partem horizon abscondit; quaedam sunt sidera (nobis nota) quae illi numquam aspiciunt tota. Vix opus est dicere ubivis hoc fieri, ut horizon quaedam celet. Cum solita exaggeratione hoc dicit: ne sidera quidem, quibus opus est ad notandam viam, novere tota. *Nota* ex melioribus (U V M A) nullus, sed in A. est m. 2 s. s. *no*. Olim inventum erat in deterioribus quibusdam parum notis et duabus antiquis editionibus (vid. Cortius), sed nimis simile correctioni doctae.

IX. 624, sqq. lapidosa natura partis Africae imputatur Medusae, quae vultu suo omnia in saxa converterit; aspera erant

Digitized by Google

arva saxis „dominae (Medusae) vultu conspectis," eius adspectu rigidis. In Medusae primum corpore natura aluit saevos angues, qui ex illius faucibus (631)

stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
femineae qui more comae per terga solutae
ipsa flagellabant gaudentis colla Medusae.
Surgunt adversa subrectae fronte colubrae
vipereumque fluit depexo (Heins.: de pexo) crine venenum.

Pro *solutae* post Burmannum fere: *soluto*, quod e nullo codice diserte memoratur, nam „multos scriptos" Burmanni non curo, cum in „melioribus" Oudendorpii, Lipsiensibus Weberi, in Voss. 1 et 2, et Ashb. *solutae* sit. Mont. *soluti* sed ex assimilatione, ut opinor, cum superiore *qui*, pro quo Oud. *quae* habet. Sed iliud *qui* depravatum ex *cui*. Nam prior Voss. (V), qui multis locis veram lectionem contra Paulum Constantinopolitanum sive Voss. 2 (U) tuetur, itemque Ashb. a 1ª m., hanc habent versus formam: femineo *cui* more comae per terga *solutae*.

Haec lectio vera, sed ordo versuum pravus est. *Cui* manifesto ad Medusam pertinet, quod nomen est in versu huic praeponendo 633: ipsa flagellabant gaudentis colla Medusae | femineo cui more, rell.

Habet hoc eam probabilitatem, ultra quam in loco quovis graviter corrupto progredi non licet; quae hinc sequuntur suspitiones sunt, sed ipsa loci ratione paene necessariae. Progredior a superioribus 629 sq.: hoc primum natura nocens in corpore (Medusae) saevas | eduxit pestis: illis e faucibus angues | stridula fuderunt vibratis sibila linguis." „Illis e faucibus fuderunt sibila" perverse dictum est, „fundit vocem e faucibus" nihil significare potest nisi: emittit e faucibus (suis) clamorem. Significari debet angues Medusae faucibus (i. e. collo) circumdatas esse. Hoc consequemur si pro *illis e* scribamus *illise* i. e. *illisae*. Iamque hic versus egregie cum v. 633: „*ipsa* flagellabant" convenit: illisae (= impactae) angues ipsius Medusae (non eorum, quibus illa nocere vult) colla *gaudentes* (nam sic aliqua sententia est, non in *gaudentis*) lacerabant; tanta erant feritate, ut ne dominae quidem parcerent. Unde hic ordo versuum nascitur: 630 eduxit —, 633 ipsa —, 632 femineae —, 631 stridula —. Denique v. 634 Oudend. merito in *adversa* (sic codd.) offendit.

Digitized by Google

Collato v. 652: „ipsique retrorsus effusi faciem vitabant Gorgonos angues" apparet confusionem, quae centies facta est alibi, hoc quoque loco esse corrigendam. Non *adversa subrectae*, sed *aversae subrecta* videtur legendum. Et *aversa* est in M. Totus locus sic se habebit:

629 hoc primum natura nocens in corpore saevas
630 eduxit pestes; illisae faucibus angues
633 ipsa flagellabant gaudentes colla Medusae,
632 femineae cui more comae per terga solutae
631 stridula fuderunt vibratis sibila linguis.
634 surgunt aversae subrecta fronte colubrae,
635 vipereumque fluit de pexo crine venenum.

Cui per terga = cuius per terga, usu poetis familiari. *Femineo* Ashb. 2 m., puto e correctione. *De pexo* Heinsius. *Gaudentis* non est unicum exemplum terminationis *is* falso a librariis invectae. — Supra *cui* m. 2 A. posuit *e de*; voluit fort. *i. e. de* pertinens ad *more*.

656. „Olim Phlegraeos, stantes serpente Gigantas, | erexit montes." Egregie hoc *stantes serpente* illustratur monumentis Pergamenis, in quibus Gigantes pro cruribus serpentibus subnixi sunt. Ceterum scribendum *Phlegraeos* non *Phlegraeo*; maiorem probabilitatem habet omissa littera aliqua ante similem (*-os st-*) quam addita. *Phlegraeos* habet M., A, a m. 2, V.; U: *phlegreostantes*, supra scripta altera *s*. *Phlegraeo* ex Weisio sumsit Haskins, ille rursus ex vetustis suis editionibus, cf. eius praef. p. XIV. Weisii recensio, quae nititur tantum antiquis editionibus, non pro fundamento adhiberi debebat.

675. Hunc versum sic scribendum puto:

ipsa regit trepidam Pallas dextraque trementem
Perseos aversi Cyllenida derigit Harpen:

i. e. Pallas regit dextra trepidam et trementem Harpen. Dextra διὰ μέσου positum utroque pertinet. *Trepidam* e coniectura pro *trepidum*; *dextraque trementem* cum M (in quo 2 m. delevit *m*) et U dedi. Alios codices e *dextraque trementem* fecisse *dextramque trementem* (ut A), alios *dextraque tremente* (V. vulgo), quod ineptum est de dea, per se intellegitur. In U 1 m.: *dextrasque* (corr. in: dextraque)

Digitized by Google

trementem. *Derigit* Regius, quod vestigium veteris orthographiae hoc praesertim loco oblitterari nolim; considerandum enim puto, num verbum exstiterit *derigare* = rigidum facere. Derigēre laudatur e Commodiano, malo certe latinitatis auctore.

IX. 571. Cato „ultimus haustor aquae. Cum tandem fonte reperto | indiga cogatur laticis potare iuventus, | stat, dum lixa bibat." Ad *potare* A. in marg. m. 2 *spoliare*; Reg. 1 m. *certare* pro *potare*, supra scr. *po*; M *potare* in litura. Schol. Bern. facit pro *certare*, quamquam lemma habet *potare*: ... LATICIS POTARE I. laticis indiga iuventus certare cogatur." *Conatur* dicitur esse in S. Germ., et est a 1 m., sed erasum, in A., sed reliquorum lectionem *cogatur* veram esse, vel modus verbi indicat. Post *cog.* autem fortius aliquod verbum, puta intentionis, studii, vehementis motus aut simile requiritur; „cogitur bibere" de sitiente absurdum, neque aptum veluti: cogitur festinare. Recta esset sententia: multitudo, alio alium trudente, cogitur foedare latices, turbare inventos; coguntur praeripere alter alteri locum bibendi. Sed hoc non est *spoliare* Ashburnhamensis, quod contra usum iungeretur cum accusativo rei ablatae (*latices*) aut, si *laticis* legatur, aeque contra consuetudinem absolute poneretur. Non licet, quantum video, propius accedere ad lectionem vulgatam et simul sententiae satisfacere quam simpliciter *pugnare* pro *potare* substituendo. *Certare* in R S eius explicatio est; *potare* est interpretatio superioris „indiga laticis" = indiga potare. *Spoliare* repetita *s* postrema vocabuli *laticis* fortasse e *potare* exstitit. Solito errore variatur inter *laticis* et *latices*. *Potare* et *pugnare* palaeographicam aliquam similitudinem habent, qua fieri potuit ut interpretamentum *potare* alterum verbum expulerit. Sed equidem non pugnabo, si quis probabilius inveniet, contendens tantum *potare* corruptum esse.

Digitized by Google

OBSERVATIONES AD POËTAS LATINOS.

SCRIPSIT

J. S SPEIJER.

PLAUTUS.

I. Primus actus Amphitryonis incipit a cantico, quod agit Sosia servus, iussu eri sui Amphitryonis intempesta nocte ex castris ad urbem Thebas atque ipsius aedes cum mandatis ad eram Alcmenam profectus. Id autem canticum summa arte est compositum; per complura metrorum genera servilis animi motus et affectus egregie declarat, soliloquii desultoriam formam comitans atque illustrans. Neque mirandum est in tanta numerorum varietate nonnullos inesse versus, de quorum metris ambigatur aut ignoretur. Veluti magnam moverunt controversiam versus 168—172, quos qui interpretati sunt vel edidere cum in lectione tralaticia metrum certum plerumque non agnoscerent, aliis alius, ut fit, remediis adhibitis per vim in aliquam formam metricam redigere sunt conati, ita ut vere dicas: quot homines, tot sententiae. E veteribus quidem criticis memoretur Gulielmi audacia, qui mutandi incredibili licentia grassatus omnes in malorum senariorum schema excudit; quem Taubmannus ad h. l. ob id satis acriter carpsit. Bothius, qui ineunte hoc saeculo totum Plautum edidit, simili ratione *ἰαμβεῖον* odoratus est, in quo constituendo tamen codicum auctoritatem religiose observavit. Versibus adscripsit notam „i. tr. h." i. e. iambici trimetri hypermetri, in hanc formam

Plaut. Amph. 168—172.

Digitized by Google

Noctesque diesque assiduo satis superque est
Quo facto aut dictod est opus quietus ne sis,
Ipse dominus dives operis et laboris expers
Quodcunque homini accidit libere posse retur,
Aequom esse putat non reputat laboris quid sit;

ubi quamquam satis reverenter librorum fidem observavit — uno tantum loco coniecturam recepit — tamen identidem contra leges rhythmicas et prosodiacas peccavit.

E recentioribus vero Fleckeisenus, Hermanni auctoritatem secutus in editione sua Teubneriana, quae anno 1850 prodiit, [1]) bacchiacos tetrametros esse iussit hoc exemplo:

Quoi [1] nóctis [2] diésque adsiduó satis supérquest
Facto [3] aút dicto adést opus, quiétatus [4] né sis.
Dominús [5] dives óperis te [6] et éxpers labóris [7]
Quodquómque ei [8] lubére accidít [9] posse rétur:
Aequom ésse id [10] putát, non reputát quid labórist [11].

Hi certe bacchiaci sunt tetrametri, at in Plauto nostro non leguntur. Nam ut ii numeri apparerent — neque alia causa videtur ulla — in quinque versibus *undecies* vel (si „quo" initio vs. 169 demptum, „quoi" initio vs. 168 adiectum pro una mutatione putatur) saltem *decies* a libr. manuscriptorum auctoritate — et quantum — recessum est!

Goetzius quoque et Loewius, qui anno 1882 in corpore Ritscheliano Amphitryonem ediderunt de tetrametris bacchiacis Hermanno et Fleckeisenio assentiuntur, verum ut tralaticii textus contumaciam edomarent aliam ingressi sunt viam, superiorum temeritatem scilicet improbantes. Ex quinque versibus tertium et quintum utpote bacchiaci metri legibus nimium refragantes uncinorum vinculis oneratos damnaverunt; reliquos quater interpolare satis habuerunt, in hunc modum

quod [1] nóctesque diésque adsiduó satis supérquest
quo fácto aut dicto ádeost [2] opús, quietus né sis.

---

1) „T. Macci Plauti comoediae ex recognitione Alfredi Fleckeiseni." Ea recensio numquam ad finem perducta est; duo tantum tomi prodierunt, i. e. decem fabulae. Verus annus editionis neque in exterioribus titulis exemplarium legitur neque in interioribus; cum enim honestissimus bibliopola per hos quadraginta annos *ex iisdem typis* identidem novas exemplarium series repetere soleat, annorum numeri quos quidem involucra et primae paginae ferunt repetitae impressionis tempora, non editionis significant.

Digitized by Google

[ipse dominus dives operis et laboris expers]
quidque [3] hómini lubére [4] accidít posse rétur,
[aequom esse putat, non reputat laboris quid sit.]

Schoellius autem, tertius in societate, a sociis reliquis hactenus dissentit ut vs. 170 *ipse dominus* etc. Plauto vindicet, quem cum sequenti sic informat

ipsús [5;6] dives óperis et éxpers labóris [7]
quidque ánimi [8] (*vel* ánimo) lubére accidít posse rétur

quo facto codicum lectiones in summa *octies* repudiantur (vid. ed. Goetz. et Loewii praef. p. XII).

Nuper F. Leo in sua Plautinarum fabularum recensione, quae apud Weidmannos prodire coepit (vol. I, adhuc unicum, continet Amphitryonem, Asinariam, Aūlulariam, Bacchides) hos versus, de quibus agimus, ita constituit ut „binis baccheis cum iambis (i. e. anacreonteo) iunctis" constarent in hunc modum

noctés quod [1] diésque as || siduó satís supérquest,
quod [2] fácto aut dicto ádeost [3] || opús quiétus né sis.
ipsús [4] dominus díves o || peris ét labóris éxpers
quodcumque homini accidit lubere posse retur:
esse [5] aéquom putát non || reputát labóris quid sit.

Atque hic traditam lectionem metri causa *quinquies* mutavit, sextam coniecturam, quae versum quartum iis numeris quos ipse invenit accommodaret, in textum recipere veritus est. Nisi enim pro *accidit* legas *acciderit*, metricae rationes non constant. Quod ipse Leo vidit, nam hanc sextam coniecturam annotationi criticae inseruit, quamquam aut haec quoque omnino recipienda erat aut de metro aliter statuendum.

Haec quidem editores novissimi. Aliorum opiniones, velut Studemundi (de canticis Plautinis p. 27), Seyfferti (de versu bacch. p. 21), Christii „Sitzungsber. der bair. Akademie phil. hist. Cl." ann. 1871 p. 76 hic referre supersedeo; omnium enim commune est ut de fide atque sinceritate traditae lectionis plus minusve dubitent. Unus C. F. W. Müller (*Plautin. Prosodie* p. 351 annot.) etiamsi nihil immutetur metrum quoddam his versibus inesse censet et quidem iambicum, Reiziano simile [1]), sub con-

1) Haec igitur Muelleri sententia non multum videtur abesse ab ea quam protulerat Bothius, salva tamen prosodia et rhythmo (cp. supra pag. 42).

Digitized by Google

ditione tamen iniqua „wenn wir uns an die Ueberlieferung halten, die schwerlich richtig ist."

Sed quae tandem est causa, cur umquam in his versibus de librorum mss. fide dubitatum sit? A sensu nihil habent quod offendat; cum praecedentibus egregie cohaerent, apte vss. 173—175, quamquam alios numeros exhibentes, eos excipiunt. Tum ipsa traditio quae ad h. l. ex optimis libris BDE colligitur, certa est et constans. Quae igitur ratio fuit tantum mutandi amputandi interpolandi? Nimirum haec, quod metrum latebat. Itaque a metri ignorantia, non ex certis corruptelae indiciis profecti, suam quisque libidinem tamquam ducem secuti, non solum prius medicamenta adhibuerunt quam de morbi genere origine magnitudine constaret, sed etiam temere iis sunt abusi. Nisi forte in canticis Plautinis infinita illa licentia relinquitur viris doctis traditas lectiones trahendi vexandi omnimodis male habendi, ut cum ceteris in partibus litterarum Latinarum optimus quisque criticus, tot seculorum experientia doctus, audaciam coniectandi atque temeritatem iure oderit et sanguine viperino cautius vitet, hic demum liberum spatium pateat, ubi ingenii acumini per lusum indulgere et possis et debeas. Etenim quid hercle est parum caute ac circumspecte veterum operibus violentas manus inferre [1]), si hoc non est?

Ne multa; hi quinque versus tam vexati sunt sinceri, genuini, Plautinissimi. Neque quidquam mutandum est neque metrum est ambiguum. Nam codicum lectione diligenter servata statim optimi apparent versus Sotadei, elegantes, concinni, arte Plautina dignissimi

noctesque di|esque assidu|o satis su|perquest
quo facto aut | dicto adest o|pus quietu' | ne sis.
ipse dominu' | dives, operis | et laboris | expers
quodcumque homi|ni accidit lu|bere posse | retur;
aequom esse pu|tat, non repu|tat labori' | quid sit.

Quam difficultatis metricae solutionem cum invenissem, ut par est, inquisivi qui ante me meum dixissent. Nam in re tam simplici et manifesta non primum me verum vidisse facile ut crederem adducebar. Et profecto iam anno 1816 Godofredus Hermann

1) Vid. Mnem. XVII, p. 417, vs. 13 sq.

Digitized by Google

in compendio illo quod „de re metrica" scripsit p. 458 diserte ita statuit. In capite de sotadeis „finem faciam" ait „in Amphitryonis loco I, 1, ubi vss. 14—18 [i. e. hi ipsi versus 168—172, quos sotadeos esse affirmo] aperte sotadei sunt; qui autem praecedunt .... non sine audacioribus mutationibus in illud metrum redigentur." Ergo vir summus *audaciores mutationes improbat*, quia librorum mss. optimam auctoritatem sine iustis rationibus contemnere pravum est, atque ut versus 163—167 sotadei esse nequeunt, eodem pacto vs. 168—172 puri puti sotadei non agnosci non possunt; utrumque enim censere eum oportet, qui eandem normam i. e. librorum mss. optimam auctoritatem sine causa non deserit. — Verum enimvero idem Hermannus hanc sententiam prudentem et unice veram quam anno 1816 tulerat mira inconstantia ipse oblitteravit, cum viginti et uno annis post in Annal. Jahnii vol. XIX in recensione editionis Plautinae, quam curavit Weise, longe aliter de iis iudicavit. Ubi (p. 270) versus 168—172 in eum modum confirmavit et descripsit, quem supra exposuimus cum de Fleckeiseni sententia egimus. Is enim Hermanni novum inventum quam religiosissime fovit editionisque suae auctoritate signatum vulgavit. Atqui Hermannus neque mutatae prioris sententiae rationes reddiderat neque critices tam violenter, tam inconsulte exercitae argumenta protulerat!

Simile aliquid alii metrico viro egregio accidit, Christio. Huius quoque de quinque versibus nostris exstant contrariae sententiae. Anno 1871 in „Sitzungsberichten der königl. bair. Akademie phil. hist. Classe" p. 46 duos ex his anapaesticis numeris compositos esse suspicatus erat: „Noch eine dritte Art anapästischer Verse möchte ich dem Plautus vindiciren, die ich vorläufig mit dem Namen hyperkatalektischer Trimeter bezeichnen will..... Für meine Anapäste spricht auch der Umstand dass ähnlich gebaute Verse gleich weiter unten nachfolgen, vss. 14; 18 [= 168 et 172]

Noctésque diesque adsíduo | satis superque est;
Aequom ésse putat, non réputat | labóris quid sit".

Unde efficere licet versus 169—171 Christio tum aliis numeris constare visos esse atque 168 et 172. Nunc inspice enchiridium illud rei metricae, quod idem Christius fecit, lege paginam

Digitized by Google

511am ed. primae (1874) vel 490am ed. secundae (1879) et cognosce alterum iudicium prorsus diversum. Quinque versus omnes sotadeos esse statuit, ipsos illos sotadeos, quos quinquaginta annis ante Hermannus agnoverat. „Die Sotadeen Hermanns verdienen den entschiedenen Vorzug vor allen anderen vorgeschlagenen Messungen." Forte fortuna igitur — amant enim di ἅττ' ἂν ἡμεῖς δυσβουλίᾳ ἐξαμάρτωμεν, ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν — et ignorasse videtur eum quem laudat iam pridem relicta recta via, quam sanum iudicium monstraverat, temere in avia atque errorum plena se induisse, et, quod plus est, semetipsum non ita multo ante prorsus aliter sensisse. Sic factum est ut vera lectio, quae in editionibus pessum datur, in enchiridiis rei metricae integra remaneret.

Ceterum moneo ex Bentleii notis marginalibus in exemplari suo Plautino adscriptis patuisse et huic ἀνδρὶ κριτικωτάτῳ versum 168 dumtaxat sotadeum esse visum, fortasse et reliquos quattuor.

Quod autem supra diximus, mutandae traditae lectionis metricas tantum rationes exstitisse, unum excipiendum est. In hoc versu

quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis

multi etiam ob formulam inusitatam *adest opus* mendum suspicati sunt. Lachmannus alicubi [1]) videtur coniecisse *adeost opus*, cui complures adstipulati sunt, ut Bergk, C. F. W. Müller, Goetz Loewe et Schoell, Langen, Ussing, Leo. Magna nomina, at argumenta levia et inania. Nam quod in lectione vulgata displicuit, constructio ἅπαξ λεγομένη, id etiam in emendatione displicere debet. Ut antiqua quaedam formula „dictō aut facto adest opus", quae et ex indole linguae Latinae merito defendi potest et huic loco atque personae aptissima est, eliminaretur, recepere „aut dicto adeo", quod sic positum apud Plautum nusquam invenitur, teste uno e defensoribus (Langen, *Beiträge* 1880,

1) Lachmannum huius malae coniecturae auctorem dico, Goetzium, Müllerum, Langenum secutus. Nemo enim, quoad scio, eorum qui Lachmannum hic laudant tradit, quando quo in opere ubi tandem is de versu nostro egerit, ita ut neque apud ipsum eam rem cognoscere neque quibusnam argumentis summus vir inventum suum commendasset, discere potuerim! In commentario ad Lucretium nihil super loco nostro scriptum inveni.

Digitized by Google

p. 144 sq.), cum „aut adeo" semel tantum in Plauto occurrat (Men. 826). Mitto gradationem, quam Lachmannus coniectura Sosiae orationi intulit, haud facile concoqui posse. Curnam *dicere* servo gravius atque adeo laboriosius videtur esse quam *facere*? Sed pluribus redarguere non opus est; ipsum metrum hanc coniecturam respuit.

II. Amphitryonis versus 550 sq. mendose traditos multi tentaverunt. Et est locus conclamatus. Vide ann. crit. in ed. Goetzii et Loewii. Ego quae medela cogitanti subnata est, eo libentius in medium profero, quod corruptela sic melius explicari videtur. Cum enim libri mss. praebeant Amph. 550 sq.

tanto brevior dies ut fiat faciam ut aeque disparet
et dies e nocte accedat

legendum censeo

tanto brevior dies ut fiat faciam, ut aeque dispari
dispar dies nocti succedat.

Dispari in fine versus 550 sic scriptum DISPAREI in *disparet* cum facile abire posset, aditum dedit vitio, quod deinde latius serpsit altero illo „dispar", quasi per dittographiam positum esset, eiecto.

III. Versum 168^um^ Asinariae leve mendum inquinat. Nam initium huius versus, quale in libris mss. exhibetur *modo quod accepisti*, ad reliquam sententiam non quadrat. Solent autem edere *modo quom accepisti* ex vetere correctione satis speciosa, quam tamen falsam iudico. Manus poëtae reducetur, si pro *quod* reponas *quid*. Utrumque ut ostendam, versus 167—170 exscribam: Asin. vs. 168.

ARG. Quid modist dando nam? nunquam tu quidem expleri potes
Modo *quid* accepisti, haud multo post aliquid quod poscas paras.
CL. Quid modist ductando amando? numquamne expleri potes?
Modo remisisti, continuo iam ut remittam ad te rogas.

Lena amatoris querelam festive παρῳδοῦσα huius loquendi formulas diligenter servat, cumque vs. 170 ἀσυνδέτως dicat „modo remisisti", ille quoque vs. 168 similiter coniunctione abstinuerit necesse est. Quare neque *quod* neque *quom* verum esse potest.

Digitized by Google

At *quid* eo commendatur quod obiectum verbi „accepisti" deesse nequit, cum in apodosi quoque poscendi obiectum exprimatur non subaudiatur.

De indefinito enclitico *quid* in hunc modum usurpato cp. Terent. Eun. 252 *negat* quis : *nego ; ait : aio* et interpp. ad h. l.; Lucr. I, 440 *praeterea per se quodcunque erit aut faciet* quid | *aut aliis fungi debebit agentibus ipsum* | *aut erit ut possint in eo res esse gerique ;* Cic. Paradox. 6, 1 *filiam* quis *habet : pecunia est opus : duas, maiore : plures, maiore etiam.*

Voce autem efferendum esse in hunc ferme modum *módo qu'd accépisti* et alibi accuratius demonstravi [1]), et his locis Terentianis Plautinisque firmabo Andr. 184; 237; 419; 470; 732; Heaut. 531 (*si quid huius* —, si aliter legas, syllaba prior vocis *huius* necessario corripienda est); 616; 901; 993; 1008; Eun. 290 (*mirór quid ex Píraeo ábierit* — si doctores Germanos audis, accentus interrogativi *quid* tam potens est tamque late tyrannus ut syllabarum sequentium *ex Pi°* primam praeter ius fasque ex producta corripere existimetur); 463; 558; 559; 573; 671; 777 (*quid ignave* —); 1034; Phorm. 209; 563; 626; 846; Hec. 794; 807; Ad. 133; 261; 638; 642; — Aul. 645; Captt. 279; 508; 802; 1015; Poen. 619; Epid. 680; Trin. 318; 926. Plura ex adversariis describere taedet neque opus est.

Quid et *quod* et alibi et in libris Plautinis saepe a librariis confunduntur aut falso permutantur. Veluti Trin. 570 cdd. *quid tibi lubet* sine sensu, editiones ex Douzae coni. *quod tibi lubet.*

Bacch. 563 sqq. **IV.** Plaut. Bacch. 563 sqq.

MNES. Quí? tibi non erát meretricum aliárum Athenis cópia
Quíbu'cum haberes rém, nisi cum illa quám ego mandassém tibi
Occíperes tute amare et mi íres consultúm male.

Versus 565, quem ad codicum fidem exscripsi, initium in mendo cubare metrum ruens documento est; ad leges quadratorum minime quadrat. Neque id editores latebat latetve, quorum varias suspiciones vide in ed. Goetziana. Sed nulla earum habet *πειθανάγκην*, qua Leoni novissimo editori persuaderi posset, neque hic verum divinando sibi satisfecit. Nam quod versum insiticium videri

1) *Coniunctis Viribus* IV, p. 1 sqq.

Digitized by Google

pronuntiavit, vox est desperantis credo et ad athetesin velut ultimum refugium se applicantis. Sed in proclivi erit versum restituere, si modo inquisiverimus quatenus error latens qui numeros corrupit, etiam sermonem vitiaverit. In bonis scriptoribus, poëtis praecipue, verbum unum vel levissime mutatum cladem paulo latiorem spargere solet. Profecto verbum *occipere* neque idonee neque significanter satis est positum. Etenim si maxime dimidium facti, qui coepit, habere dicitur, cum amoris meretricii Mnesilochus Pistoclerum insimulat, non dimidiati amoris eum accusat sed iam elaborati atque patrati. Lenissima autem medela suum verbum sententiae, versui suos numeros nullo negotio reddet. Scripsit enim poëta:

nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,
óccupares túte amare et mi íres consultúm male.

Nisi occupares amare i. e. nisi tu meam mihi amicam ante adventum meum praeriperes, *εἰ μὴ ἔφθασας ἐρῶν*, et meum locum impleres. Formulam illam „occupo facere" = *φθάνω ποιῶν* iam aetate Plautina quin in usu fuerit quominus dubites cf. Rud. 249 *occupas praeloqui quae mea oratiost*, Stich. 89 *is est ecastor: ferre adversum homini occupemus osculum*, Mostell. 3, 1, 33 *sed occupabo adire*, quibus adde exempla ex Ennio, Accio, Titinio apud Non. Marcellum (ed. L. Muelleri anni 1889 I, p. 575).

V. Eiusdem fabulae versui 584 thesis primi pedis deperiit. Varie suppletur. Aut ego fallor, aut omnibus illis supplementis valere iussis damnum sic optime resarcietur Bacch. 584.

PIST. Quid istuc? quae istaec est pulsatio?
[*Aut*] quaé te mala crux ágitat, qui ad istúnc modum
Aliéno viris tuas extentes óstio?

Particula *aut* duas interrogationes cognatae significationis artissime inter se connectens cum passim apud omnes scriptores occurrat, usitatissimam formulam exemplis illustrare supervacuum est.

ENNIUS.

VI. Fragmentum Ennianum quod nobis servavit Orosius (IV, 1, 14), quo continetur titulus a rege Pyrrho profligatis apud Heracleam Romanis in templo Tarentini Iovis affixus, levi mendo vitiosum est. Quem enim locum Orosiani libri sic exhibent

Digitized by Google

qui antehac
invicti fuvere viri, pater optime Olympi,
hos ego in pugna vici, victusque sum ab isdem;

ibi *in pugna* neque a metro neque a Latinitate defendi potest. Baehrens (Fragm. poët. Roman. p. 79) adscripsit: „*in* corruptum; *et ego in* Pithoeus; *hos ego bis* ego conieci ratus errasse Orosium et Pyrrhum tum dedicasse, cum post secundam pugnam Tarento in Siciliam abiret." Et fortasse aliis satisfecit, verum ego et ii qui mecum leve et temerarium existiment rerum scriptorem vel maxime dubiae fidei causa incognita ob id unum erroris damnare ut coniecturae substruatur fundamentum, leniorem etiamtum medelam requirebamus. Atque haud scio an facillima correctio in promptu sit, siquidem similitudo ductuum, quibus *vi* et *in* exarari solebant, etiam in scriptura capitali vel unciali eiusmodi confusionem parere potuit, quali iam ante Isidori tempora in versu Horatiano notissimo ex genuina „nitedula" ineptissima illa „vulpecula" facta est, quae per omnes libros mss. et impressos circumferebatur, donec Bentleii ingenium fraudem detexit. Fortasse igitur versum Ennianum sic restituere licet:

hos ego *vi* pugna vici victusque sum ab isdem.

Vi pugna inter se iuncta sunt, ut illa aetate solebant iungere *vi pugnando*. Plaut. Amph. 413 sq. oppidum expugnavimus | et legiones Teleboarum *vi pugnando* cepimus; — Miles 267 res paratast: *vi pugnando* hominem caperest certa res; — Men. 1054 quom ego accurro teque eripio *vi pugnando* ingratiis; — Asin. 554 sq. eae nunc legiones copiae exercitusque eorum | *vi pugnando* periuriis nostris fugae [1]) potiti. Et in columna rostrata recte suppletur: Mace[lamque opidom *vi p*]*ugnandod* cepet.

TERENTIUS.

Ter. Heaut. 46. **VII.** In prologo Heautontimorumeni Ambivius dux gregis et primarum actor Terentii fabulam quam daturus est ut lenem et statariam prae aliorum fabulis motoriis, laboriosis, clamoris ac strepitus plenis, quales plerumque agi solebant, spectatoribus commendat. Quam ob rem silentium populi flagitat

1) Hoc ex palmaria Buecheleri emendatione; edd. habent *euge*.

Digitized by Google

Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam, addit
Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni:
Si quae laboriosast, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.

Pura oratio ab interpretibus solet referri ad stili elegantiam et comparant C. Caesaris iudicium qui Terentium „puri sermonis amatorem" laudasse fertur (vit. Terent. sub fine). Laudant etiam Auct. ad Herenn. IV, 8 [1]), quamquam quae ibi leguntur ad nostrum locum nihil prorsus afferunt. Calphurnius: *sermo elegans et venustus et facile auditorum assensum iniens.* Verum haec explicatio vera esse non potest. Esset, si Terentii orationi purae, limpidae, eleganti opponerentur aliorum sordes vel asperitas sermonis. At non idcirco actor poëtam laudat quod in verborum delectu et in operis compositione ceterorum incuriam et duritiem evitavit, sed prae solitis turbis, quas fabulae motoriae habent, mite ac lene genus huius sibi vehementer placere declarat. Neque hoc tantum ex iis versibus efficitur, quos modo laudavi, sed etiam ex iis qui praecedunt, 35 sqq. Cum igitur Heautontimorumeni „pura oratio" ceterarum „clamori summo" et „labori maxumo" opponatur, aliud voluit scriptor. Nimirum „*pura* oratio" dicitur eodem sensu quo vasa pura, argentum purum, vestis pura, in quibus adiect. *purus* significat nihil extrinsecus ornamenti admixtum esse. In hac fabula, inquit Ambivius, simplicem ac nudam orationem habebitis. Absunt ab hac turbulentae et clamosae partes servi currentis, irati senis, parasiti edacis, sycophantae impudentis, lenonis avari, quas ut recte impleas non voce tantum opera est danda sed et lateribus lacertisque denique toto corpore laborandum. Nolite hic ridicula facta gestusque requirere, voce enim non reliqui corporis intentione haec agetur fabula.

---

1) *Sunt igitur tria genera* (dicendi sc) *quae genera nos figuras appellamus ..... unum grave alterum mediocrem, tertium attenuatum vocamus ..... Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam* puri sermonis *consuetudinem.*

Digitized by Google

Heaut. 798: **VIII.** Quartus actus Heautontimorumeni et alias servi nequam fallacias continet et eam fraudem quam Plautus argenti circumductionem appellat. Ibi Syrus servus Chremetem senem speciosis rationibus adducit, ut argentum annumeret Clitiphoni filio quod ad Bacchidem perveniat, cui mutuum scilicet reddatur ab Antiphila Chremetis filia sumptum. Recusanti ero ars servilis tandem persuadet, verecundia ei mota ne negata pecunia senis avaritia carpatur et diffametur per urbem; nam locupletem eum esse omnes sciunt.

SY. Immo aliis sí licet tibi nón licet;
798 Omnés te in lauta esse ét bene aucta ré putant.

Sic hodie legi solet ex correctione Bentleii. Nam librorum mss. communis lectio tam Bembini quam Calliopianorum exhibet versum cum mancum tum et sensu carentem: *omnes te in lauta et bene acta parte putant.* Bentleius ante *et* inseruit *esse*, tum pro *parte* neque numeris neque sensui apto reposuit *re*. Atque haec quidem praeclara, et merito editores amplexi sunt. Sed minus felix videtur fuisse vir egregius, cum vocabulo *acta* aeque corrupto manum medicam admovit. Nam quod mutavit *aucta*, in eo offendunt arte inter se coniuncta „in re lauta" quod sub imagine dictum est et „bene aucta" in quo aut alia figura inest aut nulla. At in eadem manebitur metaphora, simul elegantiae Terentianae satisfiet, si Terentius scripsisse videbitur

omnes te in lauta esse et bene *uncta* re putant.

Saepe antiqui rem familiarem satis amplam per pinguedinis et nitoris simile significare solebant. Ut omittam Graecos, apud quos τοὺς παχέας Herodoti quis ignorat, e Latinis cp. Catulli 29, 21 *uncta patrimonia;* Cic. in Verr. II, 2 § 54 *numquam vos praetorem tam palaestricum vidistis; verum ita palaestritas defendebat ut ab illis* unctior *abiret*, cuius ioci affinem praebet Plautus in Captivis vs. 281; Hor. Epist. 1, 15, 42 sqq. *nam tuta et parvula laudo | cum res deficiunt ..... | verum ubi quid melius contingit et* unctius .....; Iuven. 8, 112 sq. *despicias tu | forsitan imbelles Rhodios* unctam*que Corinthon.*

Lautum autem et *unctum* recte copulantur, quia cum unum dicas iam alterius simul tibi in mentem venire debet. Simili ratione Plautus sensu proprio ea coniunxit in Trinummo

406 *comesum expotum exunctum elutum in balneis*

Digitized by Google

cp. Rud. 580

eluas tu an exungare ciccum non interduim.

IX. Eiusdem fabulae versus 818 (= IV, 6, 14) omnium consensu mendosus est, et in Umpfenbachi et Dziatkonis editionibus merito asterisco vel cruce notatur. Nam novissimi editores iam hoc sapienter atque utiliter institutum tenere incipiunt, ut in locis vitiosis, qui quidem emendari adhuc non potuerint, depravatas lectiones notis significent, ne legentes se torqueant quo sensum ex sensu cassis eliciant. Velut hunc versum quem dixi nemo adhuc expedivit. Advenit Clitipho lassus languidus moleste ferens quod dolosus servulus inani deambulatione se deluserit. Itaque redux stomachans maledictis hunc compellat Heaut. 818.

810 Ut té quidem di deaeque ómnes quantumst cúm tuo
Syre [1]), istóc invento cúmque incepto pérduint

et quae sequuntur. Ut vero ex Syro audivit, argentum sua causa iam comparatum esse; frustra esse iram in eum qui suum negotium optime gesserit; rectius illum stomachaturum cui pro beneficiis mala gratia reddatur: mox leniores quaerit modos et Syrum iam placare vult, simul dolorem suum quodammodo excusare

818 CLIT. Quid igitur tibi vis dicam? abiisti mihi
Amicam adduxti, quam non licitumst tangere.

In his cetera plana, sed illud *abiisti mihi* prorsus alienum neque cuiquam intelligendum. Bentleius, postea Fleckeisenus coniectura mendum tollere sunt conati, sed res iis male cessit, illi cum edidit *adisti mi manum*, huic autem proponenti *abin istinc? mihi*. Nam a vero propius abesse videtur tradita lectio. Hoc enim profecto scripsit Terentius

Quid igitur tibi vis dicam? *Favisti* mihi;
Amicam adduxti, quam non licitumst tangere!

Pro maledictis, quibus te dudum oneraram, en nunc bona verba: favisti mihi, benevolus et benignus erga me fuisti, profuisti nempe, Bacchidem meam amicam mihi adduxisti hac lege ut eam tangere ne liceret! Cp. Eun. 916 *nam illi faveo virgini*, Andr. 24 *favete, adeste aequo animo et rem cognoscite.*

---

1) Sic ex Fleckeisenii correctione, quam probo. Dziatzko aliam lectionem praebet.

Digitized by Google

Origo autem mendi fuit littera *f* in archetypo utriusque recensionis communi forte omissa, ita ut pro FAVISTI vel FABISTI — *v* et *b* sollenni errore passim inter se permutari solebant — lectio perversa ABISTI nasceretur.

Heaut. 931 **X.** Simili ratione alius locus eiusdem fabulae in una litterula emendatur. Actus quinti initio callidus ille Chremes qui per Syri sui fallacias alios probe decipere sibi videbatur, tandem aliquando cognovit ipsi sibi os oblitum esse, Clitiphonis Bacchidem amicam esse, non Cliniae. Qua re comperta, multa simul eum cruciant: pudor sui, qui nihil viderit nihil suspicatus sit; ira in Syrum filiumque, quibus ludibrio fuit; metus ne rei familiari sit calamitati meretrix amica filii qua nulla alia est procacior et rapacior. Is metus vel maxime eum angit; nam ut primum se circumventum esse sensit, continuo exclamat

908 CH. Filist amica Bacchis: Menedeme, occidi.
ME. Quam ob rem? CH. Decem dierum vix mi est familia

et mox eodem redit

CH. Immo abeat potius malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
930 Nam si illi pergo suppeditare sumptibus,
Menedeme, mi illaec vero ad rastros res redit.

In cauda hic, ut aiunt, venenum. Non potest Chremes suam rem, sua bona designare pronomine, quod est *illaec*. Si enim eiusmodi pron. demonstr. hic opus est, unice verum est *haec*. Verum id pronomen, quo subst. „res" accuratius definiatur, hic minime requiritur. Satis est dicere *mihi ad rastros res redit*, pronomen additum sive „haec" sive „mea" quia abundat sermonis elegantiae officit. Aliam rationem addit Bentleius: *„illaec res* sine dubio mendose. Absolute enim dici solet *res redit*, numquam cum pronomine vel adiectivo" et laudat Phorm. IV, 4, 5. Ipse e codicis cuiusdam prima manu *illic* in textum recepit. Iniuria, si quid video. Aliud adverbium omnino reponendum est, nimirum *illac*. Hoc enim dicit Chremes:

Menedeme, mi illac vero ad rastros res redit

i. e. illa ratione, dum illius sumptibus inservio, ego rem perdam et opere rustico faciendo egestatem tolerare cogar re vera

Digitized by Google

necessitate compulsus, non ut tu, Menedeme, ruri opus fecisti animi cuidam morbo indulgens. *Vero*, lectionem cod. Bembini, editores merito amplexi sunt. Non solum Plautus (vid. quae scripsi Mnemos. XVI p. 155), Terentius quoque *vero* interdum ponit pro *vere, re vera*.Eun. 606

an ego occasiónem
Mi osténtam, tantam, tám brevem, tam optátam, tam insperátam
Amítterem? tum pól ego is essem véro, *qui simulábar.*

XI. In Eunuchi actus tertii scena quinta Chaerea adolescens Eun. 591. a Thaide exit, gaudio exsultans quod virgine potitus est, cuius amore flagrat, propter quam sub specie eunuchi in meretricis domum penetravit fortunae beneficio usus. Antiphoni amico supervenienti rem ut gesta est enarrat. Iam primum cum in interiore aedium parte, ut eunuchus scilicet, solus cum sola relictus esset, animo se confirmatum esse dicit conspecta tabula in qua Iupiter pictus esset per imbrem aureum ad Danaen penetrans. Si summus deus, rex caelestium, furti ac fraudis tantae in re amatoria exemplum dedisset, nonne homunculo simile aliquid liceret? Conclusio autem huius piae cogitationis non ipsis poëtae verbis tradita est. Nam versus 591, quo continetur, procul dubio interpolatus est, quod iam inde patet quod in libris mss. fere omnibus iusto brevior est

ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci ac lubens.

Editores eum varie corrigere conati sunt. Bentleius sic constituit

ego homúncio hoc non fécerim? ego vero íllud fecerim ac lubens.

qua in re cum nimis multa mutando peccavit tum maxime quod certissimam de temporum usu legem violavit pro imperfecto coniunctivi, quod h. l. utique requiritur, soloece perfectum reponens [1]). Hoc igitur merito aspernati recentiores editores alia tentavere. Bothius traditam lectionem pressius secutus tantum

1) Idem et alibi adversus legitimam consecutionem temporum interdum peccavit. Vid. e. g. finem ann. eius ad Hor. S. 1, 1, 58 ubi „dixeris" scripsit pro „diceres", pravam correctionem eius ad Hor. Epp. 2, 2, 152 et annot. ad Epp. 2, 1, 196.

Digitized by Google

metro ruenti auxilio fuit, *ita* mutavit in *item*. Quo probato et Fleckeisen et Umpfenbach ediderunt

ego homúncio hoc non facerem? ego illud vero item feci
ac lubens.

Dziatzko in tradita lectione pronomini pronomen subiunctum adeo probavit ut etiam in priore versus parte contra optimos libros transponeret *hoc homuncio*; Bothii vero *item* pro *ita* vituperavit. In utroque rectum vidit, nam pronomen *hoc* suum locum habet post *ego*, tum *item* sic positum ieiunum aliquem narratorem historiarum sapit, non adolescentem amoris voluptatis laetitiae plenum. Edidit igitur

ego hóc homunció non facerem? ego illud vero ita [feci]
ac lubens

nam *feci* ut ex glossemate natum exterminavit. Hoc quoque verum monstranti Bentleio obsecutus est. Sed cur non eadem opera *ita* abiecit? Nam hoc adverbium ellipticae sententiae parum convenit. Aut retinendum erat *ita feci* aut totum eiiciendum. Si enim ex glossa ortum est, glossa constat iis ipsis verbis *ita feci*. — At *ita* simul deleto mancus fit versus. — Quid igitur? Est sane glossa quam acumen Bentleii deprehendit, sed ut fit ea glossa inter poëtae verba recepta aliud genuinum expulit. Quod ut investigemus, remoto interpolamento reliqua lectione tralaticia, quippe quae per se nihil habeat quo offendaris, diligenter servata, videamus numquid etiam desit. Ac ni vehementer fallor in verbis illis *ego illud vero ac lubens* ut ad metrum ita ad sententiam nonnihil desideratur; videtur deesse particula adversativa sane fortis pro iuvenili ardore certum et exploratum occasionis arripiendae consilium firmiter statuens. Et profecto plus nervorum in antithesi nanciscemur, si post *facerem* particulam *immo* interposuerimus, tum *ego illud* transponenda sunt, cp. Andr. 337 *ego vero ac lubens*. Itaque coniicio Terentium scripsisse

ego hóc homunció non facerem? immo illud ego *vero ac lubens*.

De *immo illud ego* hoc ordine collocatis cp. Phorm. 936.

Hecyr. 393. **XII.** Hecyrae versus 393 vitiose traditus est. Non potest mater Philumenae Pamphilo genero suo dicere id quod libri habent

nam áiunt tecum póst duobus cóncubuisse mensibus.

Digitized by Google

Si enim homines eiusmodi arcana maxime scirent, mater in re tanta tamque gravi, cum praesertim generi misericordiam movere studeret, non vulgarem opinionem sed certam aliquam scientiam sequeretur. Quid, quod hominum sermones de ea re ne erant quidem? Nemo enim dubitabat, quin ex Pamphilo gravida esset. Non ex rumore populi sed ex ipsa filia audiverat ea, quae cum Pamphilo communicat. Omnino igitur mutandum est nam aït (sc. filia). Quod ut manifestius appareat, totum locum describam.

Si únquam erga te animo ésse amico sénsisti eam, mi Pámphile,
Síne labore hanc grátiam te ut sibi des pro illa núnc rogat [sc. filia],
Céterum de rédducenda id fácias quod in rem sít tuam.
Párturire eám nec gravidam esse éx te solus cónsciu's;
Nám aït *tecum póst duobus cóncubuisse ménsibus,*
Túm postquam ad te vénit, mensis ágitur hic iam séptimus:
Quód te scire ipsa índicat res.

Dziatzko duos versus 593 sq. cum Hoelzero damnat, sed neque ab interpolatore conficti sunt neque in re tanta mater temporis rationes referre omisit. Si abessent, desiderarentur. Ceterum iam anno 1876 Fielitzius (in Mus. Rhen. 31, 304 sq.) rectum ante me vidisse comperi.

XIII. Eiusdem fabulae vss. 744 sqq. ordine perturbato legun- Hecyr. 744 sqq.
tur. Quod ut ostendam, accuratius de iis disputandum est. Laches senex Bacchidem meretricem ad se arcessivit interrogatum de consuetudine, quam Pamphilum uxore ducta etiam cum ea habere aiunt. Per breves, ut consentaneum est, ambages sermonis aditu facto, meretrix cur accita sit rogat. Ille respondet

Meúm receptas filium ad te Pámphilum.

Ea quae sequuntur secundum optimam Dziatzkonis recensionem, manifestis interpolamentis tantum, quae ille uncinis inclusit, omissis exhibebo.

744 BA. Ah. LA. Sine dicam: hanc príus quam duxit, vóstrum amorem pértuli. —
Máne: nondum etiam díxi id quod te vólui: hic nunc uxórem habet:
Quaére alium tibi fírmiorem amícum, dum tibi témpus est;

Digitized by Google

Nám neque ille hoc animo érit aetatem néque pol ista aetás tibi.
BA. Quís id aït? LA. Socrús. BA. Men? [1]) LA. Te ipsam: et fíliam abduxít suam,
Púerumque ob eam rém clam voluit, nátus qui est, exstínguere.

In his iam primum mirum videtur ad Lachetis consilium ut alium sibi quaerat amicum Bacchidem continuo respondere *Quis id ait?* quasi dubium sit. 'At non hoc nimirum rogat, quis id det consilium, dementis enim esset; illud scire vult quonam auctore sibi filii receptionem obiecerit.' Audio atque probe video huiusmodi aliquid dici debere, nam Laches cum respondet auctorem nominat; tamen haec hoc loco posita interrogatio, ubi consilium a Lachete datum continuo excipit, neque per se intelligitur et cum praecedentibus male coniungitur. — Deinde quod Bacchis vs. 744 exclamat *Ah*, animi vel commoti vel impatientis indicium, ne eius quidem exclamationis ratio ulla apparet. Nam impatiens esse quomodo potest, cui Laches adhuc nihil aliud dixerat nisi hoc *meum receptas filium ad te*? meretrix autem non esset si id dictum animum eius aliquantum moveret. Et mox fortiter quidem sed animo satis tranquillo falsum rumorem abiurabit (vs. 750 sqq). — Postremo vs. 744 pron. *hanc* non habet quo referatur. Laches enim nunc primum uxoris, quam duxerat Pamphilus, mentionem infert.

Si vero statuimus versus 748 sq. alicuius librarii errore, quod saepe alibi factum est, locum mutasse, quem errorem per eum archetypum unde omnes libri Terentiani derivati sunt propagatum esse: ordo genuinus hic est.

743 LA. Meum receptas filium ad te Pamphilum.
748 BA. Quis id ait? LA. Socrus. BA. Men? LA Te ipsam: et filiam abduxit suam
749 Puerumque ob eam rem clam voluit natus qui est exstinguere.
744 BA. Ah. — LA. Sine dicam: hanc prius quam duxit vostrum amorem pertuli. —
Mane: nondum etiam dixi id quod te volui. hic nunc uxorem habet:

1) Hic a Dziatzkone dissentio et cum Umpfenbachio lectionem cod. Bembini praetuli.

Digitized by Google

Quaere alium tibi firmiorem amicum dum tibi tempus est;
Nam neque ille hoc animo erit aetatem neque pol ista aetas tibi.
BA. Si aliud scirem qui firmare meam apud vos possem fidem
Sanctius quam iusiurandum, id pollicerer tibi, Laches,
Segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.

Vides difficultates quas supra memoravi omnes sublatas esse. Falsam criminationem a Lachete prolatam statim, ut par est, excipit interrogatio de eius auctore. Recte porro Bacchis indigne fert falsi illius rumoris effectum miserabilem exclamatque „ah —", Lachetis orationem interpellatura, si liceat. Neque ad versum 744 in voce *hanc* amplius est quod haereamus; huius ratio iam ex iis quae praecedunt vss. (748 sq.) liquido apparet. Denique versus747 quam versus 748 sq. melius et concinnius cum vs. 750 coniungitur.

XIV. In iis, quae hucusque de emendando Terentio exposuimus, hoc tenuimus archetypum, qui communis fons fuit et Bembini codicis et Calliopianorum, iam passim mendis commaculatum fuisse. Ne quis de ea re dubitet fidemque codicum arte critica coniecturali plus aequo labefactari censeat, multis locis praeclarae emendationes divinando partae vulgo probantur et contra communem librorum mss. auctoritatem ab editoribus omnibus recipi solent. Quas si omnes enumerem, taedium lectori moveam. Una Heautontimorumenos fabula sufficiat. Hic Bentleii divinum ingenium archetypi errores felicissime correxit his versibus 154, 165, 262, 340, 461, 502, 541, 667, 891 quas emendationes cum receperit Dziatzko, miror cur non eidem Bentleio obsecutus sit ad versum 244 formulam illam *vivo et valeo* egregie restituenti, neque Madvigii palmariam emendationem ad 289 *nulla malas arte expolitam muliebri* ambabus manibus arripuerit. Praeterea Palmerii, item Palmerii (sive is Lambinus fuit), Harii, Schuberti, Guyeti, Dziatzkonis, Fleckeiseni, Lomani inventis versus 238, 143, 511, 535, 715, 748, 806, 1010 iam rectius leguntur et intelliguntur. Ne multus sim — nam in Eunucho e.g. vs. 847 Madvigii *rui*, ad vs. 1087 Bentleii *comedendum et ebibendum*, ad vs. 496 emendationem a Bentleio inchoatam a Fleckeisenio perfectam *domini simiu's* hanc ob rem obiter adiicio, ut

Digitized by Google

Dziatzkonem pravo iudicio eas sprevisse statuam — hoc iam satis constare videtur, apud Terentium quoque membranarum quot-quot exstant consensum impedimento esse non posse quominus in locis aperte corruptis verae lectiones coniectando investigentur.

Adelph. 33. Neque quisquam credo ad versum 33^{um} Adelphorum, semel a Dziatzkone monitus verba *tete amari* vitio laborare, idcirco defendet quod codices in ea lectione absurda conspirant. Micio senex filii adoptivi de nocte cessantis reditum opperiens sollicitudinem animi ioco, ut fit, fallit dictumque laudat populare quo aiunt cessanti homini melius esse ea evenire quae irata uxor in eum dicat quam quae parentes propitii:

Uxor, si cesses, aut te amare cogitat
Aut tete amari aut potare atque animo obsequi.

Quod quid significet apertum est. Maritum domum redire cessantem scortari aut potare suspicatur sola relicta uxor. Sed haec duo vitia non sufficiunt: additur enim tertium, et quidem ineptum quiddam. Ridiculum est immo fatuum, uxorem in hunc modum intra se cogitare: meus maritus certo flagitium committit, verum de hac re incerta sum ipsene amet scortum an ametur ab amica. Adde quod pronominis *tete* emphaticae formae ratio nusquam comparet. Donati commentarius ad hunc locum nihil aliud nos docet, nisi ipsum iam corrupta verba legisse; ea quae annotat, merae sunt magistellorum nugae. Ergo mendum videtur inesse in vocibus *tete amari*, quibus Dziatzko merito crucem praeposuit.

Quid vero poëta scripserit, fortasse deprehendi potest. Archetypus litteris capitalibus exaratus mendosum illud TETE AMARI necesse est iam habuerit; nam et Bembinus habet et reliqui omnes. Quid, si ortum sit ex genuino HELLVARI? Scriptura pallida librario parum attento animo facile fraudem facere poterat ut pro *helluari* vocabulo minus usitato et stili elegantioris sibi videre videretur id quod hodie circumfertur. Quid sit „helluari", quis recte „helluo" appelletur Gellius docet VI, 16, 1 *M. Varro in satura quam περὶ ἑδεσμάτων inscripsit, lepido admodum et scite factis versibus cenarum ciborumque exquisitas delicias comprehendit. Nam pleraque id genus, quae* helluones *isti terra et mari conquirunt, exposuit inclusitque in numeros senarios.* Et cp. Cic. pro Sestio 52, 111 *Utrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu*

Digitized by Google

comedisti? *Quid tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii*, helluabare? — In helluone igitur statim de ciborum deliciis cogitabis. Helluo gulae servus rem profundit, potator vino devotus, in scortis scortator rem ac famam perdit. Recte haec tria inter se coniunguntur. Itaque si uxor de marito absente sic cogitare existimatur: „aut scortatur ille impudicus, aut in ganeo aliquo helluatur aut potat in convivio, animo certe obsequitur" sententiam nanciscimur huic loco aptissimam. Lege igitur

Uxor si cesses aut te amare cogitat
Aut *helluari* aut potare atque animo obsequi.

Ceterum *helluo* apud Terentium invenitur Heaut. 1033. Sed fac in sex fabulis quas scripsit neque subst. *helluonem* neque verbum *helluari* usquam legi, tamen nostro loco recipere nullus dubitarem.

TIBULLUS.

XV. Tibullus elegia quinta libri primi absentiam, et plus quam absentiam, mutatum animum deplorat Deliae suae. Etenim illa, quam gravi morbo implicatam precibus, votis, ceremoniis morti se eripuisse praedicat, illa nunc ipso relicto alium amatorem sequitur. Quid igitur vota persolvisse profuit? Tib. I, 5, 10.

17 Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

Hos versus qui praecedunt octo (9—16) promerita Tibulli atque vota illa pro salute Deliae aegrotantis diligenter referunt. In quibus vs. 10 offendit pass. *dicor*. Non alieno testimonio opus est Tibullo. Ut vs. 11 *ipseque te circum lustravi*, vs. 13 *ipse procuravi*, vs. 15 sq. *ipse ego .... vota .... Triviae .... dedi* dicuntur ex persona poëtae suam operam prae se ferentis, ita antecedentia lenissima medela adhibita in integrum restituta erunt, in hunc modum:

Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te *dico* votis eripuisse meis.

Quodsi poëta scripsisset *dicor*, pro indicativis *lustravi, procuravi, dedi* infinitivos exspectares. Mendi originem repeto a ludimagistris, quibus illud *ille ego te dico eripuisse* soloecum videri debuit.

(*Continuabitur*).

Groningae mense Iulio.

Digitized by Google

TERTULLIANI DECLAMATIONES.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

In praefatione editionis *Tertulliani*, quam curavit *Fr. Oehlerus*, p. XXI, editor, postquam de diversis codicibus et editionibus, quibus in recensendo scriptore suo usus erat quorumve ad eum pervenerat notitia, satis copiose edisseruit, haec scribit: *nec quid ille splendidissimae Thom. Phillips in Middlehill bibliothecae codex saec.* XV *membr.* „Tertulliani Declamationum" (v. Haenel Catal. Cod. MSS. p. 882) *comprehendat adhuc potuit comperiri.* Me rogante vir nobilissimus *F. Fitz Roy Fenwick*, hoc tempore illius bibliothecae, quae nunc Cheltenhami servatur, possessor, gratissimo mihi officio, primos codicis, qui numero 2357 est signatus, versus descripsit. Incipit autem liber hunc in modum: *Ex incendio domus adolescens patrem extulit dum matrem repetiit et ipsam et oculos amisit. Induxit ei pater novercam, quae accessit quodam tempore ad maritum* cet. Quae cum verba initium contineant argumenti alterius ex XIX declamationibus, quas *maiores* dicunt, quaeque *Quintiliani* feruntur nomine, manifestum est, non patris ecclesiae iuveniles nescio quas lucubrationes codice Cheltenhamensi contineri, sed exemplum illarum exercitationum rhetoricarum, quas recentissimus minorum declamationum editor, Ritterus, falso Quintiliano adiudicari probavit. In aliis quoque libris primam et alteram declamationes locum mutasse, apparet ex observatione *P. Burmanni* ad *Declam.* I. 1: *haec declamatio in Voss. pr. et Colb. pr. est secunda, et praeponitur illa pro noverca.* Etiam nunc in Bibliotheca Leidensi servantur septem maiorum Declamationum libri, Voss. Q. 77 et 111, Leidenses (Bibl. Publ. Lat.) 9 et 132, Lipsii 40, Perizonii F. 14, et O. 4 A. In Voss. 111, B.P.L. 9, Lips. 40 et Periz. 14 eadem redit locorum permutatio, quam in codice Cheltenhamensi deprehendimus. In Leid. 132 et in Periz. O. 4 A prima declamatio post ultimam legitur, qui codices igitur et ipsi ab altera initium faciunt. Denique in Voss. 77 prima declamatio bis scripta est, semel inter XI et XVII, iterum post XIX^{am}, addita notula *ista superhabundat.*

Digitized by Google

IN CALLIMACHI HYMNUM IV.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Hymnus Callimachi in Delum, qui in Callimacheorum carminum ordine turbato nunc quartum obtinet locum, cum Theocriti encomio (c. XVII) ita convenit, ut nulli lectori dubium videatur, quin alterum poetam alter sit imitatus. Locos describere quibus hic illi exemplo fuerit minime opus est, nam omnes norunt. Theocritus ut celebraret patriam Philadelphi finxit Coum Ptolemaeo recens nato applaudentem, et puerulum dum amplectitur his verbis salutantem (vs. 66)

„ὄλβιε κοῦρε γένοιο· τίοις δέ με τόσσον, ὅσον περ
Δᾶλον ἐτίμασεν κυανάμπυκα Φοῖβος Ἀπόλλων κτλ."

deinde autem vss. 76—94 copiose disserit de imperio Lagidarum, terras enumerat, urbiumque tria milia trecentas tres et triginta cantat, quae ei sint dicto audientes.

Callimachus vero, qui, quamvis τὰς μεγάλας βίβλους oderit, in hymnis minime brevitati studet, in carmine suo, ut et Apollinis maiestati et gravitati hymnorum satisfaciat, fusius rem tractat: Latonam facit oberrantem per Graeciam, et tantis ambagibus Graeciae regiones pervagantem ut mireris fere docti poetae in geographia neglegentiam. Tum per Aegaei maris insulas vagata cum tandem aliquando dea praegnans ad oram Coi insulae appellere in animo habet, filius in matris utero „ὑποκόλπιος" vaticinatus, obloquitur haec dicens:

„μή σύ γε μῆτερ
τῷ με τέκοις. . . . . ."

„ei enim insulae *alius* ex fatis *deus* debetur".

Digitized by Google

Tum sequitur vaticinium de Philadelpho in Gallis profligandis Apollinis socio; adduntur laudes imperii Ptolemaeorum, minore versuum numero conscriptae quam quibus Theocritus rem tractat, ceterum iis haud dissimiles. In eo vero maxima est inter Siculum poetam et Battiaden concordia quod in Callimacheo quoque hymno, postquam Latona iter a Co avertit et Delo appulsa „filium prope Deliam deposivit olivam", ipsa Asteria (sicut in Theocriti carmine Cos) aureo de solo puerum tollit, eumque in gremio repositum blandis verbis alloquitur. Est haec inter duos poetas similitudo tanta, ut, quantumvis tibi displiceat ratiocinandi genus, quod in carminum temporibus constituendis semper et imprimis ex imitationibus argumenta quaerit, nunc tamen vix possit quin, simulac utrumque carmen sedulo perlegeris et data opera alterum cum altero composueris, huic quaestioni et ipse quaeras responsum: „Utrum Theocritus an Callimachus prior carmen suum scripsit?" Verum eiusmodi sunt eae imitationum investigationes ut, siquidem in ipsa versuum compositione, in verborum, epithetorum, figurarum minuta quadam similitudine, certa imitationis documenta deprendere studes, sola tibi argumenta proveniant ex sensu quodam pulchri et decori. Quo fit, ut, deficientibus quidem iis argumentis quae rerum historia praebeat, ipse tibi fortasse persuadeas, alteri vix quae vera tibi videntur probes. Numquam fere enim ita aperta est imitatio, ut semel commonefactus quivis statim diiudicet utrum alteri exemplum praebuerit, utrum imitationi debeatur.

Attamen in nostro carmine nunc, nescio qua tacita consensione, iam inter plerosque ea valet opinio, quam, a multis viris doctisque defensam, Wilamowitzii verbis laudabo, qui scribit (Antigonos v. Karystos p. 220. n. 41) „Der hymnus auf Delos von Kallimachos ist beeinflusst durch den Ptolemaios des Theokritos". Equidem, cum inter Siculum poetam et Cyrenaicum certamen erit, lubens semper palmam Theocrito deferam; at nunc cum iterum iterumque carmen utrumque perlegi plura semper in Theocriteo encomio imitationis vestigia me observasse non negabo. Quin ipsa insulae mentio in Callimachi hymno rerum ordini quam maxime convenit, προσωποποιΐα illa in carmine Deliaco, cum de Asteria Apollinis κουροτρόφῳ sermo est, quae ipsa dea fuerat, nihil habet quod offendat, praesertim

Digitized by Google

cum et ipsi Delo hymnus dedicatus sit, at in Theocriteo encomio longius requisita, ceteris parum convenire mihi videtur. Verum non eiusmodi rem esse puto, quae comparandis versibus, verba cum verbis componendo dirimatur: videndum est an aliunde auxilium afferri possit.

Ex ipso Theocriti carmine constat encomium Philadelphi scriptum esse postquam repulsa Arsinoe Lysimachi filia Ptolemaeus duxit sororem Arsinoen [1]). Nupsit autem Arsinoe soror fratri Philadelpho anno, id enim hodie fere constare videtur, 273 (cf. Wiedemann Mus. Rh. 1883. p. 384 sqq. Philol. '88, p. 83 sqq.). Qui igitur hymnum Deliacum Theocriti Ptolemaeo posteriorem ducunt, illud carmen annis 272—265 tribuunt; et ex eis versibus (Call. IV. 167—170. Theocr. XVII. 77—92) quibus uterque poeta, Callimachus brevius at fusius Theocritus, imperii magnitudinem illustrat, tempora accuratius circumscribere conantur. Quorum argumenta, cum permulti scriptores de hac re disseruerint, nunc non enumerabo; ad Callimachum enim quod attinet frustra, opinor, quicquam lucis speraveris ex hisce versibus:

ᾧ ὑπὸ μίτρην
ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι κοιρανέεσθαι
ἀμφοτέρη μεσόγεια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται,
μέχρις ὅπου περάτη τε καὶ ὀππόθεν ὠκέες ἵπποι
Ἠέλιον φορέουσιν —

1) Obiter moneo parum probabilem eorum videri opinionem, qui putent Theocritum versu 43 „ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί· βηΐδιοι δὲ γοναί, τίνα δ' οὐ ποτοικότα πατρί" Arsinoen Lysimachi filiam designare voluisse. Fuerit sane odiosa marito memoria uxoris, quae eum interficere conata esset (vid. Droysen III[1]. 265), tamen non putaverim Theocritum regis liberos ex ea regina natos vocaturum fuisse τέκνα οὐ ποτοικότα πατρί. Neque magis placet quod Droysen l.l 346 suspicatur: cogitandum esse de Apama, Magae uxore Quid enim adtinet in encomio Ptolemaei dicere de Magae liberis eiusque uxore infida! Verum sermo est de felici matrimonio τοῦ Σωτῆρος cum diva Berenice, itaque huic ipsi Berenicae, quae marito suo gratissima fuit, poeta aliam mulierem opponit, marito minus gratam; quam ea de causa ἄστοργον appellat. Indicatur ergo prior Lagidae uxor, Eurydice Antipatri filia, quam ille postquam Berenicen duxit aliquot tamen annos secum habuit, at tandem dimisit Miletum, ubi ea filiam Demetrio (quamquam tunc Lagidae hostis erat) in matrimonium dedit (cf. Plut. Dem. c. 46 et 32). Huius Eurydices liberos merito parum similes patri dicit poeta, cui sperare licuit fore ut regi Philadelpho placeret, si tali opprobrio notasset Ceraunum, et illum Lagidae filium qui Cypri incolas ad defectionem incitare conatus esset. Quibus fratribus Philadelphum opponens egregia laude principem effert cum ita vs 63 de eo dicit: „ὁ δὲ πατρὶ ἐοικὼς παῖς ἀγαπητὸς ἤγεντο" (cf. Call. IV. 170: „ὁ δ' εἴσεται ἦθεα πατρός").

Digitized by Google

nam quibus temporibus regni Philadelphi talia cantare aulico poetae non licuerat? An quis annus est cui prae ceteris haec imperii laus conveniat? Versus vero Theocritei, quos indicavi, tum demum nostrum carmen illustrare poterunt, si apparuerit ante Callimachi hymnum eos esse scriptos. Contrarium me certo certius efficere posse post tot virorum doctorum disquisitiones non contendam. At, ut in obscura re, etiam illa afferre licet, quae leve indicium praebere videantur, quo fortasse verum inveniri possit.

Quanto opere semper Callimachus nitatur, ut divinis humana inmisceat, nemo ignorat. Ita enim deum solet laudare ut semper principis laudes subesse videantur. Quod modo apertius fit, modo tectius. Modo deo princeps adponitur et post ipsum deum principis laudes sequuntur; ut in hymno primo (vs. 79 sqq.) „ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες κτλ.", modo ita laudatur deus ut intellegentibus satis sit perspicuum de ipso deo nihil nunc quidem cogitare poetam, in principem solum omnes eum laudes revera conferre. Quis enim in Ptolemaei aula non videt, cum ita orditur poeta, Iovem adlocutus (I. 66)

„οὔ σε θεῶν ἐσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν κτλ."

nihil aliud in mente eum habere nisi ut omnes qui audiunt moneat, sibi quidem iure factum videri quod olim Cerauno Philadelphus sit praepositus? Cui, quaeso, non ipsius regis imago occurrat, cum haec audiat, in Apollinis Carnei laudem conscripta (II. 36)

καὶ μὲν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος· οὔποτε Φοίβῳ
θηλείῃσ' οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἤλθε παρειαῖς,

et mox (vs. 39)

οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι
ἀλλ' αὐτὴν παν άκειαν [1])

idque praesertim, cum secum reputet, Aegyptiorum regem hoc carmine celebrari, qui divinis honoribus a populo coli solitus esset.

Nolo plura afferre, quamquam talibus hymni Callimachei abundant. In nostro autem hymno idem procul dubio fuit poetae consilium: insulae divinae laudibus gloriam principis sui iungere volebat, atque id eo magis, quia maxima apud Delia-

1) cf. Phylarchum apud Ath. XII p. 536.

Digitized by Google

cos Ptolemaeorum erat auctoritas postquam Athenienses Deli principatum tenere desierunt. Quin etiam divino honore regem colebant insulani, festosque dies, Ptolemaea et Philadelphea instituerant. Iam deorum in numero habetur non solum rex sed mox etiam regina, et anathemata iis voventur, cuius rei prae ceteris nunc auctor est Theophilus Homollius, qui in egregio libro quem de rebus Deliacis scripsit („Les archives de l'intendance sacrée à Délos. Paris. Thorin 1887) pag. 59 inscriptione quadam testatur Hermian phialas dedicasse „Arsinoae Philadelpho, Apollini, Artemidi". Cum igitur in insula Delo aequo honore atque rex ipsa regina Arsinoe coleretur, non puto poetam, qui Philadelphum tamquam ἄλλον θεὸν Apollini aequavisset, Arsinoes honores silentio praeteriturum fuisse, si post regis cum sorore nuptias hymnum composuisset. Aut aperte ipsam reginam laudibus extulisset, aut tectis et ambiguis verbis, Artemidos verbi causa honorem cantans, cuius deae nunc nisi ultimo versu nulla toto carmine fit mentio.

Quod igitur de sorore Arsinoe in carmine Deliaco tacet poeta, mihi quidem argumento est hymnum IV ante annum 273 compositum esse. Post annum vero 279 scriptum esse probant ea quae de Gallorum ad Nilum clade dicuntur vs. 186. Ad eum versum est notissima scholiastae adnotatio, in qua postquam de Gallorum clade ad Delphos dixit, ita pergit: „ὀλίγων οὖν περιλειφθέντων Ἀντίγονός τις Φίλος τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου προξενεῖ αὐτοὺς αὐτῷ ὥστε ἐπὶ μισθῷ στρατεύεσθαι. οἱ δὲ ὁμοίως ἠβουλήθησαν καὶ τοῦ Πτολεμαίου διαρπάσαι τὰ χρήματα, γνοὺς οὖν συλλαμβάνει αὐτοὺς καὶ ἀπάγει πρὸς τὸ στόμιον τοῦ Νείλου τὸ λεγόμενον Σεβεννυτικὸν καὶ κατέκλυσεν αὐτοὺς ἐκεῖσε". Ipsa res quam narrat scholiasta firmatur Pausaniae testimonio, qui addit eos a Ptolemaeo contra Magan Cyrenaeae regem esse ductos, paulo aliter autem de eorum exitu refert: „ἀνήγαγε σφᾶς ἐς νῆσον ἔρημον διὰ τοῦ ποταμοῦ. καὶ οἱ μὲν ἐντεῦθα ἀπώλοντο ὑπό τε ἀλλήλων καὶ τοῦ λιμοῦ". Verum parva haec scriptorum discrepantia [1]), neque est quod de ipsa re quam

1) Tollitur haec discordia felicissima Naberi emendatione, quam mecum per litteras communicavit. Censet enim vir clarissimus in scholiastae verbis κατέκλεισεν, non κατέκλυσεν esse legendum. Grato animo hanc correctionem mecum accipiet quicunque meminerit Strabonem de Perdiccae fine scribere: „ἐπελθόντος τοῦ Πτολεμαίου, καὶ κατακλείσαντος αὐτὸν ἐν νήσῳ ἐρήμῃ" (XVII. 794).

Digitized by Google

uterque testatur dubitemus; num vero ad tempus quo hymnus scriptus sit tantum afferat lucri, quantum vulgo putatur, dubito. Mira sunt ea verba *Ἀντίγονός τις φίλος τοῦ Φιλαδέλφου* si, id quod affirmat Droysenus, de Gonata accipienda sunt [1]). „Wenn die Bezeichnung Freund genau wäre, so könnte die Sendung nur 274—272 gemacht sein" ita pergit vir clarissimus (III[1]. 270 n. 2) „in der Zeit des Pyrrhischen Krieges." Sed recte addit: „doch ist dies zu gewagt." Vix enim, nisi fallor, propter breve illud spatium quo aliquamdiu Gonatae adversari Ptolemaeus desiit, historiarum scriptor ex cuius libro hausit scholiasta Gonatam Ptolemaei amicum vocasset. Obscura itaque res est neque in hac temporum disquisitione lucem affert idque eo minus cum effici non possit quidnam ex tot Gallorum agminibus dispersis per Graeciam et Asiam ad Ptolemaeum venerit. Hoc tantum constat aliquot annis post Gallorum cladem ad Delphos copias eas de quibus agit poeta in Aegyptum venisse. Haud multo post Callimachus carmen suum scripsit, non enim ex eiusmodi rebus gestis haec Philadelphi victoria fuit, quae multis etiam annis intermissis tantis laudibus posset efferri.

Ulterius progredi liceret et accuratius tempus definire, si superesset indicium *πεντετηρίδας* quas antiquis temporibus Athenienses Deli instituerant, a Ptolemaeis, cum *τῷ κοινῷ τῶν νησιωτῶν* praeessent, esse servatas. Hoc enim si constaret, probabilis foret coniectura solemnibus magnorum Deliorum festis carmen Callimachi esse cantatum in rhapsodorum certamine quod tum institui solebat. Itaque, cum constet magna Delia haberi cuiusque olympiadis anno 3, suspicari liceret nostrum carmen anno fere 275/4 compositum esse ut cantaretur in certamine anni insequentis (Ol 126. 3). Sed et haec suspicio levis est, nulla enim inscriptio docet Magna Delia (quinquennalia), postquam Athenienses ea agere desierunt a Ptolemaeis instaurata esse [2]).

---

1) Si recte hoc affirmat Droysen (quod tamen vix putaverim) cum Wachsmuthio *Ἀντίγονος Γονατᾶς* legendum erit. Sed dubito an fortasse scriptor, quem sequitur scholiasta, dixerit Antigonum unum ex Ptolemaei „amicis" (*τῶν φίλων* s. *τῶν πρώτων φίλων*) Galatarum praefectum fuisse. Eandem suspicionem argumentis probasse video Lumbrosum (l'Egitto ecc. p. 61).

2) cf. Homoll. p. 28. — Val. de Schoeffer „de Deli insulae rebus" p 176.

Digitized by Google

Anno igitur 276—274 fere hymnus in Delum scriptus esse videtur, de cuius hymni locis quibusdam nunc pauca in medium proferam.

Nostri hymni introitum corruptum esse postquam per multorum annorum seriem editores non animadverterunt, primus in eo offendit Eldikius, qui, id quod Schneiderus monet in editione sua pag. 254, pro verbis „τίνα χρόνον ἤ ποτε" reponendum putabat „τίνα τρόπον ἤ ποτε". Eam autem coniecturam Schneiderus sibi placere negat. Nec mirum! Licet enim saepissime hymnographi ita ordiantur ut Musam, Deumve interrogent hoc modo: „πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω;" (hymn. hom. in Apoll. 19) vel „πῶς καί μιν ... ἀείσομεν; uti noster, hymn. I. 4 (ubi dubito an πῶς τοί μιν legendum sit), distat tamen multum inter tale exordium et ea verba „qua ratione et quo tempore" quae Eldikius Callimacho tribuit, et quibus ni fallor poetam induxit magis quam convenit dubitantem et ingenio suo quasi diffidentem. At Reiskius legere iubet „τίνα χρόνον εἶπο τ' ἀείσεις". Cuius doctissimi viri coniecturam et ipsius Schneideri auctoritas munit, cui haec profecto laus iure obveniat, neminem eo melius Callimachi elocutionem cognitam habere, et Meinekii, editoris Schneidero, qui saepe cum eo arma conseruit, artis Callimacheae vix minus periti; attamen fatebor mihi quidem versum nondum emendatum videri. Mitto quod de accusativo „τίνα χρόνον", tempus quo quid factum est indicante, dubitari potest. Qui, si non Homeri versu ex Libr. XV. 511 βέλτερον ἐξαπολέσθαι ἕνα χρόνον, οὐδὲ βιῶναι, at Herodoti tamen loco (II. 2) „τὴν ὥρην ἐπαγινέειν σφι αἶγας" defendi videtur. Verum quia nihil aliud illa verba τίνα χρόνον significare possunt nisi hoc: „quo tempore", habebimus poetam hunc in modum Musam vel potius animum suum interrogantem: „Sacram insulam, o mi anime, quando canes, si quando canes?" Quae mihi quidem iteratio Callimachi elegantia haud digna videtur. Verum tamen, postquam semel Reiskius correctione sua facillima (pro ἤ ποτε enim edidit εἶποτε) sensum versus nostri indicavit: „si quando Delum cantare in animo est ....." difficile est non addere quae talem sententiam sua fere sponte sequuntur „..... nunc, age, insulam canta". Hoc restituendum est, et facili opera (licet gravior sit verborum

Digitized by Google

mutatio quam quae proposita est ab Eldikio et aliis quos Schneiderus ad calcem indicavit) restituetur, si hunc in modum versum ediderimus:

τὴν ἱερὴν ὦ θυμέ, τὸ νῦν χρόνος, εἴποτ', ἀείδειν.

„Si unquam, o mi anime, Delum insulam cantu celebraturus es, nunc iam tempus est."

Vs. 30 de Neptuno sermo est:

ἦ ὡς τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς οὔρεα θείνων
ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν,
νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, νέρθε δὲ πάσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσεκύλισε θαλάσσῃ.

Versu 32 plerisque editoribus verba „δὲ πάσας" offensioni fuerunt. Schneiderus coniecit δ' ἐπάρας, Meinekius δ' ἐλάσσας proposuerat, quod recepit Wilamowitz. Causa correctionis fuit quod non insulae sed οὔρεα essent provoluta in mare. Sed hoc, ni fallor, nimis accurate disputatum est. Suo iure poeta, postquam dixit νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, saxa quae iam in eo est ut insulae fiant insulas vocat: quod eum fecisse apparet ex sequentibus ubi pergit τὰς μέν. Contra, satis ineleganter sententia construetur recepta altera utra emendatione; quo accedit quod et ἐλάσσας et ἐπάρας praecedente participio θείνων, sequente verbo ὤχλισσε otiosum est et sententiae addit quod plane supervacaneum est.

Mihi vero versus 34 corruptus esse videtur. Sequuntur enim iis quae laudavi haecce:

34 καὶ τὰς μὲν κατὰ βυσσόν, ἵν' ἠπείροιο λάθωνται,
πρυμνόθεν ἐρρίζωσε· σὲ δ' οὐκ ἔθλιψεν ἀνάγκη,
ἀλλ' ἄφετος πελάγεσσιν ἐπέπλεες.

βυσσόν reposuit Dindorf, βένθος proposuerat Stephanus; uterque merito parvi pendens ea quae leguntur in pseudo-Draconis libello περὶ μέτρων (p. 28. 13) „βυθός· τὸ βῦ ἐκτείνεται ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ: καὶ τὰς μὲν κατὰ βυθὸν κτλ." Verum sive recipies βυσσόν sive βένθος, sive audies Schneiderum qui de vocabulo „βυθμόν" cogitabat, supererit semper ambiguitas quaedam, quae lectorem offendat. Et re vera discrepant editores in versu explicando. Pertinentne ea verba κατὰ βυσσόν ad ipsas insulas eo sensu ut hoc dixerit Callimachus: insulas a Neptuno *in maris*

Digitized by Google

profundum demersas ibi latuisse quoad tempore peracto enatarent? Sunt qui ita censeant. Ut mittam alios, Spanhemius id voluit; et ad ipsa verba quod attinet, ita ut nunc quidem versus editur, haec interpretatio accuratissime Graecis respondet. Neque sane Alexandrinorum doctissimo ignotum erat, de multis insulis idem tradi, quod Pindarus Ol. VII. 55 memorat de Rhodo insula: nondum eo tempore cum imperium mundi Iuppiter et ceteri immortales inter se dividerent „*Φανερὰν ἐν πελάγει Ῥόδον ἔμμεν ποντίῳ, ἀλμυροῖς δ' ἐν βένθεσιν νᾶσον κεκρύφθαι.*" Verum hanc fabulam si voluisset attingere Callimachus copiosius et exornatius de ea re dixisset. At noluit: eo enim ceteris insulis opponitur Delos, quod haec libera vagabatur per maria cum illae suo quaeque consisterent loco, *ἐρρίζωνται* enim. — Itaque cum sequentibus haec verba sunt iungenda? Interpretandumne est „*κατὰ βυσσὸν πρυμνόθεν ἐρρίζωσεν*? Perspicuum nobis ita sensum praeberi equidem non negaverim! Immo, vereor ne nimis perspicue hoc dixerit poeta: „in maris profundo funditus insularum radices affixit." Quis ferat in Callimachi tersissimo poemate tam neglegentem *ταὐτολογίαν*? „Insulas *ἐρρίζωσε* Neptunus"; cui verbo ut propriam vim augeat recte poeta addit „*πρυμνόθεν*", haud immemor fortasse eorum quae Homerus de Phaeacorum nave dixerat (*ν* 163)

ὅς μιν λᾶαν ἔθηκε καὶ ἐρρίζωσεν ἐνερθεν,

quem versum Apollonius Rhodius quoque memoria tenebat cum de Symplegadibus scriberet (II 604) „*πέτραι νωλεμὲς ἐρρίζωθεν*" (cf. et Dionys. Periegeten in hac quoque re sedulum Callimachi imitatorem vs. 491). Postea vero addi insularum radices funditus esse affixas *in maris profundo*, quasi quis credat in summ maris superficie quoque eas affigi potuisse, hoc vix ferendum videtur.

Supervacaneum igitur nisi ego fallor est „*κατὰ βυσσόν*". Sed alteri sententiae parti deest quiddam. Involvisse insulas in mare dicitur Neptunus, et dum Delo concedit ut per maria vagetur, ceteras affigit *πρυμνόθεν ῥιζώσας*. Quod facit *ἵν' ἠπείροιο λάθωνται*: itaque ut terrae deponerent memoriam eos affixit; sed ubinam? Procul a terra opinor, in alto mari. Pseudo-Orpheus Argonauticorum scriptor, a quo sexcenties Callimachi versus expressi sunt, (Orph. Argon. 1277) his verbis eandem rem narrat;

Digitized by Google

καί ῥά οἱ αἰῖγδην σκέδασεν κατ' ἀπείρονα πόντον
νήσους εἰναλίας ἔμεναι.

κατ' ἀπείρονα πόντον „per magnum mare dispersas", tale quid est quod nostro versu desideratur. Redditur autem poetae si legeris:

καὶ τὰς μὲν κατ' ἄβυσσον ἴν' ἠπείροιο λάθωνται
πρυμνόθεν ἐρρίζωσε.

Cui coniecturae favet Hesychius qui ita vocabulum ἄβυσσον interpretatur: „ὕδατα ἄπειρα."

Vs. 53 hunc in modum edidit Schneiderus:

οὕνεκεν οὐκέτ' ἄδηλος ἐπέπλεες, ἀλλ' ἐνὶ πόντου
κύμασιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνέθηκαο ῥίζας,

itaque vulgatam tuetur, quamquam Meinekius proposuerat

ἕρμασιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνερείσαο ῥίζας.

Et recte hic quidem agnovit vulgatae deesse aliquid. Nam quod nimis accurate eo loco de quo modo agebam indicatum esse videbatur: in profundo insulam Delum „πρυμνόθεν ῥιζωθῆναι", id nunc frustra quaerimus. In undis enim Aegaei maris, κύμασι πόντου Αἰγαίοιο, iam diu vagabatur, nunc vero radices figit — ubinam? In profundo respondeas. Proponit „ἕρμασιν" Meinekius. Verum dubito num hoc vocabulum, quo indicari solent saxa sub mari latentia, nostro loco conveniat. Mihi saltem correctionis facilitate aliud nomen magis commendari videtur quod accuratius quoque sententiae respondet: κεύθεσιν volo, quod Theognis dixit de terra (vs. 243) „δνοφερῆς ὑπὸ κεύθεσι γαίης", Oppianus de profundo mari: „κεύθεα πόντου". Ceterum codices quidam in vs. Theognidis quem laudavi, κεύθμασιν exhibent, quod et nostro loco proponerem, si modo constaret hanc quoque formam in usu fuisse neque soli errori librariorum eam deberi.

Non autem hoc solum in nostro versu corruptum videbatur Meinekio, qui pro ἐνεθήκαο legendum censebat ἐνερείσαο. Et merito hic quoque vulgatam reiecit, at quod reposuit non ab omni parte placet. Licet enim πόδες ἐντίθεσθαι dicantur τόπῳ τινι, ubi de ῥίζαις ποδῶν sermo fit aliud verbum requiritur, quia radices *aguntur*, *defiguntur*, βάλλονται (unde ῥιζοβολεῖν), πήγνυνται. Ut iu itur Nicander ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν γεωργικῶν habet (II. 9 Schn.)

Digitized by Google

αὐτὰρ ἀκανθοβόλοιο ῥόδου κατατέμνεο βλάστας
τάφροις τ' ἐμπήξειας,

ita nostro versu scribi poterit leviore, quam quae a Meinekio commendatur, mutatione

κεύθεσιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνεπήξαο ῥίζας.

Postquam Latona Graeciam pervagata ad Penei ripas pervenit precibusque fluminis deum adiit, misericordia commotus ille exclamat: „ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ", et undarum cohibet impetum ut defessae deae locum praebeat quo Iovis pariat prolem. Non sinit hoc Mars et in eo est ut a Pangaeo monte (dum ipse sedet in Haemo!) avellat saxum quo flumen obruat. Nec tamen saxum arripuisse videtur: ex alto tantum insonat clipeum cuspide percutiens. Cuius fragore Ossa contremuit totaque Thessalia concutitur terrore:

141 ὡς δ' ὁπότ' Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
σείονται μυχὰ πάντα κατουδαίοιο γίγαντος
εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινύμενοιο,
θερμαῦστραί τε βρέμουσιν ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρη·
ἔργα θ' ὁμοῦ, δεινὸν δὲ πυρίκμητοί τε λέβητες
καὶ τρίποδες πίπτοντες ἐπ' ἀλλήλοις ἰαχεῦσι·
τῆμος ἔγεντ' ἄραβος σάκεος τόσος εὐκύκλοιο.

Ita versus edidit Schneiderus, qui doctissima adnotatione ad vs. 144 monet in forma vocabuli iustam causam non esse cur in Callimachi loco θερμαῦστραι in θερμάστραι mutetur. Et id quidem fortasse recte. At non video quo iure haec addiderit vir eruditissimus: „Interpretemur convenienter nominis formae: *quae θερμὰ capiunt*, intellegamusque *non de forcipe toto*, sed de *γένυσι πυράγρης* (Nic. Alex. 50) i. e. *ima forcipis parte*." Loci enim quos testimonii loco adhibet Schneiderus (Hesych. i. v. θερμαυστρίς, id. i. v. πύραυνον) mihi videntur nihil docere nisi hoc: θερμαυστρίδα *genus* quoddam fuisse forcipis καρκίνῳ simile. Καρκίνον autem e. g. epigrammate in Anth. II. 92 Demophon quidam „γήρᾳ κανθὸν ἐζοφωμένος" deo Cyllenio vovet, et vocat „τὸν δίχηλον καρκίνον πυραγρέτην." Itaque si θερμαυστρίς (sive θερμαύστρα) similis est τῷ καρκίνῳ, ipsa habet labia neque ad forcipis sola labia indicanda usurpari potest vocabulum. Sed fac verum vidisse Schneiderum et l a b i a forcipis indicari posse

Digitized by Google

illo vocabulo, qualis evadet versus? „Labia forcipis sub (i. e. *in?*) Vulcani forcipe contremuerunt et etiam simul opera." Vix puto cuiquam probari posse talem rerum enumerationem, quae dum in minutioribus operam perdat, maiora omittat: narret forcipes contremuisse, de ipsa officina taceat. Quanto igitur rectius convenit quod Blomfieldius proposuit: *θερμάστραι*; „fremunt camini, fremunt forcipes". Ita a maioribus ad minora, ut par est, narratio descendit.

Verumtamen superest quod offendat. Si enim poetae in animo fuisset memorare caminum cum forcipibus qui in eo essent, non, opinor, dicturus fuit „fremitum dederunt sub forcipibus camini." Dixeris hoc vitium facili opera tolli si cum Meinekio legamus *σὺν Ἡφαίστοιο πυράγρῃς*. Parum proficimus, dum tollitur alterum vitium, alterum nascitur. Nam si Meinekio obtemperemus, hoc Callimachum dixisse putemus: „Camini fremunt cum Vulcani forcipibus; — et simul opera". Admodum ineleganter extrema verba, a praecedentibus quasi avulsa, adduntur; oportuit enim indicari quaenam essent *ἔργα* illa. De re ipsa nemo dubitat: sunt quae tenent *ὑπὸ πυράγραις* Vulcanus et Cyclopes „dum versant tenaci forcipe massam". Equidem hoc arbitror poetam dixisse: „fremunt camini, fremunt in ipsis Vulcani forcipibus opera dei, fremuntque (quae iam perfecta erant) tripodes et lebetes". Qua de causa conicio ita versum esse legendum:

θερμάστραι τε βρέμουσιν, ὑΦ' Ἡ Φ α ί σ τ ο υ τ ε πυράγρῃ
ἔργα θ ε ο ῦ, δεινὸν δε κ.τ.λ.

Harlemi m. Sept. 1890.

ARISTOPHANES.

Pacis vs. 459 dum deae statuam in lucem protrahunt agricolae (*ἀνέλκουσι* vs. 307, *ἀνορύττουσι* vs. 372) ex antro profundo, in quod a Marte coniecta fuerat, sic se invicem cohortantur:

ὑπότεινε δὴ πᾶς καὶ κ ά τ α γ ε τοῖσιν κάλῳς.

Pro *κ ά τ α γ ε* scripserim *ξ ά ν α γ ε*, i. e. *καὶ ἐξάναγε* vel *κἀξάναγε*.

J. v. L. J. f.

Digitized by Google

DE IURE OBNUNTIANDI COMITIIS ET CONCILIIS.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

Quae antea exposuimus, cum ageremus *de modis auspicandi Romanorum*, ad explicandam universam rationem obnuntiationis, non sufficiunt cum indagare cupiamus quale fuerit ius obnuntiandi comitiis et conciliis; hoc enim quamvis ex eisdem principiis ortum sit, tamen paullatim commutatum est variis legibus, et adeo quidem ut prorsus per se stare coeperit. Causa autem duplex est, cur accidere debuerit ut legibus deformaretur haec pars obnuntiationis. Primum in hac parte deerat stimulus potentissimus, qui in omnibus rebus ad bellum pertinentibus, domi aut militiae gerendis, cogebat Romanos exigere et accommodare praecepta iuris ad simplicem normam religionis solius, qui erat metus cladis atrocis; hoc stimulo sublato licebat in hac parte obnuntiationis legibus moderanda multo plus concedere aliis consiliis et rationibus proprie ad religionem non pertinentibus; deinde vero ingens erat in hac parte vis alius stimuli, utilitatis reipublicae, quae suadebat ut ius unum omnium gravissimum, quo impediri possent legum lationes, creationes magistratuum, iudicia populi, ita legibus conformaretur et digereretur, ut partim adhiberi posset ad cohibendam licentiam magistratuum quibus singulis ius esset cum populo aut cum plebe agendi, si qui hoc iure abuti conarentur adversus utilitatem reipublicae ad persequenda consilia privata

Digitized by Google

aut promovenda commoda partium politicarum, partim vero ita ut eo abuti prohiberentur ei qui ipsi, perducti consiliis privatis aut partium, temere impedituri essent actiones publicas populi aut plebis quae civitati necessariae essent. Itaque cum leges multa inferrent in hanc obnuntiationem, quae non a religione sed ab utilitate reipublicae deposcebantur, id ipsum iam antiquitus factum est in hac parte, quod in obnuntiatione universa ab initio valuisse supra negavi (Mnemos. XVIII pag. 438), ut obnuntiatio fieret ius aliquod vetandi, quod minime cohaereret cum vera religione e qua profectum esset, et contineretur tantum vocabulis ad religionem pertinentibus. Si qua superfuit religio in hac parte obnuntiationis, eadem haec erat religio quae cogere deberet Romanos observare omnes leges publicas auspicato factas. Eadem ratio autem quae leges ipsas sinebat et cogebat minus religiose tractare hoc ius, etiam effecerat ut ipsum ius obnuntiandi in hac parte fere ab initio factum esset instrumentum partium politicarum; fieri vix potest ut ei qui hoc ius haberent umquam id adhibuerint moti sola voluntate sincera cognoscendae mentis deorum (quae voluntas sola est pignus veritatis auspiciorum), quia satis constabat ex lege inauspicato facta, si praeterea bona esset, vel ex magistratu contra auspicia creato, non impendere reipublicae periculum cladis atrocis, ut ex proelio inauspicato inito aut ex duce contra auspicia ad bellum profecto; cum vero in omnibus qui hoc ius habebant vehemens esse posset voluntas impediendi ex aliis consiliis suscepta, fieri non poterat quin utique praevaleret haec voluntas, quam tollere veritatem auspiciorum novimus. Hanc ob causam, quod proprium habuit ratio obnuntiandi comitiis, non repetendum est ex impietate aliqua Romanis innata et propria — nam in reliqua obnuntiatione eidem per multa saecula pios et diligentes se praebuerunt — sed attribuendum est singulari rationi harum actionum popularium, quae ipsa animos cogeret aberrare ab religione ad curam utilitatis publicae aut privatae aut partium.

Res autem, quibus ratio obnuntiandi comitiis differret ab universa obnuntiatione, quinque fere fuerunt; harum prima cernitur in vi et interpretatione auspiciorum; secunda in magistratibus quibus in hac parte concessa erat spectio

Digitized by Google

cum nuntiatione et nuntiatio ex spectione; tertia in eis quae constituta fuerunt de temporibus quibus obnuntiare liceret comitiis, et in consuetudine per edictum obnuntiandi; quarta in eo quod in hac parte non semper aeque valuerunt maior potestas et vis tribunicia; quinta in eo quod non de omnibus comitiorum generibus idem ius valuit.

I. Ac primum quidem cum dicerem, interpretationem auspiciorum singularem fuisse in comitiis, primum eam legem auguralem in animo habebam, quae declarabat omne tonitru et omne fulmen, sive sinistrum esset sive dextrum anticum posticum, si inter comitia fieret, esse auspicium adversum quod impediret actionem, quatenus aut magistratui ipsi qui ageret, aut auguri alicui, auspicium esse et ad actionem pertinere videretur; de ea vid. loc. coll. Mnemos. XVIII pag. 448 n. 1 [1]). Sed ea lex, quamquam minime in omnibus actionibus publicis itidem valebat — multae enim erant quae non modo non turbarentur, sed etiam egregie confirmarentur fulmine fortuito oblato si sinistrum esset — tamen non ad comitia sola pertinuisse videtur, sed ad alia quoque quae sub divo coram civibus certo ritu publice agerentur, veluti ad censum et fortasse ad dilectum urbanum. Certa testimonia huidem quae afferam non habeo [2]); et Cicero diserte quidem

1) Cic. div. 2. 18. 42: „Iove tonante aut fulgurante comitia populi habere nefas"; Vatin 8. 20: „Iove fulgente cum populo agi nefas esse"; Phil. 5. 3. 7: „Iove tonante cum populo agi non esse fas quis ignorat?" — 2) Maxime enim cavendum est, ne res quam tradunt Livius 23. 31. 13 (*„Marcello ineunti consulatum cum tonuisset, vocati augures vitio creatum videri pronuntiaverunt"*), et Plut. Marcell. 12, nos indicat ut credamus, fulmen fuisse auspicium adversum cum magistratus iniretur, et impedisse eam actionem. Primum enim, susceptio honoris non est actio quae possit irrita fieri, sed caerimonia minime necessaria; h. l. reputandum est quod supra tetigi (Mnemos. XVIII p. 220 n. 2), ius magistratus gerendi non pendere ex caerimonia ulla. Deinde vero, si in ea re, quam tradit Livius, sermo esset de obnuntiatione augurali („alio die") et de auspicio adverso, necesse fortasse fuisset ut caerimonia consulatus ineundi *differretur* in alium diem, sed fieri nullo modo posset ut ob eam rem consulatu abigeretur Marcellus. Sed omnium maxime apertum est, hoc tonitru quod auditum esset primo die consulatus Marcelli non acceptum esse tamquam *auspicium* quod referendum esset ad actionem aliquam quae tum ipsum gereretur, sed tamquam *prodigium* quod referendum esset ad universum statum reipublicae. Consules potuerunt magistratu abigi propter *prodigia*, quae auguribus pro arbitrio interpretari licebat (cuius rei multa exempla collegi Mnem. XVIII p. 234 sq., quibus add. Cic.

Digitized by Google

negat, hanc vim adversam fulminis inter actionem oblati longius pertinuisse quam ad comitia, his duobus locis: „*fulmen sinistrum, auspicium optimum quod habemus ad omnes res praeterquam ad comitia; quod quidem institutum reipublicae causa est, ut comitiorum vel in iudiciis populi vel in iure legum vel in creandis magistratibus principes civitatis* (i. e. augures) *essent interpretes*" (div. 2. 35. 74), et div. 2. 18. 42 sq.: „*Iove tonante fulgurante comitia populi habere nefas. Hoc fortasse reipublicae causa constitutum est; comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuit*". Fieri quidem potest, ut Cicero hoc vere dixerit. Sed tamen non prorsus incredibile esse mihi videtur, Ciceronem nimis attendisse ad eas actiones, quae suo tempore etiam crebrae et gravissimae essent, eumque neglexisse cum *censum* tum *alias actiones* sub divo gerendas, quae tum fere in desuetudinem abiissent. Nos hoc in medio relinquemus. Sed hac in re praesertim cum Cicerone dissentio, quod illam legem reipublicae causa factam esse suspicatur. Nam cogitari quidem potest, augures abusos esse hac lege, non quidem inter comitia, nuntiando auspicio quod fictum esset (Mnemos. XVIII pag. 450), sed postea, cum quaerere et decernere coepissent num forte contra auspicia habita essent comitia, si augur non affuerat, et testes aliquot dabantur qui falso declararent, fulmen inter comitia factum esse. Sed hoc consilio turpiore illa lex inventa esse non potest. Vera rei causa manifesta esse videtur, quod fulmen sub divo remanere non patitur cives congregatos; hoc confirmatur eo quod supra animadvertimus, etiam *tempestates* nonnumquam dici turbavisse comitia, fulmine non commemorato (Mnemos. XVIII pag. 448 adn. 1; add. Plut. Cai. Gr. 14: ὄμβρου γενομένου); tempestatem autem et fulmen, quae proprie essent impedimenta naturalia,

---

leg. 2. 12. 31: „*quid magnificentius, quam posse decernere ut magistratu se abdicent consules?*"), ex quibus augures deducere poterant, vitium aliquod, ceteroquin ignotum, fuisse in auspiciis cum crearentur illi consules. Sic nunc quoque vitium quo Marcellus creatus est, ignotum mansit. — Rubino, cum demonstrare vellet illud tonitru fuisse *ipsum vitium* ob quod magistratu abactus esset Marcellus, gravibus et mirificis erroribus se implicavit (Unters. p. 69: „man erklärte(?) den Act der Creation für noch nicht beendigt, weil die Volksversammlung noch nicht entlassen sei"!).

Digitized by Google

pro auspiciis prohibentibus habita esse mirum non est, quia ex eis clare appareret, deis eo die non placere quidquam sub divo agi, et quia huic voluntati deorum clare monstratae parum convenire videretur ut is qui comitiis praeesset a plerisque civibus desertus in actione perseveraret et fortasse per infrequentiam perferret quod sibi videretur; hanc ob causam comitia, quae Iove tonante *recte* haberi non posse viderentur, Iove tonante haberi *nefas* est ductum [1]). Quod si verum est, Romani cum hoc instituerent religioni bene consuluerunt, neque in hac re minus ei tribuerunt quam utilitati publicae. Haec lex igitur effecit: 1° ut eis qui cum populo aut plebe agerent necesse esset dimittere comitia aut concilium, si inter actionem ipsi observarent auspicium caeleste aut tempestatem obortam, non secus quam si animadvertissent aliquod signum dirum, veluti aves funestas aut hominem morbo comitiali correptum; 2° ut augures, si qui adessent, eos cogere possent dimittere populum aut plebem cum ipsi auspicium caeleste inter actionem vidissent aut eiusmodi auspicium ab aliis observatum esse statuerent, non secus quam si oblatum esset signum dirum; 3° ut omnes cives de auspicio caelesti inter actionem observato, eodem modo quo de signo diro, admonere possent eum qui comitiis praeesset, quod dicitur „fulmen (et ominis causa quidem: sinistrum) nuntiare", *βροντὴν ὀνομάζειν* (App. 1. 30), *διοσημίαν φημίζειν* (Dio 39. 35. 5), *βροντὴν γεγονέναι βοᾶν* (Plut. Cat. min. 43 et App. 1. 30), neque umquam dicitur „de caelo servare" [2]); sed tum ex arbitrio eius qui comitiis praeerat, et auguris, pendebat utrum huic nuntiationi obsequi vellent, an eam repudiare quod se ipsos nihil observasse dicerent [3]); 4° ut post rem peractam augures decer-

1) Similis fortasse causa fuit, cur in nuptiis, si inter confarreationem et nuptam in domicilium mariti deductam fulmen fortuito esset oblatum vel tonitru auditum, confarreatio irrita esse et alio die instaurari debere putaretur; sic quoque intemperies caeli, quae obstaret ne recte fierent pompa nuptialis et deductio maritae, ex impedimento naturali facta esse videtur auspicium adversum. Cfr. Serv. Aen. 4. 339: „quia, cum fuissent iuncti, scirent tonuisse, quae res dirimit confarreationem"; ibid. 4. 166: „actio (confarreationis) dirimitur, cum de caelo servatum est". — 2) „De caelo servare", quo interdictum est privatis et sacerdotibus, etiam ab auctoribus Graecis sedulo distinguitur vocabulis *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντεύεσθαι*, *τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γεγόμενα παρατηρεῖν*, Dio 38. 13. 5. — 3) Plin. 28. 17: „in augurum disciplina

Digitized by Google

nere et senatum certiorem facere possent „comitia esse *vitio* habita", si inquirentibus apparuisset auspicium illiusmodi inter actionem fuisse oblatum et a magistratu neglectum, non secus quam facere possent si signum dirum esset neglectum. — Sed nobis nunc praeterea etiam cogitandum est de alia lege augurali, longe ab illa diversa, quae affirmabat omne fulmen, quod ante comitia eodem die quaesitum esset comitiorum causa, esse auspicium adversum, et eiusmodi quidem quod nullo alio auspicio laeto vinci posset [1]). Haec lex quoque comprehendebat omnia fulmina, cum sinistra tum dextra antica postica; sed neque tonitru quod auditum esset sine fulmine viso, neque tempestas turbida, ad eam pertinebat. Ea lege iubebantur omnes qui de comitiis aut conciliis eodem die futuris auspicarentur, cum ei qui ipsi eis praeesse in animo habebant, tum omnes qui praeterea de eis auspicarentur, fulmen quodlibet quod *auspicantes* observarent pro auspicio adverso et prohibente habere. Itaque haec lex effecit, ut omnes qui prohibere vellent ne comitia eo die fierent in quem indicta essent, eodem die auspicantes quaererent (aut fingerent) auspicium oblativum caeleste, sive „de caelo servarent"; haec loquendi formula enim ita adhiberi solet, ut ad auspicia caelestia *quaesita* solum et ad *auspicantes* tantum pertineat, non vero ad fortuito conspecta neque ad eos qui observarint sine voluntate observandi [2]). Quod Cicero semel dixit, tribunum plebis „nuntiavisse

---

constat, neque diras neque ulla auspicia [scil. quae nuntientur] pertinere ad eos qui quamque rem ingredientes observasse ea negaverint". Vid. Mnem. XVII p 429 et XVIII p. 434. — 1) Cic. dom. 15. 39: „(augures) negant fas esse agi cum populo, cum de caelo servatum sit"; Cic. har. resp. 23. 48; Vat. 6. 15; Dio 38 13 3 sq.: *τῆς γὰρ μαντείας τῆς δημοσίας ἔκ τε τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἐξ ἄλλων τινῶν ποιουμένης, τὸ μέγιστον κῦρος ἡ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἶχεν, οὕτως ὥστε τὰ μὲν ἄλλα οἰωνίσματα πολλὰ καὶ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν, ἐκεῖνο δὲ ἐξάπαξ ἐπὶ πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ γίγνεσθαι. τοῦτό τε οὖν ἰδιώτατον ἐν αὐτῷ ἦν, καὶ ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων ἁπάντων ἢ ἐπέτρεπε πραχθῆναί τινα, καὶ ἐγίγνετο μηδενὸς ὅτι καθ' ἕκαστον οἰωνίσματος ἐπαγομένου, ἢ ἐκώλυε καὶ ἀνεχειρίζετό τι, τὰς δὲ δὴ τοῦ δήμου διαψηφίσεις πάντως ἐκῖσχε, κἂν ἦν πρὸς αὐτὰς ἀεὶ διοσημία* (auspicium adversum) *εἴτε ἀναίσιον* (sinistrum, orientale) *εἴτε ἐξαίσιον* (dextrum anticum posticum) *ἐγένετο.* — 2) Ipsa quidem formula „de caelo servare" nihil habet, cur non possit recte adhiberi cum sermo sit de fulmine fortuito conspecto; nam signum *servare* est *oculis sequi* et quasi *tenere* signum quod quis animadvertit. Qui fulmen *quaerit*, rectius quidem dicitur de caelo *auspicari* (Varr. ap. Non. 92), neque prorsus desunt loci ubi „de caelo servare" dicatur aliquis qui fulmen fortuito conspiciat, veluti Serv. Aen. 4. 166, supr. pag 79

Digitized by Google

fulmen sinistrum", ut significaret eum de caelo auspicatum esse, id non probat, illam formulam quoque usitatam fuisse (nedum probet, fulmine quaesito *sinistro* solo prohiberi potuisse comitia, quod satis refellit Dio l. l.); sed Cicero, cum a. 44 nollet uti formula „tribunum pl. de caelo servasse", ne videretur approbare id quod tum quidem liceret ex lege Clodia anni 58, sed quod antea vetitum fuisset ex lege Aelia et Fufia, scil. ut creationi magistratus obnuntiaretur, maluit uti formula inusitata „tribunum *fulmen* nuntiasse", falsam speciem prae se ferens quasi crederet fulmen nuntiatum, cui obsecutus esset consul, necessario *verum* fuisse [1]); huic formulae autem *ominis causa* addidit vocabulum „sinistrum", quamquam id proprie ad rem non pertinebat; quod idem facere solebant augures si propter fulmen fortuito inter comitia conspectum obnuntiabant, vid. supr. Mnem. XVII p. 319 n. 4. — Iamvero hanc vim semper adversam et prohibentem fulminis quaesiti in nullis actionibus publicis praeterquam in comitiis et conciliis valuisse constat; census auspicato ita tantum haberi poterat, si fulmen sinistrum de tabernaculo impetritum erat (cfr. Mnem. XVIII p. 220); in aliis actionibus, ob quas fulmen non solebat impetriri, fulmen oblativum quaesitum (scil. quod esset conspectum inter auspicandum ex extis aut pullis) partim actionem confirmabat, partim si dextrum anticum posticum erat actionem impediebat [2]), sed nullae erant actiones quas prohiberet fulmen oblativum

adn. 1; sed tamen in rebus publicis, inprimis ubi de comitiis sermo est, formula „de caelo servare" constanti usu ponitur pro „de caelo auspicari", neque umquam refertur ad eum qui voluntate observandi fulminis caruerit. Hanc ob causam Cicero dixit, augurem nec posse nec velle dicere „se de caelo servasse" (Mnem. XVIII pag. 450 adn. 3). Reputandum etiam est, eum qui dicatur „de caelo servasse fulmen fictum", iam hanc ob causam necessario dici „de caelo auspicari", quia auspicatur quicumque auspicium fingit. — 1) Cic. Phil. 2. 38. 99: „cur ea comitia non habuisti? an quia tribunus pl. sinistrum fulmen nuntiabat?" Alio loco Cicero usus est formula etiam multo magis fucata, Sest. 38. 83: „cum Sestius auspiciis religionique parens *obnuntiaret quod sentiret*", pro eo quod est: „... nuntiaret se de caelo servasse". Hoc loco quoque Cicero, qui probat id quod Sestius fecit, ne legi Clodiae quidquam tribuere videatur, simulat se persuasum habere vim cogentem obnuntiationis non niti legibus et iure magistratuum, sed *veritate* auspicii nuntiati; scilicet nescit Cicero auspicium illud fuisse fictum a Sestio; quin etiam nescit, obnuntiationem auspicii veri tam solum esse cogentem si ab augure interponatur! — 2) Dio l. l.: *ἡ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντεία .... ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων ἁπάντων ἢ ἐπέτρεπε πραχθῆναί τινα, ἢ ἐκώλυε καὶ ἀνεχαιρίζετό τι.*

Digitized by Google

quaesitum quodlibet. Huius rei ratio autem ex religione repeti non potest. Haec revera instituta est reipublicae causa; sed quid ea res profecerit ad utilitatem publicam, paullo postea demum apparebit. — Accessit enim ad illam legem auguralem etiam alia res comitiorum rationi prorsus propria, quae etiam pertinet ad interpretationem auspiciorum. Institutum enim est — et id quoque antiquissimo quidem tempore — ut comitiorum causa de caelo auspicari non ei solum possent, qui haberent ius agendi, i. e. collegae eius qui acturus erat si auspicium divisum non erat, sed omnes quibus ius esset auspicandi de caelo. Hoc quoque, ut dixi, proprie pertinet ad interpretationem auspiciorum, non directe ad ius magistratuum; nam illi legi suberat praescriptum augurale huiusmodi, ut omnia fulmina quaesita, a quolibet observata, si quaesita essent die aliquo in quem comitia indicta essent, simul valerent de ea actione propter quam quaesita essent (tamquam auspicia addicentia, aut impetrita aut oblativa), simul vero de comitiis indictis, tamquam auspicia prohibentia; hoc igitur quoque pertinet ad vim singularem quam in comitia excercebat fulmen quaesitum [1]). Ut Dio dicit verbis laudatis, reliqua auspicia impetrita aut quaesita, quae die comitiorum accepta essent ex avibus aut extis aut pullis aut etiam ex diris ab aliquo qui aliquid acturus erat, nusquam poterant ab eo referri nisi ad actionem ipsius aut collegae alicuius cui non erat auspicium divisione attributum (*ἐγίγνοντο καθ' ἑκάστην πρᾶξιν*); fulmen solum tantum valebat, ut, si quaesitum esset, utique etiam comitiorum in eum diem indictorum causa quaesitum esse dici posset ab eo qui quaesiverat. Tamen paullo brevius neque accuratissime Dio dicit, fulmen quaesitum utique per se *vitiavisse diem* ad comitia (*ἐπὶ πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ γίγνεσθαι*). Necesse enim erat, si futurum erat ut comitia prohiberentur, ut fulmen *comitiorum* quoque *causa* quaesitum esset. Nuntiatione fulminis enim opus erat; atqui cogitari potest aliquem eo die fulmen quaesivisse neque renuntiavisse; tum nullum erat impedimentum comitio-

1) Dio l.l.: *ὥστε τὰ μὲν ἄλλα οἰωνίσματα πολλὰ καὶ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν, ἐκεῖνο δὲ ἐξάπαξ ἐπὶ πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ γίγνεσθαι.*

Digitized by Google

rum [1]). Nuntiatione sola, si fieret aut non fieret, decerni poterat utrum is qui fulmen quaesiverat etiam comitiorum causa auspicatus esset necne; qui nuntiabat, ea ipsa re declarabat se cum fulmen quaereret etiam de comitiis deos precatione certiorem fecisse; qui non nuntiabat, ostendebat se suum ius non usurpasse. Itaque quod intererát inter obnuntiationem universam de qua antea vidimus, et obnuntiationem in comitiis, hoc fuit, quod spectio cum nuntiatione (ius de actione aliena cum effectu auspicandi) in illa solis collegis data fuit si auspicium non erat divisum, in hac vero omnibus quibus ius erat auspicandi de caelo; vis singularis fulmini attributa effecit ut separarentur et per se stare inciperent *spectio cum nuntiatione ex ceteris auspiciis*, quae valeret in reliquis actionibus et collegis utilis esset, et *spectio cum nuntiatione de caelo*, quae valeret in comitiis conciliisque solis, et omnibus praesto esset qui non propter causas quasdam de caelo auspicari prohiberentur. Sed praeterea ius universum quod dicimus spectionem cum nuntiatione in utraque ratione obnuntiandi prorsus simile et idem erat, et in utraque nullum esse poterat si omittebatur nuntiatio ex spectione, quae erat pars adversa eiusdem rei. Inde sequitur ut statuamus, formulam „de caelo servare" comprehendere ipsam nuntiationem, eamque cogitatione saepissime supplendam esse vocabulo: „... et nuntiare". Ex. gr. in verbis notissimis Gellii his: *„in edicto consulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum ex vetere forma perpetua: ne quis magistratus minor de caelo servasse velit"*, manifestum est hoc significare: *„ne de caelo se servasse nuntiare velit"*. E contraria parte id nihil ad rem pertinuisse apertum est, utrum is qui iure suo nuntiaret se de caelo servasse, revera deos precatus caerimoniam aliquam sollemnem peregisset necne, non magis quam illud, utrum vere fulmen conspexisset, an nihil vidisset. Nam hoc ipsum proprium est iuri nuntiandi, ut nuntiatio ipsa sufficiat, neque liceat ei cui obnuntiatum est inquirere in eam rem neque alia testimonia poscere vel quaerere;

---

1) Hoc sexcentis exemplis confirmatur; cfr. Cic. Att 4. 3. 4: „Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur"; apertum est, si nihil nuntiaretur, nullum impedimentum futurum fuisse.

Digitized by Google

quod impedit comitia non est *fulmen*, sed *nuntiatio fulminis quaesiti*, cui obsequendum est etiamsi nihil aliud ei subest praeter voluntatem impediendi in eo qui obnuntiat; hinc inprimis apparet, „spectionem cum nuntiatione" et „nuntiationem ex spectione" esse unam eandemque rem quae divelli nequeat. — Romanos autem ad eam vim fulmini tribuendam adductos esse patet rationibus non ex religione petitis — tales enim inveniri nullae possunt — sed ex utilitate publica derivatis. Et facile intellegitur, qualem fructum ex ea re susceperit respublica. Nam cum ius cum populo aut cum plebe agendi libere usurpari posset ab eis magistratibus quibus id ius esset, magnus metus erat ne his actionibus occuparentur dies qui destinati essent actionibus necessariis aliorum magistratuum, quas differri haud e republica esse videretur, veluti, ut hoc exemplo primum utar, censui habendo. Qua de re si nihil constitutum fuisset, fieri potuisset ut eodem die, quo censum habendum esse censuisset senatus, comitia habiturus esset consul. Tum si uterque auspicia secunda impetrasset, et censor de caelo quidem, consul ex avibus, futurum fuisset ut cum uterque suam actionem auspicato aggredi vellet, censor cedere deberet consuli, quod is populum ab eo avocaret. Sed ius Romanum antiquum hanc sententiam sequi solebat, comitiatus quibus rogationes ferrentur minus necessarios esse quam reliquas actiones ordinarias magistratuum, et illos his cedere oportere [1]). Hoc ut fieret, effectum est illa lege; haec censori copiam dedit, eodem auspicio nuntiando quod ipse suae actionis causa impetriverat, vitiandi simul auspicii consulis; sed cum semel haec copia data esset, res recte se habebat, neque expectaturus erat consul obnuntiationem censoris, sed ultro ipse, si cum populo agere volebat, evitaturus erat diem censui destinatum quem sibi vitiosum fore sciebat. Quodsi etiam alio exemplo opus est, cogitari potest, quo die alter consul dilectum habere deberet, collegam eius cives ab eo avocare voluisse ad comitiatum; sic quoque consul collegam reprimere potuit eodem auspicio, quo deos suam actionem confirmasse diceret. Itaque lex facta est hoc consilio, ut

1) Hanc sententiam Livius iam attribuit Numae regi dies fastos nefastosque facienti „quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat" (1. 19. 7.).

Digitized by Google

comitiatus a quolibet vocati, et hi soli quidem, subicerentur et locum cedere cogerentur reliquis actionibus publicis; hoc cum per auspicia consequi vellent Romani, necesse erat primum ut unum idemque auspicium, et maximum quidem (quod erat caeleste) *secundum* esse haberetur omnibus reliquis actionibus, *adversum* vero solis comitiis, deinde vero ut eidem huic auspicio, etiamsi propter aliam actionem quaesitum esset, tanta vis tribueretur, ut ad comitia in eum diem indicta praeterea etiam referri posset ab eodem illo qui quaesiverat. Haec vis fulminis, qua pro arbitrio eius qui quaesiverat referri potuit ad comitia et concilia, dicetur a nobis vis fulminis quaesiti *comitialis*.

Haud supervacaneum videtur etiam monere, quod idem valet in omnibus auspiciis comitiorum causa quaesitis (praeterquam de lege curiata, Mnem. XVIII p. 228), deos, cum ab auspicantibus interrogarentur, non interrogatos esse de eo quod suffragiis populi subiciendum esset, de rogatione utrum bona an mala esset, de candidatis utrum honore digni essent necne, de iudicio utrum reus condemnandus videretur an absolvendus. Si auspicia tali consilio rogata essent, manifestum est comitia tum *contra auspicia* haberi dicenda fuisse, si suffragiis civium id *repudiaretur* quod dei auspiciis comprobassent, veluti rogatio vel petitio candidati vel condemnatio rei, neque suffragia libera futura fuisse civibus. Patet igitur deos de nulla alia re interrogatos esse quam de hac, num reipublicae expediret ut hoc die cum populo vel plebe ageretur, an minus. Itaque is qui comitiis obnuntiat cum lex feratur, non obnuntiat quia ea rogatio deis probata non sit, sed quod eo die agi fas non sit.

II. Postquam vidimus de interpretatione singulari auspiciorum, transeundum est ad id quod secundo loco posuimus, ad homines quibus in hac parte concessa fuerit spectio cum nuntiatione.

Lex auguralis antiquissima, de qua modo vidimus, iubebat omnia fulmina a quolibet quaesita, si quaesita essent die aliquo in quem comitia indicta essent, simul referenda esse ad eam actionem propter quam quaesita essent, simul vero ad comitia indicta. — Apparet igitur in hanc partem solam illatam esse illam exceptionem, de qua supra mentionem feci (Mnem. XVIII

Digitized by Google

pag. 407 n. 1), qua ius de aliqua re auspicandi separaretur et solveretur a iure agendi et sine hoc iure per se stare coeperit. Sed cum ita in hac parte sublati essent fines usitati et fere naturales, qui in omnibus aliis rebus positi erant iuri obnuntiationis cogentis, novi fines quaerendi et constituendi erant, ne arbitrio cuiuslibet, privati et sacerdotis, permissum esset temere impedire omnes comitiatus. Nam cum semel sublati essent fines quos in aliis rebus ponebat ius agendi, omnis spectio, etiam privata, et sacerdotum, quae ceteroquin semper erat *spectio sine nuntiatione*, in hac parte facta erat *spectio cum nuntiatione;* nisi inventus esset finis, privatus quilibet, cui propter suas res, veluti propter iter ineundum vel negotium gerendum, comitia differri expediret, potuisset impedire actionem nuntiando „se de caelo servasse", cum non ad ius agendi provocare eum necesse esset, sed liceret provocare ad vim singularem *omni fulmini quaesito* attributam. Hi novi fines autem a religione suppeditari non poterant; res iterum transigenda erat decreto publico, ad utilitatem reipublicae solam accommodato, cui obsequi deberet religio. Itaque hoc inventum est, ut omnibus privatis et sacerdotibus interdiceretur iure de caelo auspicandi. Ius publicum non alio modo eo pervenire potuit ut hi homines, quantum ad comitia pertinebat, privarentur *spectione cum nuntiatione*, quam ita, ut in hac parte eis adimeret *omnem spectionem* [1]). Itaque si privatus aut sacerdos audebat ante comitia adire magistratum et dicere „de caelo servavi", ei responderi debebat a magistratu id verum non esse, neque ius ab eo usurpari potuisse quo careret. Sed praeterea etiam poenae obnoxius erat, non solum quod fecisset quod ve-

1) Varr. ap. Non. p. 92: „eo die cis Tiberim redeundum est, quod de caelo auspicari ius nemini sit praeter magistratum"; Cic. Vatin. 7. 16 (Mnem. XVIII pag. 424 n. 1); Cic. Phil. 2. 32. 81 (Mnem. XVIII pag. 407 n. 1). Vid supr. Mnem. XVII p. 423, p. 444 n. 5, p 445, p. 448. Non supervacaneum videtur iam hoc loco monere, omnes locos, quibus augures dicantur reipublicae causa fulmina observasse, pertinere ad observationem prodigiorum sive ostentorum, eosque ad auspicia non magis pertinere quam ad ius auspicandi; veluti Cic. leg 2. 8. 21: „*(augures) divorum iras providento eisque apparento, caelique fulgura regionibus ratis temperanto*, et Cic leg. 3. 19. 43: „*est boni auguris meminisse, ... caeli partes sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem reipublicae ferre possit*"; Cic. div. 2. 18. 42: „*valet in fulguribus observatio diuturna*".

Digitized by Google

titum esset, sed etiam quod incerta religione [1]) obstrinxisset civitatem. Hoc modo igitur factum est, quod nemo nescit, ut omnes magistratus haberent spectionem cum nuntiatione quatenus ad comitia pertineret, sive ius obnuntiandi comitiis et conciliis [2]). Apparet, hoc ius non proprie de integro *datum esse* magistratibus, sed eis *remansisse* cum adimeretur ceteris mortalibus, et repetendum esse ex vi singulari (comitiali) auspicio caelesti attributa. Privatis et sacerdotibus igitur nihil remansit in comitiis praeter nuntiationem auspiciorum fortuito inter actionem conspectorum, cum hoc discrimine, ut ea nuntiatio in privatis esset non cogens, in auguribus vero cogens.

Sed haec quae de spectione magistratuum diximus, non sufficiunt cum quaeramus de tribunis pl.; quantum ad hos attinet, res paullo altius repetenda est. — Initio liberae reipublicae ius augurale etiam ferebat, cives plebeios omni spectione carere (Mnem. XVII p. 439 sq.). Hinc factum est, cum per annos 494 ad 471 tribuni plebis quotannis ex Auctoritate Patrum auspicato in comitiis curiatis suffragiis totius populi de plebe crearentur [3]), ut ad eos tamquam ad „magistratus plebis" tamen non transiret auspicium. Hoc minime repugnabat legi illi quam toti rationi auspiciorum Romanorum subesse supra demonstravimus, quae ferebat unumquemque eam spectionem habere quae conveniret eius iuri agendi; nam antiqua doctrina a. 494 constituta affirmabat, tribunatum plebis non agendi causa sed prohibendi causa esse institutum [4]); itaque spectionis qua privatim prohibiti erant quod patricii non essent, etiam publice magistratu

---

1) Quia ius publicum affirmabat quidem, deos eum audire non potuisse cum sine iure auspicium quaereret comitiorum causa, sed tamen certo sciri non poterat, an aliquid valeret eius precatio apud deos. — 2) Cic. leg. 3. 3. 10: „omnes magistratus auspicium .... habento" cllta Cic. leg. 3. 12. 27: „deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia. ... dantur ..., ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae, saepe enim populi impetum iniustum auspiciis di immortales represserunt"; Cic. Phil. 2. 32. 81: „nos enim solum nuntiationem habemus, consules et reliqui magistratus etiam spectionem". — 3) Cic. pro Corn. Asc. p. 76; Dionys. 6. 89; 9. 41; Liv. 2 56. 3. — 4) Gell. 13. 12. 9; Plut Cat. min. 20: *τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ κωλύειν ἔχει μᾶλλον ἢ πρὸς τὸ πράττειν*; id. Q. R. 81: *τὸν αὐτὸν τρόπον εἴωσται τὴν δημαρχίαν κώλυσιν ἀρχῆς μᾶλλον εἶναι, καὶ πρὸς ἀρχὴν ἀντίταξιν, ἢ ἀρχήν.*

Digitized by Google

participes non fiebant tribuni pl. (ut facti sunt qui ab a. 400 de plebe tribuni militum cons. pot. creati sunt), quia solam habebant auxilii lationem adversus consules, et carebant omni imperio et potestate agendi [1]). Postea vero, cum eo pervenissent tribuni ut etiam aliquid agere possent, veluti conciliis plebis praeesse, senatum habere, alia, nihilominus retenta est illa antiqua doctrina iuris sacri, quemadmodum in multis aliis rebus Romanis verbo et ritu servatae sunt regulae sacrae antiquae quas facto et iure everterat ius publicum (cfr. Mnem. XVII p. 440), neque umquam auspicia agendi causa impetrire permissum est tribunis plebis [2]); quin etiam cum ab a. 449 praeesse possent comitiis centuriatis ad exercendum iudicium populi, quae sine auspiciis haberi fas non erat, utebantur spectione quam eis ad id ipsum mandaverat consul aut praetor. — Postquam vero a. 471 plebi concessum est, ut suos magistratus qui antea a populo creabantur ipsa crearet in conciliis plebis quae a tribunis plebis haberentur [3]), creationes tribunorum plebis etiam sine auspiciis fierent necesse erat [4]), neque umquam postea hoc mutatum est, ut clare docent auctores [5]). — Tribuni

1) Cfr. Liv. 6. 37. 4; 2. 33. 1; Cic. leg. 3. 7. 16. — 2) Hanc rem primus recte perspexit Mommsen, Röm. Forsch 1. pag. 195—199. Lange (de leg. Ael. et Fuf. comm. p. 30 = Kleine Schriften 1 pag. 314, cfr. Röm. Alt. 1 p 830) ad eam rem non adhibuit eam diligentiam qua praeterea saepe usus est. Nam cum Tiberius Gracchus a 133 tribunus pl., idem tribunatum petens, antequam die creationi constituto in Capitolium candidatus ascenderet, domi privatim consuluerit pullarium, quem secum habebat quia erat cum imperio et erat triumvir agris dividendis (Liv. epit. 58, App. 1. 13, Cic leg. agr. 2. 12. 31), deinde in Capitolium veniens sacrificaverit et exta inspexerit, ex his auspiciis a Graccho captis (Plut. Tib. Gr. 17, Val. Max. 1. 5. 2) Lange efficere posse sibi visus est, tribunos plebis in *legibus ferendis* (!) usos esse auspiciis impetritis, neque magis exquirendum sibi esse putavit numquid interesset inter *legis lationem* et *magistratus creationem*, quam inter *candidatum* et eum *qui concilio plebis praeesset*. Vid. etiam Mnem. XVIII p. 424 n. 1. — 3) Liv. 2. 60. 5; Cic. leg. 3. 3. 9. — 4) Post a. 471 semel tantum factum est ut auspicato crearentur tribuni plebis, a 449, in comitiis curiatis quibus praecerat pontifex maximus, Liv. 3. 54. 5 et 9 et 11; Cic. pro Corn. Asc. p. 77. Quomodo anno 293 creati sint tribuni (Liv. 10. 47. 1), nescimus. — 5) Liv. 6. 41. 5: „plebeius magistratus nullus auspicato creatur"; Dionys. 9. 49 p. 1877 (a. 471): ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τὰ τῶν δημάρχων καὶ ἀγορανόμων ἀρχαιρέσια μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου δίχα οἰωνῶν τε καὶ τῆς ἄλλης ὀττείας ἀπάσης αἱ φυλετικαὶ ψηφοφοροῦσιν ἐκκλησίαι; Dionys. 10.4 p. 1991: οὔτε ἱερὰ προβύεται τοῖς θεοῖς πρὶ τῶν ἀρχαιρεσιῶν, ἃ κατὰ νόμους ἐχρῆν ἐπιτελεῖσθαι, οὔτε ἄλλο τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶν .. οὐθὲν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῆς ὑμετέρας γίνεται.

Digitized by Google

plebis igitur postquam iam antea in contionibus suffragia plebi tributim dare et ius cum plebe agendi usurpare conati erant, a. 471 adepti sunt potestatem creandorum magistratuum plebeiorum; praeterea habuerunt ius plebiscitorum ex Auct. Sen. et sine Auct. Sen. faciendorum, quod a. 449 confirmatum est lege Valeria Horatia [1]); etiam ius multae irrogandae iudicio plebis, quo iam antea usi erant tribuni pl., confirmatum esse videtur lege XII tabularum. Haec omnia autem quamquam a tribunis pl. *sine auspiciis* gerebantur, tamen nihil eos publice agere licebat contra auspicia (vid. Mnem. XVIII pag. 425), ab eo tempore certe quo publice confirmatum erat eorum ius agendi; itaque post a. 449 certe fieri potuit, ut aliquid ab eis *inauspicato* factum, plebiscitum *vitio* rogatum, magistratum *vitio* creatum esse declararent augures, et ob eam causam actio a senatu tolleretur [2]). — Haec concilia plebis igitur utrum iam ante annum 449 prohiberi potuerint nuntiatione fulminis quaesiti, necne, non facile indagetur, neque multum interest hoc scire [3]); id ex ea re pendet, utrum vis illa prohibens fulminis quaesiti de qua modo vidimus — quam ad comitia prohibenda iam diu tum valuisse constat — etiam ad concilia plebis iam ab initio, ante a. 449, pertinuisse putanda sit, an minus. Sed cum eam rem in medio relinquamus, tamen hoc considerandum est, vim prohibentem fulminis quaesiti, etiamsi iam ante a. 449 valuerit in concilia, tamen tum a patriciis solis, nullo modo vero ab ipsis tribunis plebis, potuisse adhiberi ad impediendas actiones

---

1) Liv. 3. 55. 3. Cfr. Mommsen St. 3 p. 157; Willems Sénat II p. 78 sq.; Soltau Gült. der Plebiscite (Berlin 1884) p. 135 sqq. — 2) Tribuni pl. *vitio* creati: Liv. 10. 47. 1, a. 293; aediles pl. *vitio* creati: Liv. 30. 39, a. 202; iudicium plebis quod *inauspicato* habitum esse dicitur: Gell. 6. 19. 5, cfr. Mnem. XVIII pag. 420. Quod Dionysius dicit (9. 41, p. 1855) concilia plebis habita esse *μήτε τῶν ἱερέων τε καὶ οἰωνοσκόπων ἐνιδεσιδάντων* (ad a. 473), id fortasse ad *pullarios* et auspicia *impetrita* referre licet; quod si voc. *ἱερεῖς* referendum potius videtur ad *augures*, fortasse Dionysius significare voluit, augures ab tribunis plebis vulgo (imprimis ante a. 449) non esse vocatos ad concilia (vid. Mnem. XVIII pag. 440); verum si Dionysius dicere voluit, augures etiam post a. 449 non potuisse decernere, concilium *vitio* habitum esse, erravit, Cicero etiam hanc sententiam diserte refutat, Mnem. XVIII p. 422 n. 5. — 3) Si liceat ad litteram interpretari verba Ciceronis quae sunt in Vat. 7. 17: *„eum quem post urbem conditam scias tribunum plebis egisse cum constaret servatum esse de caelo"*, ex eis deduci possit etiam ante a. 449 tribunos plebis non recusavisse quominus parerent obnuntiationi patriciorum.

Digitized by Google

tribunicias. Nam cum tribuni carerent omni spectione etiam sine nuntiatione, non publice tantum sed initio privatim quoque [1]), manifestum est, ne vim comitialem quidem auspicii caelestis eis potuisse in conciliis et comitiis praebere spectionem cum nuntiatione, quia omnino neque de caelo neque alio modo auspicari eis liceret. Sed hoc aliquando mutatum est; nemo nescit, postea saepissime „de caelo servasse" tribunos plebis, et collegis et consulibus obnuntiasse. Quo anno hoc mutatum esset, frustra quaereremus, nisi forte Zonaras servasset quod de ea re memoriae tradidit Dio Cassius. Huius testimonio constat, id mutatum esse ipso anno 449, eodem quo ius plebiscitorum faciendorum publice confirmatum est [2]). Tum tribunis plebis lege datum est ius de caelo auspicandi conciliorum et comitiorum causa, sive *spectio de caelo cum nuntiatione* (*οἰωνοσκοπίᾳ ἐν συλλόγοις χρῆσθαι*); sed ea spectio cum nuntiatione quam accipiebant tribuni erat arte facta et utilitatis causa inventa, nam per se stabat neque ut in reliquis magistratibus sponte oriebatur ex *spectione sine nuntiatione* coniuncta cum *vi comitiali fulminis;* hanc ipsam ob causam speciali lege opus erat ut eius participes fierent tribuni. Spectio sine nuntiatione tum etiam abnegata est tribunis, et ab hoc tempore multo firmius etiam quam antea ab eo iure prohibiti erant, quia lex cum alteram partem spectionis quae ad *nuntiandum* utilis esset diserte eis daret, tantum non disertis verbis abnuebat alteram quae utilis esset ad *auspicato agendum.* Nam *οἰωνοσκοπίαν* (i. e. spectionem) illam quam tribunis datam esse tradit Zonaras, non comprehendisse spectionem sine nuntiatione, ab ipso Zonara clare affirmatur cum addat eam *ἐν συλλόγοις* tantum adhiberi potuisse. Nam spectio sine nuntiatione non potest illis finibus circumscribi ut ad unum genus actionum publicarum vel privatarum solum pertineat; qui eam habet, ad totum ius suum agendi eam ad-

---

1) Liv 6 41. 5 sq. (a. 368) „nobis (patriciis) adeo propria sunt auspicia, ut ... privatim auspicia habeamus, quae isti ne in magistratibus quidem habent". — 2) Zonar. 7 19 pag. 348 C (a. 449): *οἱ εὐπατρίδαι ... καὶ τοὺς δημάρχους οἰωνοσκοπίᾳ ἐν συλλόγοις χρῆσθαι δεδώκασιν· ὃ λόγῳ μὲν τιμὴν αὐτοῖς ἔφερε καὶ ἀξίωμα, μόνοις γὰρ τοῦτο ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τοῖς εὐπατρίδαις ἐπετέτραπτο, ἔργῳ δὲ κώλυμα ἦν, ἵνα μὴ ῥᾳδίως οἱ δήμαρχοι καὶ τὸ πλῆθος ὅσα βούλοιντο πράττοιεν, ἀλλὰ προφάσει τῆς οἰωνοσκοπίας ἐστὶν οὗ ἐμποδίζοιντο.*

Digitized by Google

hibere potest et debet, itaque *hanc* non esse spectionem quam acceperunt tribuni ostendunt verba Zonarae; revera nemo nescit tribunis etiam postea haud magis licuisse auspicia impetrire propter concilia plebis quibus praeessent quam propter reliquas ipsorum actiones. Sed spectio, quae ad comitia et concilia sola pertinuisse dicatur, spectio cum nuntiatione fuerit necesse est (sive nuntiatio ex spectione), et de caelo quidem, nam auspicia caelestia sola, si quaesita et nuntiata erant, habebant vim singularem in comitia et concilia, quam non haberent in reliquas res, et quam non haberent reliqua auspicia; atqui ius adhibendi auspicia caelestia quaesita et nuntiata ad comitia et concilia est ipsa spectio de caelo cum nuntiatione. Praeterea Zonaras etiam hoc diligenter addit, quamquam eo ne opus quidem nobis est ad recte assequendam sententiam eius, hoc ius tribunis datum fuisse ut impedimento esset (ἔργῳ δὲ κώλυμα ἦν): spectio sine nuntiatione autem nemini potest impedimento esse [1]); sola spectio cum nuntiatione ad impediendum potest adhiberi, et, si ad comitia et concilia sola impedienda adhiberi potest, necesse est eam de caelo esse. Hoc ipsum autem quod tradit Zonaras probat verum esse quod modo affirmavi, vim prohibentem fulminis quaesiti iam diu ante a. 449 valuisse in comitia populi, non solum quia Zonaras dicit patricios ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου habuisse ius obnuntiandi comitiis, sed etiam quia necesse est spectionem de caelo cum nuntiatione *antea* ortam fuisse ex spectione sine nuntiatione coniuncta cum vi comitiali fulminis, quam potuerit per legem specialem traduci ad tribunos pl. Praeterea, si forte, quod supra in medio reliquimus, vis fulminis prohibens ante a. 449 *nondum* translata fuit ad concilia plebis, necesse est eam ex hac ipsa lege, quam Zonaras servavit, in concilia valere coepisse; quamquam verisimile est legem hoc non diserte constituisse, sed tacite id sumpsisse sine quo ipsa nulla esse posset. — Hunc locum Zonarae, quo *unus* tantum gravior et ad obnuntiationem Romanam cognoscendam utilior inveniri potest in litteris antiquis [2]), plerique viri docti eam ob causam reiece-

1) Fest. p. 333: „*privatis spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicato rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando*". — 2) Unus locus quem dico est *eiusdem Dionis*, 38. 13. 3 sq., quem supra attuli. Iure mireris inconstantiam virorum

Digitized by Google

runt, quia eum perperam interpretabantur vel quod potius dicam quia primum verbis Zonarae temere mutatis aut neglectis deinde sententiam comprobare non poterant quam ipsi in eum locum intulerant. Plerique enim perhibent Zonaram tradere, *spectionem* tribunis datam esse a. 449, et facile eum refutant, quia constat tribunos spectione (sine nuntiatione) publice semper caruisse. Inprimis improbanda est ratio quam secutus est Lange; is non solum intulit illam sententiam in verba Zonarae, sed etiam id, quod a Zonara ad a. 449 relatum esse contendit, ex levissima coniectura ipse rettulit ad a. 339, et tum id factum esse multis locis certis reiectis affirmavit, quod revera numquam factum esse constat [1]). Ei vero, qui concedere dubitant, iam a. 449 tribunis plebis datam esse potestatem tam longe pertinentem, qua ex suo arbitrio omnes actiones comitiorum et conciliorum diebus vitiandis possent impedire, non vident se in nugis offendi, cum obliviscantur tribunis plebis ab initio praesto fuisse alia impedimenta iusta multo etiam graviora, veluti *ius intercedendi comitiis*, quo tollerent omnes actiones populi exceptis dictatoriis; ius *contionandi* quo avocarent contiones ab omnibus magistratibus praeterquam a dictatoribus; *ius vetandi* quo senatum vocari [2]), comitia indici, dilectum haberi, alia publice agi, prohibere possent. Haec iura partim quidem usu et more, partim legibus, partim vero ipsa collegarum intercessione, definita et aliquatenus constricta fuerunt, ne eis nimis insolenter abuti possent tribuni plebis, qua de re nunc nobis agendum non est; sed cum constet, nullam actionem comitiorum a tribunis pl. obnuntiando potuisse prohiberi, quae non eadem ab eisdem intercedendo potuerit impediri, nihil est cur iam ab a. 449 ius obnuntiandi eis praesto fuisse incredibile sit. — Lex illa igitur anni 449 ius tribunorum plebis in hac parte aequavit iuri reliquorum magistratuum, quo nunc revertimur.

---

doctorum qui quidquid ex hoc loco peti potest diligenter afferre solent, quamvis multa insint quae ab aliis auctoribus non tradantur, sed alterum illum locum suo iure spernere aut mutilare posse sibi videntur, quia Dio solus auctor sit. — 1) Lange Röm. Alt. 1 p. 829 sq. — Soltau (Gültigkeit der Plebiscite p. 65 n. 1) ipse demonstravit, coniecturam suam qua assecutus est, legem illam a Zonara servatam rettulisse ad concilia plebis vim prohibentem auspiciorum *inter actionem* fortuito observatorum et ab augure nuntiatorum, refutari verbis Zonarae. — 2) Cfr. Polyb. 6. 16.

Digitized by Google

III. Tertium quod proprium fuit huic rationi obnuntiandi, cernitur in temporibus constitutis, et in consuetudine per edictum obnuntiandi. — Ut antea demonstravi, obnuntiatio fulminis aut tonitrus fortuito oblati (non secus quam aliorum eiusmodi auspiciorum, avium obscenarum super Campo aut foro volitantium, hominis morbo comitiali correpti, et quidquid praeterea eo pertinebat), quae non cogens erat si fiebat a privatis aut magistratibus, cogens vero si fiebat ab auguribus, non poterat interponi nisi post initium, ante finem comitiorum, et ipsum auspicium etiam conspectum esse dici debebat inter comitia [1]); hoc ipsum fuit pignus veritatis huius obnuntiationis, quo constabat augurem non esse clam auspicatum (i. e. non finxisse auspicium). E contrario, obnuntiatio fulminis quaesiti (sive „ex spectione") interponeretur necesse erat ante initium comitiorum; inter comitia neque de caelo auspicari neque nuntiare licebat; si quis, etiam cui praeterea ius esset obnuntiandi, hoc facere conabatur inter comitia, magistratus ei respondere debebat id verum non esse quod diceret, se auspicatum esse; hoc etiamsi fortasse lege Aelia et Fufia demum diserte confirmatum est, tamen quin ab antiquissimo tempore observatum fuerit dubium non est [2]). — Ex his autem quae diximus, fulmen quaesitum ad comitia ita tantum pertinuisse si ante comitia, fulmen fortuito conspectum vero ita tantum si inter co-

---

1) Vid. Mnemos XVIII p. 447—449. Addendus est locus qui clare ostendit augures non potuisse obnuntiare antequam comitia inita essent, Cic. leg. 2. 12. 31: „quid enim maius est, si de iure (augurum) quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel *instituta dimittere* vel habita rescindere?". Cfr Liv. 1. 36. 6: „ut concilia populi ... ubi aves non admisissent, *dirimerentur*". — 2) Cic. Phil. 2. 32. 81: „de caelo servare, quod neque licet comitiis (= inter comitia) per leges, et, si qui servavit, priusquam habeantur comitia debet nuntiare". Vid. Mnemos. XVIII pag. 449 adn. 2 et 3. Addendus est locus Ciceronis qui clare ostendit magistratibus obnuntiatum esse ante comitia inita, Cic. Vat. 6. 15: „quaero ... num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium *advocares* legemque ferres, quod eo die scires de caelo esse servatum?" — Obnuntiationem quam magistratus edit postquam inita sunt comitia (*ἐν τῇ χειροτονίᾳ*), *non* necessem esse necesse est; hoc confirmatur loco Appiani (8. 7), ubi tribunus plebis *ἐν τῇ χειροτονίᾳ ψεύσασθαι περὶ διοσημίας* conatus (et id quidem a. 44, quo tempore lex vetabat de caelo servari cum leges ferrentur), non confisus esse dicitur potestati cogenti suae obnuntiationis, sed auxilio auguris praesentis Antonii, quem suam obnuntiationem non cogentem confirmaturum esse speraret.

Digitized by Google

mitia observatum esset, sequitur ut efficiamus, fulmen quod noctu aut mane factum esset antequam comitia haberentur, etiamsi observatum esset ab omnibus civibus, nihil valuisse ad comitia impedienda, si nemo esset qui tum ipsum forte comitiorum causa de caelo auspicaretur, et is qui comitia habiturus erat id ad se non pertinere sentiret. Nam huiusmodi fulmen non necessario turbabat auspicium eius qui cum populo acturus erat, si is observationem impetritorum tum forte iam absolverat aut nondum inchoaverat; tribuno plebis cum plebe acturo, quia is concilii causa omnino non auspicabatur, utique liberum erat repudiare auspicium. Neque huiusmodi fulmen a quoquam cum effectu nuntiari poterat, cui ius non esset de caelo auspicandi. Nam si cogitari posset aliquem inter comitia ad magistratum accedentem dicere: „hac nocte fulmen observavi", magistratus ei responsurus fuisset, illud fulmen, quod quin factum esset non dubitaret, se iudice nihil pertinere ad suam actionem; sin vero sumeremus eundem hominem (spectione carentem) dixisse ante comitia: „hac nocte de caelo servavi", magistratum respondendum fuisse novimus id verum non esse, neque fulmen illud quod nuntiaret ei esse a deis comitiorum causa monstratum, quia ius ei non esset hoc auspicium quaerere.

Hic locus autem idoneus videtur quo inseram aliquot locos scriptorum, et aliquot exempla memoriae tradita, in conspectum redacta, quae pertinent ad obnuntiationem cogentem augurum et ad obnuntiationem non cogentem privatorum, ut confirmem quod dixi, utramque *inter* comitia fuisse interponendam. Ad privatorum obnuntiationem etiam referam obnuntiationes non cogentes a magistratibus factas eo tempore, cum lex Clodia anni 58 (de qua postea agam) interdixisset ne quis de caelo servaret cum lex aut plebiscitum ferretur, quo tempore simul (Aelia et Fufia a Clodio sublata) permissum fuit magistratibus de caelo servare cum magistratus crearentur, quod ante a. 58 interdictum fuit. Nam magistratus qui adversus legem Clodiam obnuntiat, iure nihil differt a privato.

Ad augures igitur pertinent hi loci:

1° Cic. leg. 2. 12. 31 (pag. 93 n. 1).

2° Varr. l.l. 7. 96 (Mnem. XVII p. 319 n. 4).

3° Dio 37. 27. 3; a. 63 Cicerone et Antonio cos. Comitia

Digitized by Google

centuriata habebat C. Iulius Caesar IIvir perduellionis, quibus iudicaret populus de C. Rabirio; haec comitia Q. Metellus Celer qui tamquam augur aderat, idem praetor, voce edita *alio die* conatus est disturbare; qui cum rationem suam non haberi videret, in Arcem properavit et vexillum russeum sua manu abstulit, quo facto comitia iussu M. Ciceronis consulis sublata sunt (cfr. Cic. pro Rab. 3. 12).

4° De obnuntiatione quam Appium Claudium augurem, eundem praetorem, a. 57 interponere in animo habuisse tradat Cicero (Sest. 36. 78), cum lex Fabricia ferretur de Cicerone revocando, postea videbimus initio cap. IV.

5° [Huc pertinere videtur quod narrat Dio 39. 19. 3, Clodium a. 56 prohibuisse quominus lex curiata de imperio (non consulum, sed ceterorum magistratuum ut Dio indicare videtur) ferretur; si quidem recte supra coniecimus, App. Claudium augurem fratri gratificantem obnuntiando moram attulisse, Mnem. XVIII p. 230 n. 3. Eo anno C. Claudius frater Clodii praetor fuit; hic fortasse ferebat legem curiatam. Lex certe non multum ultra a. d. XI kal. Febr. dilata est, quo die Clodius aedilis curulis creatus est, nam Clodius statim Miloni diem dixit, quod sine lege curiata facere non poterat.]

6° Plut. Cat. min. 42. A. 55, Pompeio et Crasso cos., comitia centuriata, quae habebantur praetoribus creandis, diremta sunt a Pompeio cum iam renuntiata esset centuria praerogativa, quod tonitru auditum esset; et ea ratione cautum est ne crearetur M. Porcius Cato candidatus, quem praetorem fecerat praerogativa, cum consules faverent eius competitori Vatinio. Necesse autem est ut statuamus, Pompeium *tamquam augurem* adfuisse, et comitia habita esse a Crasso; nam si Pompeius dimisisset comitia quibus ipse praeesset, rationem non reddidisset civibus se id facere propter auspicia; apparet Pompeium praerogativa renuntiata *alio die* dixisse; *ὡς ἥ τε πρώτη κληθεῖσα τῶν Φυλῶν ἐκεῖνον ἀπέδειξεν, ἐξαίφνης ὁ Πομπήιος βροντῆς ἀκηκοέναι ψευσάμενος αἴσχιστα διέλυσε τὴν ἐκκλησίαν, εἰθισμένων ἀΦοσιοῦσθαι τὰ τοιαῦτα καὶ μηδὲν ἐπικυροῦν διοσημίας γενομένης*. Cfr. Plut. Pomp. 52.

7° Cic. Phil. 2. 33. 82 sq. A. 44 Caesare et Antonio consulibus. Comitia consularia quae a Caesare habebantur dirimere conatus est Antonius qui tamquam augur aderat, voce edita

Digitized by Google

alio die, quam edidit cum iam renuntiata essent suffragia praerogativae et primae classis et sex suffragia equitum; si Antonius etiam secundam classem renuntiari passus esset; negotium confectum esset. — Antonius autem etiam tamquam consul obnuntiare potuerat, nam propter legem Clodiam, quae sustulerat Aeliam et Fufiam, eo tempore cogentes factae erant obnuntiationes magistratuum cum magistratus crearentur, et Cicero hoc ei licuisse diserte affirmat. Sed causa cur Antonius maluerit tamquam augur obnuntiare, haec ipsa est, quod consules, qui obnuntiabant ex spectione, per formulam „de caelo servavi", id facere debebant ante comitia inita (p. 93 adn. 2), augures vero, qui obnuntiabant ex auspiciis fortuito conspectis, per formulam „alio die", id facere debebant inter comitia. Antonio autem minime propositum erat prohibere ne ulla comitia consularia fierent, sed prohibere solum volebat, ne, *Dolabella* consul fieret, quod is contra legem, neque praetura functus neque aetatem legitimam nactus, peteret. Itaque Antonius, qui antea de ea re admonuerat Caesarem, expectare debebat quid facturus esset Caesar si centuria praerogativa consulem fecisset Dolabellam; quodsi tum futurum erat ut Caesarem suffragium praerogativae repudiare, Dolabellae rationem non habere, videret, quieturus erat; sin vero Dolabellae nomen accipi videret, obnuntiaturus erat. Hanc ob causam obnuntiatio auguralis sola ei utilis erat, quia *ad ipsum discrimen renuntiationis* differre debebat obnuntiationem. Cicero consulto simulat se hoc non perspicere, neque agnoscit eam rationem Antonii, quod eam probam non esse iure censet; hanc ob causam rem tribuit „incredibili stupiditati hominis", qui nesciret se „etiam facilius" obnuntiare potuisse tamquam consulem. — Similis causa fuit Pompeio a. 56 (supr. sub 6[m]) cur expectaret suffragium praerogativae.

8[o] Appian. b. c. 3. 7; a. 44, Antonio et Dolabella cos. — Dolabellae comitia habenti quibus legem de provincia sua perferret, Antonius tamquam augur praesto erat. Asprenas autem, tribunus pl., cum his comitiis τῆς χειροτονίας οὔσης obnuntiare conaretur, traditur speravisse fore ut suam nuntiationem confirmaret Antonius, quem Dolabellae etiam iratum esse volgo crederent. Vid. infr. sub 14[o].

9[o] E contraria parte in auguris potestate etiam erat, si

Digitized by Google

sacerdotio suo abuti vellet, fulmen, quod inter comitia fieret, neglegere quasi factum non esset; tum comitia, si eisdem consiliis favebat magistratus, ad finem perduci poterant. Hoc factum esse traditur a. 49 cum Caesar et Servilius consules crearentur, ipso Caesare dictatore comitia habente; obnuntiatio cogens, quam lex Clodia permiserat magistratibus, in eum diem edicto dictatoris sublata erat; comitia ad finem perducta sunt cum fulmen quod superveniret ab auguribus neglegeretur; Luc. Phars. 5. 395: „nec caelum servare licet (magistratibus), tonat augure surdo". — Etiam a. 44, cum tribuni pl. legem de provinciis ferrent, neque cogentes essent obnuntiationes propter legem Clodiam, fulmen ab augure (Antonio) neglectum esse affirmat Cic. Phil. 5. 3. 8.

Alios locos nunc omitto, quibus comitia signis caelestibus aut diris disturbata quidem esse traduntur, sed obnuntiationis auguralis nulla mentio diserta facta est [1]). — Causa autem, cur tam paucis locis memoretur haec potestas impediendi, et tam raro in magno discrimine rerum eam adhibuerint augures ad tuenda consilia publica ipsis probata in contentionibus partium, haec est quod, ut iam antea monui (Mnem. XVIII p. 450), eo telo libere uti non potuerunt augures, quia oportebat eos sequi veritatem auspiciorum neque occulta manere poterat fraus si quid ab eis fictum esset; hanc infamiam igitur omnes augures evitaverunt praeter paucos illos quos dixi. Quam nullius fere utilitatis hoc ius augurum fuerit ad res pro arbitrio gerendas, eo tempore certe quo palam religione abuti etiam puderet sacerdotes, imprimis ostendit exemplum Q. Fabii Maximi consulis a. 233, qui, cum tamquam consul non posset prohibere Flaminium legem agrariam ferre, ne conatus quidem sit tamquam augur disturbare concilium, adhibita falsa obnuntiatione. — Animadverto etiam, id quod antea (Mnem. XVIII p. 454 adn. 2) dixerim, augures *pro suo arbitrio* in auspicio esse potuisse cum comitia haberentur, prorsus confirmari, ac primum quidem loco sub 7° allato; Antonius, qui iam multo ante prae se tulisse traditur, se adhibiturum esse potestatem sacerdotii sui ad

1) Schol. Cic. p. 337; Liv. 40. 59; 40. 42. 10; Plut. C. Gr. 14; App. 1. 78; Dio [illegible]; Tac. Hist. 1. 18.

Digitized by Google

prohibendum consulatum Dolabellae (Cic. Phil. 2. 32. 80), certe non a Caesare *vocatus* est ut in auspicio esset; deinde loco sub 3° allato, ubi apparet Metellum Caesari *invito* in auspicio fuisse. Etiam Pompeium a. 59 non coactum sed sua sponte Caesari legem curiatam de Clodio ferenti in auspicio fuisse, probant criminationes quibus Cicero hanc ob causam perstringit Pompeium, Att. 2. 9. 1; 2. 12 1; 2. 21. 4.

Deinde ad privatos pertinent hi loci:

10° Cic. Vat. 7. 16: „tribunus pl. fuisti; collegas habuisti viros fortes novem. Ex eis tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de caelo, quos irridebas, quos *privatos esse* dicebas".

11° Appian. b. c. 1. 30. A. 100, Mario et Flacco cos. Cum legem agrariam ferret Appuleius trib. pl., discidium ortum est in concilio; tribuni plebis qui legi repugnabant effugerunt e templo (rostris); plebs urbana, quae legem impediri cupiebat, clamabat tonitru factum esse *inter comitia* (ὁ δὲ πολιτικὸς ὄχλος ἐβόα ὡς γενομένης ἐν ἐκκλησίᾳ βροντῆς, ὅθεν οὐ θέμις ἐστὶ Ῥωμαίοις οὐδὲν ἔτι κυροῦν); quae nuntiatio cum repudiaretur, plebs urbana in Appuleium coorta eumque de templo deicere conata superatur et pellitur a plebe rustica quae legi favebat; ita lex perfertur. Post dies quinque Marius consul in senatu declaravit, se iuraturum esse in legem illam quatenus lex ea esset, ᾗ νόμος ἐστί, — ὕστερον δ' οὐ δυσχερῶς ἐπιδείξειν ὅτι οὐκ ἔστι νόμος ὁ πρὸς βίαν τε καὶ βροντῆς ὠνομασμένης κεκυρωμένος παρὰ τὰ πάτρια. Cfr. Liv. epit. 69, Cic. Sest. 16. 37: „legem per vim latam".

12° Plut. Cat. min. 43, Dio 39. 55. 5; a. 55, Pompeio et Crasso cos. Cum in concilio faventibus consulibus ferretur lex Trebonia de imperio consulum, M. Porcius Cato *privatus* eam legem impedire conatus est; ei auxilio fuerunt duo tribuni plebis C. Ateius Capito et P. Aquilius Gallus, et M. Favonius privatus. Hi primum diem concilio constitutum dicendo exemerunt (Dio 39. 34, Plut. C. min. 43), deinde, cum prodicta dies esset, in eum diem varia moliti sunt ne a foro excluderentur; Gallus noctu in curia consedit, sed postero die exire non potuit cum portas claussisset Trebonius; Ateius et Cato et Favonius, qui noctu rostra occupaverant, vi inde pulsi sunt ab eodem; tum Cato et Ateius in forum redierunt cum iam initum esset concilium, et magna voce clamare coeperunt fulmen factum

Digitized by Google

esse; sed neque Pompeius augur neque Trebonius huius nuntiationis rationem habuerunt; Cato et Ateius mox de foro pulsi sunt ab administris Trebonii quod molesti essent, neque pauci in hoc tumultu vulnerati; ita lex perlata est. Plutarchus solum Catonem obnuntiasse scribit, Cat. min. 43: *αὐτὸν δὲ τὸν Κάτωνα βροντὴν γεγονέναι βοῶντα τῆς ἀγορᾶς ἐκβαλόντες, οὐκ ὀλίγους δὲ τρώσαντες, βίᾳ τὸν νόμον ἐκύρωσαν.* Dio tradit, Ateium tr. pl. quoque fulmen nuntiasse: *ὁ δὲ δὴ Κ. καὶ ὁ Ἀ., ἐπαναβάντες τισὶ τῶν περιεστηκότων καὶ μετεωρισθέντες ὑπ' αὐτῶν, διοσημίαν, ὡς καὶ διαλύσοντές σφας, ἐφήμιζον.* Manifestum est, obnuntiationem ab Ateio trib. pl. factam non magis cogentem fuisse quam a Catone. Sed nihil perversius est quam opinari, Ateium cum fulmen nuntiaret „non observasse" legem Clodiam, aut Pompeium augurem, si forte confirmavisset eius nuntiationem, et Trebonium tr. pl., si eam accepisset, „non observaturos" fuisse legem Clodiam. Nam lex Clodia neminem vetuit nuntiare aut nuntiationem accipere, sed solum obnuntiationem tribuniciam, quae antea fuerat cogens, non cogentem et privatae obnuntiationi similem reddidit, cum leges ferrentur; praeterea ea lex magistratus vetuit, cum leges ferrentur, adhibere eam formulam quae ad obnuntiationem cogentem solam pertineret, „de caelo servavi".

13° Cic. Sest. 36. 78 (vid. supr. sub 4°). Appius Claudius, si, ut Cicero dicit, tamquam *praetor* obnuntiare voluit cum ferretur lex Fabricia a. 57, nihil egerit necesse est, cum lex Clodia permitteret Fabricio eam obnuntiationem quasi a privato facta esset neglegere.

14° Appian. b. c. 3. 7, a. 44 (vid. supr. sub 8°): *οἱ μὲν δὴ* (optimates) *τῶν δημάρχων τινὰ Ἀσπρήναν* (C. Nonium Asprenatem tr. pl.) *ἔπεισαν ἐν τῇ χειροτονίᾳ ψεύσασθαι περὶ διοσημίας, ἐλπίσαντές τι καὶ Ἀντώνιον συμπράξειν, ὕπατόν τε ὄντα καὶ τῶν σημείων ἱερέα, καὶ διάφορον ἔτι νομιζόμενον εἶναι τῷ Δολοβέλλᾳ· ὁ δ' Ἀντώνιος, ἐπεὶ τῆς χειροτονίας οὔσης ὁ Ἀσπρήνας ἔφη διοσημίαν ἀπαίσιον γεγονέναι, ἔθους ὄντος ἑτέρους ἐπὶ τοῦτο πέμπεσθαι, πάνυ χαλεψάμενος τῷ Ἀσπρήνᾳ τοῦ ψεύσματος τὰς Φυλὰς ἐκέλευε χειροτονεῖν περὶ τοῦ Δολοβέλλα.* Asprenas tr. pl. cum fulmen nuntiaret *ἐν τῇ χειροτονίᾳ*, non neglexit legem Clodiam (nam minime dixit se de caelo servasse, neque id dicere potuit

Digitized by Google

inter comitia), sed adhibuit id ius nuntiandi quo omnes privati semper usi sunt, quod nulla lex umquam sustulit, cum semper licuerit omnibus admonere magistratum agentem de aliqua re quae auspicium esse videretur; hanc admonitionem Dolabella et Antonius suo iure reiecerunt. Sed tamen Asprenas iustam causam irae insuper praebuit Antonio, quia hoc munus nuntiandi et admonendi de re observata ad *privatos* more pertinebat; si cives aliquid mali ominis animadverterant quod magistratum et augurem fugisse videbatur, oportebat quidem ab eis ad tribunal magistratus mitti qui admonerent, sed *privatos* tantum mitti decebat (ἔθους ὄντος ἑτέρους — privatos — ἐπὶ τοῦτο πέμπεσθαι). Itaque cum tribunus pl., et solus quidem, nuntiatum veniret, is auctoritate sua tribunicia abuti videbatur hoc consilio ut augur ei fidem recusare vix posset; et eo maior erat suspicio eum non religione motum nuntiare quod sentire sibi visus esset, sed quod studio partium ductus finxisset.

Ante legem Clodiam a. 58 latam, obnuntiationes magistratuum cogentes fuerunt cum leges ferrentur, neque umquam accidit ut neglegerentur, praeterquam a Vatinio et Caesare a. 59, cum ferrentur leges Vatiniae (Cic. Vat. 7. 16; Att. 2. 9. 1; Sest. 53. 114) et Iuliae nonnullae (Cic. har. resp. 23. 48; dom. 15. 40; lex curiata de arrogatione Clodii: Cic. prov. cons. 19. 45; lex agraria: Suet. Caes. 20; lex de rege Alexandrino: Cic. Att. 2. 16. 2); ob eam causam omnes hae leges *vitio* factae esse dicebantur. Post a. 58 vero, cum obnuntiationes magistratuum factae essent cogentes cum magistratus crearentur (sublata Aelia et Fufia), saepissime creationes magistratuum obnuntiatione impeditae sunt, sed leges non amplius potuerunt vitiari obnuntiatione spreta. Nihilominus optimates, quibus displicebat lex Clodia, si legem aliquam vitiatam non esse statuebant, hoc tribuere solebant huic rei „quia nemo de caelo tum servarat", non vero verae causae, quod „de caelo servare non liceret"; vid. ex. gr. Cic. prov. cons. 19. 45. Quod si cui afferre placet tamquam argumentum, optimates *non observasse* legem Clodiam, per me licet, modo animadvertatur, *verbis* id tantum contineri, neque umquam *factis* neglectam esse legem Clodiam. Revera hoc modo Cicero imprimis solet *verbis* non servare legem Clodiam, i. e. numquam eius mentionem facit tamquam legis, vid. supr. pag. 81

Digitized by Google

adn. 1; eodem modo quo Cato praetor a. 54 *non servare* solebat legem Iuliam de repetundis, ita scilicet, ut ex ea lege ius diceret quidem sed numquam eius mentionem faceret, quod sane ridiculum erat, Dio 38. 7. 6 [1]).

Itaque his ad finem perductis, revertimur ad obnuntiationes illas describendas quae valerent spectione et iure magistratuum. Solebant autem ei qui pro iure suo obnuntiare vellent, cum se noctu aut mane de caelo auspicatos esse prae se ferrent, expectare dum is qui comitia habiturus erat, tabernaculo relicto et destructo, comitia parare et templum (i. e. tribunal) [2]) facere coeperat, et iam in eo erat ut rogationem recitaret et comitia habere inciperet; tum ad tribunal eius accedentes ibi magna voce exclamabant „de caelo servavi". Hoc est „in templo obnuntiare" [3]). Nam cum obnuntiatio non valeret nisi a praesente ad praesentem pronuntiaretur formula prohibens, haec formula pronuntianda erat in aliquo loco in quo brevi ante comitia versaretur is qui acturus esset; hanc ob causam obnuntiantes vulgo ad templum (tribunal) comitiale accedebant, quia certo sciebant se ibi ante comitia deprehensuros esse hominem cui obnuntiare volebant, et quia magnum periculum erat ne forte in alio loco eum deprehendere conati, primum frustra tempus tererent, deinde ad comitia *sero* venirent, quia actione inita non amplius licebat obnuntiare. Sed praeterea nulla causa erat, si magistratum in alio loco antea deprehendere poterant, cur non ibi formulam pronuntiarent. Hac ratione intellegitur, qualis fuerit dolus Metelli consulis (a. 57), quo is eludere frustra conaretur obnuntiationem Milonis, de qua re Cicero ridens Atticum certiorem fecit. Metellus cs. enim primum postulaverat (quamquam Milo iam antea per edictum ei obnuntiaverat), ut Milo praesens sibi obnuntiaret, et in eo loco quidem ubi assoleret, scil. in templo (tribunali) quod in Campo Martio comitiorum causa faciendum erat. Itaque a. d. XII kal. Dec. Milo tempore

---

1) Hanc legem Iuliam Bibulus procs., potentia sua fretus, etiam *factis* non servare ausus est, Cic. fam. 2. 17. 2, neque dubium est, quin, si ea lege esset accusatus, futurum fuisset ut condemnaretur. — 2) Cfr. Varro l l. 6. 87: „ubi *templum* factum est, post tum conventionem habet". — 3) Cfr. Cic. Sest. 87. 79: „itaque fretus sanctitate tribunatus venit in templum Castoris, obnuntiavit consuli". Exempla multa sunt.

Digitized by Google

in Campo adfuerat, et postquam magna manu armatorum Clodium candidatum terruerat, obnuntiaverat. Sed tum Metellus consul, qui postridie iterum conari volebat comitia habere, Miloni pollicitus erat se ei postridie mane *in foro* copiam sui facturum esse, antequam in Campum se conferret; specie Miloni hac re facilem se praebebat consul, quia ita Miloni opus non erat armatos parare et Clodio restistere. Sed Metellus promisso non stabat, et cum a. d. XI kal. Dec. *in foro* eum exspectaret Milo inermis, ipse furtim „itineribus prope deviis" in Campum properabat, sperans fore ut Milo sine praesidiis in Campum venire ne auderet, utque ipse comitia inchoasset antequam Milo armatos conquirere et in Campum cum eis advenire posset. Sed res parum ei successit; Milo fraude cognita, cum certior factus esset consulem forum sedulo evitare, ipse quamquam ad pugnam paratus non erat tamen summa festinatione consulem persecutus, eum in via deprehendit antequam consul in Campum adveniret et praesidiis Clodii tutus esset, et iterum ei obnuntiavit, in loco qui dicebatur „inter (duos?) lucos". Paucis diebus postea autem, a. d. VIII kal. Dec., cum comitia denuo habiturus esset consul, Milo rursus Campum de nocte cum armatis tenere non supersedit [1]). — Hunc locum vix satis explicare potuerunt qui perspectum non haberent, obnuntiationem quae *ex spectione* fieret comitiis interponere non licere; ea res hoc loco mirifice confirmatur.

Sed eos qui pro iure spectionis diem aliquem obnuntiando vitiare volebant, minime necesse erat die ipso expectato tum demum in templo obnuntiare, neque oportebat id facere. Nam quod eo die se fecisse prae se ferebant in templo, scil. se de caelo servasse, id se facturos esse iam antea noverant, itaque

---

1) Cic. Att. 4. 3. 3 sq.: „(*Milo* — sic recte supplevit v. cl. Boot) .... *proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo servaturum .... Haec tamen summa: nisi Milo in Campo obnuntiasset, comitia futura (erant). Ante diem XII Kal. Dec. Milo media nocte cum magna manu in Campum venit: Clodius cum haberet fugitivorum delectas copias, in Campum ire non est ausus .... Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse, quod in Campum nocte veniretur; se hora prima in Comitio fore. Itaque a. d. XI Kal. in Comitium Milo de nocte venit: Metellus cum prima luce furtim in Campum itineribus prope deviis currebat; assequitur inter lucos hominem Milo, obnuntiat. Ille* (consul) *se recepit .... Ante diem VIII Kal. haec ego scribebam hora noctis nona; Milo Campum iam tenebat*".

Digitized by Google

poterant etiam antea id prae se ferre et palam facere. Ex ea re autem multae utilitates suscipi poterant; primum ab eo qui eo die comitia habiturus erat; is enim si antea cognoverat aliquem eo die de caelo servaturum esse, poterat differre comitia et supersedere multis molestiis minime necessariis; deinde ab eo qui obnuntiabat, quia, si comitia differebantur ab illo, ipsi opus non erat committere ut praeter opinionem civium disturbaret comitia vocata, quod quin multis ingratum esset fieri non poterat; denique a civibus, qui ne frustra convenirent et re infecta dimitterentur hac ratione caveri poterat. Inde factum est ut in mores publicos reciperetur ut magistratus qui de caelo servare vellent hoc se in animo habere palam facerent edicto proposito. Hoc est „obnuntiare per edictum", quod oppositum est illi quod est „obnuntiare in templo" [1]). Iamvero nemo opinor concedere mihi dubitaverit, multo melius magisque ex dignitate cum sua tum eius qui acturus erat tum vero inprimis totius civitatis egisse eum qui edictum tempore proponeret, quam qui id omitteret; et propter eas rationes quidem quas dixi. Sed ad has rationes etiam alia causa addenda est, cur praestaret edicere. Obnuntiatio enim, ut iam supra indicavi, hoc consilio instituta est ut magistratus per eam tuerentur actiones suas necessarias, et *propter eas* reprimerent comitiatus qui eo die molesti esse possent. Minime decebat eos uti obnuntiatione sine eiusmodi causa ex suis actionibus petita, quia si tali causa carebant, ad obnuntiandum adducti essent necesse erat hoc consilio ut civitatem id decernere prohiberent quod in comitiis eo die decretura fuerat, quod consilium repugnabat naturae obnuntiationis (supr. pag. 85). Hac re inprimis differt obnuntiatio ab intercessione. Utraque quidem nititur impediendi voluntate; sed in intercessione eam susceptam esse oportet ex iudicio quod quis tulerit de utilitate et de vitiis illius rei quae ad populum fertur; de eis autem recte iudicari a magistratu non potest, nisi auditis argumentis quae ad suadendum et dissuadendum proferantur, neque oportet eum intercessione prae-

1) Fieri potest ut antiquioribus temporibus, cum edicta scripta minus crebra essent, magistratus satis haberent verbo sive in senatu sive alibi publice patefecisse consilium suum; sed mihi hoc distinguendum non esse putavi, et id quoque si umquam factum est comprehendam vocabulo „per edictum".

Digitized by Google

mature interposita prohibere quominus haec satis exponantur; praeterea decet eum expectare dum sciat num forte ipsi cives ultro repudient rogationem, ne cupide civibus eripere videatur summum arbitrium; itaque consuetudo *vetat* intercedi antequam vocentur tribus aut centuriae, et *sinit* intercessionem differri ad ipsum momentum quo renuntientur suffragia tribuum aut centuriarum [1]). In obnuntiatione vero voluntatem impediendi niti oportet voluntate illius diei liberi faciendi a comitiatu, ut copia sit gerendae alius actionis quam dei auspicio maximo approbaverunt. Quod omnium turpissimum esset, ut is qui posset obnuntiare hoc differret dum suffragia renuntiari coepissent, ut sciret quid civitas esset decretura, utque si hoc ei placeret ab obnuntiatione desisteret, sin vero displiceret, asseveraret se eo die auspicatum esse, hoc ne fieret ipsa lex satis providit, cum vetaret *inter comitia* obnuntiari (quod solus facere potest augur, sed is rursus non potest auspicari et sequi debet auspicia vere ab omnibus visa) [2]); verum eandem ob causam magistratum non decet, obnuntiationem differre ad ultimum temporis momentum quo obnuntiare liceat, ne omnibus manifestum sit eum antea explorare voluisse animos civium ut pro eventu abuteretur auspiciis. Nam quamquam edictum tempore propositum non sufficit ad omnem suspicionem tollendam, obnuntiationem sine iusta causa fieri, tamen eum certe, qui omiserit edictum, iusta causa carere constat; ad hanc invidiam arcendam igitur, opus est edicto. His rationibus convenit quod Dio testatur, antiquum morem tulisse ut ei, qui comitiatum auspiciis impedire vellent, hoc per edictum antea propositum facerent, neque in templo obnuntiarent; Dio enim, cum describat hanc obnuntiationem, illo modo obnuntiandi in templo omnino non memorato, de edicto solo mentionem facit [3]). — Verum ipsam illam suspicio-

---

1) Liv. 45. 21: »cum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset, eoque persaepe evenisset, ut et qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex oratione dissuadentium, intercederent, et qui ad intercedendum venissent desisterent victi auctoritatibus suadentium legem". — Exempla intercessionis in ipso momento renuntiationis interpositae crebra extant. — 2) Vid. supr. pag. 95 sub 7°. — 3) Dio 38. 13. 5: *ἐπεὶ οὖν πολλοὶ ἐμποδίζειν ἢ νόμων εἰσφορὰς ἢ ἀρχόντων καταστάσεις ἐς τὸν δῆμον ἐσαγομένας βουλόμενοι, προεπήγγελλον ὡς καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενοι, ὥστε μηδεμίαν ἐν αὐτῇ κύρωσιν τὸν δῆμον σχεῖν.*

Digitized by Google

nem prorsus per edictum tollere poterant magistratus patricii, si hoc edicto quo obnuntiarent simul utebantur ad cives de actione sua propter quam de caelo servandum esset certiores faciendos; pleraeque actiones enim quae publice gerendae erant ante aliquod temporis spatium per edictum civibus indici solebant, itaque licebat eis edicere: *„se illo die illud acturos esse, seque huius rei causa de caelo esse servaturos"*. Hoc non solum adhiberi poterat ad eas actiones, quas sine fulmine impetrito recte haberi non posse nemo nesciebat (veluti *censum*), sed etiam ad eas de quibus ceteroquin fulmen impetriri non solebat (quo *dilectum* referre velim), si metus erat ne in eum diem comitia indicerentur. In huiusmodi edicto comitiatus ipse, qui ne eo die haberi posset revera cavebatur, tamen ne verbo quidem commemorabatur, neque apparebat magistratum, qui *agendi* potius quam *prohibendi* causa de caelo servaturus esse videbatur, de eo prohibendo cogitavisse. Hoc in tribunos plebis non itidem cadebat; fieri quidem poterat ut his quoque ut comitia reprimerentur cordi esset propter actionem quam ipsi gerere animum induxerant, aut propter actionem magistratus alicuius minoris quam comitiatui non cedere debere censerent, sed hi id in edicto declarare non poterant, quia suarum actionum causa non poterant auspicari; horum edictum huiusmodi tantum esse poterat: *„se illo die de caelo esse servaturos"*, et ad prohibendum semper spectabat, non ad agendum. Sed tribunis pl. non erat eadem causa cur evitarent illam suspicionem, quia non solum „antiquitus creati essent intercessionibus faciendis" [1]), sed etiam hoc ius ipsum auspicandi lege speciali ita adepti essent, ut vix tectum esse posset consilium quo accepissent, scil. ut impedirent comitia et concilia quae suis consiliis politicis molesta essent. Itaque tribuni plebis satisfacere videbantur dignitati reipublicae, modo ne omisso edicto *palam* prae se ferrent se sine causa iusta obnuntiare; magistratibus patriciis vero, quamvis iure et potestate pro arbitrio obnuntiandi hi quoque non carerent, tamen *moribus* numquam concessum fuit ut edicerent se de caelo esse servaturos non adscripta causa ex suis actionibus petita. Quem hoc fecisse memoriae traditum est primus

1) Gell. 13. 12. 9.

Digitized by Google

fuit M. Bibulus consul a. 59 [1]), qui postquam iam antea, etiam primus ut videtur, eo processerat, a Caesare coactus, ut edicto non praemisso obnuntiaret huius legi agrariae, postea omnes dies comitiales quibus agere volebat Caesar per edicta ei eripere conatus est sine ulla iusta causa ad suas actiones pertinente [2]); postea alii fortasse fuerunt magistratus patricii qui eius exemplum secuti edicerent nulla causa adscripta. Sed quod etiam Bibulum consulem primum fecisse verisimile est, ut edicto nullo praemisso statim in templo obnuntiaret legi (agrariae), id numquam ne in tribunis pl. quidem comprobatum fuit; hos etiam in temporibus turbulentis, quae fuerunt post a. 59, antiquum morem observasse novimus antea per edictum obnuntiandi, et si ullae exceptiones factae sunt, paucae hae fuerunt. Nam quod tribuni post a. 59 satis aperte obnuntiatione usi sunt ad persequenda consilia partium, id non repugnat, ut supra dixi, consuetudini antiquae, modo antea proponeretur edictum. Sed alia etiam res est, in qua non semper servata esse videatur vetus consuetudo. Necesse enim est ut statuamus, magistratus qui obnuntiarent oportuisse singulis edictis semper dies singulos tantum, neque amplius, vitiare, neque ad complures dies simul, vel ad longam seriem dierum, referre singula edicta. Hoc enim fieri non poterat nisi patefacta voluntate impediendi quominus cum populo ageretur, quam palam prae se ferre ne tribunos

---

1) Quodsi res antea tempore Marii Romae gestas accuratius persequi possemus, fortasse inveniremus nonnullas res eiusmodi quae *moribus* vetarentur sed quae avide arriperentur in contentione partium politicarum quia *iure* valebant, iam tum nonnumquam admissas esse. Mihi cum non sit propositum agere de rebus per bella civilia gestis, satis habeo monuisse huiusmodi res vere fortasse, sed tamen ex coniectura tantum, iam adscribi posse temporibus Marianis. — 2) Suet. Caes. 20: „in eam coactus est desperationem, ut quoad potestate abiret domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret". — Recte Mommsen statuit (Staatsr. 3. 2 p. 1058 n. 2) Dionem erravisse, cum scriberet (38. 6. 5) Bibulum vitiavisse rogationes Iulias per *ferias* in omnes dies comitiales huius anni indictas, et obnuntiationes a Dione esse commutatas cum indictionibus feriarum. Sed tamen negari non debet, ferias (scil. supplicationes) hoc anno a Bibulo esse indictas ut Caesari molestus esset; id factum esse probat Cic. Vat. 12. 30: „dices supplicationes te (Vatinium) illas non probasse. Optime; nullae fuerint supplicationes. Videsne me nihil de anni illius causa (de discidio Caesaris et Bibuli) — ex te quaerere?" Cfr. etiam quae adnot. v. cl. Boot ad Cic. Att. 2. 7. 3. — Supplicationes illae a senatu decretae sint necesse est mense Martio, cum nondum e publico se recepisset Bibulus.

Digitized by Google

quidem decebat; et etiamsi effectus idem erat si quis cumulabat edicta, tamen hoc facilius tolerari posse videbatur. Sic Bibulus cs. non per unum edictum, sed per *edicta* dies comitiales Caesari vitiasse traditur (p. 106 n. 2), et tot edicta promulgavit quot dies vitiabat. Eodem pertinere videtur quod a. 54 de comitiis consularibus (quae eo anno habita non sunt) factum esse narrat Cicero; primum Scaevola tr. pl., auctore Scauro candidato, singulos dies comitiales sustulerat usque ad pridie kal. Oct., quo die illud scribebat Cicero, obnuntiationibus interpositis; quod quin per edicta factum sit dubium non esse videtur, neque cogitari posse videtur comitia quotidie vocata et interrupta esse [1]); paullo postea Cicero scribit: „*comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus, magna voluntate bonorum*"; hoc per edicta factum esse constat, Cicero enim non dicit *comitia* quotidie sublata esse, sed *dies comitiorum*; et significare videtur Cicero, numerum dierum qui singuli per edicta vitiarentur quotidie increscere, cum semper nova edicta proponerentur [2]). Sed ut dicere coepi, fuerunt post a. 59 (quod an numquam antea factum sit nescimus), qui hunc morem cupidius neglegerent; sic Milo tr. pl. a. 57 „*proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo servaturum*" [3]). — Iamvero quaerentibus nobis, quantum valuerint edicta illa per quae obnuntiaretur, primum reicienda videtur sententia eorum qui putent eum morem edicendi sero demum irrepsisse, neque tolerari potuisse nisi tempore quo iam intermortua fide auspiciorum in risum et ludibrium impune verti possent auspicia, cum censeant eum quidem qui declaret „se de caelo *servavisse*", etiamsi mentiatur, tamen celare mendacium cuius convinci non possit, sed eum qui declaret „se de caelo *servaturum esse*" insolenter confiteri se mentiri et mentiturum esse. Haec sententia nititur duobus erroribus; quorum prior in eo cernitur quod neglecta auctoritate Servii duo tantum auspiciorum genera esse credantur, *impetrativa* quae quaerantur et *oblativa* quae fortuito conspiciantur, cum tamen tria sint distinguenda; alter vero continetur perversa interpretatione formulae „de caelo servare". Nam qui auspicia nulla praeter impe-

1) Cic. Att. 4. 17. 4 Boot = 4. 16. 7 Or. — 2) Cic. Qu. fr. 3. 3. 2. — 3) Cic. Att. 4. 3. 3; supr. pag. 102 n. 1.

Digitized by Google

trativa et oblativa esse credit, cum recte caveat ne usum impetrativorum adscribat tribunis plebis (hoc enim apud omnes constare debet, tribunos numquam impetrasse signa), necessario eo pervenit ut statuat, formulam „de caelo servare" non significare idem quod „de caelo auspicari", et fulmina de quibus sermo sit in illa formula esse oblativa, et tribunum plebis cum dicat „de caelo servabo" affirmare se certo die futuro fulmen *fortuito* esse conspecturum; et hoc sane est impudenter mentientis. Sed ut iam supra monui (pag. 80 n. 2), „de caelo servare" nihil aliud est quam „de caelo auspicari", et ea formula quatenus a tribunis adhibetur pertinet ad *tertium* genus fulminum, quod neque sit impetrativum, neque fortuito conspectum. Servius enim dicit, auguriorum esse duo genera, impetrativa et oblativa, et praeterea tamquam tertium genus agnoscit auspicia, quae sedulo distinguit ab auguriis. Auguria utraque apud Servium pertinent ad eos qui auspicantes signa quaerunt; cum impetrativa, i. e. per legis dictionem nuncupata et in tabernaculo observata, quae utique secunda sunt si apparent, quibus soli magistratus patricii utuntur; tum vero etiam auguria oblativa (quae a nobis dicta sunt auspicia oblativa quaesita), i. e. sine legis dictione et sine tabernaculo conquisita, quae etiam adversa esse possunt; haec si de caelo erant et comitiorum vel conciliorum causa quaesita, ad tribunos pl. pertinuerunt, sed cum hi nullum proprium ius haberent auspicandi, necesse erat ius *horum* auspiciorum *de caelo* quaerendorum, quod omnibus qui magistratus non essent lege speciali ademptum erat propter vim fulminis comitialem, eis lege speciali attribueretur, et id ipsum a. 449 factum esse claris verbis affirmat Zonaras, ut modo demonstravi, cuius auctoritatem hanc solam ob causam reiecerunt viri docti, quod totum hoc genus auspiciorum omiserant. Ab his longe diversa sunt signa quae *auspicia* a Servio dicuntur, quae a nobis dicta sunt *fortuito conspecta*, quae pertinent ad augures et ad omnes qui non auspicantur [1]). Itaque qui dicit „se de caelo servaturum esse", nihil affirmat quod non possit ipse facto confirmare cum ex ipsius voluntate hoc pendeat, neque in ratione illius edicti quid-

1) Vid. Mnemos. XVII pag. 419—428.

Digitized by Google

quam inest quod displiceat. Quod comitia impedit et impedituram est, non est *fulmen*, sed caerimonia auspicandi quam consequatur *nuntiatio* (vid. supr. pag. 83); qui auspicaturus est, novit se vitium allaturum esse ad comitia, quamquam nescit utrum fulmen sibi fingere opus futurum sit necne [1]); hoc adeo verum est ut fulmen nocte aut mane *vere factum* nihil impediat comitia, si forte tum ipsum nemo auspicabatur, i. e., si hoc fulmen non venit rogatum, et quaesitum, et comitiorum quidem causa quaesitum ab eo cui ius sit (vid. supr. pag. 94). Quod displicere possit, non inest in illa ratione edicendi, sed in universa hac potestate auspicandi publice confirmata; haec nititur aliqua superstitione aut falsa specie religionis, cum is cui ius sit auspicandi credatur esse administer deorum cui nuncupare liceat auspicium quod utile ei videatur, cumque potestas huic esse credatur excitandae per vocem quam edit *imaginis* auspicii quae apud deos non minus valeat quam fulmen auspicanti vere monstratum (Mnemos. XVIII pag. 438 sq.); sed haec superstitio antiquissima est et fere itidem pertinet ad totam disciplinam auspiciorum, et ius auspicandi tam plenam continet potestatem auspiciorum, ut ementiri auspicia ei soli dici possint qui careant iure auspicandi (fingendi) et tamen id sibi arrogent [2]). Sed tamen ne severius iudicemus de hac re, animadvertendum est potestatem fingendi eis tantum plenissime fuisse concessam, qui *prohibendi causa* auspicarentur, eamque multis vinculis esse alligatam in eis qui *agendi causa* signa quaererent. Auspicia impetrita ex extis et pullis minime fuerunt in potestate auspicantis solius (Mnem. XVIII p. 412); in fulmine impetrando munus fingendi relinquebatur pullario; auspicato *agere* non putabatur qui niteretur auspicio quod fictum esse *sciret* (ibid. p. 414). Quam multum autem in hac re intersit inter agendum et prohibendum, facile intelligitur; vox eius qui iure suo obnuntiabat, quamquam quin divina esset dubitare non licebat ei cui obnuntiabatur, tamen, si forte divina non

1) Cic. Phil. 2. 32 81: „quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de caelo servare constituit?" — 2) Augures: Liv. 21. 63. 5; Cic. Phil. 2. 33. 83 et 2. 35. 88; tribuni plebis spectione carentes: Cic. div. 1. 16. 29. — Qui iure suo auspicatur, numquam dicitur ementiri auspicia. Mnem. XVIII pag. 442 n. 3.

Digitized by Google

erat, in magnum periculum adducere non poterat civitatem, quia effectum nullum edebat nisi prohibentem. — Deinde videamus quid valere debuerint edicta apud eos qui comitia eo die habituri fuerant. Hos oportebat, si comitia nondum indixerant, de consilio desistentes quiescere, aut, si iam aliquid promulgaverant, edictum comitiale de foro auferri iubere, quia dies ab alio praeoccupatus sive ut vulgo dicebant *„obnuntiatione sublatus (vitiatus, exemptus)"* erat (Mnem. XVIII pag. 418 n. 3). Sed tamen negari non poterat, *specie* ex ipsis auspiciis etiam aliquam spem his superesse comitia habendi cum bona venia deorum, si in consilio perseverare mallent; cogitari poterat fore ut is qui illo die auspicaturus esset, si nihil vere conspiceret, non auderet fingere auspicium, utque hac ratione dei superiorem facerent eum qui comitia habere constituerat. Hanc ob causam leges non potuerunt dare vim cogentem edictis. Sed apertum est, *facto* exiguam aut nullam esse spem huiusmodi eventus; antiquissimis temporibus fortasse (ut ante dixi Mnem. XVIII p. 254 n. 2) nonnumquam hoc accidit, ut is qui de caelo auspicaretur, si ei non contigisset ut verum fulmen observaret, confiteretur auspicia sibi non favere, et ultro suam actionem differret, sed eo rarius paullatim id fiebat, quo magis consuetudo increbrescens fingendi fulminis impetriti per pullarium aut fulminis oblativi sine ope cuiusquam, omnem scrupulum ex animis auferebat. Omnibus manifestum erat, si is qui comitia habere volebat perseverabat adversus edictum, eum non in illo eventu auspiciorum spem ponere, sed in longe alia re a ratione auspiciorum aliena. Itaque decebat magistratus non minus prompte obsequi edicto, quam obsequendum esset obnuntiationi in templo editae; neque umquam aliter fecisse videntur magistratus Romani ante a. 59 (cfr. pag. 106 n. 1). Sed cum *iure* non prohiberentur quominus erectam tenerent promulgationem suam, postea in contentionibus civilibus accidit ut principes partium hoc iure arrepto neglegerent edicta obnuntiantium. Qui primus, ut videtur, hoc fecit, aperte declarare ausus est se non spem suam ponere in eventu incerto auspiciorum, neque in inconstantia eius qui obnuntiaret qua futurum esset ut is cum semel vocata essent comitia tendere non auderet adversus voluntatem populi congregati, sed in re multo turpiore, cum

Digitized by Google

diceret se etiam voci eius qui in templo obnuntiaret obsecuturum non esse, quandoquidem confideret tempora prohibitura esse quominus augures postea decernere auderent quidquam ab eo *vitio* esse factum, et quominus ipse accusatione perduellionis peteretur. Vatinius, trib. pl. a. 59, vir singularis audaciae, cui primum clam instigando, mox etiam palam imitando, praesto fuit Caesar consul eiusdem anni, initio tribunatus sui denuntiavit senatui *„suis actionibus augurum responsa atque eius collegii arrogantiam impedimento non futura"* [1]). Is igitur tollebat potestatem augurum qua his licebat post rem actam cognoscere statuere iudicare numquid contra auspicia factum esse videretur, qua potestate magna ex parte nitebatur vis cogens obnuntiationis (sed cfr. Mnem. XVIII p. 423 n. 1); inde apertum erat, edicta nihil apud eum valitura esse, et adversus eum opus esse obnuntiationibus in templo, ut augures postea eius leges vitio factas esse declarare possent. Itaque collegae Vatinii qui ei impedimento esse volebant, coacti fuerunt omissis edictis inutilibus omnibus diebus quibus ille leges ferebat de caelo servare et nuntiare [2]). Eandem ob causam, cum mense Februario Caesar consul legem agrariam ferret, Bibulus eius collega coactus est, ut supra dixi, huic in templo obnuntiare cum inutilia essent edicta [3]); quamquam is mox, cum appareret vim ei parari a Vatinio si in publicum prodiret, rursus redire debuit ad morem antiquum per edicta obnuntiandi, quamquam sciebat edicta a Caesare sperni [4]). Hanc audaciam Caesaris et Vatinii, qua hi

---

1) Cic. Vat. 6. 14. — 2) Vat. 7. 16: „Collegas habuisti viros fortes novem. Ex eis tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de caelo, quos irridebas, quos privatos esse dicebas". — 3) Suet. Caes. 20: „lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit". — 4) Constat Bibulum post legem agrariam acceptam non amplius in forum descendisse ut obnuntiaret collegae leges reliquas ferenti, Cic. Att. 2. 16. 2, Suet. Caes. 20, pag. 106 adn. 2. Bibulus postea demum a. 58, a Clodio trib. pl. qui tum cum Pompeio et Caesare in dissensionem venerat, in contione interrogatus „num C. Caesare leges ferente de caelo semper servasset", hoc se fecisse affirmavit, Cic. har. resp. 23. 48, dom. 15. 40; sed id ipsum ostendit eum non revera praesentem obnuntiavisse Caesari. Itaque, cum fulmen quaesitum nihil valeat si a praesente nuntiatum non sit (pag. 83 adn. 1), apparet id quod in eadem contione augures a Clodio producti responderunt „quae ita lata essent, vitio esse lata", solum non suffecisse eis qui leges Iulias tolli cuperent, nisi etiam constaret obnuntiationem Bibuli esse vi prohibitam aut dolo elusam. Cicero consulto parum accurate reddidit quod dixerunt augures. — Fortasse licet huc referre quod Dio tra-

Digitized by Google

obnuntiationem e civitate tollere conati sunt, quamquam ipsis ne damno esset effecit potentia Caesaris et metus belli civilis, nemo postea imitatus est. Sed tamen ab illis praesertim repetenda est turpis perturbatio quae deinde deformavit totum hoc genus obnuntiandi. Primum enim eorum exemplo incitatus Clodius trib. pl. a. 58 lege perlata ita mutavit rationem obnuntiandi, ut liceret obnuntiare comitiis eis quibus antea non liceret, neque liceret quibus antea licuisset, qua de re infra videbimus. Deinde, quamquam magistratus etiam post a. 58 aut semper aut perpaucis exceptionibus admissis sanctam habuerunt vocem auditam eius qui in templo obnuntiasset, tamen duae res ab hoc tempore crebrae factae sunt; primum, quamquam etiamtum fuerunt qui mori antiquo obsecuti edictis cedendum sibi esse censerent [1]), apud plerosque tamen consuetudo valere coepit fidei non habendae edictis, quo fieret ut obnuntiatione in templo insuper opus esset [2]); deinde ei quibus cordi erat ut comitia haberentur, saepe templo armatis occupato et eis vi territis qui obnuntiaturi venirent, hac ratione ab obnuntiatione tutos se esse putabant, modo efficerent ne ipsa vox obnuntiantis a se audiretur; et propter hanc spem inprimis a multis spernebantur edicta, cum putarent in ipsis comitiis a se aut a sociis suis vi satis caveri posse ne audiretur vox obnuntiantis [3]). Sed consilium Caesaris non ita defendi oportet ut dicas eum suo iure impugnasse et evertisse ineptias falsae religionis quae iamdudum de medio auferri debuerant. Equidem nunc certe nolim exquirere, num Caesar pontifex maximus, qui a. 46 ipse augur factus est, et Vatinius Pythagoreus, qui postea ipse auguratum petivit et tandem a. 47 ad eum pervenit, id a. 59 ad se pertinere putare debuerint, evertere religionem antiquam; sed animadvertendum esse videtur, non de religione, sed de certo iure legibus constituto tunc ac-

---

dit (38. 6. 5), Bibulum omnibus diebus quibus cum populo agere vellet Caesar, lictorem ad eum misisse, qui admoneret, eo die cum populo agi non posse. Hoc si verum est, statuendum est lictorem non de feriis indictis (vid. pag. 106 adn. 2), sed de edicto antea proposito et de fulmine a Bibulo servato admonuisse. — 1) Ex. gr. a. 54, Cic. Qu. fr. 3. 3. 2 et Att. 4. 17. 4, supr. pag. 107 adn. 1 et 2. — 2) Exemplum praebet Metellus cs. a. 57, Cic. Att. 4. 3. 3, supr. pag. 102 n. 1. — 3) Cfr. Cic. Att. 4. 3. 3.

Digitized by Google

tum esse inter Caesarem Vatiniumque et horum collegas et augures. Obnuntiatio iam dudum facta erat ius vetandi, verbo tantum ad religionem pertinens, quod leges aliis dederant aliis abnuerant; quod quo minus pendebat ex religione, eo minus everti poterat sub specie religionis. Hoc ius poterat novis legibus mutari aut tolli, sed sanctum esse debebat eis quibus leges quae tum erant videbantur observandae esse. Itaque Caesar cum proculcaret ius collegae sui et augurum, non minus peccavit quam qui ex. gr. iniuria sperneret ius intercedendi tribunorum; quod cum postea a. 49 sibi armis defendendum esse prae se ferret Caesar etiam contra auctoritatem senatus et Sen Ctum Ultimum, tantum non diserte confessus est excusari non posse quod ipse fecerat a. 59.

(*Continuabitur*).

AD PLATONEM.

Euthydem. pag. 272 *d* Socrates postquam ficta admiratione trepidus depinxit par illud nobile fratrum Euthydemum et Dionysodorum, sic sodalem Critonem alloquitur: „adire eos mihi „in animo est aliosque mecum adducere discipulos, ne spernar „alumnus aetate provectior; *καὶ σὺ τί που συμφοίτα· ἴσως δὲ „δέλεαρ αὐτοῖς ἄξομεν τοὺς σοὺς υἱεῖς· ἐφιέμενοι γὰρ ἐκείνων οἶδ' „ὅτι καὶ ἡμᾶς παιδεύσουσιν*". — Sic codices, nisi quod pro *ἄξομεν* Clarkianus praebet *ἕξομεν*, idque recepit Schanzius. Manifesto corruptus est locus; speciosa autem est coniectura Winckelmanni, quae Schanzio certa visa est: *καὶ σὺ τί οὐ συμφοιτᾷς· ὡς δὲ δέλεαρ αὐτοῖς ἕξομεν τοὺς σοὺς υἱεῖς*. Probabilior tamen videtur (*-τα ἴσωσ: -ταῖσ ὡσ*) quam est; nam vix apte Socrates interrogare potest sodalem „cur non secum illuc abeat", cum ipsi nunc primum nascatur amor frequentandi illorum sophistarum scholas. Praeterea non est spernendum adverbium *ἴσως*, atticae urbanitatis particula: „fortasse, nisi quid obstat, nisi tu improbas meum consilium"; coniunctio vero *ὡς* molesta est potius hoc loco quam utilis, nec dubito quin Plato aut *δέλεαρ δὲ αὐτοῖς ἕξομεν* (*ἄξομεν*) scripturus fuisset aut *ὡς* (i. e. *quandoquidem*) *δέλεαρ αὐτοῖς ἕξομεν*, si ita pergere libuisset. — Varias variorum coniecturas, quibus Winckelmannus non magis quam mihi persuasit, collegit Schanzius; nisi fallor non ΠΟΤ legendum est sed Γ|ΟΤ, id est *γὰρ οὐ*, et verba igitur ita sunt distinguenda: *καὶ σὺ — τί γὰρ οὔ; — συμφοίτα· ἴσως δὲ δέλεαρ αὐτοῖς ἄξομεν τοὺς σοὺς υἱεῖς*.

J. v. L. J. F.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 403.)

XI.

AD INTERDICTUM „NE VIS FIAT AEDIFICANTI."

Potest is cui opus novum nuntiatum fuerit, *ad Praetorem ven(ire) et desider(are) ut missa fiat nuntiatio* (l. 5 § 17 D. 39. 1). Quae tunc partes sint Praetoris, aliter alii definiunt. I. Placuit olim Donello Praetorem omnimodo remittere nuntiationem; quod quam sit improbabile uno perquam lucido argumento Stölzel demonstravit [1]): nullum futurum esse *beneficium Praetoris* (cf. l. 13 § 2 D. 39. 1), nuntiatio si remittatur omnimodo; quumque idem valeat nuntiatio quod valet *iussus Praetoris* (l. 1 § 10 D. 39. 1), fore ut ipse *imperium suum* (cf. l. 7 § 14 D. 2. 14) convellat, absque ratione permittendo, quod haud sine ratione vetuerat. II. Schmidt, quem sequitur Burckhard [2]) ita demum nuntiationem missam fieri existimat, si satisdet is cui fuerit nuntiatum, id est, si caveat opus restitui, quando iudicetur non iure factum esse, quod niti dicitur l. 7 § 2 D. 43. 24:

> *qui ante remissionem nuntiationis, contra quam prohibitus fuerit, opus fecerit, duobus interdictis tenebitur..... Remissione autem facta intelligendus non erit vi* [aut clam] *facere quamvis prohibeatur: licere enim debet aedificare ei qui satisdederit.....*

---

1) *Die lehre von der* op. nov. nunt. p. 276.

2) *Die* op. nov. nunt. p. 5.

Digitized by Google

Si remissione facta propterea liceat aedificare, quod satisdationis id sit emolumentum, nonne dicendum est, ut missa fiat nuntiatio, satisdationem Praetorem exigere? At eo commoveor, quod legitur l. 20 § 1 D. 39. 1:

Edicto expressum est, ne post operis novi nuntiationem quidquam operis fiat antequam
vel nuntiatio missa fiat
vel .... satisdatio de opere restituendo fuerit interposita.

quam Edicti clausulam ita Paulus reddit (l. 8 § 4 D. eod.).

sciendum est facta operis novi nuntiatione, cui nuntiatum est abstinere oportere donec
caveat
vel donec remissio nuntiationis fiat ....

Iulianum (l. 7 § 2 cit.) de remissione cogitasse, quae quum fuerit satisdatum tacite fiat, haud improbabile mihi videtur, dicitur enim aliis remissionem desiderare, qui satisdationem offert (l. 5 § 19 D. 39. 1).

III. Hesse [1]) in ea opinione est, quasi Praetor tunc nuntiationem missam faciat quum summatim cogcoscenti de iure suo non probet nuntiator; IV Stölzel [2]), ita missam fieri, si de iure suo non probet nuntiator; exigit igitur plenam probationem, Hesse Praetorem summatim cognoscere iubet. Per se si spectes, non est absurda aut Christiani Hesse aut Adolphi Stölzel sententia; testimonia veterum apud utrumque desiderantur. Haec igitur nobis elicienda erunt, quod etiamsi iis temerarium videri possit, qui persuasum sibi habent, tot tantisque summorum interpretum laboribus, iam omnia ad lucem protracta, quae possint erui ex Digestorum voluminibus, tamen eventus, spero, comprobabit.

Finge sepulchrum te aedificare in loco quidem tuo, at propius LX pedes aedes vicini quod fieri vetat lex Decemviralis aedium

---

1) *Einspruchsrecht* p. 131 sqq., 135 sqq.

2) P. 169 sq., 194, 352 („die Remission wird erkannt (wenn der) Gegner den Beweis eines *ius prohibendi* nicht führt, oder nicht zu führen unternimmt"). Silentio praeterire non debeo, etsi non faciat ad rem praesentem, Adolpho Stölzel placere ius prohibendi non eo finiri, quod postea ius aedificandi adversario quaeratur. Sane ita esse ait in operis novi nuntiatione (p. 27, 199, 295); item in interdicto quod vi aut clam.

Digitized by Google

invito domino. Opus tibi novum vicinus nuntiat (l. 3 pr. D. 11. 8). Adis Praetorem et desideras ut missa fiat nuntiatio eo quod olim sciente vicino mortuus eodem sit illatus, id enim ius sepulchri tribuit (l. 3 § 1 eod.). Quid tum Praetor? Cognoscitne summatim de iure vetantis? Exigitne plenam probationem? Neutrum horum facit, sed accommodat tibi interdictum, quod extat l. 1 § 5 eod.:

> *„quo illi ius est invito te mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo aedificare licat vim*[1]*) fieri veto."*

Ex interdicto iudex datus cognoscet, utrum prohibitio vicini adversus edictum Praetoris facta sit, id est utrum iure prohibuerit necne. Si nullo iure prohibitum fuisse pronuntietur amplius agenti qualicumque actione necessario obstabit rei iudicatae exceptio.

Huic simile interdictum iis indulgetur, qui queruntur postquam satisdatum fuerit, iterum ab eodem ab opere se prohibitos. *N(eque)* enim *permittitur iterum nuntiare, quamdiu stipulatio ex operis novi nuntiatione tene(at)* (l. 13 § 1 D. 39. 1); *licere enim debet aedificare ei qui satisdederit* (l. 7 § 2 D. 43. 24), quia *vice nuntiationis missae satisdatio de opere restituendo interpo(nitur)* (l. 20 § 1 D. 39. 1). Proponitur igitur adversus repetitam post satisdationem nuntiationem talis actio (l. 20 § 9 D. 39. 1):

> *„quem in locum nuntiatum est, ... si de ea re satisdatum est, ... quominus illi in eo loco opus facere liceat vim*[1]*) fieri veto."*

Ceteris omnibus, qui nullo iure prohibentur, generali prospicitur interdicto *„ne vis fiat aedificanti"*, cuius mentio fit l. 45 § 2 D. 3. 3:

> *si procuratori opus novum nuntiatum sit isque interdicto utatur „ne ei vis*[1]*) fiat aedificanti."*

cuius interdicti forma ita restituenda videtur:

> *„(ubi illi ius est invito te aedificare) quominus (illi*

1) Hac voce operis novi nuntiatio continetur. Est enim *nuntiatio* species, *prohibitio* genus (l. 1 pr. D. 39. 1; l. 7 § 2 D. 43. 24), *prohibere* autem et *vim facere* prorsus idem est (l. 3 § 1 D. 43. 24; l. 11 D. 43. 16). Itaque ex abundanti cavet *opus novum se non nuntiaturum*, qui iam caverit *aedificanti vim* (*se non*) *facturum* (cf. l. 15 D. 39. 1).

Digitized by Google

in eo loco sine dolo malo) aedificare liceat vim fieri veto."

Quaeri potest, quare praeter interdictum illud generale duo propria interdicta desiderentur. Ratio haec est, quod generale interdictum in ius conceptum est, itaque omnibus est inutile, qui iure civili non possunt intendere ius sibi esse invito altero aedificare. Ius autem civile proprium ius sepulchri haud magis agnoscit quam illud ius aedificandi quod satisdatione quaeritur. Haud agnoscit proprium ius sepulchri. Nam dominus quidem in loco puro proprietatis iure sepulchrum aedificat; at proprietatis ius amittitur postquam illatus fuerit mortuus loco religioso facto [1]). Posthac si velit aedificare vel reficere is ad quem sepulchrum pertinet, *civilem .... actionem de faciendo* aeque *habe(bit)* atque is qui in litore maris aedificat [2]). Haud agnoscit ius civile ius illud aedificandi quod satisdatione quaeritur. Praetor enim, non lex, donec lis finem accipiat, possessorem interim constituit [3]).

Haec ubi placuerint, negari non poterit eatenus verissimam esse Adolphi Stölzel definitionem, quatenus contendit cogi nuntiatorem causam dicere aut missam facere nuntiationem. Cogitur enim per interdictum *ne vis fiat aedificanti.* Vereor autem ut mea interpretatio placeat, ideo quia hucusque semper creditum fuit, interdictum *ne vis fiat aedificanti* generale non esse, sed pertinere ad iteratam post satisdationem nuntiationem. Cui sententiae favere creditur Ulpiani fragmentum quod est hodie l. 5 § 20 D. 39. 1:

si procurator autem opus novum mihi nuntiaverit et satis acceperit *deinde interdicto adversus eum utar ne vim mihi faciat quominus aedificem ....*

Fingi dicitur is cui nuntiatum sit de opere restituendo satisdedisse, deinde interdicto uti adversus iteratam nuntiationem. At latet mendum scripturae; est enim reponendum *accepero* pro *acceperit;* quod non ideo contendo quia *alieni iuris petitor,* id est procurator, *repromissione contentus esse debe(t)* (l. 8 § 3 D. 39. 1); nam hoc refellitur eo quod legimus l. 3 D. 46. 5:

---

1) Sepulchri nemo dominus est: l. 13 § 5 D. 43. 24; c. 4 C. 3. 44.
2) Cf. l. 50 D. 41. 1.
3) Gai. IV § 16.

Digitized by Google

generaliter in omnibus Praetoriis stipulationibus et procuratoribus satisdatur;

sed ideo contendo, quod contextus flagitat. Procurator enim, qui opus novum nuntiat, aut satisdat eam rem dominum ratam habiturum aut non satisdat. Si non satisdat, nuntiatio omnimodo remittitur; si satisdet, opus inhibetur. De eo procuratore qui satisdare detrectat postquam Ulpianus egerit (l. 5 § 18 D. 39. 1), interiectis quibusdam de eo qui remissionem absentis nomine desiderat (§ 19), ad alterum id est eum qui ratam rem haberi satisdederit transitum facit (§ 20). Quod manifestum fiet ipsis Ulpiani verbis subiectis:

(§ 18) *qui procuratorio nomine nuntiaverit si non satisdabit eam rem dominum ratam habiturum, nuntiatio omnimodo remittitur, etiamsi verus sit procurator.*

(§ 20) *si procurator autem opus novum mihi nuntiaverit et satis* acceperit (l. *accepero*), *deinde interdicto adversus eum utar, ne vim mihi faciat, quominus aedificem* ....

Procuratori, qui ratam rem haberi non satisdat, opponi non potest nisi is a quo ratam rem haberi *adversarius* satis acceperit. Quodsi ita locum emendemus, causa nulla est, cur ad iteratam nuntiationem pertinere hoc fragmentum dicatur.

Sublato partis adversae argumento, dicendum quid meam sententiam maxime firmet. Ad ipsam provoco negotii naturam. Inhibet opus nuntiatio, ne ex opere detrimentum actor capiat. Nonne reo prospiciendum est, ne ex inhibitione detrimentum capiat ipse? Satis ei Praetorem prospexisse censes, quod satisdatione oblata aedificare concedatur? Quid, si dicat: „hodie constet, hodie agamus", videturne iniustum postulare? Lubet cum operis novi nuntiatione id conferre, quod Romanis incognitum hodiernis populis *Arrestum* dicitur, quod est per omnia nuntiationi simillimum. Inhibet opus nuntiatio, asportationem *Arrestum*; Praetoris additionem nuntiatio non habet necessariam, iudicis non habet *Arrestum*; satisdatione nuntiatio missa fit, satisdatione resolvitur *Arrestum* [1]). Quis vero dubitat actionem dandam esse reo, qua cogat *Arrestatorem* aut causam dicere aut *Arrestum* omittere? At aeque necessaria est in operis novi nuntiatione

1) Haec ita Peckius. Hodie ex parte exoleverunt.

Digitized by Google

actio cuius hic sit finis ut aut probet nuntiationem iustam esse nuntiator aut missam faciat. Id autem praestat nostrum interdictum.

Pauca addenda sunt de huius interdicti natura quae peculiaris Iuliano visa est, Ulpiano non item. Nam Iuliano si fides, actor in hoc iudicio *defensoris partes sustine(t)*, ideoque *si procuratori opus novum nuntiatum sit isque interdicto utatur „ne vis fiat aedificanti" .... n(on) compelli(tur) cavere ratam rem dominum habiturum* .... (l. 45 § 2 D. 3. 3), quibuscum coniungendum est alterum Iuliani fragmentum (l. 6 D. 39. 1): *et ideo neque exceptiones procuratoriae opponi ei debent* .... quod a Triboniani sociis inverecunde Ulpiani fragmento fuit additum, cui prorsus contraria sententia resedit. Huic enim partes defensoris is quidem sustinet qui remissionem desiderat, (l. 5 § 19 D. 39. 1) sed eousque sustinet, donec reddatur interdictum *ne vis fiat aedificanti*; hinc actor fit et actoris partes sustinet, nuntiator autem defensoris. Itaque

> *si procurator .... opus novum mihi nuntiaverit .... deinde interdicto adversus eum utar ne vim mihi faciat quo minus aedificem: ex interdicto eum oportet iudicatum solvi satisdare, quia partes sustinet defensoris* (l. 5 § 20 D. 39. 1).

Adnotat Cuiacius ad Iuliani sententiam: „ut qui actor est reus sit, vel rei partes sustineat, vel sustinere possit, qua ratione id fieri possit non video". Immodestum licet videatur id intelligere velle, quod tantus interpres se non intellexisse profiteatur, tamen huius rei rationem posse reddere mihi videor. Constat *in exceptionibus .... reum partibus actoris fungi oportere* (l. 19 pr. D. 22. 3; l. 1 D. 44. 1), quod nemo dixit absurdum esse, indicat enim, qui sic loquitur, reo id probandum esse quod exceptione concluditur. Quin immo fieri potest, ut reus èt defensoris èt actoris partes simul sustineat. Veluti si in rem agatur defensoris partes reus agit quatenus dicit rem actoris non esse; at quatenus dicit suam esse ipse actor fit, ideoque procurator *qui in rem actione convenitur praeter solitam satisdationem iudicatum solvi etiam de rato debet cavere* (l. 40 § 2 D. 3. 3). Contra si dicatur actor *defensoris partes sustinere*, eodem redit acsi dicatur nulla probatio ab eo desiderari. Quod in hoc inter-

Digitized by Google

dicto *ne vis fiat aedificanti* summam habet rationem: *operis* enim *novi nuntiatione possessorem eum fac(imus) cui nuntiaverimus* (l. 5 § 10, l. 1 § 6 D. 39. 1), is igitur interdicto reddito satis probat si adversarius probatione deficitur. Id autem Iulianum dicere voluisse apparebit, si totam l. 45 § 2 cit. exscripsero:

> *si procuratori opus novum nuntiatum sit isque interdicto utatur „ne ei vis fiat aedificanti" defensoris partes eum sustinere nec compelli cavere ratam rem dominum habiturum Iulianus ait, et si satisdederit, non animadverto, inquit Iulianus, quo casu stipulatio committatur.*

Quia plerumque stipulatio ratam rem haberi his casibus committitur quibus, si ipse dominus egisset, exceptio rei iudicatae vel in iudicium deductae hunc summoveret (cf. l. 22 § 8 D. 46. 8), apparet ex hoc interdicto adversus actorem non nasci rei iudicatae vel in iudicium deductae exceptionem, quod ita recte sese habet, si sumas, ex interdicto *ne vis fiat aedificanti* de iure defensoris tantum quaeri, ut adversus hunc tantum talis exceptio nascatur.

Fieri potest ut interdicto reddito cetera ex interdicto nuntiator facere nolit, veluti sponsionem non faciat sponsionisve iudicium non accipiat, atque ob id non possit res expediri. In eam rem quomodo Praetor prospexerit, apparet ex Ulpiani fragmento (l. 7 pr. D. 39. 1), ubi fingitur procurator nuntiasse, in procuratorem interdictum reddi. Meminisse oportet Ulpiano non placere Iuliani sententiam, in hoc interdicto reum actoris partibus fungi, procuratorem de quo agitur apud Ulpianum defensoris partes sustinere, itaque eum *id facere* (debere) *quod dominus in litem faceret, et cavere idonee*, nempe iudicatum solvi (l. 35 § 3 D. 3. 3),

> *et si satisdationem non dabit, summovendus erit ab exsecutione operis novi* .... (l. 7 pr. cit.)

Idem in domino ius erit, si cetera ex interdicto facere recusat. Denegabitur ei *operis novi exsecutio*, remittetur operis novi nuntiatio. Nam hoc et illud prorsus idem esse, quamvis negetur, sequenti capite demonstrare conabor.

Digitized by Google

XII.

QUID SIT REMITTERE.

Variis modis resolvitur operis novi nuntiatio. Decreto solvitur, ubi Praetor nuntiationem missam facit; satisdatione solvitur, quia satisdatio de opere restituendo nuntiationis missae vice est; tempore solvitur *ann(o) elaps(o) ex quo denuntiatio missa* (i. e. emissa) *est* (c. 14 pr. C. 8. 10); morte extinguitur eius qui nuntiaverit (l. 8 § 6 D. 39. 1); item alienatione eius praedii cuius nomine dominus nuntiaverit (ibid.); pacto solvitur, *si post operis novi nuntiationem conveniat tibi cum adversario ut opus fac(ias)* (l. 1 § 10 D. 39. 1; l. 7 § 14 D. 2. 14); iudicio solvitur, si ex interdicto *ne vis fiat aedificanti* iudex datus nullo iure factam nuntiationem pronuntiaverit. Donec horum quid fiat, nuntiatori proponitur interdictum restitutorium, cuius hic finis est, ut reus cogatur omnia destruere quae post nuntiationem aedificaverit. Huius interdicti forma haec est (l. 20 pr. D. 39. 1):

> *„quem in locum nuntiatum est, ne quid operis novi fieret, qua de re agitur, quod in eo loco, antequam nuntiatio missa fieret, aut in ea causa esset, ut remitti deberet (intra annum) factum est, id restituas.*

Huic formae apparet perpetuo inesse sive tacite magis sive expressis verbis eas exceptiones quae nascuntur decreto [1]), satisdatione, alienatione, tempore, morte. Si pactum factum sit, *conventionis exceptio* danda est (l. 1 § 10 D. 39. 1); si nullo iure nuntiatum iudex pronuntiaverit, rei iudicatae exceptione actor summovebitur.

Haec vero oppugnant Baron, Karlowa, Burckhard; negant enim remissione nuntiationem per omnia resolvi; provocant ad ipsa Praetoris verba, quae exstant l. 1 pr. D. 43. 25:

> *„quod ius sit illi prohibere ne se invito fiat, in eo nuntiatio teneat: ceterum nuntiationem missam facio."*

---

1) At si municipii duumvir remiserit alia exceptione opus est, quam servavit lex Rubria c. 19.

Digitized by Google

item ad Ulpiani testimonium (l. 1 pr. D. 39. 1):

remitt(itur) .... hactenus, quatenus prohibendi ius is qui nuntiasset non haberet.

Licere igitur nuntiatori remissione facta, intendere *adversus edictum* (*Praetoris*) (*opus*) *factum* (*esse*) (cf. l. 5 § 4, l. 16, l. 18, l. 23 D. 39. 1); superesse etiamtunc *exsecutionem operis novi*, id est actionem honorariam (cf. l. 5 pr., l. 7 pr., l. 19 D. 39. 1); id tantum remissionem efficere, ut exinde *inter(sit) iure factum sit* (*necne*) (cf. l. 20 § 3 D. 39. 1); quum *quidquid ante remissionem fiat .... pro eo habendum* (*sit*) *atque si nullo iure factum esset* (l. 20 § 4 D. 39. 1). Si quaeris, qua actione post remissionem nuntiatori sit utendum, in varias partes itur. Interdicto restitutorio quod ex l. 20 pr. D. 39. 1 supra exscripsi locum esse Baron [1]) existimat, remissionem enim pro non facta esse, *quatenus prohibendi ius is qui nuntiasset .... haberet.* Huic proxima est Ottonis Karlowa [2]) sententia proprium interdictum, restitutorium tamen, post remissionem proponentis. Hugoni Burckhard [3]) placet ex ipsa remissione agendum esse quasi remissio sit interdictum prohibitorium [4]), Praetor enim quum dicat *nuntiatio teneat*, idem esse acsi dixisset; „adversus nuntiationem fieri quidquam veto". De his autem quaerere supervacuum est, donec constet, quod nego, aliquam post remissionem honorariam [5]) actionem superesse.

At veterum testimoniis suam sententiam tuentur Baron, Karlowa, Burckhard; Praetoris voce, Ulpiani auctoritate se tuentur. Genuina non sunt ea testimonia. Quod ut probari possit, cogitari oportet Iustiniani aevo, iudiciorum ordine sublato, Praetoris partes quantopere fuerint auctae ad ipsius officium iudicis accedente officio. Remissionem desideranti vigente iudiciorum ordine interdictum Praetor *ne vis fiat aedificanti* proponebat; iure Iustinianeo, quum *perinde .... iudic(etur) sine interdictis, acsi utilis actio ex causa interdicti reddita fuisset* (§ ult. Inst. IV. 15), ipse magistratus *causam dirim(it)*, uti auctor est Imperator c. 14 § 2 C. 8. 10. Vetere iure tunc remittebatur quum nollet nuntiator cetera ex interdicto facere; novo iure

1) Cf. Burckhard p. 294. 2) Cf. Burckhard p. 295.
3) P. 5, 305 sqq., 382 sqq.
4) Interest, quod ex interdicto prohibitorio semper cum poena agitur.
5) Legitimas enim superesse constat (l. 19 D. 39. 1).

Digitized by Google

remittitur quando de prohibendi iure non probatur. Huic novo iuri accommodatum fuit Ulpiani fragmentum in tituli *de operis novi nuntiatione* introitu positum:

> *Hoc edicto promittitur, ut sive iure sive iniuria opus fieret per nuntiationem inhiberetur* [deinde remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi ius is qui nuntiasset non haberet]

Neque ipsi Edicto manus impia pepercit (l. 1 pr. D. 43. 25):

> *Ait Praetor* [„quod ius sit illi prohibere ne se invito fiat, in eo nuntiatio teneat, ceterum nuntiationem missam facio"].

Interpolatio vel hinc agnoscitur quod dici non potest quando ita Praetori decernendum fuerit. Certe non potuit ita decernere statim postquam ad eum venerit is cui nuntiatum fuerit; nam vidimus olim id non sufficere ut missa fiat nuntiatio. Neque ita decernere potuit postquam ex interdicto *ne vis fiat aedificanti* cetera nuntiator fecerit; esset enim valde iniquum possessorem constituere adversarium nulla satisdatione oblata. Neque ita decernere potuit nuntiatore ex interdicto cetera facere recusante; hunc enim supra vidimus *ab operis novi exsecutione summoveri*. Neque ita decernere potuit satisdatione de opere restituendo interposita; nam haec quia nuntiationis missae vice est, post satisdationem, si praeter necessitatem remissio fiat, eodem modo facienda est atque alias fiat.

Commentitium igitur est edictum Praetoris quod initio tituli *de Remissionibus* legitur. Qui adhaeret ei Ulpiani commentarius magna ex parte rescriptus est:

> [§ 1. Sub hoc titulo remissiones proponuntur].

Est qui sibi persuadeat, *decretum* Praetoris Ulpianum *titulum* id est rubricam appellasse?

> [§ 2. Et verba Praetoris ostendunt remissionem ibi demum factam, ubi nuntiatio non tenet, et nuntiationem ibi demum voluisse Praetorem tenere, ubi ius est nuntianti prohibere, ne se invito fiat].

Id si Praetor voluisset, edixissetne *ut sive iure sive iniuria opus fieret per nuntiationem inhiberetur?* Et quam absurde dicitur id remitti quod non tenet. Quod quantis convitiis occasionem olim praestiterit, aliis id se intelligere contendentibus,

Digitized by Google

aliis violentam medicinam adhibentibus, nemo nescit, quamvis partium furorem an dicam rabiem vix adsequantur *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν.*

[ceterum sive satisdatio interveniat sive non, remissio facta hoc tantum remittit in quo non tenuit nuntiatio].

Haec stare non possunt absque iis quae praecedunt.

plane si satisdatum est exinde [remissio facta est] *non est necessaria remissio.*

Haec per me licet genuina habeantur.

§ 3. *ius habet opus novum nuntiandi qui aut dominium aut servitutem habet.*

§ 4. *item Iuliano placet fructuario vindicandarum servitutium ius esse; secundum quod opus novum nuntiare poterit* [et remissio utilis erit]; *ipsi autem domino praedii si nuntiaverit* remissio (l. *nuntiatio*) *inutilis erit, neque* (*enim*) *sicut adversus vicinum, ita adversus dominum agere potest ius ei non esse invito se altius aedificare. Sed si hoc facto ususfructus deterior fiat, petere usumfructum debebit.* [idem Iulianus dicit de ceteris quibus aliqua servitus a vicino debetur.]

Quae uncis inclusi nemo umquam intellexit. Mediam interpolationem arguit ipsius Iuliani fragmentum quod est hodie l. 2 D. 39 1. Addit Ulpianus:

§ 5. *ei quoque qui pignori fundum acceperit, scribit Iulianus non esse iniquum* detentionem (l. *defensionem*) *servitutis dari.* —

Similem sed leviorem interpolationem perpessa est l. 13 pr. D. 39. 1:

cum procurator opus novum nuntiat et satisdat rem ratam dominum habiturum et remissio (l. *intentio*) *in domini personam confertur.*

Sibi quaerit, non domino, *executionem operis novi*, procuratorio nomine qui nuntiaverit. Hanc enim actionem [1]) suo non domini nomine intendit (l. 7 pr. D. 39. 1 cf. l. 1 § 20 eod.). At si *exsecutionem operis novi* procurator suo nomine habet, *remissio* conferenda non est in domini personam. Sed conferenda

1) Aliud placuit in interdicto *quod vi aut clam* (l. 72 D. 8. 3; l. 17 D. 39. 1; l. 3 pr. D. 43. 24 cf. Vat. Fr. § 334).

Digitized by Google

est in domini personam interdicti *ne vis fiat aedificanti* intentio, quia in aliam non potest, uti ex ipsius interdicti forma colligitur (*invito te*).

Redeo ad quaestionem ipsam, num post remissionem aliqua supersit honoraria actio. Vidimus nulla esse veterum testimonia, quibus nituntur Baron, Karlowa, Burckhard; videndum igitur an testimonium dicant mihi. Videtur mihi mecum facere Iulianus l. 13 § 2 D. 39. 1:

> *si in remissione* [1]) *a parte eius qui opus novum nuntiaverat, procurator interveniat, id agere Praetorem oportet, ne falsus procurator absenti noceat, cum sit indignum quolibet interveniente beneficium Praetoris amitti.*

Beneficium Praetoris, quod nuntiatione quaeritur, esse non potest nisi *operis novi executio*. Itaque haec perit, quum nuntiatio missa fiat, quod beneficium perdere absentem Iuliano merito indignum videbatur. Video hunc locum aliter interpretari Cuiacium, sed quam contorta ratione, vix potest dici.

XIII.

QUANDO REMITTATUR.

Explosa Donelli sententia omnimodo remitti nuntiationem si id postulaverit is cui nuntiatum fuerit, nunc videndum quibus casibus nuntiationem Praetor missam faciat. Missam facit, quum interdicto *ne vis fiat aedificanti* reddito cetera ex interdicto nuntiator non faciat. Missam facit, quum pupillus nuntiaverit neque in remissione tutor auctor intercedat (l. 5 pr. D. 39. 1). Quod quare fiat, dicendum, nuntiatione enim actio quaeritur, adquirere autem pupillus sibi potest, etsi tutor auctor non sit. Sed ideo remittitur quia ex interdicto *ne vis fiat aedificanti* cetera non potest facere, neque enim edere neque accipere potest iudicium nisi tutore auctore impubes (l. 15 D. 26. 8). Missa fit praeterea nuntiatio si procuratorio nomine nuntiaverit quis, deinde non satisdet ratam rem haberi (l. 5 § 18 D. 39. 1). Ne quis vero dicat id ideo fieri, quia *si satis non det procurator*

1) Id est: cum de remissione agatur.

Digitized by Google

.... *actio ei absentis nomine non datur* (Consultat. III § 9). Nam hoc non cadit in *operis novi executionem*, quippe quam suo nomine procurator habet (l. 7 pr. D. 39. 1). Sed ideo fit quia interdicto *ne vis fiat aedificanti* reddito sub specie defensoris actoris partes sustinebit; hoc sufficit, ut ratam rem haberi satisdatio exigatur. Sane ita est si Iuliani sententiam sequamur; Ulpianus enim, quare satisdatio ratam rem haberi exigenda sit ab eo qui mox defensor sit futurus, vereor ut dicere potuerit. Ulpiani sententiae consentaneum est, ut procurator cetera ex interdicto facere non videatur, nisi satisdet iudicatum solvi, quod Iulianus non exigeret.

Missa denique fit ex abundanti nuntiatio si satisdatum fuerit de opere restituendo, satisdatione enim teste Praetore nuntiatio *in ea causa* esse coepit, *ut remitti debe(at)* (l. 20 pr., § 1 D. 39. 1). At non semper satisdatur de opere restituendo; ridiculum quippe esset hoc exigere Praetorem, si nuntiaverimus *ut damni infecti caveatur nobis* (cf. l. 1 § 17 D. 39. 1); neque semper satisdatur, sufficit repromissio, si nuntiatum fuerit *iuris publici tuendi causa* nisi alieno nomine remissionem quis desideret (l. 5 § 18, l. 8 § 2, 3, l. 20 § 13 D. 39. 1; l. 1 § 6 D. 46. 5). Meminisse autem oportet eum qui in publico aedificet neque interdicto *ne vis fiat aedificanti* uti posse, quia *civilem actionem de faciendo* non habet, neque interdicto quod adversus iteratam nuntiationem competit, quia hoc interdicto satisdatio requiritur (l. 20 § 13 D.39. 1).

Fieri potest praeterea, ut nuntiatio non teneat, quod contra edictum Praetoris facta sit, veluti *si opus novum Praetor inserit nuntiari deinde prohibuit* (l. 16 D. 39. 1), potest enim ex auctoritate nuntiari, etsi non sit necessarium; aut si tale fuerit opus, *ut contemni nuntiatio deberet*, id est *cuius mora periculum allatura esset*. Haec enim *generaliter Praetor .... opera excepit* (l. 5 § 11—13 D. 39. 1). Id denique tenendum, Praetorem quidem iubere *ut, sive iure sive iniuria opus fieret, per nuntiationem inhiberetur* (l. 1 pr. D. 39. 1), itaque si post nuntiationem opus factum sit, *sive iure factum (sit) sive non iure factum (sit)*, restitutorium interdictum locum habiturum (l. 20 § 3 D. 39. 1). Sed haec aeque in iudiciis observata fuisse ac regulam celeberrimam, de qua egi capite sexto, multa probant. Ipse est auctor Ulpianus (l. 1 § 4 D. 43. 25) causa cadere nuntiatorem nisi

Digitized by Google

aut dominium aut servitutem habeat, his enim quaeri *ius nuntiandi*. De hoc iure nuntiandi multa fragmenta supersunt, quae saepe interse conciliari non possunt, ubi possunt, ostendunt ex nudo iudicis arbitrio [1]) has pependisse causas. Tenere dicitur nuntiatio si opus in solo fiat, at non tenere *si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet* (l. 1 § 12 D. 39. 1). Quid est arbitrium nisi hoc sit? Servitutium nomine nuntiatio utilis est, neque id Iuliano displicuit (l. 2 D. 39. 1; l. 1 § 4 D. 43. 25), attamen scribit viae nomine nuntiari non posse, etsi quis in via aedificet (l. 14 D. 39. 1). Sunt et alia talia complura. At oleum ni fallor et operam perdunt, qui, dum ludi se patiuntur argutiis, a quibus haud semper abstinuerunt prudentes, harum differentiarum rationem aut quaerunt aut reddunt. Rationis enim et arbitrii naturaliter interse pugna est. Id tantum dici potest generaliter, quare recessum fuerit ab Edicti rigore, quo omne opus quod non sit exceptum post nuntiationem inhiberi iubetur. Verbis dicam Bernhardi Windscheid [2]) quibus ille utitur ad interdictum *quod vi aut clam*, sed aeque aut magis valent de interdicto quod ex operis novi nuntiatione competit. Inhumanum esse ait et vix ferendum, quod omnis prohibitio opus sistat, etiamsi maxime quis in suo moliatur, iusque eius hucusque addubitatum numquam fuerit. Inhumanum et vix ferendum, quod eiusmodi possessoris molitio impediatur, donec aut satisdet aut iudicio certet dummodo de calumnia iuret nuntiator (l. 5 § 14 D. 39. 1). Id si ius sit, calumniatoribus viam sterni, possessores iugulari. Huic igitur iniquitati ut obviam iretur, ad arbitrium confugisse existimandi sunt Romani. Idem remedium interdicto *quod vi aut clam* adhibitum fuisse dubitari non oportet. Fuit autem hoc interdictum eo quod ex operis novi nuntiatione competit in possidentem iniquius. Nam quum constet in utroque iudicio *parvi refer(re)* utrum is qui prohibitus opus facere perseveraverit *ius habuerit faciendi an non* (l. 1 § 2 D. 43. 24), tamen id praecipuum habet interdictum quod ex operis novi nuntiatione competit, quod securus aedificat qui satisdationem obtulerit de opere restituendo, quia operis novi nuntiatione possessor constituitur

1) Quum dicam iudicis arbitrium, non me latet, prudentium auctoritate iudicem regi.
2) *Lehrbuch* § 465[10].

Digitized by Google

is cui nuntiatum fuerit [1]). Quod non ita est in altero interdicto, nisi convenerit cum adversario ut possessor sit qui opus instituerit (l. 1 § 3 D. 43. 17); tum enim *quum* [2]) *propter hoc tantum* (*sit*) *prohibitus quia non defende*(*ret*) id est quia non caveret, satisdatione oblata *vi facere desin*(*et*) (l. 3 § 6 D. 43. 24). At si non convenerit ut sit possessor qui opus facere velit, omnimodo tenebitur qui fecerit, *cum* de ea re *controversiam haberet*. Quod confirmatur Q. Mucii (l. 73 § 2 D. 50. 17), Ciceronis (*pro Tullio* c. 23 § 53), Servii (l. 4 D. 43. 24), Cassii (l. 3 § 7 D. 43. 24), Iuliani (l. 13 § 7 D. 43. 24) testimoniis. Quae quum ita sint tamen interdictum in dominum non competere dicitur (l. 5 § 10 D. 39. 1), nisi servitus actori debeatur (l. 21 D. 39. 3). Quod explicari non potest, nisi sumas pro arbitrio aut quaesitum fuisse ant non quaesitum de iure prohibentis, sicut in operis novi exsecutione pro arbitrio aut sufficere aut non sufficere nuntiationis causa dicebatur. Quod tamen supervixerit utraque actio, ideo factum esse dixerim, quia necessario *occur*(*rendum*) *est calliditati eorum qui vi aut clam quaedam moliuntur* (l. 1 § 1 D. 43. 24), etiamsi hoc materiem litium contensiosis hominibus praestare possit; pertinet enim non solum ad res privatorum sed ad summam rempublicam non sibi ius quemque dicere. Itaque hodie, etiamsi sublata sit *operis novi executio* [3]), tamen non dubito, ubi lege Romana iudicia iudicantur, ibi superesse interdictum *quod vi aut clam;* indignum quippe esset nullum remedium dari adversus vim, quae licet non recte dicatur numquam excusari posse, *nulla iusta exceptione* defendi (l. 1 § 3 D. 43. 24), tamen plerumque coercenda est, aut nisi coerceatur, totam societatem humanam pessum dabit. Alioquin si odio calumniatorum adversus vim nullum remedium detur, fumum fugiens legislator incidet in ignem.

Scribebam Traiecti ad Rhenum mense Septembri 1890.

---

1) L. 1 § 6, l. 5 § 10 D 39. 1. — Negat id quidem Africanus (l. 15 D. 39. 1) sed refellitur eo, quod satisdatio, quae nuntiationis missae vice est, nullo fundamento niteretur, nisi pro commodo possessoris interponeretur. Cf. l. 7 § 2 D. 43. 24.

2) Haec transponenda sunt post ea quae leguntur initio § 5: *si quis paratus sit se iudicio defendere adversus eos, qui interdicendum putant ne opus fiat.*

3) Cf. Windsch. § 466[a].

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 299.)

XIII. De littera digamma.

Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

Qui hodie sive puer breviarium aliquod dictionis epicae ediscit sive in doctrina aliquanto provectior accingit se ad carmina antiqua et ipsius linguae Graecae primordia investiganda, fingere sibi vix potest fuisse tempus quo homines Graece scirent Homerumque ut digitos suos nossent, nec tamen suspicarentur aliquam vim in eius lingua esse litterae vau. Scilicet non cernebatur illa littera in textu Homerico, et segnius irritant animos demissa per aures quam quae sunt oculis subiecta. Per duo millia annorum ad minimum lecta sunt carmina epica, recitata sunt, memoriae infixa, infinita cura et doctrina explicata — et tamen nemo erat Alexandriae vel Romae inter tot grammaticorum prudentium ferventissima studia [1]), nemo post

1) Quamquam a vero proxime aberat Dionysius Halic. I 20, cuius verba haec sunt: .... τὰ πολλὰ ἐλώδη, ἃ νῦν κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον Οὐελία ὀνομάζεται. σύνηθες γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν ὡς τὰ πολλὰ προτιθέναι τῶν ὀνομάτων, ὁπόσων αἱ ἀρχαὶ ἀπὸ φωνηέντων ἐγίνοντο, τὴν οὖ συλλαβὴν ἵνὶ στοιχείῳ γραφομένην. τοῦτο δὲ ἦν ὥσπερ γάμμα διττοῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίοις, ὡς ϝελένη καὶ ϝάναξ καὶ ϝοῖκος καὶ ϝαὴρ (l. a. ϝανὴρ) καὶ πολλὰ τοιαῦτα. — Pro *vetusta graecitate* in his scribe *Homerum*, et ex Dionysio fit Bentleius!

Ceterum digamma non recte tribui voci ϝαήρ vel ϝανήρ notum est; nisi egregie fallor Dionysius scripserat FAPHN, cuius vocabuli nominativus, a grammaticis commemoratus, nunc totidem litteris exaratus in antiquissima inscriptione Gortyne est repertus (vid. Roberts *Epigraphy* p. 40 et 327).

Digitized by Google

renatas litteras erat in turba virorum sagacium per totam Europam exemplaribus Graecis incumbentium, qui intellegeret carmina illa Homerica, quae pio amore colebant et demirabantur, horti illius Tarquinii referre speciem: non integros et illibatos superesse flores vetustae poeseos, sed praecisa esse multorum capita, fractis caulibus prostratos iacere alios, quosdam radicitus esse extirpatos. Credebant aliquando homines poetam, non summum dicimus sed qualemcunque poetam, pangere potuisse huiusmodi versiculos hiulcos et claudicantes: *Ἀτρεΐδης τε ἄναξ ἀνδρῶν, δαιμόνι' οὔ σε ἔοικε, χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος, ὃς ἔφατ' ἔδεισεν δὲ* etc. etc. — Adeo a teneris adsuescere multum est! Stultus autem aut iniquus sit qui Graecis grammaticis ideo irascatur; nam „in hac etiam arte nihil difficilius quam id quod se dicturos fuisse omnes putant postquam audierunt" [1]).

Scilicet Columbum suum haec America expectabat, divinum requirebatur ingenium ut id detegeretur quod unquam homines potuisse latere nunc pueruli in gymnasiorum nostrorum subselliis mirantur. Unus homo divinando rem restituit; non unum pluresve locos Homericos restituit, sed ipsam poesin poetae reddidit, artem summo artifici; lucem offudit tenebris, utque certis legibus adstringi posset quae rudis et indigesta antea videbatur moles effecit. Quem virum nominasse est eum admirari: BENTLEIUS est is qui detexit quod ante eum nemo viderat, post eum neminem nisi caecos aut ultro caecutientes fugere potuit. Fuere qui in crisi Homerica Bentlei acumen frustra quaeri contenderent, vix ullum enim versum epicum certa emendatione ab eo esse persanatum [2]): — esto! at ipsam sanavit artem metricam: hoc ad eius gloriam sufficit. Etiamsi per totam vitam nihil egisset praeterea, neque unquam verum vidisset nisi illo temporis puncto quo detexit digamma Homericum, vel sic tamen de litteris classicis deque summo vate immortaliter esset meritus. Lapillos ut nullos e via submoverit, at ipsam viam criseos Homericae aperuit; monstravit iter, sternendum reliquit aliis.

1) Ut est apud VALCKENAERIUM ad *Phoenis.* vs. 1687.

2) Videantur quae scripsit EICHSTÄDT, Wolfii sectator, in recensione Homeri Heiniani (*Jenaer Litteraturzeitung* 1803 p. 263), allata apud LUDWICHIUM *Aristarch.* II p. 285.

Digitized by Google

Bentleius igitur anno 1713 legebat librum ANTHONII COLLINS *Discourse of Free-thinking*. Observationes inter legendum sibi natas scripto mandavit et mox edidit [1]). Inter alia breviter sed acute admodum demonstravit non ad docendos mortales conditam esse Iliadem vel Odysseam, neque quaerendos esse multiplicis eruditionis thesauros in vetustis illis carminibus, quae ad delectandos viros feminasque nobiles olim essent composita a vate qui ingenio magis quam opibus afflueret [2]). Superest autem exemplar libri Colliniani illud quo Bentleius usus est, et ibi in pagina vacua haec leguntur eius manu (anno 1713 igitur) allita: „Homer's δίγαμμα Aeolicum to be added. οἶνος ϝοῖνος, vinũ: a „Demonstration of this, because ϝοῖνος has always preceding it „a vowel: so οἰνοποτάζων" [3]).

En verum repertum. At multum abest ut vivax hoc semen statim radices egerit. Annis tredecim post Bentleius consilium cepit Homerum edendi; aliis tamen laboribus et vitae aerumnis distractus dum cum theologis digladiatur etiam atque etiam distulit opus, quod anno 1732 demum, aetatis septuagesimo, adortus est. Exemplum editionis poetarum Graecorum ab H. Stephano curatae notis marginalibus instruere coepit, uberiores aliquanto commentarios [4]) aliis chartis credere, separatim quoque observationes de digammo in schedis suis consignare, — sed vitae finem invenit citius quam laboris suscepti; decimo anno post obiit, quaeque de Homero conscripserat in scriniis Collegii Trinitatis delituerunt. Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.

Aliqua tamen inventi Bentleiani notitia sensim ad viros doctos pervenit. In primo volumine Iliadis recognitae a SAMUELE CLARKIO, qui Bentleio familiariter utebatur, ad A 51 res tangi-

1) *Remarks upon a late Discourse of Free-thinking by Philelutherus Lipsiensis*, 1713. Septima editio (anni 1737) citatur a WOLFIO in *Prolegomenis* p. 116.

2) „Take my word for it, poor Homer, in those circumstances and early times, „had never such aspiring thoughts. He wrote a sequel of songs and rhapsodies, to „be sung by himself for small earnings and good cheer, at festivals and other days „of merriment; the *Ilias* he made for the men, and the *Odysseïs* for the other sex."

3) Cantabrigiae hic liber cum ceteris Bentlei manuscriptis asservatur in Bibliotheca Collegii Trinitatis, cuius Rector fuit usque ad mortem. — Videatur R. C. JEBB in vita Bentlei p. 149—154 et brevius in libro de Homeri arte p. 140, 3.

4) Quos usque ad H 54 deduxi

Digitized by Google

tur (anno 1729), ita tamen ut ab ipso scriptore haud ita clare intellectam esse pateat [1]). Apertius Bentleio favet Clarkius triennio post in annotatione ad Π 172 [2]), meliora fortasse interim ab amico edoctus. Eodem autem anno (1732) Bentleius ipse novam editionem Paradisi amissi Miltonis curavit; in qua recensione, tanto ingenio indigna — nam iterum amissus esse, immo disperiisse paradisus videbatur post Bentlei curas criticas — cum citandus esset locus Homericus, appinxit litteram digamma [3]). At vide quantillo momento impellantur mentes hominum inter errores et vera vacillantes: non admirabantur acumen ingenii Bentleiani neque cupide arripiebant eius inventum, sed ridebant formam iusto maiorem litterae insolitae (Ϝέοικας), quam „veluti ἄμουσον quendam Saulum super cetera elementa eminere" dicax poeta acerbius quam facetius iocabatur [4]).

Margaritam, cuius pretium vix unus et alter inter Bentlei amicos et discipulos agnoverat, e coeno quo abiecta iacebat primus sustulit is qui „Bentleium nihil in Graecis cognovisse nisi ex indicibus petitum" affirmare non erubuit. Tertio anno post Bentlei mortem lucem adspexerunt Ricardi Dawes *Miscellanea critica* (1745), cuius libri sectione IV[a] agitur *de consonantis vau virtute*. Haec commentatio etsi singularibus ingenii dotibus nitet, plus tamen nocuit bonis litteris quam profuit. Insunt sane observationes acutissimae, egregiae emendationes [5]) complures

---

1) „Spiritus asper saepe tanquam consonans pronunciabatur, vel tanquam *Aeolicum* „*digamma*. Ut — *φιλὲ ἑκυρὲ δεινός τε*. Legebatur fere tanquam si scriptum fuisset „*φιλὲϝφ ἑκυρὲδ δεινός τε*."

2) Hoc volumen post mortem Clarkii prodiit anno 1732. Locus hic est: „*ἤνασσε*] „Observavit Vir summae eruditionis, *Richardus Bentlejus*, vocabula *ἄναξ* et *ἀνάσσειν*, „quamquam *frequenter* apud *Homerum* occurrunt, tamen *haud fere ullis* in locis ita „posita reperiri, quin antecedat aut vocalis, aut istud ν paragogicum in Nominum „verborumque fine supervacaneum, quod ubique sine dispendio dempseris. Unde me„rito colligit, vocabula ista, in sermone *Aeolico*, praefixo *Digamma*, pronuntiata „fuisse *ϝάναξ* et *ϝανάσσειν*. Quod si verum est, consequens erit, ut vox *ἤνασσε* „pronuntiata fuerit *ἐϝάνασσε*· ideoque, (quod notatu dignissimum est,) versiculum a „voce *ἤνασσεν* vel *ἤνασσον* inchoatum, apud *Homerum* nusquam reperias."

3) Cf. Heyne *Iliad.* VII p. 721.

4) Pope *Dunciad.* IV 217 sq.:

„tow'ring o'er your Alphabet, like Saul,
„Stands our Digamma, and o'ertops them all".

5) Ex. gr. *θυμὸν δ' ἅλτο κάνακτος* Ξ 438, *στῆτε κελιχθέντες* Λ 587, quaeque praeterea de radice *κελικ* disputavit.

Digitized by Google

insunt, at alia risum movent vel nauseam incutiunt; displicet praeterea malignus animus, quo Bentlei laudibus obtrectat Dawesius dum eius invento utitur; neque fieri poterat quin deterreret homines ipsum signum, quo *ionicum* suum *vau* — nam Bentlei *digamma aeolicum* ab Homero procul habendum esse dicit — repraesentaverat; scribebat scilicet „αἰἀχοι i. e. ϝαϝιϝαχοι" et similia, contendens *spiritum lenem* ad id ipsum inventum esse ut sonum w indicaret. — Talem linguae Graecae παλιγγενεσίαν aspernatus in antiquo luto haerere se malle anno 1750 scribebat Dorvillius [1]), nec dubium quin multi ita iudicaverint; in eadem mente fuisse Ernestium apparet ex editione Homeri Clarkiani, quam anno 1759 curavit; vide autem quam superciliose et truculenter nova placita abnuat vir mitis alioquin et modestus [2]): „Noluimus ante attingere disputationem de digam-„mate Aeolico, cum ea, quae de eo per hos annos dicta sunt „a Britannis doctis, pluribus locis occasionem darent, ut in „προϊάπτειν A 3, σιγαλόεντα E 226 etc. Cui libet ista cognoscere, „adeat Taylorum v. c. ad Lysiam, p. 703. Dawesium Miscell. „Crit. c. 4, qui quamquam fautor digammatis, tamen Bentleio „adversatur. Nobis ista nova sapientia grammatica non magis „placet, quam Dorvillio ad Charit. p. 202, cuius iudicium „probamus". — Non mirum est igitur, virum doctum qui libri Dawesiani novam editionem curavit anno 1781, Th. Burgess, laudasse inventum Bentlei, laudasse Dawesii acumen, nova attulisse argumenta ad doctrinam digammaticam confirmandam — in his perabsurda, nam ϝούπω scribit et ϝετύφατσι et ϝίϝσωσι aliaque eiusdem farinae —, sed neque ionicum vau neque digamma aeolicum in textum Homeri invehendum censuisse. Et melius erat profecto nusquam scribi illam litteram quam usque quaque inculcari, dum vocabulorum natales et conformatio ignorabantur et ars grammatica inani originationis studio aegrotabat.

At dum Orbilii „in antiquo luto haerere se malle" profitebantur, quam vere dicerent ipsi non intellegentes, in Britannia sensim perspexerunt viri docti, Taylor Foster Upton Salter alii, non ita spernendum esse id quod Bentlei ingenium detexis-

1) Ad Chariton. p. 202.

2) In verbis quae subiunxit annotationi Clarkii ad Π 172 supra a nobis excriptae.

Digitized by Google

set; quibus mox accessit RICARDUS PAYNE KNIGHT: *Analytical essay on the greek alphabet* 1791.

Extra Britanniae fines interim in alia omnia inclinabant hominum mentes. Ernestius quid censuerit vidimus; amicus eius RUHNKENIUS, is tamen non doctor umbraticus, quam nihil tribuerit litterae ϝ clare docet editio hymni Cereris recens reperti anni 1782 [1]); tota haec quaestio eum fugisse videtur [2]). Ipse WOLFIUS, quo nemo vividius Bentleium admirabatur, initio huius quo vivimus saeculo digamma vocabat „senile ludibrium ingenii Bentleiani". Quo maiore laude dignus est is, qui primus in Germania sapere ausus est et pro virili operam dedit ut novam doctrinam excoleret; HEYNIUM dicimus, Ernestii discipulum. Qui si in multis misere lapsus est, temporis magis hi erant errores quam viri in paucis docti et sollertis; „praestat „autem utilibus admiscuisse aliquid falsi, quam vacua errore „sed inutilia attulisse" [3]). — Anno 1802 Heyne septuagenarius in lucem emisit editionem Iliadis maiorem (VIII voluminibus); quam dum exornabat, anno 1790 aliquantisper usus erat exemplari Homeri Bentleiano, quod ut ex Bibliotheca Collegii Trinitatis ei commodaretur amicus eius Burgesius effecerat. Hac demum editione, quae magnas movit hominum contentiones et seni venerabili plus taedii peperit quam honoris, in philologorum notitiam pervenerunt Bentlei placita de litterae digamma usu Homerico; ipse autem Heynius (Vol. VII p. 708—772) de illa consona fuse disputavit et catalogum fecit vocum quas initiale digamma in Homeri lingua habuisse existimabat.

Uni certe viro, πολλῶν ἀνταξίῳ ἄλλων, de summa rei persuasit, GODOFREDO HERMANNO, qui Bentleium a pueris suspicere in Reizii schola didicerat [4]). Argumenta contra digamma Ho-

1) Ex. gr. vs. 333 pro πρὶν ἴδοι poscit πρίν γ' ἴδοι.

2) VALCKENAERIUS autem licet inventi Bentleiani mentionem faciat in *epistola ad Röverum* p. 72, non tamen sensisse se quid intersit inter versuum X 236 et A 70 initia (ὃς ἔτλης et ὃς ἤδη) ostendit in observationibus suis ad Iliadis librum XXII (p. 54), quae simul cum illa epistola prodierunt (anno 1747). — Videantur etiam quae anno 1773 ad Adoniazus. p. 356 annotavit.

Non sine risu legi nunc possunt quae anno 1745 ALBERTI ad Hesych. s. v. γοῖδα (id est ϝοῖδα) observavit de Homeri versu θ 215 εἴ μὲν τόξον οἶδα.

3) Sunt verba G. HERMANNI de Seidlero in praef. Elementorum doctrinae metricae.

4) Vid. praef. Med. p. VI, Elem. doctr. metr. praef. p. XII, Opusc. II p. 263 sqq.

Digitized by Google

mericum prolata refutare eiusque in carminibus Homericis usum iustis finibus circumscribere studuit in iudicio quod de Heynii Iliade tulit anno 1803, multoque fusius biennio post in admirabili illa dissertatione *de aetate scriptoris Argonauticorum* (p. 688, 775 sqq.), „qua nihil tulit recentior aetas quod Bentleiano ingenio similius sit" [1]); videantur etiam quae ad hymn. Ven. 86 annotavit (1806). Magnus autem eius adversarius BOECKHIUS hac certe in re ei assensus est.

Sed quantum ad novam doctrinam promovendam utilitatis attulit Heynii Ilias copiis Bentleianis exornata, tantum mox ei nocuit editio viri neque indocti neque obtusi ingenii, sed qui maiore erat audacia quam doctrina: RICARDI PAYNE KNIGHT. Qui cum anno 1791 de littera vau disputasset in opere supra commemorato, anno 1813 autem *prolegomena ad Homerum* evulgasset [2]), tandem septuagenarius anno 1820 in lucem misit carmina Homerica, „repurgata" scilicet „et in pristinam formam redacta". Quae editio quantas habeat virtutes, quam multa insint prudenter observata vel egregio mentis acumine correcta, is demum agnoscit qui interiorem aliquam eius familiaritatem contraxit; at quae insunt absurda atque ludicra, — et plurima profecto insunt! — ea uniuscuiusque oculos statim feriunt, ad homines sobrii iudicii repellendos aptissima. Ipse titulus Ϝιλριας και Ϝοδυσσεια risum movet. Wilwias illa „ebria veratro" in contemtum adduxit haec studia. Sordebat iam digamma „Britannicum", et verendum videbatur ne ludus iocusque fieret nova ista sapientia, quae vocabulorum pareret portenta qualia sunt ϊϕθῖμορς πσυϝχας, αχαιϝσϝς, εϕιτενς, δσεϝς, Ϝιλϝιϝσο, aliaque id genus sexcenta. Aceto non captantur muscae; hoc demum senile erat ludibrium viri acuti sed huic operi prorsus imparis.

Sic lumen, quod Bentleius accenderat, fumo commentorum de nihilo fictorum denuo obtegebatur; is autem, qui librum spissum *de versu heroico* anno 1816 operose conscripsit, FRANCISCUS SPITZNER, vera a falsis discernere non potuit sed „digamma litteram Homero incognitam, hiatum vero usu vetus-

1) LEHRS *Quaestion. epic.* p. 255 (anno 1837).

2) Ex quo opere multa excripsit is qui notis suis quartam libri Dawesiani editionem — illustravit dicam an obruit? THOMAS KIDD 1817.

Digitized by Google

„tissimo non interdictum fuisse" profiteri non dubitavit [1]), — omnes nimirum ubique ferendos iudicans hiatus quod certis hexametri sedibus eos a poetis admissos esse intellegeret et temere a criticis expletos. Hic profecto οἴνου παρόντος ὄξος ἡράσθη πιεῖν.

At magna est vis veritatis. Semina quae frigore hiberno torpent non pereunt, sed veris et favonii gratam vicem expectant. Editionem Homericam littera ϝ instructam, quam senex Bentleius inchoaverat, senex Knightius tumultuaria opera nec sine bonarum litterarum detrimento confecerat, senex suscepit IMMANUEL BEKKER, Wolfii discipulus. Qui cum anno 1858 Iliadem, ante annos quindecim a se editam, una cum Odyssea denuo recognosceret, „digamma reduxit quantum poterat et licebat", vestigia igitur Heynii, cui iuvenis oblocutus fuerat, sub vitae finem ipse legens. Non ab omni parte satis probabilem esse rationem, quam in restituendo digammo Bekkerus secutus fuerat, nihili enim formas esse ἐΦήνδανε ἔτοργα et similia, quae hic illic excudenda curaverat, demonstrarunt A. LESKIEN 1866, COBET 1874 in *Mnemosyne* p. 201 sqq. Attamen in suas sedes tandem aliquando reducta erat aeolica quae dicitur littera, non in annotationes relegata; reducta autem ex longo exilio erat, non a temerario aliquo homine novarum rerum studioso, sed ab illo viro quo nemo plures scriptores Graecos ediderat.

Interim comparatio linguarum cognatarum et emendata omnino artis grammaticae ratio novam lucem huic quoque loco attulerunt; dialecti Graecae accuratius cognosci, inscriptiones colligi coeptae sunt; BUTTMANN, AHRENS, postea CURTIUS aliique suos libros scripserunt; de digammo autem Homerico prudenter et summa diligentia primus egit C. I. F. HOFFMANN in *Quaestionum Homericarum* volumine II, quod prodiit anno 1848, eodem igitur anno quo mortuus est Hermannus. Hunc multi sunt secuti, ex quibus prae ceteris commemorandi videntur SAVELSBERG *de digammo eiusque immutationibus* (progr. Aquisgrani 1854, iterum Berolini 1868), O. V. KNÖS *de digammo Homerico quaestiones* Upsalae 1872 sqq., W. VON HARTEL *homerische Studien* III, O. L. TUDEER *de dialectorum Graecarum digammo testimonia inscriptionum* 1879, KÜHNER-BLASS *ausführliche Grammatik* I³ p. 77 sqq. (1890).

1) Pag. 147; conf. ibid. p. 110.

Digitized by Google

Ex illo tempore verendum non est ne reviviscant errores Spitzneriani. Potuit adhuc poteritque disputari de optima Homerum edendi ratione, cum digamma litteram signo typographico in textu indicandam esse hi contendant illi negent, alii parcius alii largiore manu allitam velint; loci quibus violatur digamma sintne emendandi omnes, quod putabat Bentleius amore sui inventi pellectus, an quidam, an nulli, hac de re in diversa etiamnunc discedunt philologorum sententiae; sed neque quisquam, nisi forte delirus homo, hodie in animum inducere sibi potest nullum huius consonae vestigium in carminibus Homericis superesse, neque possunt adhuc existere qui litterae aeolicae, tanquam multiformi alicui Proteo, attribuant quicquid insoliti habet vetustissimae graecitatis dictio vel ars metrica. Ex subitaneis commentis et imperitorum tentaminibus excrevit nova scientia, quae coli augeri corrigi posthac poterit, non poterit convelli. Tandem surculus excrevit in arborem.

Bekkeri consilium claris verbis laudavit Cobet, secutus primus est Christ in recensione *Iliadis* 1884. Fick (*Odyss.* 1883, *Iliad.* 1886) digamma in iis tantum Iliadis et Odysseae partibus scripsit, quas a poetis Aeolicis compositas esse censet, Ionicae dialecto illam consonam abiudicans; qua de re quae sit nostra opinio, infra exponemus. Alii editores, e quibus nominatim indicati sunto La Roche et Nauck, variis argumentis deterreri se passi sunt quominus in textum inveherent signum insolitum, licet vim digammi probe perspectam haberent et in epicis quoque carminibus agnoscerent. „Nimirum" — ut Christ non sine causa expostulat et queritur [1]) — „qua sunt homines „perversa timiditate et obstinatione, prolixissimos libros de di„gammo orthographicisque rebus perlegere non recusant, sed „si quis, ut fructus aliquis subtilium quaestionum ad nitorem „carminum restituendum vel impedimenta scribendi removenda „redundet, tradita verba mutare ausus est, omnem antiquitatis „reverentiam exui clamitant."

Sed ad ipsam rem iam veniamus. In lingua, qua utebantur

1) Christ *Prolegom. Iliad.* p. 150.

Digitized by Google

poetae Iliadis et Odysseae, multa vocabula servabant initialem consonam *w* ab origine iis propriam.

Fuere qui putarent illum sonum in poetica tantum dictione illius aevi vixisse, cum ex lingua vulgari evanuisset; cantores igitur in hexametris suis dixisse ϝάναξ et ϝοῖκος et similia, sed ἄναξ et οἶκος quoties domi cum suis confabularentur. Sed veri est dissimillima haec opinio, quae neque aliunde potest confirmari — nam ignoramus quos sonos sermo quotidianus aevi Homerici sive in Ionia sive in aliis Graeciae regionibus habuerit — neque ipsis carminibus epicis commendatur. Non enim tali genere dicendi utuntur veteres poetae, quod vocibus vel vocabulorum formis intermortuis operose sit exornatum, non difficilis et fucata est eorum dictio, sed simplex et recta et cuivis perspicua. Adhibent sane nonnulla epitheta rariora, quae ipsorum auditoribus vix minus obscura fuisse quam hodiernis lectoribus suspicetur quispiam; attamen multum abest ut quovis versu portenta et aenigmata loquantur; lingua suorum popularium utuntur dum doctis indoctisque sua carmina canunt. Ergo, si ante pauca tantum vocabula, a vulgari dictione aliena, e. g. ϝεκηβόλος et ϝελίκωπες, vestigia spirantis ϝ deprehenderentur, aut in certis tantum formulis nominibusve propriis apparerent, quae mythi praebebant antiquissimi (Ϝῖρις, Ϝεκάβη, Ϝίλιος), defendi posset opinio eorum qui putant poetas sonum ϝ in versibus tantum usurpasse, non audivisse in civium suorum sermone familiari; cum vero alia omnia doceant carmina epica et digamma reperiatur in multis vocibus quibus nemo non quotidie utitur, ϝάστυ ϝοῖκος ϝοῖνος ϝείκοσι τε ϝέργον ϝιδεῖν centumque aliis, propellimur et cogimur in eam sententiam, quam supra expressimus, ut consonam digamma in ipsa lingua, qua utebantur poetae epici eorumque populares, vixisse statuamus. Contrarium autem si nobis fingimus, poetas locutos esse linguam consona ϝ carentem, quid tandem permovere eos poterat ut in carminibus suis intermortuum illud vau resuscitarent et *woinos* vel *we* dicerent potius quam *oinos* et (*h*)*e*? Minusne haec venusta? an metro minus apta? — Plus dicimus: poetae epici, qui non, ut grammatici hodierni, scrutabantur linguae graecae initia vicinorumve populorum linguas comparabant, ne scire quidem poterant voci *oinos* aliquando praemissum fuisse sonum *w*, si

Digitized by Google

spirans illa initialis ex usu quotidiano evanuisset. Itaque facetius quam verius dictum est [1]) „digamma in Homeri lingua non „verum esse sonum sed soni umbram, circa sedes quas olim „tenebat post mortem oberrantem". Immo vegetus et florentissimus Homeri tempore erat hic sonus, nec dubitandum est quin in eius patria pueruli per plateas ludentes *ϝάναχτα* suum sibi elegerint, sitientes homines *ϝοῖνον* poposcerint, tardi ut *ϝοἶκαδε* redirent compellati fuerint.

Multo graviorem ducimus errorem eorum qui putant spirantem *ϝ* neque in lingua poetarum epicorum vixisse neque in carmina ab iis receptam esse, sed vocabula illa, quae digammi vestigia ostendunt, ita a poetis esse habita quasi consonam illam, quae olim adhaesisset, adhuc servarent intactam. Haec opinio quomodo tandem nasci possit in mente viri, qui Homerum suum amet et magnis poetis vetusta illa carmina deberi arbitretur, nos quidem fugit. Attamen sunt etiamnunc, sunt inter recentissimos Homeri editores, viri docti profecto et acuti, qui ita censent, ideoque vituperant conamina eorum qui digamma „quantum licet" in carminibus Homericis restitutum eunt. Verbis apertis hanc sententiam expressit Paulus Cauer anno 1889 [2]): „die epischen Gesänge, deren abschliessende Redak „tion in unserer Ilias und Odyssee vorliegt, sind in einer „Mundart gedichtet, die den Laut des *ϝ* nicht mehr besass. „Die Sänger selbst wussten nicht mehr, warum sie *ἀπὸ ἕο*, „*μέγα ἰάχων*, *τόξον ὀΐδα* sagten, warum sie den Hiatus vor „gewissen Worten sich gefällen liessen, sondern sie gebrauchten „diese Freiheiten, weil sie in zahlreichen formelhaften Wen„dungen, in Versen und Versgruppen, die man aus einer frühe„ren Periode der Dichtung übernommen hatte, von Alters her „vorkamen. Wer also heute einen Homertext druckt, der han„delt falsch, wenn er das *ϝ* mit aufnimmt". — Difficile est aequo animo haec perlegere. Eumne igitur eventum habeant tot virorum sagacium disquisitiones subtilissimae, ut Ilias et Odyssea

1) Ita locutus est Jebb in vita Bentlei.

2) In recensione nostrae Iliadis, *Berliner philologische Wochenschrift* 30 Nov. 1889 p. 1521. — Addere liceat in eadem ephemeride de ipso Cauero hoc ferri iudicium a viro docto Peppmueller (11 Oct. 1890): „die Unsicherheit von Cauers Kritik zeigt sich gleich bei Behandlung des Digamma".

Digitized by Google

iam credantur conditae esse ab hominibus artis et iudicii expertibus, qui ne versus quidem pangere scirent? Nae praeferimus lutum illud antiquum, in quo haerebant Dorvillii et Spitzneri; hi enim metri vitia in vetustis illis operibus extare negabant, recentissimi vero critici in animum sibi inducunt vitia metrica passim ab ipso vate admissa esse dormitanti, cum ὥσπερ γραῦς κάχρυς ἀλοῦσα cantillaret verbula ex obsoletis quibusdam carminibus excerpta, quae ipsius memoriae inhaererent. At

non dormit vates: critici sua somnia narrant.

Si quis credit eos poetas qui Hectoris cum uxore colloquium, Achillis iram, Priami luctum, Ulixis reditum cecinerunt, ideo dixisse ἀπὸ ἕο, τόξον οἶδα etc. quod ab aliis vatibus in aliis versiculis aliquando producta esset syllaba -ο vel -ον, is etiam opus musivum picturae Rembrantianae simile iudicet vel centones Homericos anteponat ipsi Homero.

Sed cavendum ne indignatione abrepti verba pro argumentis dare videamur aut erga alios philologos, eos quoque veri studiosos, iniqui fiamus. Sedata igitur mente reputemus satisne valeat Caueri haec observatio de loco Iliadis Ω 152. Iuppiter cum mandata dat Iridi ad Priamum perferenda, haec addit:

μηδέ τί οἱ θάνατος μελέτω Φρεσὶ μηδέ τι τάρβος·
τοῖον γάρ οἱ πομπὸν ὀπάσσομεν ἀργειφόντην,
ὃς ἄξει εἶως κεν ἄγων Ἀχιλῆι πελάσσῃ.

Venit Iris ad regem, et his verbis eum compellat (vs. 181 sqq.):

μηδέ τί τοι θάνατος μελέτω Φρεσὶ μηδέ τι τάρβος·
τοῖος γάρ τοι πομπὸς ἅμ' ἕψεται ἀργειφόντης,
ὅς σ' ἄξει εἶως κεν ἄγων Ἀχιλῆι πελάσσῃ.

Gemini hi loci quantam habeant vim ad confirmandam doctrinam quae est de Homerico digammo, demonstrarunt Bekker et Cobet. Ipsa poetae verba versu 183 luce clarius ostendunt, in versu 154 pronomen ϝ'(ε), quod cum metrum flagitat tum sententia, post ὃς intercidisse. Quid igitur? Numne poeta huius loci putandus tamen est ὃς ἄξει cecinisse „ad exemplum antiquiorum aliquorum carminum?" Credimusne eum „nesciisse cur produceret syllabam ὃς", sed audivisse aliquando ab aliis hexametri initio productam? Bona verba! absurda enim iam evadit sententia, quam a Cauero, quo est mentis acumine, defensum iri credibile non ducimus. Nonne melius est concedere Bekkero et

Digitized by Google

Cobeto, poetam qui hanc fecit rhapsodiam in hoc certe versu consonam ϝ pronuntiasse et ϝ' ἄξει dixisse ut mox σ' ἄξει? Atqui si uno loco, qui in recenti satis Iliadis parte occurrit, certis argumentis stabilitum est digamma [1]), non est cur sexcentis aliis aliter iudicemus; non est cur negemus potuisse audiri *dicam*ne (ϝερέω) vellet poeta an *rogo* (ἐρέω), distincta fuisse in eius ore pronomina *qui* (ὅς) et *suus* (ϝός).

Sed fortasse dixerit quispiam: „o bone, verberas aëra; non „haec est mens Caueri et eorum qui cum eo consentiunt. Dicere „voluit ille, certe debuit, Iliadem et Odysseam, licet natae „sint e carminibus brevioribus in quibus digamma vivebat, ipsas „tamen compositas esse dialecto quae ea consona carebat, dia„lecto nimirum Ionica". — Esto, quamquam minime obscure locutus est Cauer l.l. [2]); sed fingamus hanc esse sive eius sive aliorum criticorum sententiam: duas igitur vias patentes sibi habet is qui ita iudicat. Aut contendere potest carmina ea, quae ipsi poetae fecerant, in parva fragmenta esse comminuta et tantum non periisse, mutata enim decurtata amplificata esse omnia et vix unum et alterum hexametrum superesse talem qualis ex poetae ore prodierit; aut cum Fickio potest censere, antiqua carmina etiamnunc satis integra superesse nec praeter spem sanandi corrupta, sed in Ionicam dialectum ex Aeolica (quatenus id sine violentia fieri poterat) conversa esse et multis recentiorum additamentis onusta; haec resecanda esse, in genuinis vero versibus et alia quae Aeolica dialectus propria habuit restituenda esse (psilosin, ᾱ, ἵστελλα etc.) et digamma [3]). At duarum harum opinionum prior eo redit ut carmina Homerica — e. g. Agamemnonis cum Achille rixam vel preces Priami vel Ulixis narrationes — non vera carmina esse credamus sed carminum umbras et versuum rudera; ex lapidibus templi antiqui tuguria et stabula rudi arte structa esse; ipsos quidem poetas dixisse *φίλε ϝεκυρὲ δρεινός τε* vel *ϝάλις δέ ϝοι· ἀλλὰ ϝίκηλος | ϝερρέτω* vel *οἷά τε ϝῷ ϝοικῇ ϝάναξ ἐύθυμος ἔδωκε*, sed

1) Eratne haec emendatio ignota Fickio? Edidit certe ὃς ἄξει ἄδός κεν ἄγων Ἀχιλῆι πελάσσῃ.

2) Etiam Ludwichii (*Aristarch.* II p. 287) ea videtur esse opinio.

3) „Das digamma, welches uns verbietet Homer als Ionier, und uns nöthigt ihn als Aeoler zu denken". Fick *Odyss.* p. 7 et saepius.

Digitized by Google

in illa hexametrorum congerie, quae ad nos pervenit, immodulate inde ab initio fuisse Φίλε ἑκυρὲ et δέ οἱ et τε ϝῷ, quandoquidem ea carmina, quae Iliadis vel Odysseae nomine grandisono designari soleant, ex membris ossibusque verorum poematum fuerint consarcinata ab hominibus qui nescirent quid esset hiatus quidve interesset inter syllabam longam et brevem. Ita igitur si quis opinatur, proferat suam sententiam, ut explodi possit; sed quoniam nemo hactenus tale iudicium de reliquiis poeseos epicae musis invitis tulit, diutius in ista hypothesi ridicula commorari nos non oportet. Restat igitur ut illi, qui arbitrantur in hodiernam carminum Homericorum formam consonam digamma [1]) non quadrare, addicant se partibus Fickii, cuius sententiam supra indicavimus. Quae tamen hoc praesertim premitur incommodo quod nulla est iusta causa cur contendamus ab Ionica dialecto alienum fuisse digamma quo tempore natae sunt Ilias et Odyssea [2]). Nam multum abest ut haec spirans aut in vetustissimis horum carminum partibus religiose sit servata aut in recentioribus passim omissa; Fickius autem, qui modo sic iudicat: „en digamma neglectum, deleatur igitur versus spurius ab Ionico homine insertus", modo sic: „genuinus hic est versus, at neglectum in eo est digamma, ergo corrigendus est locus", in circulo vitioso circumagi videtur et sic fere argumentari, quod pace viri eximii dictum esto: „Ionica dialectus eo tempore, quo Ilias et Odyssea ex minoribus carminibus concreverunt, carebat consona ϝ". — Unde hoc scimus? — „Ex carminibus Homericis". — Quomodo igitur id inde efficitur? — „In additamentis, quae a poetis Ionicis sunt composita, saepe neglegitur digamma". — Sed additamenta ista quomodo agnoscuntur? — „Ex neglecto praesertim digammo".

---

1) Non de *signo typographico* nunc loquimur sed de ipso *sono* vau.

2) „Die annahme, dass zur zeit Homers die Ias das digamma noch intact besessen „hätte, lässt sich zwar aus mangel an uralten quellen des ionischen dialects nicht „wiederlegen, wird aber schon dadurch äusserst unwahrscheinlich, dass auch den „Attikern das digamma völlig mangelt, dieser laut also dem ionischen stamme „schon vor der wanderung der Ionier nach Kleinasien gefehlt zu haben scheint". Fick *Odyssee* p. 11. — At *Atticae* dialecti fontes illi antiquissimi, unde appareat digamma ne Homeri quidem tempore in illa regione vixisse, ubi sunt? Si quis contendat puellas Atticas olim inter saltandum cantasse ποῦ μοι τὰ ϝία, quomodo refellendus erit?

Digitized by Google

— At genuinis quoque carminum locis multis digamma frustra hodie quaeritur. — „Hi igitur corrigendi sunt". —

Sed probanda sunt haec, ne cavillari videamur. Totum Fickii Homerum excerpere longum est: sufficiet pars modicis finibus circumscripta. Videamus igitur quomodo de digammo iudicaverit in iis Odysseae rhapsodiis, quas Ὀδυσσέως νόστον olim effecisse cum Kirchhoffio censet (*α*, *ε*, *ζ*, *η*, *ι*, *λ*, *ν*).

Sequentes locos, ubi in textu tradito digamma neglectum est, Fick correxit: *α* 10 *εἰπὲ*] *ἔσπε*, 37 *εἴπομεν*] *ἔσπομεν*, *ε* 61 *ἀοιδιάουσ' ὀπὶ*] *ἀείδοισα ϝοπὶ*, 96 *μιν ἔπεσσιν*] *ϝε ϝέπεσσι*, 100 *δ' ἂν* (vel *γὰρ*) *ἐκὼν*] *κε ϝέκων*, 206 *εἴ γε μὲν εἰδείης*] *εἰ μὲν ϝειδείης*, 234 *δῶκε μέν οἱ*] *δῶκ' ἄρα ϝοι*, 342 *ὧδ' ἔρξαι*] *ὡς ϝέρξαι*, *ζ* 60 *δὲ σοὶ αὐτῷ ἔοικε*] *δ' αὖτόν σε ϝέϝοικε*, 258 *ὧδ' ἔρδειν*] *ὡς ϝέρδην*, *η* 234 *εἵματ' ἰδοῖσα | καλὰ*] *ϝέμματα καλλὰ | τοῖα*, *ι* 60 *δ' ἀφ' ἑκάστης*] *δὲ ϝεκάστας*, 182 *σπέος εἴδομεν*] *ϝίδομεν σπέος*, 226 *ἐρίφους τε καὶ ἄρνας*] *ϝάρνας τ' ἐρίφοις τε*, 419 *που μ' ἦλπετ'*] *ἔμ' ἐϝέλπετ'*, 454 *Φρένας οἶνῳ*] *Φρένα ϝοίνῳ*, 46[illegible] *νεῦον ἑκάστῳ*] *νεῦσα ϝεκάστῳ*, 530 *πολυπόρθιον οἶκαδ'*] *-θον ϝοίκαδ'*, *λ* 213 *ἤ τί μοι εἴδωλον*] *ἤ μοι ϝείδωλον*, 54[illegible] *εἴροντο δὲ κήδε' ἑκάστη*] *ϝέρρον τ' ὅ τε κᾶδε ϝεκάστα*, 561 *ἀλλ' ἄγε δεῦρο ἄναξ, ἵν' ἔπος*] *ἀλλὰ ϝάναξ ἄγε δεῦρο, ϝέπος*, *ν* 121 *ὤπασαν οἶκαδ'*] *δῶκαν ϝοίκαδ'*. — Sed in versibus, quos Ionico diasceuastae (Cynaetho Chio) tribuit, digamma neglectum Fickio est indicium ionismi (p. 302 sq.): *α* 91 *ἀπειπέμεν*, 110 *ἄρ' οἶνον*, 259 *παρ' Ἴλου*, 293 (et *λ* [illegible]0) *τε καὶ ἔρξῃς* (*ἔρξω*), 441 *ἐπέρυσσε*, *δ* 649 *αὐτὸς ἐκὼν*, 682 *ἦ εἰπέμεναι*, *η* 187 *ὄφρ' εἴπω*, 196 *πρίν γε τὸν ἦς*, 202 *εὖτ' ἴδωμεν*, 248 *ἐΦέστιον*, 321 *πολλὸν ἑκαστέρω*, 322 *οἵ μιν ἴδοντο*, 326 *ἀπήνυσαν οἶκαδ'*, *λ* 61 *ἀθέσΦατος οἶνος*; — item in emblematis quae ipsi videntur sero insertis (pag. 306 sqq.): *ε* 34 *κ' εἰκοστῷ*, *ζ* 280 *ἦ τίς οἱ εὐξαμένῃ*, *η* 110 *ἐπετήσιος*, *ι* 65 *τρὶς ἕκαστον*, 127 *τελέοιεν ἕκαστα*, 143 *προυΦαίνετ' ἰδέσθαι*, *λ* 297 *πάντ' εἰπόντα*, 522 *κάλλιστον ἴδον*, 550 *δ' ἔργ'*, *ν* 80 *νήγρετος ἤδιστος*.

At loci, quos corrigendos censet Fick, simillimi sunt iis quos spernit. Cur *α* 10 *εἰπὲ* mutatur, non mutatur *ἀπειπέμεν α* 91, *εἰπω η* 187? Cur *ε* 96 *μιν ἔπεσσι* fit *ϝε ϝέπεσσι*, non sanantur eodem remedio verba *οἵ μιν ἴδοντο η* 322? Cur *ε* 234 pro *δῶκε μὲν οἱ* tentatur *ἄρα ϝοι*, spernitur *η* 196 correctiuncula *πρὶν τὸν*

Digitized by Google

ἐϝῆς pro πρίν γε τὸν ἧς? Cur ε 100 pro δ' ἂν (vel γὰρ) ἐκὼν corrigitur κε ϝεκὼν, sed δ 649 ionismi indicium dicitur αὐτὸς ἐκὼν, cum in promptu sit Bekkeri coniectura αὐτὸς ἐγὼ? Cur ν 121 pro ὤπασαν οἶκαδ' rescribitur δῶκαν ϝοἶκαδ', η 326 ne tentatur quidem correctio multo lenior ἄνυσσαν ϝοἶκαδ' pro ἀπήνυσαν οἶκαδ'? Negari nequit criticum, studio ut fit abreptum, duabus mensuris usum esse, ex digammi autem sive amore sive contemtu vetustas carminum epicorum partes a recentioribus secerni non posse [1]). Itaque si οἶκαδε vel ὅς pro ϝοἶκαδε et ϝός legitur in hexametro quem Cynaethus fecit — ut nos quoque hoc nomine utamur brevitatis causa — illum locum post Cynaethi igitur aevum vitium contraxisse non minore iure concludimus quam si digamma deest in versu aliquo τῆς Μήνιδος vel τοῦ Νόστου.

Quin firmiore etiam argumento hanc rem, quae haud exigui est momenti, demonstrare conabimur. Hymnum Apollinis Delii idem ille Cynaethus, quem Odysseam ex carminibus Aeolicis, in Ionicam dialectum ab ipso conversis, consuisse arbitratur Fickius, circa annum 500 a. C. n. composuisse fertur. Hanc famam, a Barnesio et Ruhnkenio (epist. crit. I p. 7) olim impugnatam, veram ducit Fick et sic de hoc hymno scribit Odyss. p. 290 (cf. Iliad. p. XXXII): „die sprachlichen beweise für den „ionischen ursprung des hymnos sind: vs. 15 Ἀπόλλωνά τ' „ἄνακτα, ... 46 εἴ τίς οἱ γαιέων υἱεῖ θέλοι οἰκία θέσθαι ent„hält vier verstösse gegen die altäolische sprache. 64 δυσηχής: „ϝᾶχος. 71 πρῶτον ἴδῃ. 102 αἱ δ' Ἴριν προύπεμψαν ... 163 „μιμεῖσθ' ἴτασιν, Φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος. 177 λήξω ἑκηβόλον. „181 μέγ' ἀνάσσεις". — At negamus et pernegamus his argumentis rem confici; nam vs. 15 sine ullo sententiae detrimento deleri potest vocula τε, vs. 46 rescribimus εἴ τίς ϝοι γαῖα aut εἴ τις γαιάων (sic var.) θέλοι υἱέι ϝοικία θέσθαι, vs. 64 adiectivum δυσηχής etiam ob usum insolitum suspicionem movet, vs. 71 legendum est τὰ πρῶτα ϝίδῃ (quemadmodum e. g. hymn. Ven. 186 extat τὰ πρῶτα ἴδον), vs. 102 fortasse fuit Ϝῖριν (Ϝίριδα?)

1) „Aeolicam litteram nihil conferre ad solvendam quaestionem quae est de Ho„mericorum carminum origine" diu ante nos statuerunt aptisque argumentis demonstrarunt NABER *Quaest. Hom.* p. 79, CHRIST *die Interpolationen bei Homer* 1879 et in *Iliadis Prolegomenis* p. 151.

Digitized by Google

δ' αἱ, vs. 163 tentari potest μιμεῖσθαι (sic codd. omnes!) τίσασι· Φαίη δ' αὐτός κε τέκαστος; vs. 177, qui tamen vix cohaeret cum praecedentibus, coniecerit aliquis λήξω Ἀπόλλωνα τεκάτεργον (cf. A 438); versus 181 denique, qui cum vicinis nullo vinculo iunctus est et ab ipso Fickio secernitur, neglegi hic potest.

Non certa omnibus locis quos Fick notavit remedia adtulimus: optime scimus; at nihilo audaciora minusve probabilia haec esse contendimus quam ea quae in antiquioribus Odysseae Iliadisve partibus molitus est ipse Fick ut digamma posset revocari, e. g. τέμματα κάλλα | τοῖα pro εἵματ' ἰδοῦσα | καλά. Adde quod in multis versibus huius hymni restitui *potest* digamma: vs. 7 τοι, 27 τεκάτερθε, 29 τανάσσεις, 45 τεκηβόλον, 50 et 111 τέπεα, 66 τέπος, 75 τάδε τοι, (78 τοικία et 84 τίστω initio versus), 90 τεκάτοιο, (106 ἔπειτα τέπεσσιν pro -τ' ἐπέεσσιν), 133 τειπὼν, 134 τεκατηβόλος, 153 τίδοιτο, 169 τήδιστος, 172 τοικεῖ, — adde quod *utilis* est haec consona vs. 56 Ἀπόλλωνος ‖ τεκατέργου, 140 ἀργυρότοξε ‖ τάναξ τεκατηβόλ', 157 Δηλιάδες ‖ τεκατηβελέταο θεράπναι, — adde quod *necessaria* est vs. 1 Ἀπόλλωνος τεκάτοιο, 63 et 90 ἑκάτοιο τάνακτος, 47 et 70 ἐδέδτισαν et δέδτοικα, 74 κατὰ κρατὸς τάλις, 107 ὠκέα Τῖρις — et agnoscamus tandem id quod ferit oculos: in hymno illo Apollinis Delii, quem ab Ionico homine compositum esse et veteres testes narrant et ipsum carminis argumentum docet, vestigia digammi nihilo rariora aut obscuriora superesse quam in rhapsodia ζ vel ι aliave parte qualibet carminum vetustissimorum. In ore caeci huius viri, qui Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ se habitare ipse professus est [1]), digamma vivebat [2]).

Hoc est cur ad Fickii sententiam accedere nolimus. Reiciendam praeterea ducimus opinionem, quam a Prisciano olim

1) De tempore quo vixit compertum nihil habemus, sed diu ante annum 500 putamus hymnum hunc esse compositum. — Saeculo VI° consonam ϝ in Chio insula intermortuam fuisse, ostendit titulus vetustissimus anno 1880 Deli repertus (IGA 380a, Roberts *Epigraphy* p. 68 sq.), in quo licet nonnulla sint dubia (cf. van Herwerden *studia critica in epigrammata graeca* p. 117), haec tamen certa sunt vocabula: ...σιν Ἐκηβό[λῳ?] et [τ]ῷ Χίῳ.... πατρώιον ἄσ[τυ].

2) Sic etiam Flach iudicavit *Bezzenb. Beiträge* II p. 1—72; obloquitur Gemoll in Hymnorum editione p. 120, nullis tamen allatis argumentis.

Digitized by Google

prolatam [1]) postea multi viri docti suaserunt [2]), nemo maiore sollertia comprobare studuit quam W. von Hartel: eam fuisse digammi indolem ut in eodem vocabulo modo consonae vice fungeretur modo vocalis fieret vel etiam pro nihilo haberetur. Prisciani autem, qui fortasse decipiebatur librorum suorum vitiis [3]), hac in re nulla est auctoritas; rem vero ipsam si consideramus, vero dissimillimum videtur, sonum aliquem, cuius tanta in carminibus epicis sit vis ut ad syllabam producendam multis locis solus sufficiat, alibi frequenter esse neglectum sine ulla necessitate metrica. Nam toto coelo distat correpta syllaba quae vocem Ζἄκυνθος praecedit, vel syllaba prima nominis Ἀφροδίτη, a versibus quales forent ἐὺ δ' τοίκαδ' ἰκέσθαι et ὅστις σέθεν ἀντίον εἴπῃ. In Hartelii sententiam libenter iremus si huiusmodi licentia metrica raro deprehenderetur nec nisi in paucis quibusdam vocabulis et propter certas aliquas causas; duplices talium vocabulorum formas extitisse tunc crederemus, quarum altera veram consonam in fronte habuerit, altera aut nullam aut umbram aliquam consonae, quae vix perciperetur neque afficeret versuum numeros. Ita si se haberet res, id unum maneret incertum utrum omittenda esset illa consona locis ubi nulla eius vis apparet, an oculis tamen esset ostendenda. At non haec est quaestionis condicio; nam modo ab hoc, modo ab illo vocabulo Homerico digamma abest, neque in recentioribus tantum locis sed in antiquissima quaque Iliadis vel Odysseae parte hic illic neglegitur. Quae cum reputamus, intellegimus, locos Homericos, ubi initialis consona rariorum quarundam vocum metro cogente neglegitur, non posse satis apte componi cum versibus ubi intercidit aut — si quis ita loqui mavult — pro nihilo habetur digamma vocabuli ϝάναξ vel pronominis ϝός similiumque vocum, centum aliis locis Homericis digamma habentium.

---

1) Priscian. I p. 22: „digamma Aeoles est quando in metris pro nihilo accipie„bant, ut ἄμμες δ' ϝειρήναν, τὸ δὲ τὰρ(Ρ) θέτο μῆσα λιγεῖα. Est enim hexametrum „heroicum." — Prisciani locus hic admodum memorabilis a Bentleio Dawesio Knightio etc. allatus est.

2) Inter alios Bentleius ipse (A 19 „*Dwoikad*, ut anglice *Dwell*"), Heyne, Knight (e g. Ω 449 ποίησαν ϝάνακτι), Kidd in Dawes. Miscell.[a] p. 199; vid. etiam Hermann ad h. Ven. 86, Hoffmann *Quaest. Hom.* II p. 69 et 182.

3) Vid. Giese *Aeol. Dial.* p. 184.

Digitized by Google

Si verum vidisset von Hartel, nihil obstaret quominus digamma per totum Homerum summa constantia restitueretur. Si verum esset id quod Ludwich *Aristarch.* II p. 274 sqq. magna cura demonstratum ivit, *mobilem* fuisse litteram ϝ, perinde atque sigma vel labda vocum σκίδναμαι-κίδναμαι, λείβω-εἴβω, et sine vitio igitur a poetis modo servari potuisse modo omitti, digamma appingi posset in editione hodierna ubicunque eius vis ex versuum numeris agnoscitur, ceteri loci non essent sollicitandi. Sed neutram rationem, quantumvis simplicitate et facilitate se commendantem, satis tuto secutus fuerit aliquis. Ex parte fortasse Ludwichio assentiri debemus, satis credibilis enim est sententia, nonnullas voces aevo Homerico vacillantem habuisse consonam ϝ, et harum igitur duplicem formam tunc temporis cum in ore hominum circumferri tum a poetis usurpari coeptam esse, e. g. ϝέρκος-ἕρκος, ϝελεῖν-ἑλεῖν aliaque pauca huiusmodi [1]). At ubi οἶδα pro ϝοῖδα reperitur vel ὅς pro ϝός, ἄναξ pro ϝάναξ, ἔπος pro ϝέπος, ea certissima ducimus textus vitiati indicia, sive igitur versus, in quo talis error deprehenditur, insertus fuerit postea sive mutatus. Ab eiusmodi autem locis quamquam abstinendae sunt saepe manus, cum certa emendatio proferri nequeat, non tamen prudentis critici esse censemus sine suspicione eos dimittere.

Ceterum compluribus vocabulis digamma potest reddi sine ulla textus traditi mutatione [2]): ϝέαρ, ϝαραιός, ϝῆρα, ϝέτης, ϝεκυρός,

---

1) Prudenter hac de re disputavit Monro *Hom. Grammar* § 400; vid. etiam Christ *Proleg. Iliad.* p. 158 sqq.

2) Mutationem non dicimus cum omittitur a critico hodierno littera mobilis in fine vocabuli praecedentis. Contendit quidem Ludwich *Aristarch.* II p. 278—283 ne paragogicum quidem -ν sine temeritate posse deleri ut digamma sequenti voci praefigatur, sed vix serio ita contendisse eum suspicamur, ioco certe quam argumento sunt similiora quae pag. 278 scripsit: „meine Meinung gründet sich zunächst auf „die unleugbare Thatsache, dass das paragogische ν der griechischen Sprache noch „verblieb, als das Digamma längst untergegangen war: folglich muss dieses von vorn „herein kräftigerer Natur gewesen sein als jenes". — Nemo non videt non posse ita inter se comparari duos sonos dissimillimos, quorum alter dominium habet quod sensim analogiae et euphoniae studio extensum et sero demum certis legibus adstrictum est, alter ipsis radicibus verborum inde ab origine inhaerens paulatim evanuit eum Graecorum ori minus addiceret. „Robur" utriusvis litterae — si de robore, non de iure, inquirendum est aut cum Thrasymacho credimus ius esse τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον — hinc non cognoscitur; in Homero autem quam exiguum sit robur paragogicae litterae -ν, docent loci ubi σφ' vel χείρεσσ' pro σφιν vel χείρεσσιν reperitur

Digitized by Google

ῥέρρω, ῥέσπερος, ῥήνοπι, ῥίον, ῥουλαμός, alia post leves satisque certas paucorum locorum correctiunculas per totum Homerum digamma suum recuperant: ῥάγνυμι ῥάναξ ῥάνασσα ῥανάσσω ῥάλις ῥάστυ ροι ῥέθνος ῥῆθος.

Cur igitur consona illa, quam poetarum aevo in illorum patria viguisse ipsa carmina Homerica luculenter docent, non cernitur in textu quem traditum accepimus? Ad hanc quaestionem responsum simplex et apertum cum velles dari posse, hactenus dari non potuit neque a nobis est expectandum. Quae tamen verba non ita accipienda sunt quasi rem admodum miram ducamus nullamque eius causam satis probabilem excogitare possimus, sed hoc dicimus: inter duas causas, quarum utravis ad rem explicandam sufficiat, nimis incertam videri optionem. Nempe credibile est carmina epica, cum antea in cantorum tantum ore vixissent, in Ionia alibive litteris mandari eo demum tempore coepta esse quo ex lingua quotidiana illic evanuisset consona vau neque suum igitur haberet signum inter elementa quibus homines in ea regione uti solebant [1]). At non minus est credibile in antiquissimis carminum epicorum exemplaribus litteram digamma passim suum locum obtinuisse, sed omissam esse in iis quae recentiore aetate exarabantur [2]). Nos illam opinionem non reicimus, in hanc tamen magis inclinamus.

Digamma autem non per totam Graeciam eodem tempore obmutuisse et aliunde constat et ex lapidum testimoniis uberrimis; ex Ionia et Attica citius evanuisse quam ex aliis regionibus, id quoque constat; sed neque est cur negemus antiquitus ibi quoque illum sonum auditum esse, neque accurate definiri potest quo tempore illic interierit. In tanta autem raritate inscriptionum quae sextum saeculum attingunt vel superant, minime sunt spernenda indicia quaedam ex quibus dudum collegerunt viri docti etiam Atticos Ionicosque homines olim adhibuisse signum ϝ.

---

1) Sic iudicat e. g. Christ *Proleg. Iliad.* p. 151.

2) Haec explicatio profertur ex. gr. apud Kühner-Blass *ausführl. Grammatik* I[3] p. 85 sq, quo loco optime et perspicuis admodum verbis de digammi Homerici indole et virtute agitur.

Digitized by Google

Athenienses illa littera aliquando usos esse cum antea non potuisset demonstrari [1]), tandem reperta est in epigrammate saeculi VI^{i}, quod anno 1890 evulgatum (Δελτ. ἀρχαιολ. 1890 p. 103) affertur apud VAN HERWERDEN *studia critica in epigrammata Graeca* p. 130, commemoratur apud KÜHNER-BLASS *ausführliche Grammatik* I^{3} Vorwort p. XV sq. et p. 638. Legitur ibi ΑΓΤΤΑΡ [2]), id est *αὐτὰρ*, supervacanea igitur est littera ρ, unde efficitur quadratario notum quidem fuisse signum sed sonum in ore eius civium tunc temporis non amplius vixisse.

Idem valet de inscriptione Naxia, Ionica igitur, quae ante duo saecula innotuit (CIG. 10, IGA. 409, KAIBEL *Epigr.* 1097, CAUER *Delect.*^{2} 518, KIRCHHOFF *Alphabet*^{4} p. 86, CHRIST *proleg. Iliad.* p. 153, FICK *Odyss.* p. 9, ROBERTS *Epigraphy* p. 67, etc.): ΟΑΓΤΤΟΛΙΘΟΕΜΙΑΝΔΡΙΑΣΚΑΙΤΟΣΦΕΛΑΣ. Hanc inscriptionem, Deli repertam in basi marmorea statuae Apollinis a Naxiis dedicatae (vid. Plut. Nic. 3), Bentleius primus recte est interpretatus *τοῦ αὐτοῦ* (*ταὐτοῦ*) *λίθου εἰμ' ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας*. A cuius sententia postea viri docti complures discesserunt, *θαεῦ* (Roehl) vel *θαυτοῦ* (i. e. *θαητοῦ*, *θαυμαστοῦ*, Bergk Wilamowitz) conicientes, quoniam nulla littera intercidisse dicebatur; postquam tamen ex apographo Purgoldii, qui lapidem denuo inspectum accurate repraesentavit, apparuit a fronte aliquid deesse, redeundum est ad Bentlei explicationem, quae egregie nunc confirmatur Attico illo lapide, in quo *ἀγυτὰρ* legitur.

Suum locum obtinet digamma in abcdario Amorgi reperto (IGA. 390*b*), et ter est usurpatum in fragmentis inscriptionum duarum, quae Olympiae effossae Rhegino homini, ex Chalcidensi igitur colonia oriundo, admodum probabiliter tribuuntur (IGA. 532 sq., ROBERTS *Epigraphy* p. 203 sq.). Legitur ibi ΓΟΙΚΕΟΝΕΝΤΕΓΕΕΙ (*ϝοικέων ἐν Τεγέῃ*) bis, et ΗΟΣΣΑΓΟΙ

---

1) Attica inscriptio anno 1880 detecta, quae ceteras omnes antiquitate longe superat neque post VIIum saeculum insculpta esse videtur (ROEHL *Imag.* p. 68, ROBERTS *Epigraphy* p. 74), nullum habet vocabulum in quo expectari poterat digamma. Litteris pervetustis sinistrorsum ductis ibi legitur *ὃς νῦν ἀρχηστῶν πάντων ἀταλώτατα παίζει | τοῦ το...*, reliqua dispici non possunt.

2) Tota inscriptio haec est: ....*s φιλες παιδος | κατεθεκεν ⋮ καλον ιδεν | αγυταρ ⋮ φαιδιμος ⋮ εργασα | το.* Quae fortasse ita sunt supplenda: [*σῆμα* nomen proprium *μ*]*ε φίλης παιδὸς κατέθηκεν | καλὸν ἰδεῖν, αὐτὰρ Φαίδιμος εἰργάσατο.*

Digitized by Google

(ὅσσα ϝοι? an ὡς σαϝοῖ?), digammi autem eadem est forma atque in abcdario illo modo nominato et in tabulis Heracleensibus. Non est cur assentiamur Fickio, Odyss. p. 10 neganti huic titulo quidquam tribuendum esse, sequi enim verba θεαῖς πάσαις nec pura igitur Iade usum esse eum qui haec perscripsit; immo anfracti hi lapides docent extitisse aliquando versus, in quibus ionicum illud *eta* comitem haberet sonum *vau*, — versus igitur quales Homericos fuisse contendimus.

Praeterea litteram digamma exhibent nomina quaedam propria litteris Chalcidicis picta in vasis tribus antiquissimis [1]): Ὠτατίης, Ϝιώ, Γαρυϝόνης, inter alia vocabula quae Ionicam dialectum aperte produnt (Ἀντίης Φοίβη Ἀθηναίη etc.).

Donec igitur certiora edoceamur — quod quamquam vix potest expectari, nemo tamen ἐν ἀδυνάτοις posuerit post πολύχρυσον Μυκήνην erutam effossasque, quas Διὸς ille δαριστὴς fecisse olim credebatur, leges Gortynias — hoc teneamus, Iones et Atticos consonam vau, quam antiquitus et pronunciassent et in scriptis suo signo indicassent [2]), saeculo septimo vel sexti initio amisisse. Ad Homeri autem textum ut redeamus, id unum certum est, grammaticos Alexandrinos, quibus bene nota tamen erat littera ϝ ex poesi Aeolica, digammi Homerici nullam habuisse notitiam, nunquam igitur vidisse libros Homericos illo signo instructos; itaque necesse est sumamus aut nulla unquam extitisse eiusmodi volumina aut ante illorum aetatem nullo vestigio relicto interiisse. Uno igitur duobusve saeculis ante aevum Ptolemaeorum digamma in Homero exaratum non esse, id quidem satis certum est, sed multum abest ut inde concludere nobis liceat nunquam in Iliade vel Odyssea aliisve carminibus epicis exaratum esse.

Permagni momenti in his rebus perpendendis est textus Pindarici comparatio. Pindarum certe ipsum sua carmina chartis

---

1) CIG. 7459 sq., 7582, Roberts *Epigraphy* p. 207 sq., Tudeer *de digammo* p. 9. — Ex urbe Himera provenisse haec vasa suspicatur Fick Odyss. p. 11 coll. Thuc. V 5, quo teste Himeraea dialectus erat μεταξὺ τῆς τε Χαλκιδέων καὶ Δωρίδος κεκραμένη.

2) In multis vocabulis Atticis vocalium concursus testatur spirantem ϝ olim fuisse interiectam (ϗοινος, ἐάγην, ἀμφιέννυμι etc.). De verbo προυσελεῖν quid statuamus nescimus; consulatur Blaydes ad Ran. vs. 730.

Digitized by Google

credidisse nemo negat; habebat autem eius lingua sonum *vau*, signo ϝ homines in Boeotia eius aetate et diu postea utebantur, ipsum non neglexisse hanc consonam numeri eius carminum demonstrant — et tamen nullum in Pindari codicibus digamma extat [1]). Apparet igitur a librariis serius ocius esse omissum [2]).

Pauciora sed non minus certa argumenta praebent comoediae Aristophanis, qui nonnumquam homines Peloponnesios suam ipsorum linguam loquentes in scenam induxit. Lysistr. 156:

ὁ γῶν Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μᾶλά πᾳ
γυμνᾶς παραϊδὼν ἐξέβαλ', οἰῶ, τὸ ξίφος.

Ibid. 1096:

ναὶ τὼ σιὼ
παντᾷ γα· φέρε τὸ ἔσθος ἀμβαλώμεθα.

Dubitamusne quin παραιδὼν et ϝέσθος in suis pugillaribus exaraverit Aristophanes, in prima fabulae editione scripserint librarii, in scena dixerit ipsa Lysistrata? Attamen παραϊδὼν et τὸ ἔσθος est in nostris codicibus.

Alcmanis fragmentum in papyro vetustissimo repertum uno loco exhibet digamma (ϝάνακτα), pluribus omittit: quis non intellegit magni naufragii hunc unicum testem casu superesse?

Epicharmo digamma bis ereptum est in codice Athenaei (p. 338 d): Πέλοπι ἔρανον ἐστιῶν et ἀλλὰ ἔρανόν τοι λέγω, reddidit ei Meineke, sic metrum ipsumque poetae iocum restituens.

Sappho fr. 2 dixisse fertur ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, sed verum esse πέπαγε vidit Cobet; non *fractam sibi esse linguam* dicit poetria, sed *obtorpuisse*. Quomodo autem ΠΕΠΑΓΕ in ϜΕϜΑΓΕ abierit nemo non intellegit; sed nisi scribebatur tunc temporis digamma in Sapphus operibus, nasci vix poterat hoc vitium [3]).

Huiusmodi plura cum possint cumulari, unum locum praeterea addidisse satis habemus. Pausanias V 24 § 3 narrat Olympiae extare Iovis statuam a Lacedaemoniis dedicatam et hoc titulo inscriptam:

---

1) In vocalem tamen mutatum superest in voce *αὐάτα* Pyth. II 28.

2) Vid. Bergk *Poet. Lyr.* I⁴ p. 32, Kühner-Blass *ausführl. Grammatik* I² p. 32 et 79, 1.

3) Acutissimam hanc observationem collega aestimatissimus Naber pro sua humanitate mecum communicavit.

Digitized by Google

δέξο ἄναξ Κρονίδα, Ζεῦ Ὀλύμπιε, καλὸν ἄγαλμα
ἱλάῳ θυμῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις.

Haeccine scripserint Lacedaemonii suae ipsorum linguae obliti? hiatum δέξο ἄναξ admiserint „in formula e vetustiore poesi desumta, cur ita dicerent ipsi non intellegentes"? Si Homeri hi versus essent, ita credere nos iuberent viri docti, quorum opinionem verbis Caueri supra expressimus: nunc non est verendum ne quis ita sibi persuadeat, nam ad socordiam sive Pausaniae sive scribarum confutandam ipsi iam lapides consurrexerunt. Olympiae anno 1876 inventa est haec statua, superest titulus saeculi VI^{i} paene integer: quid legitur?

...ΟΓΑΝ..ΚΡΟΝΙΔΑ.ΕΤΟΛΥΜΠΙΕΚΑΛΟΝΑΓΑΛΜΑΗΙΛΕΓΟ
...ΜΟΙΤΟΙΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟ.,

id est:

[δέξ]ο γάν[αξ] Κρονίδα [Ζ]εῦ Ὀλύμπιε, καλὸν ἄγαλμα,
ἱληγὼ[ς?] [δά]μῳ τῷ Λακεδαιμονίω[ν].

Vid. ROEHL IGA. 75 et *add.*, KAIBEL *Epigr.* 743, ROBERTS *Epigraphy* p. 262.

Constat igitur ex his quos attulimus erroribus multisque aliis eiusdem generis, digamma a librariis vix usquam intactum esse servatum. Itaque non id mirum est quod etiam ex Homerico textu evanuit, sed quod citius ex illis carminibus quam ex aliis veterum operibus evanuisse videtur.

Quidquid id est — nam parum prodest immorari quaestioni quae ad exitum perduci nequeat — Alexandrini grammatici litteram digamma in Homero non reperiebant, neque igitur in exemplari Antimachi Colophonii, qui Platonis erat aequalis, aliisve libris vetustis, quos ad textum constituendum illi adhibebant, erat exarata.

Sed aliud est sonum littera non indicare, aliud non proferre voce. Nihil obstat quominus censeamus vixisse Ionicum vau in carminibus Homericis diu postquam ex Ionum Atticorumve sermone quotidiano evanuisset; vixisse quamdiu in rhapsodorum ore ipsa carmina epica viverent. Nulla est causa cur negemus illos viros recitasse Ἀτρεΐδης τε γάναξ ἀνδρῶν et ἔδρεισεν δ' ὁ γέρων, etiamsi in omnibus Iliadis exemplaribus tunc ut hodie ἄναξ et ἔδεισεν fuerint exarata. Nam tale pronunciandi

Digitized by Google

artificium et veluti arcanum cum ipsa recitandi arte ex alio cantorum genere ad aliud propagari poterat. Ionem exempli gratia, ne de antiquioribus loquamur, qui dum Ulixem vel Priamum agit a Platone vividis coloribus depictus est, reticuisse consonam *f* locis illis ubi proferri eam poscebat metrum, non est cur putemus. Immo diutius in ore hominum vixisse digamma Homericum quam in libris manuscriptis, certissimo — ut nobis quidem videtur — argumento demonstrant loci quibus ante pronomen ἕθεν ἑ οἱ invenitur hiatus qui expleri potuisset ope litterae paragogicae, e. g. A 114 οὐ ἕθεν, Ω 214 οὐ ἑ, E 4 δαΐϝ οἱ [1]).

Sed derideri coepit rhapsodorum ars, minus placebat novae aetati cessitque genti tragoedorum. Iamque non publice cantatur Homerus neque veluti in scena agitur, sed legitur domi a viris, a pueris in schola coram magistro. Viva vox cantorum obticuerat, littera scripta manebat, interibat autem littera non scripta. Tunc demum, cum ultimus rhapsodus fato functus est, cum illo mortuum est digamma Homericum, — non illo die quo primum Iliadis Odysseaeve exemplar digammi signo carens in manus hominum pervenit.

Non verendum est igitur ne obtrudamus poetis sonos invisos ipsis vel ignotos, cum rescribimus:

αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι, Φίλε ϝεκυρέ, δϝεινός τε. Γ 172.
ἐξαπάφοιτο ϝέπεσσι· ϝάλις δέ τοι. ἀλλὰ ϝέκηλος | ϝερρέτω. I 376.
ἕψεαι ἔνθα κε ϝέργα ἀϝεικέα ϝεργάζοιο. Ω 733.
οἷά τε ϝῷ ϝοικῆι ϝάναξ ἐύθυμος ἔδωκε. ξ 63.
ϝεσπέριος δ' ἐς ϝάστυ ϝιδὼν ἐμὰ ϝέργα κάτειμι. ο 505.
οὐ γάρ ϝ' ἔϝταδε ϝέργα πολυχρύσοι' Ἀφροδίτης, h. Ven. 9 sq. [2])
ἀλλ' ἄρα τοι πόλεμοί τ' ἔϝταδον καὶ ϝέργον Ἄρηος.
ἀλλά ϝε τὶς ἔδάμασσε βίηϊ Ἡρακλεείηϊ. Hes. Th. 332.

Immo sic scribendo quin in pristinum suum statum huiusmodi

---

1) Vid. G. Hermann *Orphic.* p. 773 sqq., Hoffmann *Quaest. Hom.* II p. 17 sqq., Rumpf *Fleckeis. Jahrb.* 81 p. 671, von Haetel *hom. Studien* III p. 79, Christ *Proleg. Iliad.* p. 154, Ludwich *Aristarch.* II p. 284.

Idem hiatus, quod admodum est notabile, in Herodoti textu redit: οὔ οἱ I 109, 133 II 110 IV 43, cum alias ante vocales οὐκ reperiatur.

2) Sic correximus vulgatam οὐ γάρ οἱ ἔϝαδεν.

Digitized by Google

hexametros restituamus nulli dubitamus. Ipse autem textus, quem traditum accepimus, digamma leviter mutatum servat in vocabulis nonnullis, quae viri docti dudum collegerunt; dicimus verba *αὐέρυσαν* = *ἀϝέρυσαν* (*ἀνϝέρυσαν*) A 459 etc., *καυάξαις* = *καϝ-ϝάξαις* (*καταάξαις*) Hes. Oper. 666, 693, *αὐίαχοι* = *ἀϝίαχοι* N 41, *ταλαύρινος* = *ταλά-ϝρινος* (i. e. *Φέρασπις*, hymn. VII 2) E 289 etc., *εὔαδε* = *ἔϝαδε* (*ἔσαδε*) Ξ 340 etc., *ἀπούρας* = *ἀποϝράς* A 356 etc., — in quibus semivocalis ϝ in vocalem υ abiit et a multis non est agnita. Non magnum autem fuisse discrimen inter sonos *αϝ εϝ οϝ* et *αυ ευ ου* facile intellegimus, neque igitur est cur admodum gravemur si quis formas *αὐέρυσαν* etc. mutari vetet, cum praesertim alia vocabula, quae ratione subsimili formata sunt, *εὔληρα εὔκηλος καλαύροπα ταναύποδα*, firmiter inhaereant linguae vetustorum poetarum. Attamen iusta causa esse non videtur cur in illis vocibus digamma in vocalem abire et a sua syllaba abreptum cum praecedenti coalescere sinamus, cum alibi in carminibus Homericis ipsum digamma revocemus.

Maioris momenti alia est quaestio. Digamma initiale quae voces Homericae habuerint docet metrum; in mediis vero vocabulis utrum carmina Homerica illum sonum servaverint necne, id indiciis metricis confici nequit, itaque nihil quod omnino certum sit hac de re potest statui, sed quid vero simile sit, quid dissimile, rogare debemus. Nobis autem Homeri lingua litteram ϝ initio tantum verborum servasse videtur; nam in aliis dialectis (Aeolica Boeotica Cretensi) digamma initiale diutius remansisse quam internum, probe norunt qui inscriptiones consuluerunt; in Homeri autem lingua vivit quidem vigetque digamma, sed tamen dominio utitur imminuto neque ita late patenti, carent enim ea consona radices complures, e. g. *ὁρᾶν* et *ἰστίη* [1]).

---

1) Quominus *ϝεστίη* et *ἐπιϝέστιος* cum Fickio rescribamus, dehortatur Naupactia inscriptio saeculi VI quae anno 1869 reperta est (IGA. 321, Collitz Dialektinschr. 1478, Roberts Epigraphy p. 234), in qua passim occurrit digamma cum internum tum initiale (*αἰϝεί ϝέκαστος* etc) et tamen *ἰστία* extat.

Apte conferri possunt praeterea tabulae Heracleenses (Cauer Delectus² n° 40 sq.) saeculi IVi exeuntis, in quibus nonnulla vocabula (*ϝέτος ϝίκατι ϝέξ ϝίδιος*) constanter servant digamma initiale, ab aliis (*ἕκαστος ἐργάζομαι ἴσος οἰκία*) non minus constanter abest. — Cf. Monro *Hom. Grammar* § 404.

Digitized by Google

Audaciae igitur quam inutilis tam vituperandae foret rescribere ἄλτος ῥίστος ξέντος ex auctoritate titulorum Cypriorum Cretensium Corinthiorum, vel τίνυω (coll. τίνυμαι), vel κόρτος κόρτη propter Thessalicum illud κόρτᾳ, vel ὄρτος pro οὖρος ad exemplum lapidum Corcyraeorum. Neve εἶνατος mutetur in ἶνατος, quae tamen fuit forma primitiva, dehortatur gemella forma ἕνατος. Inter duas autem vocales ne inseramus digamma dissuadent formae qualis est Πηλέος, quae ex Πηλῆος tempore Homerico prodire non potuisset si etiamtunc inter vocales η et ο audita esset consona vau, quae olim fuerat interiecta [1]). Neque Alcmanis illud πῦρ δάῥιον nos movet ut δήῥιος scribamus, nam apud Homerum corripitur interdum prima huius adiectivi syllaba, vocalem igitur subiunctam sibi habet, non consonam. Neque formam νῆῥας digammo ornatam Homero tribui sinit gemella forma νέας. Plura huiusmodi afferre inutile videtur.

Quoniam igitur ea indicia metrica, ex quibus de digammi interni usu Homerico concludi aliquid potest, dehortantur nos ne inseramus illam litteram, ne illis quidem vocabulis, in quibus versuum numeri admittunt eam, non poscunt, inserendam esse docet ratio. Homericae non videntur voces κλέος (Πατροκλέεος etc.), Διϝός, Ποσειδάϝων, αἰϝεί, ϝοραί, Αἴϝας, νέϝος, ἀϝείδω, στονόϝεσσαν ἀρυτήν, licet in inscriptionibus haec omnia aliaque multa eiusdem generis reperta esse sciamus.

Sed ne post augmentum quidem vel reduplicationem neque in verborum compositione digamma servare, ea profecto nimia et absurda foret cautela. Qui ῥάγνυμι et ῥάγεν dicit, eum etiam ἠάγη et ῥέῥαγε dicere consentaneum est; Homerum ϝεκών et ϝέργον dixisse postquam docuit metrum, non prudentis foret editoris ἀέκων tamen et ἄεργος intacta sinere; qui ϝῖϕι et ῥάναττα vocabula esse Homerica persuasum habet, utrumque digamma servabit etiam postquam in unum nomen Ϝιϕιράναττα concreverunt; Homero qui δϝεινός et δϝεῖμος tribuit, etiam ἔδϝεισε et δίδϝοικα tribuere debet; dicendum esse ῥός (quod olim fuit σῥός) qui intellexit, etiam disyllabae formae ἑῥός (olim σεῥός) digamma haud cunctanter appinget. Cf. Christ *Proleg. Iliad.* p. 168.

Dubitatum est praeterea scribendumne esset ῥρέζω an ῥέζω,

1) Videantur quae hac de re observavimus Mnemos. 1889 p. 201 sqq.

Digitized by Google

ϝρινός an ῥινός, itemque in aliis vocibus quarum thema a litteris ϝρ incipit (cf. Christ ibid. p. 165 sq.). Nos cum videamus ad commendandum digamma nihil valere locos quales sunt δὸς δὲ ῥάκος ἀμφιβαλέσθαι vel ἄλλοι δὲ ῥινοῖσι — ex asse enim respondet Aristophaneum illud οὐκ ἔσθ' ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει, — in thesi autem syllabam brevem, quae eiusmodi vocabulum antecedat, non produci, e. g. in noto versiculo ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι [1]), certum ducimus Homerum ante litteram ῥ- non servasse digamma initiale, sed ῥέζω et ἔ(ϝ)ρεζον dixisse. Si quis autem his argumentis fidem denegans in carmina epica tamen invehendam censeat formam ϝρέζω, quidni etiam ἐύσροος scribat et σρέπεν ἦμαρ Ἀχαιῶν? quidni praeterea στεκυρός et στός? sic vero a trita via longius longiusque recedens vix cavere poterit quominus incidat in cascorum verbulorum istam paludem, unde tandem aliquando ars grammatica emersit, — πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θίς.

Una tangenda est quaestio, quam a viris sagacibus moveri potuisse miramur. Docuit HOFFMANN *Quaest. Hom.* II p. 51 raros in textu tradito esse locos ubi syllaba finalis brevis, quae in consonam litteram desinit (*-ον -ες* etc.), producitur in thesi ante digamma initiale; ante pronomen *οἱ* id nonnumquam fieri (ex sola Iliade viginti locos affert ibid. p. 183 sq.), e. g. E 695 Πελάγων, ὅς οἱ φίλος ἦεν ἑταῖρος, sed praeterea nonnisi his versibus: I 677 ἐκ γὰρ εὐ (var. οἱ) Φρένας, P 142 Ἕκτορ (-ωρ?) εἶδος ἄριστε, θ 215 τόξων οἶδα. — Subtilissima profecto observatio neque inutilis ad melius intellegendum quae fata habuerit digamma Homericum; utinam tamen viros doctos fugisset hoc! Nunc enim, post Hartelii praesertim sollertiam, in enchiridiis haec lex afferri solet tanquam accuratissimis disquisitionibus firmiter stabilita: „in Homericis carminibus digamma sufficit ad „hiatus tollendos, item ad syllabas finales in arsi producendas, „non sufficit ad producendas syllabas finales in thesi; excipitur „tantum οἱ (ϝοι), quod olim fuit σϝοί. Homericum igitur est

1) Apud Homerum igitur ne tantum quidem valet ῥ- initiale quantum apud Aristophanem, qui in thesi quoque vocalem brevem ante ῥ- producit (Nub. 344 Ran. 1059 etc.). — Olim Dawesius inde efficiebat Aristophanem *wrepsi* et similia dixisse: nonne melius est concludere, ne Homerum quidem ita locutum esse?

Digitized by Google

„πάντες ἐ si ictus cadit in syllabam -ες, sin minus, dactylum „efficiunt hae syllabae, non palimbacchium" [1]). — At aliud est ostendere quid sit in textu tradito, aliud inde concludere quid ipsorum poetarum ars metrica aut tulerit aut non tulerit; specie autem quin decipi se patiantur qui ita iudicant, minime dubium ducimus, quinque argumentis freti:

1°) vero est dissimile, consonam ϝ, quae in arsi sufficeret sola ad vocalem brevem producendam (ἀπὸ ϝο etc.), in thesi ne adiuvante quidem altera consona eo pervenire potuisse ut longam syllabam redderet.

2°) pauci quidem loci, sed tamen loci aliquot ab Hoffmanno aliisque indicati contrarium docent: τόξον ϝοῖδα etc., item ϝοῖνον ϝοινοχοεύντες γ 472, αὐτὰρ ϝιφικλῆα Hesiod. Scut. 54 [2]).

3°) in dativo ϝοι singularem aliquam vim fuisse litterae vau, qua in ceteris huius pronominis casibus ϝε, ϝε(ι)ο, ϝέθεν caruerit, id omnem fidem superat [3]).

4°) in lingua Homerica voces ξεῖνος κούρη κοῦρος δουρός etc. syllabam ει vel ου, ex ενϝ vel οϝρ natam, nihilo rarius in thesi habent collocatam quam in arsi. Credimusne consonam vau ad brevem quae praecedit vocalem producendam plus valuisse in his vocibus, ubi ante aevum Homericum absorpta est sono vicino, quam in vocabulorum initio, ubi suo iure etiamtunc utebatur? Et de verbo δείδοικα, quod nusquam non in thesi habet syllabam initialem, quid igitur statuimus?

5°) postquam evanuit digamma e textu Homerico, non poterant non displicere versus qui syllabam in thesi sine causa productam habere videbantur; tales igitur locos variis modis ten-

---

1) Vid. von Hartel *hom. Studien* III p. 76 sqq., Ludwich *Aristarch.* II p. 283, Kühner-Blass *ausf. Grammatik* I² p. 100 etc.

2) Accusativum -ῆα vetustae artis non esse videmus, sed non infirmatur hinc, roboratur potius argumentum nostrum, prius enim confluxisse syllabas -ες- quam abiectum est digamma initiale inde efficitur.

3) Etiam contrarium demonstrari poterit ope artis statisticae, si quis putet satis valere hanc artem ad demonstranda ea quae non sint in rerum natura. Nempe in texta tradito genitivus σῖο ἕο ἕθεν et accusativus ἑ litteram digamma nusquam non possunt vel admittunt, contra dativus οἱ septemdecim locis Homericis eam amisit, ni fides est habenda lectioni vulgatae. Numne igitur digamma in accusativo et genitivo huius pronominis *plus* valuisse quam in dativo hinc efficimus? Immo nostra facimus verba amici J. J. Hartman (*Anal. Xenophont.* p. 41): vide quam absurdam rem statistica duce possimus demonstrare!

Digitized by Google

tatos esse ab editoribus facile credimus. In arsi vero syllaba brevis, quam olim produxerat initiale sequentis vocabuli digamma, ne post amissam quidem hanc litteram aures offendebat — saepe enim syllabae breves ab Homero in arsi producuntur — neque igitur sollicitabantur huiusmodi hexametri. Exempli gratia initium versus A 70, ὃς ϝείδει, satis tolerabile videbatur etiam post amissum digamma, et ὃς ᾄδει (ᾄδη) igitur scribebatur, nullo addito fulcro ad metrum sustentandum; sed A 548 si olim fuit τὸν ϝείσεται, posteriores inde fecisse τόν γ' εἴσεται non est quod miremur, sive merum librariorum errorem hunc esse suspicamur, litteram Ϝ in Γ mutantium [1]), sive statuere malumus voculam γε insertam esse metri causa cum e textu evanuisset digamma. At metricam legem aliquam obstitisse quominus poeta ipse diceret τὸν ϝείσεται, neque igitur sine vitio ita posse scribi in editione hodierna, id neque textus traditus docet neque per se credibile ducimus; multum igitur abest ut assentiamur Ludwichio *Aristarch.* II p. 283 ita iudicanti: „wie „Hartel nachgewiesen hat, kann das Digamma höchstens noch „eine Arsislänge, keine Thesislänge mehr bewirken. Bentley „und Bekker begingen also einen offenbaren metrischen Verstoss, „als sie A 548 οὔτε θεῶν πρότερος τὸν ϝείσεται οὔτ' ἀνθρώπων „schrieben".

Alii loci, de quibus idem valet, sunt:

B 22 (795 ζ 24) τῷ μιν ἐεισάμενος(-η) leg. ϝεισάμενος(-η).

E 467 κεῖται ἀνὴρ ὅν τ' ἶσον ἐτίομεν leg. ὃν ϝῖσον.

Z 367 οὐ γάρ τ' οἶδ' leg. οὐ γὰρ ϝοῖδ'.

H 467 παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι leg. παρέσταν ϝοῖνον.

α 110 οἳ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον leg. οἳ μὲν ϝοῖνον.

---

1) Quod ex Hesychio multi huiusmodi errores afferri possunt, id parum valet ad hanc suspicionem confirmandam; magis ad rem facit error lapidarii, qui Hadriani tempore cum Balbillae nugas Aeolicas inculperet cruri statuae Memnonis, pro ϝε et ϝοι posuit γε et γοι (Dialektinschr. Collitz 320).

Digammi signum, quo Cretenses utebantur Axi et Eleuthernae, facile cum litteris Λ et Ν, quibus simillimum est, poterat confundi; quod dum reputamus, in mentem veniunt Homerica νήδημος et στῆτ' ἐλελιχθέντες. Sed inutile est de hac re plura addere, quoniam neque constat litteram vau in carminibus epicis primitus scriptam esse, neque si quam maxime id constaret, quali igitur signo expressa fuerit sciremus, nam quinque ad minimum formae digammi ex inscriptionibus innotuerunt, quas signis typographicis indicabo ut possum: Ϝ, ⅁, Ⅎ, ⅂, Ⅳ.

Digitized by Google

θ 169 *ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος* (om. *τ'* U[1]) leg. *γὰρ ϝεῖδος.*

ι 530 *δὸς μὴ 'Οδυσσῆα πτολιπόρθιον οἴκαδ' ἱκέσθαι* leg. *-πορθον* (sic codd. multi) *ϝοίκαδ'.*

κ 190 ρ 78 *ὦ φίλοι οὐ γάρ τ' ἴδμεν* leg. *οὐ γὰρ ϝίδμεν.*

λ 484 *πρὶν μὲν γάρ σε ζῳὸν ἐτίομεν ἶσα θεοῖσι* leg. *ἔτιον ϝῖσα.*

μ 203 *τῶν δ' ἄρα δεισάντων* leg. *δὲ δϝεισάντων.*

π 375 *ἐΦ' ἡμῖν ἤρα Φέρουσι* leg. *ἐΦ' ἧμιν ϝῆρα.*

π 385 *ἐΦ' ἡμέας οἰκία δ' αὖτε* leg. *ἐΦ' ἧμας ϝοικία.*

His igitur locis digamma restituere neque imperitiae est neque audaciae iusto maioris [1]), sed quid dederit poeta agnoscitur et cur non intacta ad nos pervenerint eius verba intellegitur. Non magis obscurum est quid fuerit olim locis sequentibus:

Ζ 474 *αὐτὰρ ὅ γ' ὃν Φίλον υἱὸν* leg. *ὃ ϝὸν.*

Μ 389 *ἦ β' ἴδε γυμνωθέντα* „ *ἦ ϝίδε.*

Χ 302 *Διὸς υἱεῖ ἐκηβόλῳ* „ *υἱῖ ϝεκηβόλῳ.*

Λ 582 *τόν γ' ἐπέεσσι* „ *γε ϝέπεσσι.*

Α 223 *ἀταρτήροισ' ἐπέεσσι* „ *-ροισι ϝέπεσσι.*

Ρ 260 *οὐνόματ' εἶποι* „ *οὔνομα ϝείποι* (coll. Γ 235).

Ψ 309 *περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν* „ *τέρμα ϝελισσέμεν.*

γ 40 *ἐν δ' οἶνον ἔχευε* „ *ἐνέχευε δὲ ϝοῖνον.*

Sed plura huiusmodi cumulare nihil adtinet. Minus certae sunt correctiones, quibus genetivo in *-οιο* substituitur forma brevior in *-ου*, ut sequentis vocabuli digamma possit revocari: Ζ 134 *ἀνδροΦόνοιο Λυκούργου*, Λ 25 *χρυσοῖο καὶ εἴκοσι*, Λ 261 *τοῖο δ' ἐπ' Ἰφιδάμαντι*, Β 672 *Χαρόποιο τ' ἄνακτος*, Β 686 Η 376, 395 Λ 524, 590 Ν 535 Π 442 Σ 307, 464 Χ 180 *πολέμοιο* vel *θανάτοιο δυσηχέος*, Γ 140 *προτέροιο καί ἄστεος* (Ι 224 *δ' οἴνοιο δέπας*), Σ 93 *Πατρόκλοιο δ' ἔλωρα*. Attamen ne has quidem spernet qui reputaverit probe Homericos tamen esse genitivos in *-ου* exeuntes, genitivi autem terminum pleniorem *-οιο* adeo vulgatum esse in epica poesi ut nulli non lectori hoc remedium in mentem venire debuerit ad resarcienda quae videbantur metri detrimenta (*τε ἄνακτος*, *δῦσηχέος*, *καὶ ἄστεος*, *δὲ ἔλωρα* etc.). Etiam *ἐθέλῃσ' εἰπόντος* Ζ 281, *ἴδωμ' ὅτιν' ἔργα* Χ 450, *ἤλυθ' ἰωή* Κ 139, *ἤλυθον εἰκοστῷ* π 206 τ 484 Φ 208 ω 322 sine temeritate

---

1) Hac de re consentire nobiscum CAUERUM, a cuius sententia saepius nobis discedendum fuit, non sine gaudio didicimus ex *prolegomenis* eius *Odysseae* p. IX sq.

Digitized by Google

mutari posse videntur in ἐθέλῃ ϝειπόντος, ϝίδω τίνα ϝέργα, ἦλθε ϝιωή, ἦλθον ἐϝεικοστῷ [1]). Sed prudentis critici non est, digamma ut reviviscere possit, iugulare syllabam vicinam, e. g. εἰδόσιν ὔμμι ϝερέῳ Ψ 787, ἀλλὰ ϝερέῳ μ 156, φωνήσασα ϝέπεα O 35 etc., δάκρυ χέουσα ϝέπεα X 81, τοσσαῦτα ϝέτεα B 328, νοῦ ϝέργα Ω 354, οὔτε ϝέπει E 879; vulgata ὔμμ' ἐρέω, ἀλλ' ἐρέω, φωνήσασ' ἔπεα, χέουσ' ἔπεα, τοσσαῦτ' ἔτεα, νόου ἔργα, οὔτ' ἔπεϊ aut servanda sunt aut alia ratione sananda [2]).

Non ab uno autem viro neque una aetate insertas esse voculas supervacaneas, quibus digamma passim oblitteratum est, neque importuno studio male sedulorum hominum deberi sed casu irrepsisse plerasque, id a nobis demonstrari opus non est [3]); sed minime sunt neglegenda indicia quae docent libros, quo sunt antiquiores, eo puriores esse ab eiusmodi additamentis, et nonnullis certe locis vestigia digammi sero admodum e textu tradito evanuisse. Sic Ω 320 unus papyrus Bankesianus habet id quod dederat poeta, διὰ ἄστεος, in codicibus vero aut ὑπὲρ ἄστεος est aut — versu claudicante — δι' ἄστεος. Φ 399 veram lectionem ὅσσα ἔοργας praebet testis antiquissimus, Ambrosianus pictus: in recentiores codices irrepsit pronomen: ὅσσα μ' ἔοργας. Ex Hesiodi codicibus idem docuit FLACH *ältesten Hesiod-Handschriften* p. 17, 1: in codice Operum et Dierum qui ceteros aetate superat, Mediceo 31, 39 saeculi XI vel XII, multo rarius quam in recentioribus apographis vocula τ' inserta est ante vocabula quae in lingua epica a littera vau incipiunt.

1) Contraria est Caueri opinio (vid. eius recensio Iliadis nostrae in *Berl. Wochenschrift* 30 Nov. 1889); de re igitur, quae non omnino certa est, suam sibi quisque servet sententiam; sed nimis severum agit censorem, cum ex huiusmodi locis ita concludit „eine kritische Methode, die auch nur in ein paar Dutzend Fällen „zum Widerspruche mit sich selbst führt, kann nicht richtig sein". — Videatur annotatio sequens.

2) De versiculis δάκρυ χέουσ' et φωνήσασ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα fortasse contenderit quispiam, digamma non ideo esse violatum, quod postea mutati aut inserti sint hi hexametri, sed quod ex poesi antiquissima, quae aliis legibus metricis utebatur, supersint; fuisse enim antiquitus

καί μιν δάκρυ χέουσα ‖ ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα (ποτηύδα).
καί μιν φωνήσασα ‖ ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα (.).

Nisi fallimur, haec est opinio USENERI, qui licet de his locis non sit locutus, de aliis simillimam tulit sententiam *altgriechischer Versbau* p. 20 etc.

3) Prudenter observata hac de re quaedam habes apud MONRO *Hom. Grammar* § 389.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 49.)

Γ 413. *τὴν δὲ χολωσαμένη προσεφώνεε δῖ' Ἀφροδίτη·*
μή μ' ἔρεθε, σχετλίη, μὴ χωσαμένη σε μεθήω,
τῶς δέ σ' ἀπεχθήρω ὡς νῦν ἔκπαγλ' ἐφίλησα,
[μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων μητίσομαι ἔχθεα λυγρά,
Τρώων καὶ Δαναῶν, σὺ δέ κεν κακὸν οἶτον ὄληαι].

Ad vs. 417 annotavit haec Doederlinus: „Hic versus delendus videtur, ut *ἀμφοτέρων* de Helena et Paride, non de Troianis et Graecis dicatur. Hoc enim proprie penes Veneris numen erat, tam amorem excitare quam concordiam amantium coniugum turbare et odii causas serere, talisque minitatio dignissima erat hac dea. Contra si de Troianis et Graecis intelligendum est *ἀμφοτέρων*, quorsum tandem intelligendum est *ἀμφοτέρων*, quorsum tandem pertinebit odium excitare inter eos, qui tot iam annos infestissimis animis bellabant? At ne sic quidem erat Veneris bella excitare, ut cui non data essent *πολεμήια ἔργα*, sed *ἱμερόεντα ἔργα γάμοιο*." Qui partim recte partim secus disputavit. Recte enim non Veneris esse bellum excitare contendit, sed neglexit iam foedus ictum esse inter utrosque (cf. 264 sqq.), itaque de novo bello excitando cogitari posse. Nihilominus a Veneris persona talem minitationem alienam esse optime intellexit, sed minus feliciter deleto solo vs. 417 *ἀλλήλων* de Paride et Helena accipiendum esse statuit. Parum enim credibile ex mea quidem sententia erat eiusmodi minas quidquam valere ad incensum mulieris animum mitigandum, sed aliquanto

Digitized by Google

plus Venus effectura erat, si non Paridis, quem Helena dudum vilipendebat, sed suam ipsius iram odiumque dilectissimae sibi hucusque feminae minitaretur, neque igitur punctum temporis dubito, quin vetustissimus poeta nihil aliud Venerem dicentem fecerit quam haec:

μή μ' ἔρεθε, σχετλίη, μὴ χωσαμένη σε μεθήω,
τῶς δέ σ' ἀπεχθήρω ὡς νῦν ἔκπαγλ' ἐφίλησα.

Quibus non contentus serior poeta insulsos suos versiculos addidisse videtur, relicto sequioris originis testimonio voce μέσσῳ modo non Homerico usurpata, in qua corrigenda oleum operamque perdunt eruditi.

E 87. θῦνε γὰρ ἅμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
χειμάρρῳ, ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Annotant editores Lugdunenses „ἐκέασσε Naber, item Nauck. Elegantem emendationem tuentur ε 132, η 250; vertit Vergilius Aen. II. 496." Lenem esse mutationem fateor, aptam nego; non enim κεάζειν est *rumpere*, sed *findere*, quod quam apte dicitur de *fulmine* ε 132 et η 250, tam inepte de fluvio, de quo recte dici potuit κατέαξε (cf. N 257, Φ 283), non potuit ἐκέασσε. Contra egregie et graphice dictum est ἐκέδασσε, *disiecit*, scil. rupti pontis tabulas, quemadmodum se scripsisse ipse poeta testatur sic scribendo vs. sequentem:

τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γεφυραὶ ἐερμέναι ἰσχανάουσιν κτέ.

E 603.

τῷ δ' αἰεὶ πάρα εἷς (τίς Bentl.) γε θεῶν, ὃς λοιγὸν ἀμύνει.

Hic versus, hoc quidem loco et aptus et necessarius, parum apte me iudice repetitus est T 98, ubi male abundat, siquidem causa cur ibi Aeneas dicit neminem pugnare posse cum Achille iam in ipsis praegressis significata est. Legitur enim:

ἦ κ' ἐδάμην ὑπὸ χερσὶν Ἀχιλλῆος καὶ Ἀθήνης,
ἥ οἱ πρόσθεν ἰοῦσ' ἐτίθει φάος ἠδ' ἐκέλευε
ἔγχεϊ χαλκείῳ Λέλεγας καὶ Τρῶας ἐναίρειν.
ΤΩΙ οὐκ ἔστ' Ἀχιλῆος ἐναντίον ἄνδρα μάχεσθαι.

Nonne vere dico post haec turpiter abundare versum

τῷ δ' αἰεὶ πάρα εἷς γε θεῶν, ὃς λοιγὸν ἀμύνει?

Digitized by Google

Z 176. *καί τότε μιν ἐρέεινε καὶ ἤτεε σῆμα ἰδέσθαι.*
Ad voculam MIN arsi productam tuendam conferuntur hi vss.:
E 385 *τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης.*
Λ 376 *καὶ βάλεν, οὐδ' ἄρα μιν ἄλιον βέλος ἐκφυγε χειρός.*
K 347 *αἰεί μιν ἐπὶ νῆας ἀπὸ στρατόφι τοτιέλλειν.*
Z 501 *οὐ γάρ μιν ἔτ' ἔφαντο ὑπότροπον ἐκ πολέμοιο.*
At locis E 385 et Λ 376 ante caesuram semiquinariam legitima est brevis syllabae productio, et K 347 rectius pars codicum exhibet *αἰεί μιν ποτί* (s. *προτὶ*) *νῆας*. Restant igitur duo loci facili negotio sanandi. Nam Z 501 transponendum, quod olim propositum est, *ἔτι μιν*, et Z 176 legendum suspicor:
καὶ τότε ῥ' ἐξερέεινε καὶ ἤτεε σῆμα ἰδέσθαι.

H 216. *Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσ' ἐπάτασσε·*
ἀλλ' οὔπως ἔτι εἶχεν ὑποτρέσαι οὐδ' ἀναδῦναι.
Molestum hiatum facillime removeas coniectura
ἀλλ' οὔπως ἔτι ῥεῖκέ ῥ'(οι) ὑποτρέσαι κτἑ.
i. e. *ἐνεχώρει αὐτῷ*, ut legitur Σ 566 *ὅθι σφίσι ῥεῖκε λοχῆσαι*, quo fretus Fickius similiter sanavit P 354 *ἀλλ' οὔπως ἔτι εἶχε κτἑ.*

Θ 32. *εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν ὅ τοι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν.*
Usus Homericus facit ut expectemus aut cum Bekkero *ἀλαταδνόν* pro *ἐπιεικτόν*, ut Θ 463, aut *μένος* pro *σθένος* ad exemplum locorum E 892 et τ 493, sed nescio an vss. 28—40 recte proscripserit Aristarchus.

K 43. *χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σέ, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,*
κερδαλεήν, ἥ τις κε ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσῃ
Ἀργείους καὶ νῆας, ἐπεὶ Διὸς ἐτράπετο φρήν.
Recte de loci integritate dubitarunt Lugdunenses. Si quid video, vera scriptura haec est:
—, ἥ τις κ' ἔτι ῥύσεται ἠδὲ σαώσῃ κτἑ.
Cf. O 290 *ἀλλά τις αὖτε θεῶν ἐρρύσατο ἠδ' ἐσάωσεν.*

K 97. *δεῦρ' ἐς τοὺς Φύλακας καταβήομεν, ὄφρα ἴδωμεν, κτἑ.*
Exulato importunus articulus, scribitorque:
δεῦρο ⟨δὴ⟩ ἐς Φύλακας (Φυλάκους?) καταβήομεν κτλ.
ut χ 385 *δεῦρο δὴ ὄρσο* cett.

Digitized by Google

K 363. ὃς τὸν Τυδεΐδης ἠδὲ πτολίπορθος Ὀδυσσεὺς
λαοῦ ἀποτμήξαντ' ἐδιώκετον ἐμμενὲς αἰεί.

Suspectam formam dualis Lugdunenses tollunt coniectura ἐδίωκον νωλεμὲς αἰεί. Dualis tamen numerus et adverbium ἐμμενές servari poterunt, si mecum reposueris ἐδιέσθην pro ἐδιώκετον, quod facillime e glossemate nasci potuit.

Λ 137. ἀμείλικτον δ' ὄπ' ἄκουσαν.

Annotant iidem „ὄπ' neglecta littera ϝ, quae h. l. et Φ 98 et ε 61 sine violentiore remedio restitui nequit."

Observatione perdignum mihi videtur, omnino nullum extare in Homericis locum, ubi ante eam voculam appareat hiatus aut syllaba brevis pro longa, quae litterae Aeolicae auxilium postulent. Nam syllaba brevis ante caesuram legitime producitur his locis:

Ξ 150. τόσσην ἐκ στήθεσφιν ὄπα κρείων ἐνοσίχθων.
Σ 222. οἱ δ' ὡς οὖν ἄιον ὄπα χάλκεον Αἰακίδαο.
μ 52. ὄφρα κε τερπόμενος ὄπ' ἀκούῃς Σειρήνοιιν.
μ 169. οἷον ἔμ' ἤνωγεν ὄπ' ἀκουέμεν· ἀλλά με δεσμῷ.

Similiter legitimus est hiatus ante caesuram

λ 421. οἰκτροτάτην δ' ἤκουσα ὄπα Πριάμοιο θυγατρός.

Reliqui autem loci omnes, si fieri potest, etiam minus demonstrant aetate Homerica hanc vocem retinuisse veterem litteram initialem. Quocirca, cum tres loci digamma non admittant, nullus vero postulet, necessario statuendum est falli qui in textum, ubicumque fieri potest, hanc litteram introducant. Quod si ita est, loco Π 76, ubi codd. exhibent

οὐδέ πω Ἀτρεΐδεω ὀπὸς ἔκλυον αὐδήσαντος,

quicumque Homero abiudicat synizesin non scribere debet cum Leeuwenio eiusque socio Ἀτρεΐδαο ϝοπὸς κλύον, sed Ἀτρεΐδα' ὀπὸς ἔκλυον. Si autem satis certa foret universa illa de synizesi nusquam in Homericis admittenda doctrina, loco O 21, ubi legitur

ἠλάστεον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,
λῦσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παρασταδόν κτέ.

conici posset ἠλέεον, scil. Ἥρην.

Digitized by Google

O 192. Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Alibi apud Homerum οὐρανός non est *in* aethere, sed *supra* aetherem, ut B 458 αἴγλη δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἵκεν et Π 364 ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Οὐλύμπου νέφος ἔρχεται οὐρανὸν εἴσω αἰθέρος ἐξ δίης, quare hic verius videri potest:

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἅμ' (ἀν'?) αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

P 154. τῷ νῦν εἴ τις ἐμοὶ Λυκίων ἐπιπείσεται ἀνδρῶν
οἴκαδ' ἴμεν, Τροίῃ δὲ πεφήσεται αἰπὺς ὄλεθρος.

Valde vereor ne haec futuri verbi φαίνειν forma antiquitus nata sit confusione cum legitimo futuro a radice ΦΕΝ, quod reperitur N 829, O 140 et χ 217, significans *occidetur*, et substituendum sit h. l. πεφΑΝσεται, quod recte et ordine formatur a perfecto πέφΑΝται, obvio B 122 et Π 208.

Σ 151. Οὐδέ κε Πάτροκλόν περ ἐυκνήμιδες Ἀχαιοὶ
ἐκ βελέων ἐρύσαντο νέκυν, θεράποντ' Ἀχιλῆος.

Vetante metro (cf. La Roche H. U. II 8) editores Lugd. pro νέκυν imprudentes reposuerunt νεκρόν, freti Aristarchi observatione, vocem νέκυς ab Homero tantummodo substantive usurpari.

T 147. Non potest hic locus recte intellegi, nisi virgula posita post σεύαιτο, quod etiam Doederlinum video suasisse.

T 179. ἦ σέ γε θυμὸς ἐμοὶ μαχέσασθαι ἀνώγει
ἐλπόμενον Τρώεσσι ἀναξέμεν' ἱπποδάμοισι
τιμῆς τῆς Πριάμου.

Ultima verba vix sana videntur. Incerta correctio. Ecquid τιμὴν ἐκ Πριάμου, virgula posita post ἱπποδάμοισι? Ad accusativum cf. Ω 735

ἦ τις Ἀχαιῶν
ῥίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον.

X 261. Ἕκτορ, μή μοι, ἀλαστέ, συνημοσύνας ἀγόρευε,
ὡς οὔκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσι,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισι,
ὡς οὔκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι, οὐδέ τι νῶιν

Digitized by Google

ὅρκια ἔσσονται, πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα
αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πτολεμιστήν.

Annotant nostrates „hiatus vitiosus. Correctio incerta; ὁρκιά γ' D, Bentley ὅρκιον ἐσσεῖται coll. Δ 158; veri videtur similius ὅρκι' ἔσονται et deinde aliquod vocabulum supplendum esse." Quorum ratio cum admodum mihi arrideat, soleatque Homerus in altero membro comparationis repetere ipsa verba, quibus in priore usus sit, nescio an apte coniecerim versum antiquitus in hunc modum scriptum fuisse:

ὅρκι' ἔσονται ⟨πιστά⟩, πρὶν ἢ ἕτερον γε πεσόντα,

omissa post πρίν vocula γε cum palimpsesto Syriaco et Eustathio.

Ψ 73. οὐδέ με πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖ ἐάουσι —
ἀλλ' αὕτως ἀλάλημαι — ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Ita rectius iam Doederlinus hunc locum distinxit.

Ad Odysseam.

α 441. θύρην δ' ἐπέρυσσε κορώνῃ.

Rectissime iidem repudiarunt Knightii coniecturam ἐτέρυσσε. Ceterum complures sunt loci, ubi in hoc verbo digamma a poeta neglegitur.

δ 254. καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον,
μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα μετὰ Τρώεσσ' ἀναφῆναι

Coniecturis accedat haec mea:

μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα ἀναφανέειν Τρώεσσιν.

In longiore vocabulo a tribus brevibus syllabis incipiente primam arsi produci nemo monendus, non magis quam legitimum esse hiatum ante caesuram.

δ 758. ὣς Φάτο· τῇς δ' ηὔνησε γόον, σχέθε δ' ὅσσε γόοιο.

Mihi non ita suspectum est cum Leeuwenio et socio editore γόοιο post γόον, quam γόον ante γόοιο. Praecedentium enim ratio suadet, ut legamus:

ὣς Φάτο· τῇς δ' ηὔνησε πόθον, σχέθε δ' ὅσσε γόοιο.

Sopivit dea in Penelope mariti desiderium.

Digitized by Google

ε 70. κρῆναι δ' ἐξείης πίσυρες ῥέον ὕδατι λευκῷ
πλησίαι ἀλλήλων τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη.
Legitimam formam femininam nanciscimur scribendo
ἄγχ' ἀλληλάων τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη.
Adiectivum adverbii glossema esse videtur.

θ 400 sq. Euryali imago ab Odysseae auctore adumbrata videtur ad exemplum Archilochi in Iliadis libro paenultimo.

κ 198. ὣς ἐΦάμην· τοῖσιν δὲ κατεκλάσθη Φίλον ἦτορ,
μνησαμένοισ' ἔργων Λαιστρυγόνος Ἀντιφάτοιο
Κύκλωπος τε βίης μεγαλήτορος ἀνδροΦάγοιο.
Vox ἔργων sine littera Aeolica fortasse indicium est serioris originis versuum 199 sq., quos suspecta reddit comparatio cum vs. 566 et 496.

κ 208 sqq. Annotatum video: „Acute observavit Kirchhoff ab „ipso poeta haec apte potuisse enarrari, non vero ab Ulixe, cui „ne nota quidem esse potuerunt, nam etiamsi Eurylochum „accurate singula rettulisse contendat aliquis, ea certe quae „vss. 233—243 leguntur ex Eurylocho resciscere non potuit „Ulixes." — Attamen resciscere potuit a sociis, posteaquam a Circe liberati sunt; potuit etiam certa propemodum coniectura efficere ex iis quae ipse expertus est vss. 314 sqq. Quare haec viri praeclari argumentatio mihi quidem haud ita certa videtur.

λ 171. τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος θανάτοιο
ἢ δολιχὴ νοῦσος, ἢ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
οἷσ' ἀγανοῖσι βέλεσσιν ἐποιχομένη καπέπεΦνε;
Aptissime longus morbus opponitur celeri leto, quo pestilentiae auctores qui credebantur dii Apollo et Diana (sol atque luna), ille mares, haec feminas opprimebant. Infeliciter igitur me iudice editores Lugd. cogitarunt de scribendo ἢ δόλος ἢ νοῦσος.

λ 302. οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες.
Vix cuiquam persuadebunt iidem proponentes νέρθε γαίης, correpta priore syllaba, quae apud Homerum in hoc vocabulo constanter longa est. Si quid mutandum, potius, abiecta vocula καί, quae commode abesse potest, coniecerim: οἳ νέρθεν γαίης κτέ., nam hoc sensu vereor ut sermo Homericus admittat οἳ καὶ νέρθ' αἴης.

Digitized by Google

λ 356. εἴ με καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ἀνώγοιτ' αὐτόθι μίμνειν
πομπήν τ' ὀτρύνοιτε καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῖτε,
καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον εἴη
πλειοτέρῃ σὺν χειρὶ φίλην ἐς πατρίδ' ἱκέσθαι.

Probe quidem et Homerice dictum πομπὴν ὀτρύνοιτε, sed absurde post verba εἰς ἐνιαυτὸν — μίμνειν, quae omnem properationem excludunt, quare haud temere Nauckius vs. 357 aut corruptum aut spurium iudicavit. Quia tamen ne interpolatori quidem eiusmodi versus tribui posse videtur, ego depravatum existimans perexigua mutatione sic scribendum propono:

πομπήν τ' ἀρτύνοιτε καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῖτε.

λ 412. περὶ δ' ἄλλοι ἑταῖροι
νωλεμέως κτείνοντο σύες ὡς ἀργιόδοντες,
οἵ ῥά τ' ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο
ἢ γάμῳ ἢ ἐράνῳ ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Nusquam alibi νωλεμέως *catervatim* significat, quapropter fortasse verius est:

νηλεέως κτείνοντο κτἑ.

μ 229. εἰς ἴκρια νηὸς ἔβαινον
πρῴρης· ἔνθεν γάρ μιν ἐδέγμην πρῶτα Φανεῖσθαι
Σκύλλαν πετραίην, ἥ μοι φέρε πῆμ' ἑτάροισι.

Haud inepte novissimi editores tentarunt:

ἔνθεν πρῶτα ἐδέγμην μιν Φανέεσθαι.

Nescio tamen an etiam probabilior sit lenior mutatio:

ἔνθεν γάρ μιν ἐδέγμην προφανέεσθαι.

Cf. P 487. Θ 378. Ω 332. ι 143, ν 169, ω 160.

(*Continuabitur*).

AD ARISTOTELEM.

Novum vocabulum eripiendum ARISTOTELI in *Atheniensium Republica* ed. Kenyon. pag. 36, 10, ubi legendum: σημεῖον δ' ὅτι μετὰ τὴν τυράννων κατάπαυσιν ἐποίησαν διαψηφισμὸν ὡς πολλῶν κοινωνούντων τῆς πολιτείας οὐ προσῆκον. pro editis leg. κατάστασιν — διαφημισμόν. Plura dedi in *Berl. Phil. Woch.* n. 11.

H. v. H.

Digitized by Google

AD ARISTOTELIS LIBRUM DE REPUBLICA ATHENIENSIUM NUPER REPERTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

'Αριστοτέλους 'Αθηναίων πολιτεία. *Aristotle on the constitution of Athens*, edited by F. G. Kenyon. 1891.

Insperata lux affulsit nostris litteris. Αἰ τι καινὸν ἡ Λιβύη φέρει κακόν olim iocari solebant homines: hodie mutandum est illud adagium, egregia enim dona iam philologis praebet leonum illa arida nutrix: καλόν τι καινόν in diem inde affertur. Ante paucas hebdomades gratissimus rumor percrebrescebat, dramatis Euripidei haud exiguam partem in laciniis papyraceis repertam esse, Platonica, Homerica, orationis ignotae epilogum, alia ibi extare: — nondum quae promissa sunt in lucem prodierunt omnia, et iam novum munus offertur ex Africa nuper delatum, idque quo minus expectatum eo magis acceptum auroque pretiosius. Edita est sumtu et curis collegii, quod Museo Britannico praeest, 'Αριστοτέλους illa 'Αθηναίων πολιτεία, quam ut manibus tenere oculisque suis usurpare possent multi, quibus Athenae ipsaque antiquitas cordi essent, per multa saecula optarunt: vix quisquam fuit qui speraret fore ut rata unquam fierent ea vota. En iam nitide excusum extat illud opus, unde Harpocration Pollux Photius alii centum locos verbotenus excripserunt, exilem suam scientiam exornantes copiis quas praebebant horrea Aristotelica. Repertum est in papyro saeculi post Ch. natum primi, qui lacunosus partim et attritus, partim tamen optime habitus est et emendate satis perscriptus, ita ut haud paucae periodi sine ullo vitio ad nos

Digitized by Google

pervenerint, longe plurimis autem locis dubitari nequeat quid voluerit scriptor. Attamen multum abest ut integra iam legantur ea quae de Atheniensium civitate scripto mandavit Aristoteles. Mitto nunc quaestionem gravissimam atque difficillimam neque intra paucos dies profligandam, quo iure ipsi Aristoteli tributum sit hoc opus. Equidem quantum hactenus efficere potui, non credo ea, quae in novo libro leguntur, viro sagaci, qui historiae rerumque publicarum peritissimus esset et artem scribendi haud mediocriter calleret, deberi omnia; sed irrepsisse quaedam, quae homines ignaros et plumbeos prodant, intellegere mihi videor. Hac tamen de re posthac disputandi erit occasio, nec dubium videtur quin multi — illi praesertim qui interiorem aliquam cum Aristotelis scriptis familiaritatem contraxerunt — sententias suas sint prolaturi. Nunc ante omnia danda est opera ut quam emendatissima praestetur lectio; multa autem aliis agenda reliquit primus editor, qui melius fortasse cum suae famae tum lectorum commodo consuluisset, si post aerumnosum et ingratissimum laborem litteras vepallidas legendi et transscribendi id unum egisset ut typis accurate redderet quae in ipso papyro extant, et in annotatione critica paucis verbis indicaret quae litterae minus certae essent, quot litterae hic illic intercidissent, alia, quae necessaria sunt ad artem criticam factitandam. Nunc in praefatione et in annotationibus ea quae ad historiam et antiquitates pertinent fuse tractavit, multas quoque lacunas explere conatus est — hoc tamen officio non ita feliciter functus, — sed si quis lector vetusti libri imaginem aliquam mente sibi informare cupit, frustra eius editionem adibit, sed expectandum ei est donec prodeat maior quae paratur editio, in qua lucis ope ipsum volumen antiquum fideliter depingetur.

Hanc demum ubi nancti fuerimus, lacunae multae e coniectura probabiliter poterunt expleri; nunc — nescimus enim unumne vocabulum interciderit an tria an decem — a talibus locis abstinuisse manus praestat. Interim tamen corrigi poterunt nonnulla, in quibus paucae tantum litterae male scriptae aut si fors tulerit ab editore male lectae sint. Equidem observationes aliquot, in quas incidi dum librum summa cura semel et iterum perlegi, hic indicabo. Quibus proferendis nolim videri

Digitized by Google

editorem carpere [1]), sed socium me ei adiungere, ut opus ab ipso feliciter inchoatum pro virili promoveam et gratum meum tester animum: *εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ*. Quae autem ab aliis quoque philologis inventa sunt postquam haec scripsi — nam plurimi summo impetu in novum *ἑρμαῖον* involarunt — ea non delenda duxi, sed in annotationibus appinxi nomina eorum quibuscum me consentire vidi.

In cap. 2 de civitatis conditione, quae fuit ante Draconem et Solonem, haec legimus: *ἦν γὰρ ... ἡ πολιτεία τ[οῖς μὲν] ἄλλοις ὀλιγαρχικὴ πᾶσι, καὶ δὴ καὶ ἐδούλευον οἱ πένητε[ς τοῖς] πλουσίοις* etc. — Ut recte procedat sententia, corrigendum est: *ἦν γὰρ [τότε] ἡ πολιτεία τ[οῖς τε] ἄλλοις ὀλιγαρχικὴ πᾶσι, καὶ δὴ* etc.

In cap. 3 lacunae sunt nonnullae, de quibus nunc satis tuto iudicari nequit [2]); sed unam certa coniectura explere posse mihi videor. Nempe thesmothetae dicuntur multis demum annis post archontem, regem, polemarchum electi esse, *ἤδη κατ' ἐνιαυτὸν αἱρ..... τὰς ἀρχάς*. Lege *αἱρ[ουμένων]*: *cum iam annui magistratus crearentur*. Non recte editor dedit *αἱρ[εθέντες ἐπὶ] τὰς ἀρχάς*.

Cap. 12. Solonis versus sexaginta affert Aristoteles, quorum plerique antehac quoque noti erant, nonnulli tamen hic primum leguntur, alii melius nunc possunt constitui. In novis versibus quaedam flagitiose corrupta sunt: unum emendare conabor. Quomodo civitatem cum malis colluctantem restituerit his verbis narrat:

ἐγὼ δὲ τῶν μὲν οὕνεκ' ἀξονήλατον
δῆμον τι τούτων πρὶν τυχῶν ἐπαυσάμην,

1) Accentus igitur vitiosos aliosve errores apertos, quos nemo non primo adspectu corrigat, non indicabo. Typothetae talia imputata sunto, vel maligno illi daemoni qui libros sphalmatum immunes invisit mortalibus et sexcenties hominum litteratorum, editorum praesertim, *βλάψαν ἐνὶ στήθεσσι νόον πυκινόν περ ἐόντα*.

2) Requiruntur haec fere: Utrum Medontis an Acasti tempore primus archon (eponymus) sit creatus dubitatur: *τοῦτο μὲν οὖν ὁποτέρως που (ποτε?) ἔχει μικρὸν [διαφέρει, ἐγένετο δὲ δὴ ἐν τού]τοις τοῖς χρόνοις. ὅτι [δὲ] τελευταία τούτων ἐγένετο τῶν ἀρχῶν, [σή]μεῖον καὶ [τὸ ὄνομα, ἀποφαῖνον μηδὲν τῶν πατ]ρίων τὸν ἄρχοντα διοικεῖν ὥσπερ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πολέμαρχος, ἀλλὰ [καινά τινα ἐπίθετα]. διὸ καὶ νεωστὶ γέγονεν ἡ ἀρχὴ μεγάλη, τοῖς ἐπ[ι]θέτοις αὐξη[θεῖσα.*

Digitized by Google

συμμαρτυροίη ταῦτ' ἂν ἐν δίκῃ χρόνου
μήτηρ μεγίστη δαιμόνων Ὀλυμπίων
ἄριστα, Γῆ μέλαινα, etc.

Novi sunt versus primus et secundus, reliqua apud Aristidem et Plutarchum leguntur. Annotat editor: „the word *ἀξονήλατον* is a strange one"; libenter assentior, sed haudquaquam credo coll. Aesch. Suppl. 181 ferri tamen posse ad indicandum „a torture such as that of Ixion". Nisi fallor Solon dederat:

ἐγὼ δὲ τῶν μὲν οὕνεκα 'ξανήγαγον (i. e. ut nos scribimus, *οὕνεκ' ἐξανήγαγον*)
δῆμον, τοιούτων πρὶν τυχὼν ἐπαυσάμην, etc.

Testis mihi esto ipsa quam liberavi Terra, me ex hisce aerumnis civitatem erexisse, donec invitus ab instituto meo destiti. Quam lenis et nulla fere sit correctio ΟΤΝΕΚΑΞΑΝΗΓΑΓΟΝ pro ΟΤΝΕΚΑΞΟΝΗΛΑΤΟΝ quivis videt.

Cap. 13. Postquam Solon urbem reliquit per quadriennium nihil tumultuati sunt Athenienses, sed quinto anno archon factus non est *διὰ τὴν στ[άσ]ιν, καὶ πάλιν ἔτει πέμπτῳ * τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἀρχαίαν * ἐποίησαν*. — „The MS. reading is corrupt, and the simplest and most probable correction seems to be to read *διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἀρχὴν οὐκ ἐποίησαν*". Sic editor. Praepositionem *διά* gratus ab eo accipio vel potius ex fragm. Berol. suppleo, sed in exitu sententiae corrigendo eum non sequor: legendum est *διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἀναρχίαν ἐποίησαν*.

Haplographiae insigne hoc est exemplum, qualia complura editor prudenter emendavit, ex. gr. *τὰ μὲν χρήματα ⟨τὰ⟩ προσιόντα* c. 29, *εἰς ἐνιαυτὸν ⟨βουλεύειν⟩. βουλεύειν δὲ* c. 30, *ἄρχοντος ⟨ὃς⟩ ἦρξε* c. 33. Fugit eum simile vitium in c. 31: *τὴν δὲ βουλὴν ἐπειδὰν καταστήσῃ ποιήσασαν ἐξέτασιν ὅπλοις ἐλέσθαι δέκα ἄνδρας* etc., ubi legendum: *τὴν δὲ βουλὴν, ἐπειδὰν καταστῇ, ποιήσασαν ἐξέτασιν ⟨ἐν⟩ ὅπλοις* etc.; *ut primum institutus fuerit senatus cives armatos convocato.* Aliud idque satis ridiculum habes in fine capitis 49, ubi de senatu dicitur *συνοικεῖ δὲ καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς τὰ πλεῖστα*: legendum esse *συν[δι]οικεῖ* nemo non videt, *omnibus magistratibus consilio adest.*

Dittographiae exempla quaedam notatu non minus digna praebet liber, quorum nonnulla indicavit editor, e. g. *πενθημίμερον*

Digitized by Google

pro πενθήμερον c. 30, θαλαλάττης c. 41, alia reliquit, e. g. c. 16 ὥστε δια . . . ρες ἐγεωργοῦντο· τοῦτο δὲ etc., leg. ἐγεώργουν; c. 44 τοιοῦσι δὲ καὶ δεκαρχαιρεσίας, l. ἀρχαιρεσίας [1]).

Cap. 13 in fine. Pisistrati partibus προσεκεκΟCΜηντο quicunque verebantur ne bonis aut civitate ab optimatibus exuerentur; Aristoteles προσεκεκΟΛΛηντο scripserat, nisi fallor. Post Pisistratidarum autem κατάστασιν Athenienses ἐποίησαν διαΦημισμὸν, ὡς πολλῶν κοινωνούντων τῆς πολιτείας οὐ προσῆκον. — „διαΦημισμόν: *i. e.* a proclamation" (editor), immo vocabulum quod neque graecum est, neque si quam maxime *edictum* significaret, sententiae huic foret aptum, dicit enim scriptor quaestionem habitam esse in eos qui civitatis iure non optimo uterentur. Sollemne autem ea in re est verbum διαψηΦίζεσθαι, quo ipse Aristoteles utitur cap. 42: „ὅταν δὲ γράΦωνται διαψηΦίζονται περὶ αὐτῶν ὀμόσαντες οἱ δημόται". Cuius verbi substantivum verbale est διαψήΦισις, vid. Harp. Hesych. Suid. s. v.; quemadmodum autem pro ἐξέτασις vel ἀναγνώρισις postea etiam ἐξετασμός et ἀναγνωρισμός dicebatur, sic vox διαψήΦισις habet formam alteram διαψηΦισμός, et hoc igitur loco legendum est ἐποίησαν διαψηΦισμόν [2]). Centies confusas esse litteras Ψ et Φ nemo nescit; vid. e. g. Greg. Corinth. Schäfer p. 484 et 737. Pro littera Χ irrepsit Φ in c. 61, quo loco duo illi strategi, quibus Piraei cura mandata est, dicuntur τῆς Φ[υ]λῆς καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἐπιμελεῖσθαι, ubi *Phylae* nomen mirari se ingenue fatetur editor: verum praeclara coniectura restituit v. d. C. Torr ex Thucyd. VIII 90 § 4: χηλῆς legendum est.

Ceterum non factam esse illam διαψήΦισιν cum Pisistratus rerum potitus esset sed postquam e civitate exciderunt eius filii, contextus clare docet, itaque corruptum est etiam vocabulum κατάστασιν, pro quo Aristoteles κατάλυσιν dederat, nisi egregie fallor; cf. c. 21 init., c. 41 med. etc.

Quod autem modo dicebam sollemne in re forensi esse verbum διαψηΦίζεσθαι, id altero quoque loco huius libri meminisse haud

1) Item v. d. Sandys.

2) Eandem emendationem protulit v. d. Sandys coll. Athen. p. 218*a*, nunc videatur etiam van Herwerden supra pag. 168.

Digitized by Google

inutile fuerit; nempe in capite 55, ubi nonnulla refert Aristoteles ad veterem illam de duplici magistratuum δοκιμασίᾳ controversiam componendam utilissima, et alia leguntur et haec: „si nullus magistratus designati existit accusator, statim sen„tentias de eo ferunt iudices; καὶ πρότερον μὲν εἷς ἐνέβαλλε τὴν „ψῆφον (in urnam), νῦν δ' ἀναγκὴ πάντας. ἔστι δὲ ψηφίζεσθαι „περὶ αὐτῶν, ἵνα ἄν τις πονηρὸς ὢν ἀπαλλάξῃ τοὺς κατηγόρους, „ἐπὶ τοῖς δικασταῖς γένηται τοῦτον ἀποδοκιμάσαι". Sic edita haec exstant, sed quid fieri dicat philosophus nunquam intelleges nisi mecum rescripseris νῦν δ' ἀναγκὴ πάντας ἐστὶ διαψηφίζεσθαι περὶ αὐτῶν. Olim unus e iudicibus ceterorum nomine tabellam absolutoriam in urnam iniciebat, nunc perrogandae sunt cunctorum sententiae.

Cap. 16 Aristoteles de Pisistrato refert narratiunculam, quae aliunde quoque nota est. Dum extra urbem ambulat, rusticum ἰδὼν παττάλῳ πέτρας σκάπτοντα καὶ ἐργαζόμενον, διὰ τὸ θαυμάσαι τὸν πα..... ἐκέλευεν ..εσθαι τί γίγνεται ἐκ τοῦ χωρίου. Agricola autem, cui ignotus erat tyrannus, „aerumnas meras mihi fert iste agellus" querula voce respondet, „et inde decimam scilicet sibi poscit Pisistratus". Tunc ridens ille „ego Pisistratus sum" inquit, „tuus autem ager posthac immunis erit". — Lepida fabella, quamquam non admodum scite ab Aristotele est narrata; quomodo vero explendae sunt lacunae quas punctis supra indicavi? Editor scripsit διὰ τὸ θαυμάσαι τὸν πά[τταλον] ἐκέλευεν [ἔρ]εσθαι, at verti haec nequeunt, nam εἰπεῖν, non ἐρέσθαι dicendum fuisset si sententiae subiectum esset rusticus. Nisi fallor fuit olim διὰ τὸ θαυμάσαι τὸν πα[ῖδα] ἐκέλευεν ἐρέσθαι: *rem miratus Pisistratus servum suum iussit interrogare hominem.* Fieri potest ut non πα[ῖδα] sed πα[ρακολουθοῦντα] sit supplendum, si tot litteras capiat lacuna.

Cap. 18 Aristoteles Thucydidi oblocutus negat coniuratos Aristogitonis in pompa Panathenaica armatos prodiisse, οὐ γὰρ ἐπέμποντο μεθ' ὅπλων, ἀλλ' ὕστερον τοῦτο κατεσκεύασεν ὁ δῆμος. Leg. οὐ γὰρ ἔπεμπον τό[τε] μεθ' ὅπλων, *non enim tunc temporis sed postea demum moris fuit ut armati hoc festo procederent Athenienses.* Ad stabiliendam emendationem sufficit Aristophanis locus festivus (Ran. 1037) de homine σκιοτάτῳ, qui

Digitized by Google

ἡνίκ' ἔπεμπεν
τὸ κράνος πρῶτον περιδησάμενος [1]) τὸν λόφον ἤμελλ' ἐπιθήσειν.
Quamquam omnes ita loquuntur, et ipse Aristoteles in hoc libro cap. 57 πομπὴν κοινῇ πέμπουσιν.

Cap. 22. Archonte Telesino, qui anno 487 reip. praefuisse videtur, — nam nomen eius aliunde non est notum [2]), — Athenienses ἐκυάμευσαν τοὺς ἐννέα ἄρχοντας κατὰ φυλὰς ἐκ τῶν προκριθέντων ὑπὸ τῶν δημοτῶν πεντακοσίων τοῖς μετὰ τὴν τυραννίδα πρῶτον. Verba haec sunt sine sensu. In eligendis candidatis — nam hi sunt οἱ πρόκριτοι sive οἱ προκριθέντες, ex quibus novem archontes sorte designantur — τοῖς δημόταις nullus est locus; candidatos autem προύκρινεν εἰς τοὺς ἐννέα ἄρχοντας ἑκάστη φυλὴ δέκα (c. 8), *centum* igitur, non *quingenti* erant inter quos fiebat sortitio; denique nihil omnino significat articulus τοῖς. Legendum est:

ἐκυάμευσαν τοὺς ἐννέα ἄρχοντας κατὰ φυλὰς ἐκ τῶν προκριθέντων ὑπὸ τοῦ δήμου πεντακοσιομεδίμνων τότε μετὰ τὴν τυραννίδα πρῶτον. *Hoc anno primum post eiectos tyrannos rite creati sunt magistratus.* Ex primae classis civibus archontes tunc temporis creatos esse vix est quod moneam, disertis autem verbis id dicit Aristoteles c. 7 et 8 (pag. 19 et 22).

Non ultimas sed primas syllabas amisit nomen numerale quod legitur cap. 35; triginta viri senatum et magistratus instituisse dicuntur ἐκ προκρίτων ἐκ τῶν χιλίων. Legendum esse πεντακισχιλίων docet historia; confusae esse videntur notae ⌈X⌉ et X.

Cap. 26. Non ut corrigam sed ut defendam affero verba τὰ μὲν οὖν ἄλλα πάντα διῴκουν οὐχ ὁμοίως καὶ πρότερον τοῖς νόμοις προσέχοντες, τὴν δὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων αἵρεσιν οὐκ ἐκίνουν. Delendam esse negationem οὐχ contendit vir d. Wyse, qui editoris errores acriter castigavit et complura melius constituit, hoc tamen loco ipse humaniter lapsus, nam sanissimum est οὐχ

1) Cave credas Kockio περιπηξάμενος corrigenti infelicissime.

2) Archontum eponymorum nomina antehac ignota sunt c. 4 *Aristaechmus* (circa annum 620), c. 13 *Damasias* (annorum 581 et 580), c. 14 *Hegesias* (anni 555), c. 17 *Philoneus* (anni 527), c. 19 *Harpactides* (anni 511), c. 22 *Hermucreon* (anni 501), *Telesinus* (anni 487 ?), *Hypsichides* (anni 481).

Digitized by Google

ὁμοίως: *minus quam antea legibus obtemperare coeperunt cives.* Nempe hoc tempore — de Cimonis aetate loquitur philosophus — συνέβαινεν ἀνίεσθαι μᾶλλον τὴν πολιτείαν διὰ τοὺς προθύμως δημαγωγοῦντας.

Cap. 27. De Pericle dicitur μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς τὸ δημαγωγεῖν ἐλθόντος Περικλέους, καὶ πρώτου εὐδοκιμήσαντος ὅτε κατηγόρησε τὰς εὐθύνας Κίμωνος στρατηγοῦντος νεὸς ὤν, δημοτικωτέραν ἔτι συνέβη γενέσθαι τὴν πολιτείαν. — Pro πρώτου aut lenissima correctione legendum est πρωτοῦ, aut (graviore sed tamen nisi fallor probabiliore) πρότερον. *Deinde ad remp. moderandam accessit Pericles, qui iam pridem iuvenis inclaruerat cum Cimonis extitisset accusator.*

In eodem capite non recte dicitur: ὁ πρὸς Πελοποννησίους ἐνέστη πόλεμος, sed συνέστη est legendum. Non de instante sed de orto bello illic agitur.

Ibidem Pericles, cum Cimoni opibus cederet, ne favore apud popellum excideret hoc commentus esse dicitur — vide quam contumeliose de viro praeclaro loquatur philosophus —: ἐπεὶ τοῖς ἰδίοις ἡττᾶτο διδόναι τοῖς πολλοῖς τὰ αὑτῶν, κατεσκεύασε μισθοφορὰν τοῖς δικασταῖς. Immo τὰ αὐτοῦ! Quoniam de suis bonis multa ut Cimon plebeculae largiri non poterat, ex publico aerario benignus fuit.

Cap. 29 apertum vitium in verbis μετὰ τὴν ἐν Σικελίᾳ γενομένην διαφοράν deprehendit editor, non sustulit διαφθοράν coniciendo. Unice verum est συμφοράν, *cladem.* Si opus est, cf. p. 90 l. 5.

Cognatus error extat in capitis 36 exitu: triginta viri ὅτε δὲ καὶ δόξειεν αὐτοῖς ἐκφέρειν τοὺς μὲν ἐξήλειφον τῶν γεγραμμένων, τοὺς δ' ἀντενέγραφον τῶν ἔξωθεν. Immo συμφέρειν. Album civium identidem mutabant, prouti e re sua esse crederent.

Cap. 29 scriptor dicit anno 411 quadringentis viris multos cives favisse διὰ τὸ νομίζειν βασιλέα .....ν ἑαυτοῖς συμπολεμήσειν ἐὰν δι' ὀλίγων ποιήσωνται τὴν πολιτείαν. In lacuna latitat *comparativus* aliquis: θᾶττον, μᾶλλον, προθυμότερον, εὐμενέστερον vel simile quid: non sufficit quod supplevit editor ἄσμενον.

Digitized by Google

Cap. 39. *ἐγένοντο δ' αἱ διαλύσεις ἐπ' Εὐκλείδου* [1]) *ἄρχοντος κατὰ τὰς συνθήκας τάσδε· τοὺς βουλομένους τῶν Ἀθηναίων ἐν ἄστει μεινάντων ἐξοικεῖν ἔχειν Ἐλευσῖνα ἐπιτίμους ὄντας* etc. — Haec tum demum poterunt intellegi cum correctum fuerit *μεῖναι· τοὺς δ' ἐξοικεῖν* (nempe *βουλομένους*). Verbis *ἐξοικεῖν* et *ἐξοίκησις* saepius in hoc capite et sequenti utitur scriptor.

Cap. 40 laudatur modestia qua Athenienses post eiectos triginta viros usi sunt erga optimates. Unus homo, qui lege invita coepisset *τοῦ μνησικακῆσαι*, cum Archino auctore morte multatus esset, nemo unquam postea *ἐμνησικάκησεν, ἀλλὰ* [2]) *δοκοῦσιν κάλλιστα δὴ καὶ πολιτικώτατα ἁπάντων καὶ ἰδίᾳ* [3]) *καὶ κοινῇ χρήσασθαι ταῖς προγεγενημέναις συμφοραῖς*. Cuius rei hoc praesertim affertur testimonium quod pecuniam, quam triginta viri a Lacedaemoniis mutuam sumserant ad bellum contra Thrasybulum gerendum, e publico aerario persolverunt, *ἡγούμενοι τοῦτο πρῶτον ἄρχειν* ΔΕΝ *τῆς ὁμονοίας*. Pro ΔΕΝ legendum est *δεῖν* (non *μὲν*, ut scripsit editor): *hoc primum concordiae documentum esse debere rati*. Hic autem finem habet sententia; deinde addit Aristoteles, singulare hoc esse moderati animi indicium, alibi enim populares ubi vicerint non propria bona in publicum commodum absumere solere sed adversarios potius suis exuere [4]).

Cap. 42. Ephebi publice praepositos sibi habent *σωφρονιστὰς* decem, *καὶ [ἐπιμ]ελητὴν ἐκ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων ἐπὶ πάντα. σ[υλ]λαβόντες δ' οὗτοι τοὺς ἐφήβους, πρῶτον μὲν* etc. — Quoniam non in vincula abducuntur ephebi, alienum nisi fallor hinc est verbum *συλλαβεῖν*, neque rectius *ad omnia* (perpetranda nimirum? ut Anglice ancilla quae in re tenui ministratur *a maid of all work* audit) creatus esse dicitur ille magistratus qui cunctis ephebis praepositus est, cum singularum tribuum iuvenibus praesint sophronistae. Legendum est *ἐπὶ πάντας. παρα-*

1) *Εὐκλειδοῦς* editum est; vitium apertum notavit BYWATER.

2) Sic pro *ἅμα* rescribi iussit RICHARDS.

3) Ioculari errore (scribae? an editoris?) pro *καὶ ἰδίᾳ* editum est *καρδίᾳ*. Correxit etiam BYWATER.

4) Editor non recte haec est interpretatus in annotatione.

Digitized by Google

λαβόντες δὲ etc.; illum autem, qui omnes ephebos παραλαμβάνει, id est suae curae concreditos habet, non ἐπιμελητήν sed κοσμητήν vocare solent Athenienses, quare videndum est an hoc quoque loco ita legi sinant papyri litterae evanidae.

Cap. 50 editor allatis Plutarchi verbis notissimis (Publ. 20) multus est in demonstrando domuum graecarum ostia ita fuisse constructa ut foras aperirentur ianuae. Libenter concedo, nam haudquaquam dubia videtur res; sed quod addit: *that doors did in early times open outwards is proved by the present passage of Aristotle, which shows that it was made the duty of a magistrate to stop the practice, and by the fact quoted by the same writer in the Economics* (II 4) *that Hippias the tyrant put a tax on doors which opened in that way*, ex illis verbis efficere possis miram quandam conditionem fuisse civitatis Atheniensium, in qua fierent leges ut nemo iis obtemperaret. Inde a Pisistratidarum tempore magistratus operam dedisse ut finis fieret huius moris, nec tamen per duo saecula eo pervenire potuisse, credibile videtur?

Sed mittamus editoris argumenta et ipsa inspiciamus Aristotelis verba, quae haec sunt. Aediles (ἀστυνόμοι) ὅπως τῶν κοπρολόγων μηδεὶς εντοσιδιῶν [1]) τοῦ τείχους καταβαλεῖ κόπρον ἐπιμέλονται, καὶ τὰς ὁδοὺς κωλύουσι κατοικοδομεῖν καὶ δρυφάκτους ὑπὲρ τῶν ὁδῶν ὑπερτείνειν καὶ ὀχετοὺς μετεώρους [2]) εἰς τὴν ὁδὸν ἔκρυσιν ἔχον[τας] [3]) ποιεῖν καὶ τὰς θυρίδας εἰς τὴν ὁδὸν ἀνοίγειν etc. — Aediles igitur, ne conspurcentur viae aliave loca publica, vetant ne quis τῶν κοπρολόγων ἐντὸς σταδίων ⟨ἓξ?⟩ ἀπὸ τοῦ τείχους sordes per urbem collectas deiciat; praeterea operam dant ne qua domus ita aedificetur ut molestia vel etiam pericula inde nasci possint praetereuntibus. Non licet vias publicas κατοικοδομεῖν, quod nisi fallor non significat de via publica absumere aliquid ut ibi paries erigatur, sed ὑπερῷα sive πύργους — ut vocari solent — sibi construere quae προβολὰς sive γεισιποδίσματα [4])

1) Haec legi in ms. dicit editor, unde infeliciter admodum effecit μηδεὶς ἐν τοῖς παρὰ τοῦ τείχους — quae verba vertat qui vertere possit.

2) μετεώρας ms., emendavit BYWATER.

3) Sic BYWATER, editor ἐχομ[ένας].

4) Vid. Pollux I 81.

Digitized by Google

habeant plateae imminentia. Neque δρυφάκτους [1]) ex altera domo in alteram per sublime ducere licet, neque aquaeductus sive truae orificium ita collocare ut inde decidere possit aliquid in capita praetereuntium; neque denique θυρίδας quae extrorsum aperiantur fieri sinunt. Videmus civium capitibus perpetuo hic consuli: his ne incidant tablina cautum est, his ne infundi possint culinarum vel lavatrinarum sordes, haec denique ne putris aliqua aut male iuncta θυρὶς τοῦ ὑπερῴου [2]), fenestra vento per angiportus bacchante avulsa, illidere posset, edicto aedilicio vetitum est fenestras ad plateam publicam habere ita constructas ut extrorsum aperirentur. At *ianuae* illae ubi sunt? Vides editorem per errorem, in quem incidere non poterat nisi recens a molestissimo labore litteras semirosas rimandi, confudisse θυρίδας *fenestras* et θύρας *ianuas*. Vix opus erit, opinor, ut in memoriam ei revocem locos Aristophaneos: vesanus ille quem novimus senex in Vespis ἐξάψας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλῴδιον εἶτα καθιμᾷ δήσας αὐτόν (vs. 379); si qua muliercula taedio rerum quotidianarum capta et aëris solisque appetens inter lanificium ἐκ τῆς θυρίδος παρακύπτει, praetereuntes omnes eam suspiciunt (Thesm. 797); puella cum amatore suo per θυρίδα apertam confabulatur Eccles. 950 sqq. et deinde auctor ei est ut clausam θύραν vi aperiat (vs. 962 sqq.).

At audio interpellantem: „heus tu, quid igitur Hippias fecisse dicitur altero loco Aristotelico, quem editor excitavit, Oecon. II 4: Ἱππίας ὁ Ἀθηναῖος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς καὶ τὰ προφράγματα καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω ἐπώλησεν?" [3]) — Non facile tamen

---

1) *Balcons*? Sic ut vertamus cogimur nisi fallor verbo ὑπερτείνειν, quod de *cancellis* ante domum in ipsa via collocatis apte dici non posset.

Γεισίποδας Pollux l. l. vocat trabes ex pariete eminentes, quibus superstructum est γεισιπόδισμα; γεῖσον vero vel γείσωμα ei est τὸ προῦχον τοῦ ὑπερθυρίου (ibid. c. 76), *vestibulum praemunitum*.

2) Superior tantum domuum pars, in qua mulieres degere solent, fenestram habet unam vel plures, qua lumini fiat aditus.

3) De *Iphicrate* idem narrat Polyaenus III 9 § 30: Ἰφικράτης ἐν ἀπορίᾳ χρημάτων ἔπεισεν Ἀθηναίους τὰ ὑπερέχοντα τῶν οἰκοδομημάτων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς ἀποκόπτειν ἢ πιπράσκειν, ὥστε οἱ δεσπόται τῶν οἰκιῶν πολλὰ εἰσήνεγκαν χρήματα ὑπὲρ τοῦ μὴ περικοπῆναι καὶ σαθρὰ γενέσθαι τὰ οἰκοδομήματα. De *ianuis* ne verbulum quidem hic dicitur. Ceterum nescio an mero errore hoc referatur ad Iphi-

Digitized by Google

adducar ut credam θυρίδας et θύρας nisi a librariis potuisse confundi; fortasse ita est expedienda res ut aliud in Hippiae decreto, aliud in edicto aedilicio temporis Aristotelici fuisse statuamus, ego tamen magis inclino in eam opinionem ut Hippias quoque θυ<ρί>δας quae plateam versus evolverentur fieri vetuerit, de ianuis nihil edixerit.

Cap. 55 postquam exposuit scriptor quomodo fieri soleat magistratuum δοκιμασία, ita pergit: δοκιμασθὲν (immo δοκιμασθέντες!) δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, βαδίζουσι πρὸς τὸν λίθον ΤΦ.. τὰ ΤΑΜΙ ἐστὶν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ διαιτηταὶ ὀμόσαντες ἀποφαίνονται τὰς διαίτας καὶ οἱ μάρτυρες ἐξόμνυνται τὰς μαρτυρίας.

Editor ita supplevit locum lacunosum: ὑφ' [ᾧ] τὰ ταμι[εῖα] ἐστίν, fretus Pollucis loco VIII 86, ubi magistratus iurasse dicuntur πρὸς τῷ βασιλείῳ στοᾷ, ἐπὶ τοῦ λίθου ὑφ' ᾧ τὰ ταμιεῖα, συμφυλάξειν τοὺς νόμους καὶ μὴ δωροδοκήσειν (cf. Aristot. c. 7). Atqui nemo unquam dicere potuit quales tandem *cellae* illae in medio foro fuerint, sub lapide praesertim latitantes; ὑπὸ λίθῳ παντὶ μὴ λάθῃ σκορπίος vel etiam ῥήτωρ, ut est apud comicum [1]), cavendum esse cum dicitur, id intellegimus, sed penora vel quaestorias pecunias sub fori lapidibus haud facile quaesiverit aliquis; aeque ridicula res est ac si quis nostratium aeraria vel tabularia nescio quae *onder het monument op den Dam* asservari narraret. Quapropter dubium non est quin verum viderit Bergkius, qui corrigebat apud Pollucem ἐφ' οὗ τὰ τόμια ὑὸς, φυλάξειν etc. Quamquam non ab omni parte probandam esse eius coniecturam cum syntaxis docet, misere enim παρέλκει illud ὑός, tum ipse Aristotelis locus, a Polluce enarratus, quem nunc ante oculos habemus; legendum est utrobique ἐφ' οὗ τὰ τόμι' ἐστίν. Quid sint τόμια et aliunde est notum et ex Arist. Lysistr. 186 et 192 disci potest; sunt hostiae quae mactantur ut foedus feriri vel iusiurandum publice praestari rite possit, sunt τὰ ἱερὰ (immo τὰ ἱερεῖα) ἃ σφάζοντες ὀμνύουσιν, ut interpretatur Hesychius. Iurabant autem στάντες ἐπὶ τῶν τομίων (Demosth.

---

cratem, cui quidquid unquam callide in rep. administranda bellove gerendo excogitatum est tribuere solet Polyaenus (cf. J. Melber in Fleckeisen. Suppl. 1885 p. 567).

1) Thesm. 530.

Digitized by Google

XXIII § 68): in lapide illo (lapideo suggesto?) stantes pedibus contingebant hostias dissectas quae ibi collocatae fuerant.

Statuendumne igitur vitium hoc, quod sagaciter detexit Bergkius, inde a primo p. C. saeculo firmiter inhaesisse textui Aristotelis? nam bis natum esse credibile non videtur. Quamquam mirari subit, Pollucem vocabula omni sensu destituta, apud Aristotelem a se inventa, exscribere aut in deterius etiam mutare potuisse; dixeris enim illi non minus absurda videri debuisse τάμια vel ταμιεῖα illa quae *sub lapide* esse dicantur, quam lectori hodierno [1]). Admodum gravis haec est quaestio, quae aliquantisper me movit ut de fraude aliquid suspicari inciperem; plura tamen hac de re nunc disputare nolo, quoniam fieri potest ut ΕΦ et TOMI litterae extent in ms. sed ab editore, quem Pollucis textus in errorem pellexisset, male sint lectae.

Cap. 56. λαμβάνουσι δὲ καὶ παρέδρους ὅ τε ἄρχων καὶ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πολέμαρχος δύο ἑκάτερος οὓς ἂν [2]) βούληται, καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας διδόασιν ἐπὰν παρεδρεύσωσιν.

Foedo vitio commaculari hanc sententiam non est quod multis verbis exponam, ferri enim non posse pronomen ἑκάτερος ubi de *tribus* magistratibus sermo fiat neque alii negabunt neque ipse editor. Quid igitur? legendumne ἕκαστος? simplicissima sane et vulgaris correctio. Attamen ut retineamus calamum priusquam ita rescribamus auctor sum, nam „*Harpocration* (*s. v.* „πάρεδρος) *quotes this passage as from Aristotle* ἐν τῇ Ἀθηναίων „πολιτείᾳ, *with the exception that he* (*or his MSS.*) *omits the words* „καὶ ὁ βασιλεύς (*Rose, Frag.* 389). *That the king archon had two* „πάρεδροι *as well as the archon and the polemarch is confirmed by* „*Pollux* (VIII 92)." — Apud Harpocrationem igitur duobus tantum viris, archonti et polemarcho, bini assessores tribuuntur, optime autem in Aristotelis verbis ita allatis habet pronomen ἑκάτερος. Hinc suspicor verba καὶ ὁ βασιλεύς non excidisse ex textu Harpocrationis sed in nostrum textum male irrepsisse; videndum autem

1) Si quis librum patrio sermone perscriptum perlegens inveniret huiusmodi iusiurandum fieri in lapide *waaronder de koffers liggen*, magnine esset acuminis intellegere verum esse *waarop de offers liggen*?

2) In ms. est ἐὰν; perpetua harum particularum in libro est confusio.

Digitized by Google

quo iure statui soleat regi quoque duos fuisse παρέδρους. Pollucis verba, ad quae provocat KENYON, haec sunt: πάρεδροι δ' ὀνομάζονται οὓς αἱροῦνται ἄρχων καὶ βασιλεὺς καὶ πολέμαρχος, δύο ἕκαστος οὓς βούλεται; sed quoniam modo apparuit Pollucem usum esse exemplari libri Aristotelici quod nostro esset simillimum, fieri potest ut hoc quoque loco vitio eius libri deceptus fuerit, satiusque videtur eius testimonio nihil tribuisse. Rex autem adiunctos sibi habebat quatuor ἐπιμελητὰς τῶν μυστηρίων publice creatos; de his agitur cap. 57, qui locus in ms. lacunosus est sed ex Harpocratione (s. v. ἐπιμεληταὶ τῶν μ.) potuit restitui; unus horum curatorum ex Cerycum gente fieri solebat, ex Eumolpidis alius, duo ex ceteris omnibus Atheniensibus creabantur. Deinde apud Aristotelem c. 57 haec sequuntur: ἔπειτα (nempe curam habet rex) Διονυσίων τῶν ἐπὶ Ληναίῳ [1])· ταῦτα δ' ἐστὶ [πομπὴ καὶ ἀγών· τὴν] [2]) μὲν οὖν πομπὴν κοινῇ πέμπουσιν ὅ τε βασιλεὺς καὶ οἱ ἐπιμεληταὶ, τὸν δὲ ἀγῶνα διατίθησιν ὁ βασιλεύς. — Videmus igitur regi in publicis festis, Mysteriis, Lenaeis, ordinandis adiutores fuisse τοὺς ἐπιμελητάς: quorsum autem duorum insuper assessorum ministerio ei opus fuerit? Itaque crederem nullos ei fuisse neque Aristotelem ei tribuisse, nisi obstaret testimonium personati Demosthenis in oratione c. Neaer. § 72: Theogenem, cum rex esset creatus, assessorem sibi assumsisse Stephanum, a quo cum turpiter deceptum se esse intellexisset, hominem scelestum ἀπήλασεν ἀπὸ τοῦ συνεδρίου (§ 83). Sed videre mihi videor quomodo componi haec possint; non re sed verbis discrepant Aristoteles et Demosthenes. Tabula marmorea (CIA II 597 = Dittenb. Syll. 385) Eleusine reperta est, in qua publice a gente Cerycum laudatur Euthydemus quidam, quoniam πάρεδρος τοῦ βασιλέως καλῶς καὶ φιλοτίμως μετὰ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ γένους τοῦ Κηρύκων ἐπεμελήθη τῶν περὶ τὰ μυστήρια καὶ φιλοτιμούμενος διατελεῖ πρὸς τὸ γένος τὸ Κηρύκων. Ergo hunc virum functum esse videmus munere quod τοῖς ἐπιμελητοῖς qui dicuntur publice mandari solebat, et tamen vocari πάρεδρον. Nisi igitur egregie fallor, duos illos curatores mysteriorum, qui ex cunctis civibus

1) Ληναίων ms.; correxit etiam BYWATER.
2) Ita lacuna quam editor indicavit videtur esse explenda.

Digitized by Google

creabantur, postea certe *παρέδρους* regis nonnumquam dictos esse hinc apparet. Quod si iure statuo, neque hic lapis neque Demosthenis locus obstat quominus in textu Aristotelis deleantur vocabula *καὶ ὁ βασιλεύς*.

Cap. 57. Is qui caedem perpetravit *τὸν μὲν ἄλλον χρόνον εἴργεται τῶν ἱερῶν καὶ οὐδεὶς τὴν α[ἰτί]αν δ[ύναται ἐ]μβαλεῖν αὐτῷ, τότε δὲ* ut causam suam defendat *εἰς τὸ ἱερὸν εἰσελθὼν ἀπολογεῖται*. Haec excudenda curavit editor, quae quid significent interrogatus dicere non posset. Aristoteles scripserat nisi fallor: *καὶ οὐδ' εἰς τὴν ἀ[γορ]ὰν δ[ίκαιον ἐ]μβαλεῖν αὐτῷ* [1]). Malim sane *ἔξεστιν* quam *δίκαιον*, quare videndum an ita scribi sinant litterarum vestigia. Rem fuse enarrat Demosth. XXIII, vid. § 37 sqq. et 80.

In vicinis multa expectant manum emendatricem, quae sanare mihi non contigit.

Caput 10 corruptum esse video, et corrigere posse mihi videor errorem qui librariorum culpa irrepsit; sed deinde quae evadit sententia tam mirifice a vero aberrat, ut Aristotelis acumen desiderem, et discipulorum ex eius ore observationes minus bene intellectas excipientium oscitantiam culpare aut aliam qualemcunque causam suspicari malim quam ipsi philosopho ea imputare quae singularem et vere incredibilem rerum Atticarum ignorantiam prodant. Videamus quid rei sit. Solonis *σεισάχθειαν* postquam descripsit Aristoteles verbis, quae dubitari in posterum non sinant quin hoc certe iudice *tabulas novas* Solon instituerit, deinde quomodo mutata ab eo sit ponderum mensurarum nummorum ratio ita enarrat:

*ἐν [μὲν οὖν τ]οῖς νόμοις ταῦτα δοκεῖ θεῖναι δημοτικά, πρὸ δὲ τῆς νομοθεσίας ποιήσα[σθαι τὴν χρ]εῶ[ν ἀπο]κοπήν, καὶ μετὰ ταῦτα τήν τε τῶν μέτρων καὶ σταθμῶν καὶ τὴν τοῦ νομίσματος αὔξησιν. ἐπ' ἐκείνου γὰρ ἐγένετο καὶ τὰ μέτρα μείζω τῶν Φειδωνείων, καὶ ἡ μνᾶ πρότερον [μὲν ἔχο]υσα παρα[πλήσ]ιον ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἀνεπληρώθη ταῖς ἑκατόν. ἦν δὲ ὁ ἀρχαῖος χαρακτὴρ διδραχμον. ἐποίησε δὲ καὶ σταθμὸν πρὸς τ[ὸ] νόμισμα * τ[ρ]εῖς καὶ * ἑξήκοντα*

1) Meliorem huius emendationis partem debeo amico HARTMANNO. Locutione *εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλειν* utitur e. g. Plutarchus Mor. 660*a*.

Digitized by Google

μνᾶς τὸ τάλαντον ἀγούσας, καὶ ἐπιδιενεμήθησαν [αἱ] μναῖ τῷ στατῆρι καὶ τοῖς ἄλλοις σταθμοῖς.

Ante omnia in suum locum reducenda sunt vocabula τρεῖς καὶ. Legendum est: ἡ μνᾶ πρότερον [μὲν??] ἔχουσα παραπλήσιον ‹τρεῖς καὶ› ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἀνεπληρώθη ταῖς (τότε εἰς?) ἑκατόν. ἦν δὲ ὁ ἀρχαῖος χαρακτὴρ (nonne στατὴρ?) δίδραχμον. ἐποίησε δὲ καὶ σταθμὸν πρὸς τὸ νόμισμα, ἑξήκοντα μνᾶς τὸ τάλαντον ἀγούσας.

Iam habemus sententiam aequabiliter satis decurrentem, at eandem egregie absurdam. *Imminutum* a Solone esse pondus nummorum quis nescit; pro graviore pecunia, qua Peloponnesii etiam postea uti pergebant — Aeginetica [1]) vocari solet — invexit Euboicam; inter utramque autem ea intercedit ratio ut 138 drachmae Euboicae pondere aequent drachmas Aegineticas 100 [2]), vel 100 drachmae Euboicae Aegineticas fere 73. Sed quis nisi desipiens vel somnians ex hisce numerorum figuris efficiat *auctum* igitur esse pondus pecuniae Atticae a Solone, cum plures quam antea oboli vel drachmae excudi possent ex eadem argenti lamina? Estne viri prudentis, sagacis, in omnibus fere scientiis exercitatissimi, in tam ludicrum errorem incidere? Et tamen apertissimis verbis Solon apud Aristotelem dicitur *auxisse, maiores reddidisse* nummos pondera mensuras.

Quae dum mecum perpendo, redit in mentem Plutarchi locus ille notissimus in vita Solonis c. 15, ubi eaedem res narrantur: καίτοι τινὲς ἔγραψαν, ὧν ἐστιν Ἀνδροτίων, οὐκ ἀποκοπῇ χρεῶν ἀλλὰ τόκων μετριότητι κουφισθέντας ἀγαπῆσαι τοὺς πένητας, καὶ σεισάχθειαν ὀνομάσαι τὸ φιλανθρώπευμα τοῦτο καὶ τὴν ἅμα τούτῳ γενομένην τῶν τε μέτρων ἐπαύξησιν καὶ ‹τῆς› τοῦ νομίσματος τιμῆς [3])· ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν. — Dudum est observatum, contortis quidem et tantum non vitiosis verbis usum esse Plutarchum, quid tamen dicere voluerit non esse obscurum; nempe ex Androtionis sententia non deleta a Solone esse ipsa debita, non

1) Cf. Diphili fr. 66 Kock, Thuc. V 47 § 6, Xenoph. Hell. V 2 § 21.

2) CIG. 123.

3) Sic scripsi; edi solet καὶ τοῦ νομίσματος τιμήν, quae non intellego. Bakius coniciebat olim τὴν ἅμα τούτῳ γενομένην τῶν μέτρων ἐπαύξησιν τῇ τοῦ νομίσματος τιμῇ, acute sed parum probabiliter, nam non solum nummos sed etiam, quae certa ratione cum iis cohaerent, pondera et mensuras a Solone imminuta esse constat.

Digitized by Google

χρεῶν ἀποκοπὴν eum instituisse, sed imminuta ab eo esse foenora, et cum simul mutatum esset nummorum pondus, lege sancitum esse ut debitoribus liceret pro singulis drachmis Aegineticis rependere Euboicas, ita ut quarta fere parte minuerentur debita. Auctum igitur est argenti signati pretium, non ipsi nummi sunt aucti; ante Solonem παχείαις, post eum λεπταῖς δραχμαῖς [1]) utebantur Athenienses.

Sic Plutarchi aut Androtionis verba recte explicarunt Boeckhius (SH.[3] II p. 326 sq.), Mommsenus, Hultschius. At finge nunc tibi non viros sagacissimos eosdemque doctissimos locum Plutarcheum interpretantes sed stultum atque ignarum aliquem tenebrionem ea quae illic leguntur suis verbis referentem: id ipsum opinor narrabit nobis quod apud Aristotelem reperitur, maiores fuisse Solonis nummos quam Phidoneos sive Aegineticos, plus scilicet esse centum quam septuaginta tres.

Hic mihi haeret aqua. Quomodo tandem solvendum est hoc aenigma, quod Androtionis verba a Plutarcho negligentius expressa in errorem abduxisse videntur Aristotelem?! Isdemne verbis ambiguis usus fuerat Androtion, Androtionis autem opus Aristoteli haec scribenti ad manum erat et male ab eo intellegebatur? Sic tamen restat ut summum philosophum in tali re pueriliter errare potuisse credamus. Quod cum in animum inducere mihi nequeam, necessario cogor ut suspicer hunc locum neque Aristotelem auctorem habere neque eius scholae deberi, sed ex Plutarchi verbis male intellectis fluxisse [2]). Quoniam tamen Plutarchus vixit ipso illo tempore quo exaratum esse videtur volumen hoc papyraceum, haec quoque explicatio quanta habeat incommoda non fugit me. Sed undecunque fluxit immanis hic error, Aristotele certe indignissimum duco. Quisquis autem concedit non de nihilo fictum esse crimen quod protuli, non negabit ne aliis quidem in rebus temere fidem esse habendam huic testi, quoties diversa narrat ab iis quae antea certa videbantur, sed caute admodum novo libro esse utendum.

---

1) Poll. IX 76.

2) Plutarcho librum hunc Aristotelicum ignotum fuisse, ex nonnullis quae de Themistocle et de Pericle scribit efficias; attamen Aristotelis de Nicia Thucydide Theramene indicium admodum notabile, quod in cap. 28 extat, citatur a Plutarcho in vita Niciae c 2.

Digitized by Google

Non melioris autem notae esse mihi videtur id quod de ostracismo legitur in capite 43. Quid tandem statuendum de eo, qui postquam dixit (c. 41) undecies inde ab Ionis aevo mutatam esse Athenis reipublicae conditionem, inde ab Euclide autem eandem permansisse, deinde ultimam hanc reipublicae formam — quam per octoginta nimirum annos [1]) nihil a pristino statu deflexisse credere iubemur — dum fuse describit (c. 42 sqq.), et alia refert et hoc: quotannis Athenis rogari populum velitne an nolit hoc anno testarum fieri iudicium. Nunquamne igitur inaudivit Aristoteles Hyperbolum quendam vixisse olim, qui cum anno 417 ostracismo pulsus esset — at piget pergere de re notissima. [2]). Tacet de Hyperbolo Aristoteles: miramur fortasse; at de aliis quoque viris, qui magnas in rep. Atheniensium partes egerunt, tacet, et parum afuit quin de ipso Pericle taceret. Sed tam ridicule errare non potuit philosophus ut crederet suo etiam tempore Athenis vigere institutum quod multis annis ante eius natales in desuetudinem abiisset [3]). Immo hic locus si quis alius documento esse mihi videtur, excerpta varia non ita bene cohaerentia in libri aliquam speciem esse redacta et clarissimo philosopho adscripta. Ex eius schola, ex eius ore fortasse fluxisse quaecunque insunt notatu digna, id profecto non nego; sed nego Aristotelis magnum nomen aliquid valere ut ea vera esse credamus quae nisi eius auctoritate munita in hoc libro legerentur ilico reiceremus.

Finem disputandi faciam in loco, quo nescio an nullus toto libro occurrat dignior in quem philologi mentis suae acumen convertant. Caput dico 24, ubi describitur popularis ille reipublicae status, qui ab Aristide est inchoatus: *συνέβαινεν γὰρ ἀπὸ τῶν Φόρων καὶ τῶν τελῶν* [καὶ del.] *τῶν συμμάχων πλείους ἢ δισμυρίους ἄνδρας τρέφεσθαι. δικασταὶ μὲν γὰρ ἦ[σα]ν ἐξακισχί-*

1) Post annum 329 scriptum esse libellum docent c. 54 et 61 fin; ex c. 46 vir d. C. Torr coll. CIA II 808 sq. effecit scriptum esse ante annum 325, quo anno *quinquiremes*, quarum nulla apud Aristotelem fit mentio, primum publice sunt constructae. Huic tamen argumento quantumvis specioso non ita multum equidem tribuerim.

2) Cf. Plutarch. Arist. 7 Nic. 11.

3) Cf. Valeton in Mnemosyne anni 1887 p. 354.

Digitized by Google

λιοι, τοξόται δ' ἑξακόσιοι καὶ χίλιοι, καὶ πρὸς τούτοις ἱππεῖς χίλιοι καὶ διακόσιοι, βουλὴ δὲ πεντακόσιοι, καὶ Φρουροὶ νεωρίων πεντακόσιοι, καὶ πρὸς τούτοις ἐν τῇ πόλει Φρουροὶ ν̄, ἀρχαὶ(?) δ' ἔνδημοι μὲν εἰς ἑπτακοσίους ἄνδρας, ὑπερόριοι δ' εἰς ἑπτακοσίους· πρὸς δὲ τούτοις ἐπεὶ συνεστήσαντο (leg. -σαν?) τὸν πόλεμον ὕστερον ὁπλῖται μὲν δισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι, νῆες δὲ Φρουρίδες εἴκοσι, ἄλλαι δὲ νῆες αἱ τοὺς Φόρους(?) ἄγουσαι τοὺς ἀπὸ τοῦ κυάμου(?) δισχιλίους ἄνδρας, ἔτι δὲ πρυτανεῖον καὶ ὀρφανοὶ καὶ δεσμωτῶν φύλακες· ἅπασι γὰρ τούτοις ἀπὸ τῶν κοινῶν ἡ διοίκησις ἦν.

In his multa sunt quae αἰνιγματωδέστατα mihi quidem videntur, inprimis *Φόροι* isti quid sibi velint non exputo; estne *Φρουρούς* legendum? de *sociorum tributis* hic non agi certum est. Sed pleraque aliis solvenda relinquo, si possint solvi, nam delendum potius esse hunc locum quam corrigendum suspicor. *Sagittarios mille sexcentos* habes apud Thucydidem II 13, item *equites mille ducentos*, id est mille illos iuvenes nobiles, qui ἱππῆς dici solent, cum ducentis *ἱπποτοξόταις* [1]) mercede ut opinor conductis. Hi quomodo tandem cum *iudicibus* et *senatoribus* coniunctim commemorari possint, quove sensu bello exorto *duo milia hoplitarum cum quingentis* fuisse dicantur, cum longe maiores Atheniensibus fuisse copias nemo nesciat, ea mirari possum, explicare nequeo; neque melius intellego quorsum evaserit ingens illa classis, qua Athenienses domabant socios, repellebant adversarios: de Lysandri, non de Aristidis tempore agi dixeris. Sed mitto nunc res bellicas, mitto senatores, quibus drachma quotidie solvebatur: hoc praesertim miror, *iudicum* hic mentionem inici. Hos enim quotquot erant quotidie mercedem suam accepisse quis credat! Quis autem non recordatur loci Aristophanei, quem v. d. Max Fraenkel ante annos tredecim feliciter videbatur explicasse [2]), Vesp. v. 660 sqq.:

τούτων πλήρωμα τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίγνεται ἡμῖν.
ἀπὸ τούτου νῦν κατάθες μισθὸν τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ
ἓξ χιλιάσιν, — κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθεν, —
γίγνεται ἡμῖν ἑκατὸν δήπου καὶ πεντήκοντα τάλαντα.

„Finge tibi", ita fere comici verba reddere licet, „finge tibi sex

1) Cf. Boeckh S.H.[2] I p. 331.
2) *Die attischen Geschworenengerichte* 1877 p. 10 sqq.

Digitized by Google

milia esse heliastarum, finge hos per omnes quotquot annus habet dies in iudiciis sedere universos: ne sic quidem decima pars redituum publicorum insumetur in istam vestram quam tanti facitis mercedem". Multum autem aberat ut Athenis omnes dies fasti essent, multum aberat ut quovis die fasto omnes heliastae admitterentur in dicasteria; hinc sagaciter effecit Fraenkel illum quoque iudicum numerum, unde computandi initium facit Bdelycleon, non lege stabilitum fuisse sed hoc ipso temporis momento ab eo excogitari; tantum autem esse ut omnem probabilitatem longe excedat, quo maiorem vim sit habiturum id quod statim additur, ne sic quidem ad decimam partem redituum annuorum reipublicae perveniri; nullum autem certum fuisse heliastarum numerum, omnes enim cives Athenienses inde a trigesimo aetatis anno iure suo fuisse heliastas et iurasse *τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον*. Persuasit Fraenkel philologis plerisque, vid. e. g. GILBERT Alterth. I p. 372 not. 4. Sed quid nunc fieri debet? Confectane res videtur novo hoc testimonio? An errasse statuimus philosophum vel quisquis haec consarcinavit? Mihi dubium non videtur quin omnino fide indigna sint quae hoc loco leguntur, sive a stultissimo nescio quo homine excogitata fuerint et Aristotelis verbis inserta, sive olim tolerabilem aliquem sensum praebuerint sed corrupta ad nos pervenerint. Aliena hinc est iudicum mentio [1]), cum praesertim Aristidis tempore, de quo hoc capite agitur, nullus fuerit *μισθὸς δικαστικός*; nempe *ἐποίησε μισθοφόρα τὰ δικαστήρια Περικλῆς πρῶτος* (c. 27). Notatu autem videtur dignissimum, prima nostri loci verba, quibus *viginti milia* virorum ex publico aerario Athenis nutriti esse dicuntur, proxime accedere ad alium Aristophanis locum, Vesp. 706 sqq.:

εἰ γὰρ ἐβούλοντο βίον πορίσαι τῷ δήμῳ, ῥᾴδιον ἦν ἄν.
εἰσίν γε πόλεις χίλιαι αἳ νῦν τὸν φόρον ἡμῖν ἀπάγουσιν·

---

1) Pro voce *δικασταὶ* legendum esse *ἐρέται* aut *ὁπλῖται* vel etiam *πελτασταὶ* suspicetur fortasse quispiam; nihil tamen horum satis apte huc quadrare videtur. Quamquam notatu dignum est similem errorem irrepsisse in caput 61, ubi de stratego illo, qui *ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας* tempore Aristotelis creabatur, haec legimus: *ἡγεῖται τῶν δ....των ἂν ἐξίωσι*, quo loco *δ[ημο]τῶν* supplevit editor, sive iure sive iniuria: id certum est ab illa sententia alienissimam esse *δημοτῶν* mentionem, non enim paganis suis sed cunctis copiis pedestribus hic praetor praecest cum extra fines Atticos bellum geritur: omnino igitur *ὁπλιτῶν* ibi legendum arbitror.

Digitized by Google

τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν εἴ τις προσέταττεν ἑκάστῳ, δύο μυριάδ' ἂν τῶν δημοτικῶν ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις.

De *iudiciis* igitur incertiores aliquanto nunc sumus quam ante novum librum repertum eramus, neque cuiquam auctor sim ut multum tribuat loco quem modo examinavimus. Sed de *comitiis* aliquid didicimus quod minime contemnendum est. Nullum ante Euclidis tempora solutum esse civibus *μισθὸν ἐκκλησιαστικόν* antea suspicati sunt multi [1]), nunc disertis verbis docet philosophus cap. 41: *πρῶτον μὲν Ἀγύρριος ὀβολὸν ἐπόρισεν, μετὰ δὲ τοῦτον Ἡρακλείδης ὁ Κλαζομένιος ὁ βασιλεὺς ἐπικαλούμενος διώβολον, πάλιν δ' Ἀγύρριος τριώβολον.* Postea autem *τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ novenos obolos* meruisse cives, *ταῖς δὲ ἄλλαις* drachmam integram, non sine magna admiratione vidi in cap. 62; quod verum esse ut credam vix adducor.

Etiam de tempore, quo instituta est *ἡ διωβελία* sive *τὸ θεωρικόν*, ex novo hoc fonte certiores fimus; nempe *Cleophontem* primum instituisse hanc largitionem, cuius auctor Pericles fuisse hactenus credebatur (propter Plut. Pericl. c. 9), tradit scriptor, nec dubium videtur quin ea quae de hac re refert ex bono fonte fluxerint. Annum non indicat Aristoteles, sed ex nomine Cleophontis intellegitur legem, qua hoc institutum est, aetate non multum antecessisse notissimam inscriptionem CIG. 147 (CIA. I 188, Dittenb. 44, Boeckh SH. II p. 2 sqq.), ex qua patet per quatuor prytanias anni tertii Olympiadis 92 (410/9 a. C.) *sedecim* fere *talenta εἰς διωβελίαν* ex publico aerario expensa esse.

Utilissima sunt etiam quae in fine capitis 44 legimus de tempore, quo comitia magistratibus creandis habebantur: *ποιοῦσι δὲ καὶ ἀρχαιρεσίας* [2]) *στρατηγῶν καὶ ἱππάρχων καὶ τῶν ἄλλων τῶν πρὸς τὸν πόλεμον ἀρχῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καθ' ὅ τι ἂν τῷ δήμῳ δοκῇ· ποιοῦσι δ' οἱ μετὰ τὴν ϛ πρυτανεύοντες ἐφ' ὧν ἂν εὐσημία γένηται. δεῖ δὲ προβούλευμα γενέσθαι καὶ περὶ τούτων.* Post sextam igitur prytaniam, appropinquante vere, simulatque sinunt auspicia ex senatus auctoritate convocantur cives ad

1) Primus rem perspexit Kirchhoff. Cf. Aristoph. Eccles. vs. 183 sqq. et vs. 302 et schol. ad vs. 102.

2) *δεκαρχαιρεσίας* ms.; vitium apertum sustulit etiam SANDYS.

Digitized by Google

creandos magistratus qui exercitui et classi praesint. Egregie hinc confirmatur id quod post G. HERMANNUM SEIDLERUM KRUEGERUM contendit vir sagacissimus MUELLER STRUEBING [1]), sub hiemis finem creatos esse strategos ceterosque magistratus militares, illo anni tempore quo et civibus esset otium ad urbem visendam, agri enim tunc nullas curas requirebant [2]), et sine publico incommodo aut periculo novi duces possent praeponi copiis terrestribus et navalibus, non enim hieme geruntur bella. Quod ubi viderit senex de Aristophane totaque antiquitate optime meritus, aequi bonique ut spero consulet quod ταμίας ille τῆς κοινῆς προσόδου, de quo copiose olim disputavit [3]), in republica Aristotelica nusquam comparet; nullum eiusmodi magistratum novisse videtur is qui hunc librum scripsit.

Scripsi Lugd. Bat. d. 20 m. februarii 1891.

Plagulam emendatam cum in eo essem ut redderem typographo, allata est ephemeris *Litterarisches Centralblatt* d. d. 28 febr., in qua F. BLASS pro suo acumine multa libri Aristotelici vitia egregie sanavit. Paucis verbis indicabo locos qui eadem ratione, quam ego supra suasi, ab eo sunt correcti. C. 2 [τότε]...τ[οῖς τε]. — C. 3 αἰρ[ουμένων]. — C. 13 κατάλυσιν et διαψηφισμόν. — C. 22 τότε pro τοῖς. — C. 24 pro Φόρcυς legendum esse Φρουρούς etiam Blass putat. — C. 31 καταστῇ et ἐν ὅπλοις. — C. 40 δεῖν pro δεν. — C. 55 πάντας ἐστὶ διαψηφίζεσθαι.

Addidi d. 3 m. Martii.

---

1) *Aristophanes und die historische Kritik* p. 484 sqq., p. 516.
2) Vid. quae de tempore τῆς δστρακοφορίας observavit ibid. p. 187 sqq.
3) Ibid. p. 194 sqq.

Digitized by Google

NOTULAE CRITICAE AD SILIUM ITALICUM.

SCRIPSIT

J. S. VAN VEEN.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 306).

VI. 560: Ast aliae, laceris *canentes* crinibus, alta
Verrunt tecta Deum.

Cum anno priore notulas criticas ad librum VI edebam, pro *canentes*, quae lectio meo iudicio corrupta est, coniecturam, quae probari posset, reperire non potueram. Putabam verbum, quale est *attonitae* requiri. Postea locum iterum atque iterum relegenti suspicio orta mihi est *canentes* corruptum esse ex *squalentes*, cuius verbi prima litera propter verbi *laceris* ultimam literam facile excidere potuit. Cf. Sil. II. 668: *squalentem* comam; III. 541; VI. 405: *squalentem crinem* et tristes lacerabat amictus; Ovid. Fast. III. 640; Stat. Theb. XII. 363: *Comisque squalentem;* Claud. de bello Gild. 408.

VII. 2:

Ille quidem socios atque aegram vulnere praeceps
Ausoniam armabat viridique ad dura laborum
Bellator senio iam castra movebat in hostem.
Sed mens humana maior non tela nec enses
Nec fortes spectabat equos. Tot milia contra
Poenorum invictumque ducem, tot in agmina solus
Ibat et in sese cuncta arma virosque gerebat.

Pro *sed* Bothius coniecit *sic*, quae emendatio statim reicienda est, quippe quae luce clarius indicet virum doctissimum locum non intellexisse. Vulgata lectio optima est. *Sed* enim pertinet ad verbum *quidem*, quod vs. 2 legitur. Quod quo melius perspicitur, interpunctionem mutare velim, ut sic legatur:

Digitized by Google

3: — — — — — — movebat in hostem,
Sed mens humana maior non tela nec enses
Nec fortes spectabat equos: tot milia contra cett.

84: — — — — — — — — omnis in auro
Pressa tibi *varia* fulgebit gemma *corona*.
Quid sibi velit *varia — corona* parum assequor. Poeta significare vult mulieres Romanas vovere se post bellum feliciter confectum Deae coronam gemmis ornatam oblaturas, non, quod codicum lectio exprimit, Deae coronae novas gemmas addituras esse. Vix dubito, quin scribendum sit *vario — colore*. Cf. Ovid. 1. 270; Verg. Georg. 1. 452; Aen. IV. 701; V. 89. Schraderus, cui aeque ac mihi verbum *corona* displicebat, coniecit *crocota*.

146: Iamque dolore furens ita secum immurmurat *irae*.
In verbo *irae* haeserunt viri docti. Genuinum esse nequit. Scaliger suspicabatur *ira*, N. Heinsius *ore*, quorum neutrum satis arridet. Fortasse Silius scripserat *intus*.

274: — — et *scopulosi* vertice colles
Exsurgunt.
Liceat mihi coniecturam, olim a me editam (quaestt. Silian. p. 89) h. l. paucis exemplis affirmare. Pro *scopulosi* conieceram *scopuloso*. Cf. Sil. III. 417; V. 45; VII. 468; XV. 174:
— — *nemoroso vertice* celsus
Apparet *collis*.
Verg. Aen. VIII. 351:
— hunc, inquit *frondoso vertice collem*
— — — habitat deus; — — — —

314: Sarmentique leves fronti religare maniplos.
Verbum *levis* melius cum verbo *sarmenti* iungi mihi videtur quam cum verbo *maniplos*. Scribere malim *levis*. *Leve sarmentum* i. e. facile ad exardescendum. Liv. XXII. 16 dicit *arida sarmenta*.

350: — — — dum caeca silentia dumque
Maiores umbrae (sc. sunt).
Vereor, ne Silius h. l. parum recte locutus sit. *Caecus* cum ad visum, non ad auditum pertineat, cum verbo *silentia* male iungitur. Exspectaveris tale quale *alta* vel *vasta* (ut I. 67; V. 2;

Digitized by Google

XV. 563). Loci, qualis est V. 34, ubi tenebrarum fit mentio, poetam adduxisse videntur, ut verba male iungenda inter se iungeret. *Caecus* enim aut significat eum, qui non videt, aut id, quod nemo videt. Quodsi omnino *caeca* retinere velis, sic accipiendum est: *silentia* = *silentia noctis* = *ipsa nox*. Apud Stat. Theb. I. 368 legitur quidem *nigra silentia*, sed omnes interpretes summo consensu illic *nigra* explicant = *terribilia*, quod h. l. non quadrat.

409: Ecce autem flatu classis Phoenissa secundo
Litora Caietae Laestrygoniosque recessus
Sulcabat rostris portusque *intrarat* apertos,
Ac *totus* multo spumabat remige pontus.

Codices exhibent *intrarat*, vulgo contra legebatur *intrabat*, quod Lefeburius recte servavit. Literae *r* et *b* saepius in libris confunduntur. Cuius rei vide quae exempla attuli ad Sil. III. 104. Pro *totus* N. Heinsius ingeniose quidem, sed non admodum necesse coniecit *tortus*. Cf. vss. 255 sqq.

440: Audivit (sc. Paris) sacrae *lentus* certamina formae.

In verbo *lentus* offendo. Lentum esse coram Deabus Paridem minime decebat. Quod laudant interpretes Sil. II. 489; Verg. Ecl. I. 4; Cul. 157, nihili est. Illic enim longe alio sensu hoc verbum occurrit. Alios quoque in hoc verbo haesisse video. Sic Marklandus ad Stat. Silv. V. 2. 175 conicit *lectus*, Schraderus *nitidus*. Olim putabam fortasse legendum esse *intentus*. Hodie adhibita Marklandi coniectura scribendum mihi videtur:

Audivit *sacra electus* certamina formae.

Sacra certamina = Dearum certamina. Quam coniecturam mirum in modum, ut mihi quidem videtur, confirmat versus Statianus, qui legitur Ach. II. 51 (337), ubi eadem res narratur: *Electus* formae certamina solvere pastor.

458: Dumque *hic* aligeris instat Cytherea, sonabat
Omne nemus gradiente dea.

Cum ed. Rom. 1 Rupertius legit *hic*. N. Heinsius coniecerat *hoc*, Rupertius praeterea *his aligeros*. Optime L. Bauerus ex codd. LFO, qui exhibent *hec*, veram lectionem restituit *haec* (i. e. his verbis).

Digitized by Google

629: — — — ut inerti cuspide *fusus*
Occideret.

Verbum *fusus* languere mihi videtur. Sic usurpatum non occurrit, optime contra ut Sil. XV. 767, 774; Verg. Aen. XI 102. Potius legerim *fossus*. Cf. Sil. V. 561; X. 400, 454; XI. 355, 525; Ovid. Ep. III. 146; Met. VII. 314; Am. III. 5, 23, 39. Accedit, quod Sil. X. 400 in nonnullis codicibus verba *perfusus* et *perfossus* confunduntur, item Il. Lat. 616.

VIII. 14: — — et quamquam finis *pugnaque manuque*
Haud dum partus erat, iam bello vicerat hostem.

Dubito, an legendum sit *pugnaeque manusque*, vel quo levior etiam sit mutatio, *pugnaeque manuque*, ut *manuque* sit tertius casus.

51: Et spes abrupta e medio, in penetralibus *atram*
Festinat furibunda pyram.

Optime N. Heinsius emendat *abruptae*, *mediis*. Cf. Verg. Aen. IV. 494, 504, 645. Pro *atram* Schraderus rescribere vult *altam*, sed vs. 102 idem verbum recurrit idemque emendat Schraderus. Parum veri simile videtur librarios bis in eundem errorem incidisse.

176: — — iam tacitas *suspecta* Lavinia fraudes
Molitur.

Ne *suspecta* genuina sit lectio vereor, quod hoc participium active, quod dicunt, non ponitur, quantum saltem sciam. In mentem mihi venit *suspensa*. Cf. Sil. XV. 457; Verg. Aen. IV. 9; Sen. Herc. Fur. 156.

237: — — — — — — — atque illa *referto*,
Quae Marte exclusus promittere magna solebas.

Verbum *referre* h. l. male ab interpretibus acceptum esse videtur. Rupertius: *referto* = *renovato*, *iterum promittito*. Immo vero, *promissa referre* significat *stare promissis* ei, cui dederis. Sic et Ernestium accepisse video.

246: *Atque* illi sine luce genus surdumque parentum
Nomen *et* immodice vibrarat in ore canoro
Lingua procax.

Digitized by Google

Recte, opinor, Bentleius emendavit *at*. Opponuntur enim inter sese humilis origo Varronis et lingua procax. Praeterea *atque* displicet: praestiterit fortasse *namque*.

266: — — — — — sedeone *an* montibus erro?

Recipiendum videtur, quod N. Heinsius coniecit *ac*, cum vs. 268 demum alterum interrogationis membrum sequatur. Livineius coniecerat *aut*. Prorsus eodem modo apud Suet. Aug. 86, ubi Codd. habent *an*, vir Cl. Bootius legit *ac*, Bremius (Turici 1820) *aut*.

309: — — — — exspectaturque sub *ictu*
Alter Flaminius.

Nonne rescribendum est *sub ictum*, cum verbo exspectandi quodammodo movendi notio contineatur? Cf. Tac. Ann. XIII. 39.

310: — — — — — quantos, insane, *ciebis*
Varro, viros, tu (pro Superi) tu pronus in arma?

Sic hunc locum partim adhibita N. Heinsii coniectura restituit L. Bauerus. Sed meo iudicio nondum sanatus est. Quid enim, quaeso, hoc contextu sibi vult: *quantos viros ciebis?* Languidius quid vix cogitari potest. Vide scripseritne Silius: *quantos*, insa*ne necabis*. Quod si legeris, vis loci summopere augetur. Facillime eiusmodi vitia nasci possunt. Cf. exempli gratia Sil. VIII. 387: saevitque *in imagine*, ubi codd. LFO exhibent: saevitque *imagine;* Stat. Ach. I. 43. Literae *ne* cum semel excidissent, verbi pars reliqua *cabis* facillime corrumpi potuit in *ciebis*.

323: Tertia vix superest, *crudo* quae venit *Hibero*
Turba virum.

Quod ad Sil. III. 224 conieceram: Et quas *indomitus turbas* armarit *Hiberus* (in codd. LFOV est: Et quas *indomitis urbes* armarit *Hiberis*, cum Col. exhibeat *Hiberas*), id hic locus, nisi vehementer fallor, haud mediocriter confirmat. *Crudus* enim et *indomitus* idem fere significant.

372: Non illis solitum crispare hastilia campo
Nec mos pennigeris pharetram implevisse sagittis;
Pila *volunt* brevibusque habiles mucronibus enses.

Olim (Quaestt. Silian. p. 90) suspicabar pro *volunt* legendum

Digitized by Google

esse *vibrant*, verbum in tali re usitatissimum, ut ex permultis locis apparet. L. Bauerus, quo vulgatam tueatur, laudat Sil. II. 518: arma *volunt* tentantque aegros ad proelia nisus, et Verg. Aen. VII. 340. Sed nihilominus in mea sententia persevero vulgatam lectionem corruptam esse. Loci enim a viro doctissimo citati aliam rem exprimere mihi videntur, aliam hic. Illic enim describuntur milites impetus atque pugnae ardoris pleni, nihil magis cupientes quam arma capere hostesque aggredi, hic vero nihil eiusmodi narratur, sed Scauri militum arma depinguntur. Quae cum ita sint, persuasum mihi est Silium *volunt* non scripsisse, sed et priorem coniecturam meam hodie reicio. Scripsisse videtur poeta *rotant*, verbum haud minus aptum quam *vibrant* et quod minus a literarum ductu recedit. Cf. Sil. II. 242: *rotatque* coruscum mucronem; III. 527; IV. 207: rotat ensem; XIV. 63; XVI. 59; Verg. Aen. IX. 441; Stat. Theb. IX. 198.

420: Ibant et *laeti* pars Sancum *voce* canebant.

Voce canere absurdius dictum videtur; vs. 419 contra *ore ferre* optime se habet, cum *ferre* ipsum per se dicendi vim non habeat. Rupertius laudat Verg. Aen. VII. 698: Ibant aequati numero regemque canebant. Vix dubito, quin vera scriptura sit *laeta — voce*. Cf. Verg. Aen. III. 324; Ovid. Met. IX. 242; XV. 731; Val. Fl. III. 464; Luc. VII. 11.

440: — — — — — quem carmine Circe
Exutum *formae* volitare per aethera iussit.

Exutus formae num recte dicatur, dubito. Legendum videtur *forma*. Cf. Verg. Aen. II. 153; IV. 518; VIII. 567; XI. 395; Stat. Silv. II. 5. 22; 6. 60; Theb. IV. 98.

443: Ante, ut fama docet, tellus possessa Pelasgis,
Quis Aesis regnator erat fluvioque reliquit
Nomen et a sese populos *tum* dixit *Asilos*.

Tum languere mihi videtur. Num eo ipso tempore, quo fluvio nomen reliquit, populis nomen dedit? Fortasse rescribendum est *iam*, quod verbum sic saepius ponitur. Praeterea pro *Asilos* cum L. Bauero, qui per literas hanc emendationem mecum communicavit, legendum esse censeo *Aesinos*.

Digitized by Google

450: Et *lavat* ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum — — — — — —

Duobus versibus ante (448) legitur: Hos Aesis Sapisque *lavant*. Quod cum non ferendum putaret, Schraderus nostro loco coniecit *rigat*, quod verbum optimum quidem sensum praebet, sed longius a literarum ductu recedit. Mihi in mentem venit *luit*, quod plerumque tropico, quod dicitur, sensu usurpatum, apud Sil. XI. 22 eodem hoc sensu occurrit.

500: Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes
Frenantem, ac silvis montes nudasse vocatis.

Credere non possum, inter tot infinitivos unum illud participium posuisse poetam. Fortasse rescribendum est: ⟨*et*⟩ stridoribus amnes *Frenasse*.

511: Nec cedit *studio Sidicinus* sanguine miles,
Quem *genuere* Cales.

Sicut hic versus nunc legitur, languet verbum *sanguine*. Scripsisse videtur Silius *Sidicino sanguine miles. us* ex dittographia nasci potuit, cum *sanguine* sequeretur. De loquendi modo vide Cul. 253: *Cadmeo sanguine fratres;* Sil. IX. 209. Quod N. Heinsius pro *studio* legere vult *studii*, necessarium mihi non videtur.

In verbis *quem genuere* summo iure offendit Bothius. Dicit: „die Worte *quem genuere Cales* sind anstössig: denn niemand berichtet, dass Cales eine Colonie van Sidicinum war; und, dies angenommen, warum wurde die Mannschaft von Cales erwähnt, und die Sidicinische übergangen? Höchst wahrscheinlich erwähnte Silius, der Sache gemäss, beide". Sed quod substituere vult: *quemque ruere*, partim saltem probare nequeo. *Quemque* egregie emendasse mihi videtur, sed pro *ruere* equidem rescribere malim *tulere*. Cf. Verg. Aen. III. 43; VII. 729: quos de collibus altis Aurunci misere patres *Sidicinaque* iuxta Aequora, *quique Cales* linquunt.

515: Haud ullo levior *bellis* Vestina iuventus
Agmina densavit.

N. Heinsius more suo pro *bellis* conicit *belli*, cum Silium ple-

Digitized by Google

rumque verbum *levis* cum genetivo iungere constet. Sed h. l., ut mihi quidem videtur, *bellis* non pendet e verbo *levior*, sed cum verbo *densavit* iungendum est. Est tertius casus atque significat *ad bella*. Cf. vs. 546: laetos rectoris formabat Scipio *bellis*.

582: Ille et pugnacis laudavit *tela* Salerni
Falcatos enses, — — —

Ut verba nunc leguntur, *falcatos enses* appositum est verbo *tela*. Sed enses tela non esse nemo ignorat. Legitur apud Verg. Aen. VII. 730 sqq.:

— — teretes sunt *aclides* illis
Tela — — — — — — — —
— — — — — *falcati* comminus *enses*.

Tela et *enses* separatim enumerari videmus. Cuius rei ratione habita apud nostrum legendum videtur: *falcatosque enses*. Cf. etiam Sil. III. 277 sq.

619: Tantis agminibus *Rhoeteo litore* quondam
Fervere, cum magnae Troiam invasere *Mycenae*,
Mille rates vidit Leandrius Hellespontus.

Fervere rates litore idem significare quod „fervere litus ratibus", quod contendit Rupertius, haud facile quisquam mihi persuaserit. Recte Schraderus legere videtur *Rhoeteia litora*. Praeterea emendandum censeo *Mycenae* ⟨*et*⟩. Cf. Hor. Carm. II. 6. 2 et Barth. ad Sil. X. 641.

632: Quaesivit Calaber, subducta luce repente
Immensis tenebris, et terram et litora Sipus.

In verbo *immensis* haerent interpretes. N. Heinsius conicit *emersis*, Nodellius Schraderus Lefeburius *immersus*. Quorum quamvis coniectura primo adspectu arridere possit, tamen nihil mutandum videtur. *Immensae* enim *tenebrae* optime dicuntur.

Ex alienis emendationibus in libros VII et VIII maxime commendandae videntur hae:

VII. 46: *quaecumque* (N. Heinsius); 74 *matres* (Schraderus); vs. 75 iure expungit Rupertius; 139: *passim it* (Bothius), cf. Verg. Aen. VIII. 726; 165: *nullum* (idem); 168: *uvae* (idem);

Digitized by Google

272: *trahentem* (Rupertius); 299: *curvabat* (Nodellius); 381 *celebranda* (N. Heinsius), quod et ego conieceram, cf. Ovid. Met. VI. 588; Verg. Aen. VIII. 173; Val. Fl. VIII. 279; 435: *evolvens* (idem), cf. Sil. V. 420; Verg. Aen. IX. 529; Ovid. Met. XV. 151; 486: *turgebit* (idem).

VIII. 20: *satis* (Rupertius et Bothius); 41 *sic* (Barthius c. Oxon.), *tenuisse* (Rupertius. Cod. Col. habebat *detenuisse*); 172: *nosti* (Blassius), quod et mihi in mentem venerat. Cf. Ovid. ex Ponto III. 7. 5; 181: *tutoque receptu* (Schraderus); 209: *corde* (Bentleius et Schraderus), quod et ego conieceram. Cf. I. 530; 236: *mutato* (N. Heinsius); 264: *violentia* (Withofius); 418: *retortus* (Bothius); 554 [*spectacula tanta Ante acies virtutis erant*] (Blassius); 585: *humerum* (Livineius et Rupertius), quod et ego conieceram. Cf. Verg. Aen. XI. 649.

CICERO.

Verr. II 2, 29, 71 mendum leviusculum corrigendum est. — Verres Sopatrum, hominem Siculum, rei capitalis reum condemnari vult. Nam is pro salute sua minorem pecuniam numeraverat, quam quantam accusatores eius pro condemnatione polliciti erant, deinde hac de re certior factus amplius quicquam se daturum denegaverat. At causa Sopatri erat bona, ut qui eodem illo crimine apud C. Sacerdotem, praetorem integerrimum, cui Verres successit, iudicio liberatus fuisset; in consilio autem frequentes aderant iidem homines honesti e conventu Syracusano, qui antea absolverant. Videt igitur Verres audaci aliqua atque violenta ratione sibi opus esse, ut ex eo genere hominum quam plurimos inde amoveret. *M. Petilium equitem Romanum, quem habebat in consilio, iubet operam dare, quod rei privatae iudex esset.* Quid velit Verres manifestum est; sed verba vitio non carent; oportet enim addi cuinam rei Petilius operam dare iubeatur. Emendandum est *iubet operam dare quoi rei privatae iudex esset.*

J. S. S.

Digitized by Google

AD ATHENAEUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Athenaei Naucratitae Deipnosophistarum libri XV. Recensuit Georgius Kaibel. Lipsiae 1887 sqq.

I 6, d. Clearchus narrat de Melanthio homine guloso: *καὶ τέλος ἰχθύαν τριβων ἀπεκάθαιρεν αὐτήν*, sc. *τὴν γλῶσσαν*. Sic Kaibel ex anonymi coniectura pro absurda librorum lectione *ἰχθύν*. Nec tamen vel *ἰχθύαν* satis intellego sed requiro dativum instrumenti *ἰχθύᾳ*. Dicitur enim Melanthius purgasse linguam suam terendo cute piscis, cui *ῥίνη* nomen, non terenda piscis cutem lingua, ut arbitror.

p. 9, e. *ἀλλὰ μὴν* (Homerus) *οὐδὲ στεφανουμένους οὐδὲ μυρουμένους ὥσπερ οὐδὲ θυμιῶντας, ἀλλὰ πάντων τούτων ἀπολυομένους τοὺς ἀνθρώπους εἰς ἐλευθερίαν καὶ αὐτάρκειαν ἐξαιρεῖται τοὺς πρώτους*. Annotat. K. „*ἐξαίρει καὶ τοὺς* Madvig, latet aliud". Mihi nota formula iuris Attici *ἐξαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν, vindicare in libertatem* a scriptore de industria adhibita esse videtur et locus vitio carere, nisi forte haerendum in *πρώτους*, pro quo aptius videri potest *ἡρωικούς*, quia hos, non primos homines poeta describit.

p. 10, e. Post *ἀκρασίαν* operarum incuria excidisse videtur necessarium *πασχόντων*. Cf. ed. Schweigh.

p. 18, e. *Φύλαρχος — φησι τὸν Ἰνδῶν βασιλέα Σελεύκῳ — ἀποστεῖλαί τινας δυνάμεις στυτικὰς τοιαύτας ὡς ὑπὸ τοὺς πόδας τιθεμένας τῶν συνουσιαζόντων οἷς μὲν ὁρμὰς ἐμποιεῖν ὀρνίθων δίκην, οὓς δὲ καταπαύειν*. Imo vero *οἷς δὲ καταπαύειν*, scil. *τὰς ὁρμάς*.

Digitized by Google

p. 19, d. *ἐθαυμάζετο δὲ παρ' Ἕλλησι καὶ Ῥωμαίοις Ματρέας ὁ πλάνος ὁ Ἀλεξανδρεύς, ὃς ἔλεγε καὶ θηρίον τρέφειν ὃ αὐτὸ ἑαυτὸ κατεσθίει· ὡς καὶ ζητεῖσθαι μέχρι νῦν τὸ Ματρέου θηρίον τί ἐστιν.* Nulla admirationis causa erat, ut arbritror, si circulator ille Matreas *dicebat* se tam mirum animal alere, nisi praestigiis nescio quibus artificiosis eiusmodi bestiam spectandam produceret, quare nescio an Athenaeus scripserit *ἐλέγετο*. Nec de gripho aliquo locus accipi potest, ita enim scriptum foret *ὃς προὔβαλλε τί θηρίον αὐτὸ ἑαυτὸ κατεσθίει*, nec apta forent praegressa *ἐθαυμάζετο* — *Ματρέας*. Spectatores verum se animal cernere putabant, et semper deinde quaesitum esse dicit Athenaeus, quae fuerit Matreae ista bestia.

p. 20, c. *οὗτοι οὖν πάντες — τὸν ἐφ' ἡμῖν* (oper. vit. pro *ἡμῶν*? Cf. Schweigh. ed.), *φησί, φιλόσοφον ὀρχηστὴν Μέμφιν ἐκάλεσαν ἀπαρχαΐζοντες τὴν διὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ κίνησιν τῇ τῶν πόλεων ἀρχαιοτάτῃ καὶ βασιλικωτάτῃ κτέ.* Sic Kaibel merito recepta Madvigii emendatione pro *ἀρχαιοτέρᾳ καὶ βασιλικωτέρᾳ*. At vel sic locus laborare videtur. Quid enim est *ἀπαρχαΐζειν τὴν διὰ τοῦ σώματος κίνησιν πόλει*? Intellegerem: *τὸν ἐφ' ἡμῶν — ὀρχηστὴν Μέμφιν ἐκάλεσαν ἀπαρχαΐζοντες διὰ τὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ κίνησιν* ‹*ὁμωνύμως*?› *τῇ τῶν πόλεων ἀρχαιοτάτῃ καὶ βασιλικωτάτῃ, περὶ ἧς Βακχυλίδης φησί· τὴν ἀχείμαντον τε Μέμφιν καὶ δονακώδεα Νεῖλον.*

p. 32, c. *τῶν οἴνων ὁ μὲν λευκός, ὁ δὲ κιρρός, ὁ δὲ μέλας. καὶ ὁ μὲν λευκὸς λεπτότατος τῇ φύσει οὐρητικός, θερμὸς πεπτικός τε ὢν τὴν κεφαλὴν ποιεῖ διάπυρον· ἀνωφερὴς γὰρ ὁ οἶνος. ὁ δὲ μέλας κτέ.* Manifesto in his turbavit aut epitomator aut librarius, desideratur enim *τοῦ κιρροῦ οἴνου* descriptio, nec probabiliter *οἶνος* eo quod *πεπτικός* caput calefacere dicitur. Mnesitheus autem, quem deinde scriptor affert, dixerat *ὁ δὲ λευκὸς οὐρητικώτατος καὶ λεπτότατος, ὁ δὲ κιρρὸς ξηρὸς καὶ τῶν σιτίων πεπτικώτερος*, unde suspicor apud Athenaeum primitus fuisse: — *οὐρητικός,* ‹*ὁ δὲ κιρρὸς*› *πεπτικός, θερμός τε ὢν τὴν κεφαλὴν ποιεῖ διάπυρον κτέ.*

p. 43, e. Ptolemaeus rex in *Commentariis*: *ἐπὶ Κορίνθου προάγουσι, φησίν, ἡμῖν διὰ τῆς Κοντοπορείας καλουμένης κατὰ τὴν ἀκρώρειαν προσβαίνουσιν εἶναι κρήνην νᾶμα ἀνιεῖσαν χιόνος ψυχρότερον· κτέ.* Cum verbum *προσβαίνειν, ascendendi* sensu positum,

Digitized by Google

accusativum regere soleat, nescio an κατὰ celet copulam καί, cuius paullo durior hic omissio.

p. 44, e. οὐδενὸς ἧττον διακεῖσθαι σώμασιν ἐρρωμενεστέρους. Digna certe erat quae afferretur Schweighaüseri coniectura ἐρρωμένως, quae mihi quidem videtur verissima.

p. 51, f. Sic distingue: εὔχυλα μέν ἐστιν, ὀλιγότροφα δέ, καὶ εὐστόμαχα καὶ εὐέκκριτα. Officit enim sententiae omissa virgula post voculam δέ.

p. 53, a. Nullam video necessitatem, cur cum doctissimo editore deleamus λίθῳ in fragmento Aristophaneo:

ἄγε νυν τὰς ἀμυγδαλὰς λαβὼν
τασδὶ κάταξον τῇ κεφαλῇ σαυτοῦ λίθῳ.

Noto usu λίθῳ dictum pro ὥσπερ λίθῳ.

p. 55, c. ALEXIDIS locum, si vere pro glossemate habuit Kaibel verba μετὰ τῶν κακῶν, his deletis haud inepte sic expleveris:

μὴ ὥρασι ῡ
ἵκοιθ' ὁ τοὺς θερμοὺς φαγών <, ὅστις ποτ' ἦν>,
ἐν τῷ προθύρῳ τὰ λέμματ' ὀτιὴ κατέλιπεν, κτέ.

p. 58, c. πρόπομά τι πρὸ τοῦ δείπνου περιεφέρετο, καθὼς εἰώθει τὸ πρῶτον. In hoc PHYLARCHI de Bithynorum rege Zela fragmento si sana sunt duo ultima vocabula, quod dubito, dicitur rex per aliquod tempus pristinum hunc morem non observasse.

p. 79, a. δυνάμεις δ' ἔχει τῶν ὑγρῶν κολλώδεις τε καὶ γλυκείας ὑπονιτρώδεις τε κτέ. Nemo qui universam sententiam diligenter examinaverit, negabit verba τῶν ὑγρῶν glossatoris esse, non PHILOTIMI.

p. 80, d. Ἡγησιάνακτα γοῦν τὸν Ἀλεξανδρέα τὸν τὰς ἱστορίας γράψαντα κατ' ἀρχὰς ὄντα πένητα καὶ τραγῳδὸν φησι γενέσθαι (Demetrius Scepsiensis) καὶ ὑποκριτικὸν καὶ εὔηχον, ὀκτωκαίδεκα ἔτη σύκων μὴ γευσάμενον. Nullum vocabulum in his depravatum est, sed hiat, nisi fallor, oratio post γενέσθαι. Dixerat DEMETRIUS Hegesianactem adolescentem (κατ' ἀρχὰς. Cf. ἐξ ἀρχῆς p. 90, f), antequam historias suas conderet, paupertate compulsum artem histrionicam exercuisse, in qua cum propter vocis vitium parum proficeret, per longum tempus a ficis abstinuisse et sic vocem sibi comparasse sonoram ad agendumque idoneam. Fieri etiam potest ut epitomator Athenaei Demetrii locum minus apte compendefecerit.

Digitized by Google

p. 80, f. τὰ δὲ τῆς γλυκύτητος ὑφειμένα, προσλαμβάνοντα δ' εὐστομεῖν διὰ τὴν ποσὴν στῦψιν εὐστομαχώτερα. Ad sententiam optime editor προσλαμβανόμενα δ' εὔστομα, εἶναι κτέ., sed quidni lenius correxit: προσλαμβάνοντ Ι δ' εὔστομα, εἶναι — εὐστομαχώτερα?

p. 84, c. Βερβεαι πολυτίμητε κτέ. „Latet deae deive nomen" recte K. Vix aliud, credo, quam aliquod ipsius Veneris (Cypriae?) modo commemoratae cognomentum, quod fortasse aliquando reperietur.

p. 84, d. καίτοι καὶ Φαινίου τοῦ Ἐρεσίου ἔννοιαν ἡμῖν διδόντος μήποτε ἀπὸ τῆς κέδρου τὸ κεδρίον ὠνόμασται, καὶ γὰρ τὴν κέδρον φησὶν ἐν πέμπτῳ περὶ φυτῶν ἀκάνθας ἔχειν περὶ τὰ φύλλα, ὅτι δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο καὶ περὶ τὸ κιτρίον ἐστὶ παντὶ δῆλον. Conicerem κιτρίον pro κεδρίον, nisi etiam facilius librarii error explicaretur, si primitus scriptum fuerit: μήποτε ἀπὸ τῆς κέδρου τὸ ⟨κιτρίον ὡσεὶ⟩ κεδρίον ὠνόμασται.

p. 85, c. ταῦτ' εἰπόντος τοῦ Δημοκρίτου θαυμάσαντες οἱ πολλοὶ τὴν τοῦ κιτρίου δύναμιν ἀπήσθιον, ὡς μὴ πρότερον φαγόντες ἢ πιόντες τι. Quia Democritus de citri vi antidotica contra venena exposuerat, nescio an corrigendum sit: ὡς δηλητήριον φαγόντες ἢ πιόντες τι. Iocatur Athenaeus.

p. 86, c. Iam Kockium video I p. 683 in Archippi versu longe rectius deleta virgula πορφυρᾶς correxisse pro πορφύρας.

p. 93, e. Isidorus Characenus agens de margaritarum piscatoribus scribit: σχεδίας καλαμίνας πέριξ εἶναι τῆς νήσου, ἐξ ὧν καθαλλομένους εἰς τὴν θάλασσαν ἐπ' ὀργυιὰς εἴκοσιν ἀναφέρειν ΔΙΠΛΟΤΣ κόγχους. Pro vocabulo iure suspecto Kaibelio conieci [Κ]ΛΙΠ[ΟΛ]ΛΟΤC, καὶ πολλοὺς, *plurimas conchas*.

p. 101, a. ἀλλ' οἷα μήτρα καλλίκαρπος ἐκβολὰς
δίεφθα λευκανθεῖσα τυροῦται δέμας.

Alter Sopatris versus misere depravatus est; nam neque neutrum plurale δίεφθα sanum esse potest neque τυροῦται admittit interpretationem: *caseo obtegitur*. Corrigendum suspicor:

λευκανθὲς ἐψηθεῖσα γυροῦται δέμας.

ut dicatur vulva coctione distenta esse in formam rotundam.

p. 111, f. In Archestrati *Gastronomiae* fragmento legitur vs. 4 sq.:

εὐκάρπου κριθῆς καθαρῶς ἠσημένα πάντα,
ἐν Λέσβῳ κλεινῆς Ἐρέσου περικύμονι μαστῷ κτέ.

Digitized by Google

Annotat editor „εἰν Ἐρέσῳ κλεινῆς Λέσβου Meineke, at Eresus non est περικύμων, nec placet ποτικύμονι, quod coniecit Ribbeck". Nec mihi, nam ποτικύμων aeque ignotum est ac προσκύμων, et fertilitatis notio requiritur, itaque expectatur ἐρικύμονι, quo vocabulo usus est Aeschylus Agam. 118. Cum tamen saepe praepositio περι- in adiectivorum compositione eandem vim habeat, fieri sane potest ut Archestratus περικύμων pro ἐρικύμων usurpaverit. Quod si ita est, fortasse sufficit lenior mutatio

ἐν Λέσβου κλεινῆς Ἐρέσου περικύμονι μαστῷ,

ut posterior genetivus (cum ellipsi vocis πόλεως) a priore suspensus sit. Quid autem, duriorem enim structuram esse sentio, si etiam lenius corrigimus:

ἐν Λέσβῳ κλεινῆς Ἐρέσου τ' ἐρικύμονι μαστῷ,

ut saepe copula generali notioni specialis subiungitur: *in Lesbo claraeque Eresi fertili collo*? Scribere autem sic malo quam hiatum Homericum tribuens Archestrato κλεινῆς τ' Ἐρέσου ἐρικύμονι, aut κλεινῆς τ' Ἐρέσου περικύμονι, quia suspectum tamen est περικύμων dictum pro ἐρικύμων. Copulae vero illam sedem poetis satis familiarem esse, ubi vocabula praecedentia arte iungantur nemo ignorat.

p. 113, c. τὸν δὲ τοιοῦτον ἄρτον οἱ Σύροι λαχμὰν προσαγορεύουσι, καί ἐστιν οὗτος ἐν Συρίᾳ χρηστότατος γενόμενος διὰ τὸ θερμότατος τρώγεσθαι καί ἐστιν ἄνθει παραπλήσιος. Suspicor — γενόμενος, δεῖ δ' αὐτὸν θερμότατον τρώγεσθαι κτἑ. Sub ΑΝΘΕΙ autem notius aliquod panis nomen delitescere crediderim (cf. p. 139, a, 2) nec floris nomen excidisse, quae editoris est sententia.

p. 113, f. οὐ χὼ προπάτωρ ὑμῶν Διογένης πλακοῦντά ποτε ἐσθίων ἐν δείπνῳ λάβρως πρὸς τὸν πυνθανόμενον ἔλεγεν ἄρτον ἐσθίειν καλῶς πεποιημένον. Nescio an post πυνθανόμενον exciderint verba πῶς κύων ὢν ἐσθίοι πλακοῦντα, aut aliquid eiusmodi.

p. 113, e. An ὀκνῶ ⟨ναὶ⟩ μὰ τὰς θεὰς εἰπεῖν?

p. 116, b. In depravatissimo fragmento pseudo-Hesiodi vs. 5 sq.:

ναὶ μὴν οὐκ ἀκλεὲς θνητοῖς γένος ὀξυρρύγχου,
ὃν καὶ ὅλον καὶ τμητὸν ἅλες τρηχεῖς ἐκόμισσαν

fortasse verum est ἁλιννηχεῖς, *nautae*, ut τέχνη ἁλινηχής est apud Iulianum Aeg. in A. P. VI, 29.

p. 124, c. Locum, quem non capere se ait K., sic intellego:

Digitized by Google

Summo mane servi iterum τὴν ὑποστάθμην ὑποσπῶσι (τοῦ ὕδατος, quod additum malim) sive ἀπηθοῦσι τὸ παχύτατον (cf. Kaib. pag. 284, 22), et sic λεπτὸν ποιοῦσιν αὐτὸ (sc. τὸ ὕδωρ).

p. 126, a. Suppleverim: οὐ γὰρ ἂν εἴποιμι μύστρον ⟨παρ' ἡμῖν μὲν⟩ παρ' οὐδενὶ δὲ τῶν πρὸ ἡμῶν εἰρημένον. Lacunae causa fuit duplex praepositio παρά, cum librarii oculi a priore ad posterius aberraverint.

p. 129, b. Perquam ineleganter, sed fortasse ipsius HIPPOLOCHI culpa, dictum πίναξ — ὅσος δέξασθαι μέγεθος χοίρου τινὸς ὀπτοῦ καὶ σφόδρα μεγάλου, ubi melius ὄγκον scripsisset.

p. 132, e. Non recte Kaibel DIPHILO voculam a comoedia alienam σφιν (cod. A σφοίη, om. C) tribuit, scribens vs. 14 ἀψινθίῳ σφιν δεῦσον κτἑ., ubi rectius Kock πρόδευσον, cl. Plat. com. 173, 9.

p. 139, e. E duplici καὶ ὅτι apparet Athenaei epitomatorem PURGIONIS locum abbreviasse et mutilasse.

p. 141, b. στάθμον ὡς τέταρτον ⟨μνᾶς⟩ μάλιστα probabiliter supplevit iam Casaubonus.

p. 174, b. καὶ ὁ Ἀλκείδης ἔφη· ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ὄργανον τοῦτο ἡ ὕδραυλις, εἴτε τῶν ἐντατῶν αὐτὸ θέλεις (εἶναι add. K.) εἴτε τῶν ἐμπνευστῶν, Ἀλεξανδρέως ἐστὶν ἡμεδαποῦ εὕρημα, κουρέως τὴν τέχνην. Si Ἀλεξανδρέως genuinum esset, absurdissime additum foret ἡμεδαποῦ, sed procul dubio Athenaeus scripsit ἀνδρὸς — ἡμεδαποῦ, eiusque glossema migravit in textum.

p. 185, c. διόπερ οὐδὲ πρότερον ἡρώτων οἵτινες εἶεν, ἀλλ' ὕστερον, ὡς τὴν ξενίαν αὐτὴν τιμῶντες, ἀλλ' οὐ τοὺς ἐν μέρει καὶ καθ' ἕκαστον ἡμῶν. Ultima vox aut spuria aut corrupta. Intellegerem ⟨τῶν⟩ ἡκόν⟨των⟩.

p. 193, c. τῶν δὲ ἡρωικῶν οἴκων τοὺς μείζονας Ὅμηρος μέγαρα καὶ δώματα καὶ κλισίας, οἱ δὲ νῦν ξενῶνας καὶ ἀνδρῶνας ὀνομάζουσι. Ubi quaeso Homerus hoc fecit? Nescio an acu rem tetigerit Leeuwenius meus, collato ω 208 (Porphyr. ad I 90) κλίσια corrigendum esse me admonens.

p. 203, f. ἀπὸ δὲ τῶν πρυμνητικῶν ἀφλάστων ἐπὶ τὸ ⟨ὑπὸ⟩ τῇ θαλάσσῃ μέρος αὐτῆς (sc. τῆς νεώς) τρεῖς πρὸς τοῖς πεντήκοντα τήχεις. Cum e praegressis appareat CALLIXENUM hic significasse universam navis altitudinem usque ad carinam, non sufficere videtur hoc Kaibeli supplementum, sed requiritur ἐπὶ τὸ ⟨ἔσχατον ὑπὸ⟩ τῇ θαλάσσῃ μέρος αὐτῆς κτἑ.

Digitized by Google

p. 204, e. τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς (navis iussu Philopatoris aedificatae) οὔτε ταῖς μακραῖς ναυσὶν οὔτε ταῖς στρογγύλαις ἐοικός, ἀλλὰ παρηλλαγμένον τι καὶ πρὸς τὴν χρείαν τοῦ ποταμοῦ τὸ βάθος. Permolestum est additum τὸ βάθος, nam παρηλλαγμένον (cf. etiam sqq.) pertinet ad σχῆμα, itaque aut τὸ βάθος est glossatoris aut, quod aliquanto probabilius, Callixeno reddendum πρὸς τὴν χρείαν (cf. 204, a vs. 4 ἐπὶ τῆς χρείας) τοῦ ‹τε› ποταμοῦ τὸ βάθος.

p. 206, f. εἰς ὕλην μὲν ξύλωσιν ἐκ τῆς Λίτνης παρεσκεύαστο ἑξήκοντα τετρηρικῶν σκαφῶν πλῆθος ἐξεργάσασθαι ὡς δὲ ταῦτα ἡτοιμάσατο γόμφους τε καὶ ἐγκοίλια καὶ σταμῖνας καὶ τὴν εἰς τὴν ἄλλην χρείαν ὕλην κτέ. Quod coniecit Wilamowitz κατὰ δὲ ταὐτὰ, *tamquam LX naves aedificaturus*, vereor ne iusto obscurius dictum foret, quia κατὰ ταὐτὰ *similiter* significare assolet. Expectabam potius: ὡς δ' εἰς τοσαῦτα.

p. 207, d. Post θαυμασίως lacunam sumere malo, quam accipere parum probabiles Kaibeli mutationes. Mox conieci: ἐν οἷς κῆποι παντοῖοι θαυμασίαις (pro θαυμασίως) ἦσαν ὑπερβάλλοντες ταῖς Φυτείαις.

p. 208, c. τεῖχος δὲ ἐπάλξεις ἔχον καὶ καταστρώματα διὰ νεὼς ἐπὶ κιλλιβάντων κατεσκεύαστο. Una inserta litterula corrigatur διανεκῶς. Corruptam esse vulgatam lectionem non latuit diligentissimum editorem.

p. 210, c. Fort. ἐπιτίθεσθαι ‹δ'› ἐπ' αὐτῷ δύνανται καὶ κρατῆρες καὶ ἄλλα σκεύη. In coniectura cod. C absurda est vocula γάρ.

p. 215, e. ἢ ποῦ Θουκυδίδης τὸν Σωκράτη παρενέχρωσε τὸν Πλάτωνος στρατιώτην; Nihil lucramur Madvigii coniectura παρενεχώρισε, quod verbum non magis quam ἐγχωρίζω usquam apparet. Aliud igitur latere certum est. Nunc video K. in praef. ad vol. III p. VI lenius quam aptius proposuisse παρενέκρουσε.

p. 221, d. Locum sic tento: πάλιν δὲ καὶ πάλιν τὸ αὐτὸ ποιησάντων ἑτέρων νεκρῶν τε γενηθέντων, ἀεὶ τῶν προσφερομένων ἀπολλυμένων, ἱστορήσαντός τινος (pro ἱστορήσαντές τινες) παρὰ τῶν ἐπιχωρίων τὴν τοῦ ζῴου Φύσιν, μακρόθεν ἐνεδρεύσαντες αὐτὸ ἱππῆς τινες Νομάδες Μαρίου κελεύσαντος κατηκόντισαν ἤκόν τε Φέροντες πρὸς τὸν στρατηγὸν τὸ θηρίον. Apodosis incipit ab ἱστορήσαντος. Ante προσφερομένων facile sane elabi potuit πρώτων vel πρώτως, quae est editoris coniectura, attamen quia non omnes milites

Digitized by Google

simul, sed primi tantum, serpentem aggredi poterant, deque his προσφερομένων intellegi potest, vulgatae scripturae acquiesco.

p. 221, c. ἐκεῖνο μέντοι τὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ ἱστοριογράφου οὐκ ἔστι (ἔτι vult K.) πιστόν, ὡς εἰσί τινες κατὰ τὴν Λιβύην ὀπισθονόμοι καλούμενοι βόες διὰ τὸ μὴ ἔμπροσθεν αὐτοὺς πορευομένους νέμεσθαι κτέ. Cum praegressa omnia ad Alexandrum Myndium historicum pertineant, haec vero narrentur ab Herodoto IV 183, et hunc tantum intellegi posse confirment ultima huius capitis verba τοῦτο γὰρ ἄπιστόν ἐστιν, οὐδενὸς ἑτέρου ἐπιμαρτυροῦντος ἱστορικοῦ, perspicuitas postulat, ut Athenaeum scripsisse existimemus: ἐκεῖνο μέντοι τὸ λεγόμενον ὑπὸ ⟨Ἡροδότου⟩ τοῦ ἱστοριογράφου οὐκ ἔστι πιστὸν κτέ. Brevissimum nominis compendium facile neglectum est.

p. 224, a. Timocli comico vs. 5 titulorum Atticorum ope reddatur:

ὁ τοὺς καταπΑλτας τάς τε λόγχας ἐσθίων

pro forma novitia καταπέλτας, quae quamvis pugnans cum substantivi derivatione omnes scriptores Graecos invasit.

p. 226, b. κἀνταῦθα καὶ γραῦς καὶ γέρων καὶ παιδίον
πεμφθεὶς ἅπαντες ἀγοράσουσι κατὰ τρόπον.

Prorsus facio cum editore in his Alexidis versibus solum πεμφθεὶς vitiosum esse statuenti, non vero exputo quid aliud sub eo vocabulo delitescere possit praeter ἰχθῦς, licet corruptelae ratio me fugiat.

p. 228, d. οἱ διὰ τὴν γαστέρα παράσιτοι ὀνομαζόμενοι ἢ κόλακες. Supra p. 224 c legitur καί τις τῶν παρασίτων καὶ κολάκων ἔφη τὸν Ποσειδῶ κτέ. Utrobique, nisi fallor, inepta abundantia debetur lectoris alicuius doctrinae, qui in margine ista adscripsit gnarus loci pag. 263 e: οἱ δ' ἀρχαῖοι ποιηταὶ τοὺς παρασίτους κόλακας ἐκάλουν, neque Kaibeli medelam solam vocula ἢ delentis sufficere arbitror.

p. 248, c. Mendosa sunt verba Pherecratea:

ὡς ὀλιγόσιτος ἦσθ' ἄρ', ὃς κατεσθίεις
τῆς ἡμέρας μακρᾶς τριήρους σιτία.

in quibus male olim iungi posse ἡμέρας μακρᾶς opinabar. Aperte autem non sufficit cum Meinekio corrigere μικρᾶς, nam ironia, quam inesse vult, a loci ratione prorsus aliena est. Hodie vix dubito quin genuina scriptura fuerit:

Digitized by Google

τῆς ἡμέρας νεὼς μακρᾶς τὰ σιτία,

et superscriptum glossema τριήρους locum corruperit. Articulus quoque necessarius videtur.

p. 261, b. Διονύσιος ὁ Σικελίας τύραννος τοὺς ἀποβάλλοντας τὰς οὐσίας εἰς μέθας καὶ κύβους καὶ τὴν τοιαύτην ἀκολασίαν· ἠβούλετο γὰρ ἅπαντας εἶναι διεφθαρμένους καὶ φαύλους· οὓς καὶ εὖ περιεῖπε. Editor, coll. p. 260 d., audiendum putat ἀνελάμβανεν, aptum sane verbum, sed quod omitti non potuit a Theopompo, nec tamen simpliciter additum sufficit ob sqq. οὓς καὶ εὖ περιεῖπε. Aut fallor aut deleta vocula οὓς corrigendum: ⟨ἀνελάμβανε⟩ καὶ εὖ περιεῖπε. Facile οὓς novo errore per dittographiam nasci potuit e ΦΑΥΛΟΥΣ.

p. 271, e. Scripsisse traditur Phylarchus in *historiis* εἰσὶ δ' οἱ μόθακες σύντροφοι τῶν Λακεδαιμονίων· ἕκαστος γὰρ τῶν πολιτικῶν παίδων, ὡς ἂν καὶ τὰ ἴδια ἐκποιῶσιν, οἱ μὲν ἕνα, οἱ δὲ δύο, τινὲς δὲ πλείους ποιοῦνται συντρόφους αὐτῶν. Verba depravata facili coniectura sic emendo: ὡς ἂν κατὰ τὰ ἴδια ἐμπολῶσιν, i. e. πράττωσιν, *pro facultatibus*. Ad rariorem hanc verbi ἐμπολᾶν notionem compara Hippocratem II p. 458 (ed. Ermerins): πολλῷ κάλλιον ἐμπολήσει ὁ ἄνθρωπος; quem locum affero, quia neglectus est in Thesauro.

p. 283, f. In corruptissimo Apollonii Rhodii fr. (9) πομπίλον ὠκυάλων νηῶν αἰηονονα δουρον ultimum vocabulum fuisse δδουρόν agnovit iam Wilamowitz, quo accepto tempto: πομπίλον ὠκυάλων νηῶν ⟨ἐπ⟩αρηγόν' δδουρόν. Est autem ἐπαρηγών vox Apollonio propria. Similiter ἀρηγών adiectivi vice fungitur apud Oppianum, Hal. V, 108: ἀρηγόνος ἡνιόχοιο.

p. 305, f. Ultima pars fragmenti Archestrati sic vulgatur:

ὅσοι μὴ πλεῖστον ὕφασμα
σχοίνου ἐλειοτρόφου κοῖλον χείρεσσιν ἔχοντες
εἰώθασι δονεῖν ψήφους αἴθωνι λογισμῷ
ἄρθρων μηλείων ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλων.

Non video, quid corrigi vetet:

ἄρθρων μηλείων ⟨τ'⟩ ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλειν (sic C).

p. 308, c. ἐγὼ δὲ κατὰ τὸν σοφὸν Ἐπίχαρμον μηδὲν ἀποκρινομένου τοῦ κυνὸς

τὰ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν ἀποχρέω.

Quia versus sic scriptus in comoedia vix reperiri potuisse vide-

Digitized by Google

tur, Athenaeum mutato verbo EPICHARMI versum in usum suum convertisse crediderim, illum vero *ἄνον* aliove *faciendi* verbo usum esse.

p. 309, e. *τῶν ἰχθυοπωλῶν ἀρτίως τις τεττάρων*
δραχμῶν ἐτίμα κωβιοὺς .... σφόδρα.

Tam Meineke quam Kock Salvinii supplementum ‹B. *πολλοῦ*› *σφόδρα* receperunt, licet K. praeferat *ὀλίγου* dictum per ironiam. Quid interciderit prorsus incertum est, sed non minus aptum foret, quod propter praegressae vocis ductus facilius perire potuit, supplementum *μικρούς*, quod si excidit, unus homo haec loquitur.

p. 311, b. *ἀλλ' οὐκ εὐώδη γαστρὸς κέκτηνται ἁλοιφὴν*
οὐδ' οὕτω δριμεῖαν.

Quia de hominum gustibus, quod aiunt, disputandum non est, huic scripturae admirabundus acquiesco, nec conicere audeo *οὕτως ἡδεῖαν.*

p. 314, f. *ὃς ἀκριβῶς οὕτως διὰ λιχνείαν καὶ τὸν πορθμὸν διέπλευσε καὶ τῶν μερῶν ἑκάστου τῶν ἰχθύων τὰς ποιότητας καὶ τοὺς χυμοὺς διὰ τὴν λιχνείαν ἐξήτασεν κτἑ.* Deleatur dittographema *διὰ τὴν λιχνείαν.*

p. 324, d. init. Ante *μορίων* operae omiserunt *ζῴων*. Cf. ed. Schwh.

p. 333, e. init. De huius loci vitio consulatur Schweighaüser.

p. 340, a. *τῷ Καλλιμέδοντι γὰρ θεραπεύω τὰς κόρας*
ἤδη τετάρτην ἡμέραν. B. *ἦσαν κόραι*
θυγατέρες αὐτῷ;

E praegressis planissime constat vs. 2 poetam scripsisse *εἰσὶν κόραι κτἑ.*

p. 345, d. *μεγάλου τινὸς κατὰ τύχην ἰχθύος παρατεθέντος, ἄλλου δ' οὐδενὸς παρεσκευασμένου, λαβὼν ὅλον ὁ Ζήνων — οἷος ἦν κατεσθίειν· τοῦ δ'* (scil. *ὀψοφάγου*, quocum coenabat) *ἐμβλέψαντος αὐτῷ, 'τί οὖν,* ἔφη, *τοὺς συζῶντάς σοι οἴει πάσχειν, εἰ σὺ μίαν ἡμέραν μὴ δεδύνησαι ἐνεγκεῖν ὀψοφαγίαν'*; Zeno dixisse mihi videtur: *τί οὖν τοὺς συζῶντάς σοι οἴει ‹ἀεὶ› πάσχειν, εἰ σὺ μίαν ἡμέραν μὴ δεδύνησαι ἐνεγκεῖν ὀψοφαγίαν*; Quam facile *ἀεὶ* post *οἴει* elabi potuerit, cadit in oculos.

p. 346, e. (vs. 20) verba *οἱ τῆς θεοῦ ἱερεῖς* mire abundant.

p. 351, b. *Ζήθου δὲ τοῦ κιθαριστοῦ διεξιόντος περὶ μουσικῆς,*

Digitized by Google

μόνῳ δὲ οὐκ ἔΦη προσήκειν περὶ μουσικῆς λαλεῖν, ὅς γε, ἔΦη, τὸ ἀμουσότατον τῶν ὀνομάτων εἶλου. Vocula δὲ aut delenda aut mutanda in δή, sed μόνῳ, in quo haerere videtur editor, sanum est. Saepe enim μόνος cum exaggeratione quadam Graece usurpatur pro ἄλλου μᾶλλον aut sequente negatione pro ἧττον ἢ ἄλλος s. πάντων ἥκιστα. *Te vero omnium minime decet de musica loqui, qui* cett. Salse εἶλου dictum pro ἔλαχες, quasi nomen ab ipsius optione penderet.

p. 351, e. ἐν Μαρωνείᾳ δὲ συμπίνων τισὶν ἐθέλειν ἔΦη γνῶναι κατὰ τίνα τόπον ἐστὶ τῆς Πόλεως, ἐὰν κατακαλύψαντες ἄγωσιν. εἶθ' ὡς ἤγον καὶ ἠρώτων, 'κατὰ τὸ καπηλεῖον', ἔΦη, ὅτι καπηλεῖα ἐδόκει εἶναι ἡ Μαρώνεια. Vereor ut sufficiat cum editore corrigere καπηλεία, et sententiam requirere puto καπηλεῖον α', i. e. ἕν. Maronea una (magna) caupona videbatur Stratonico.

p. 360, a. (vs. 15)

ἐγὼ δ' ὅκου πόδες Φέρουσιν, ὀΦθαλμοὺς
ἀμείβομαι Μούσῃσι πρὸς θύρῃσ' ᾄδων κτὲ.

Sub ὀΦθαλμοὺς latere adiectivum ad Μούσῃσι vere monet editor. Conieci: ἐγὼ δ' ὅκοι πόδες Φέρωσιν (Bgk.), ἀψάλμοις
ἀμείβομαι μούσῃσι πρὸς θύρῃσ' ᾄδων.

Quippe οἱ ἀγείροντες τῇ κορώνῃ instrumentis non utebantur, sed assa voce cantabant.

p. 361, a. ὑπόσπονδος ὑπεξελθεῖν ἀξιῶν μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ. Nihil hercle opus est τοῖς ὑποσπόνδοις *clam exire*. Corrige sodes ἐξελθεῖν, cui verbo praepositio errore adhaesit e praegresso vocabulo.

p. 366, c. (23 sqq.) In insanabili ANTIPHANIS fragmento male admissa videtur Schweighaüseri coniectura ᾄδος, qua Homerica voce poetam comicum usum esse a probabilitate abhorret.

p. 405, d. (vs. 41)

ἐξ ἀντλίας ἥκοντα καὶ γέμοντ' ἔτι
Φορτηγικῶν μοι βρωμάτων ἀγωνίαις
τὴμῇ ποιήσω νυστάσαι παροψίδι.

Pro ἀγωνίαις Kock recepit Fritschii coniecturam κἀγωνίκς, quae et per se loco minus convenit et nautis Graecis aspergit infamiam. Expectatur potius ἀηδίας.

p. 412, e. In POSIDIPPI epigrammate primus versus sic corrigendus videtur:

Digitized by Google

καί ῥ' ἀπὸ συνθεσίης ἔΦαγόν ποτε Μηόνιον βοῦν.

pro καίπερ συνθεσίης κτἑ.

Reliqua non tango, nisi quod vs. 4^to^ ἑστήξω requiro pro ἑστήκω.

p. 414, f. Ἡρόδωρόν Φησι — γενέσθαι τὸ μὲν μέγεθος πηχῶν τριῶν καὶ ἡμίσους, εἶναι δὲ καὶ τὰς πλεύρας ἰσχυράς. Ex addito καὶ apparet AMARANTUM dixisse Herodorum fuisse permagnae staturae, nec tamen tres ulnae et dimidia, i. e. $5^1/_4$ pedes, viri magni faciunt mensuram, appellarique solere homines proceros a Graecis τετραπήχεις in volgus notum est. Quare non dubitandum, quin τριῶν librarii σΦάλμα sit pro τεττάρων, quod de eodem scribit collatus ab editoribus Pollux IV, 89, qui tamen neglexit dimidiam illam ulnam, quae facit ut Herodorus fuerit in paucis procerus, $6^3/_4$ pedum mensuram qui expleret, teste Amaranto.

p. 438, b. καὶ εἰς τὰ ἕλεα δὲ καὶ τὰ ἄλση (sic) νεμόμενον κτἑ. Sic hunc Herodoti (II, 133) de Mycerino, rege Aegyptiorum, locum citasse traditur Athenaeus, sed non potuit is νεμόμενον scribere pro verbo Herodoteo πλανώμενον, verum quantocius ei reddatur ῥεμ<β>όμενον, quod sequiores eo sensu ponere assolent. Ratione inversa vetera lexica ῥέμβεσθαι interpretantur πλανᾶσθαι.

p. 463, c. In IONIS Chii fragmento vs. 9 sq.

οὕνεκα δ' εὐειδὴς μίμνει θήλεια πάρευνος,
κεῖνος τῶν ἄλλων κυδρότερον πίεται.

Digna certe fuerat quae hic ab editore memoraretur Dindorfii coniectura ἀδρότερον. Possis etiam de reponendo Φαιδρότερον cogitare, sed κυδρῶς πίνειν prorsus nihil significat.

p. 463, f. CRITIAS in *Lacedaemoniorum republica*: ὁ μὲν Χῖος καὶ Θάσιος ἐκ μεγάλων κυλίκων ἐπιδέξια, ὁ δ' Ἀττικὸς ἐκ μικρῶν ἐπιδέξια, ὁ δὲ Θετταλικὸς ἐκπώματα προπίνει ὅτῳ ἂν βούλωνται μεγάλα. Miror K. non correxisse Θετταλὸς et βούληται.

p. 784, e. Hunc AMIPSIAE locum emendavi Mnem. 1890, p. 386.

p. 476, a. Verba graviter turbata, ut vidit editor, sic tempto: ὅτι δὲ τοῖς κέρασιν ἔπινον, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ μέχρι νῦν λέγεσθαι, ὅταν συμμίσγωσιν τῷ οἴνῳ τὸ ὕδωρ, κεράσαι τοὺς μίσγοντας

Digitized by Google

(pro *Φάσκοντας*), (pro .) *καὶ τὸ ἀγγεῖον ἐν ᾧ κιρνᾶται ὁ οἶνος, κρατῆρα* (pro *κρατὴρ*) *ἀπὸ τοῦ συγκιρνᾶσθαι ἐν αὐτῷ τὸ ὕδωρ ἢ ἀπὸ τοῦ κέρατος, οἷον κερατῆρα* (pro *κερατὴρ*) *ἀπὸ τοῦ εἰς τὸ κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα.*

p. 478, a. In HIPPARCHI fragmento (vs. 6) *καί* ‹*τι*› *κυμβίον* mea correctio est, quam proposui *Stud. Crit. in p. sc.* p. 91.

p. 484, e. In DIPHILI reliquiis:

πρίστις, τραγέλαφος, βατιάκη, λαβρώνιος.
B. *ἀνδραπόδιον δὴ ταῦθ', ὁρᾷς;* A. *ἥκιστά γε,*
ἐκπωμάτων δ' ὀνόματα κτέ.

nihil, quod sciam, hucusque propositum est, quod pro corrupto *ἀνδραπόδιον* apte reponeretur. Nam quod editor, qui omnia uni continuans personae coniecit: *ἀνδραποδίων δὴ ταῦθ', ὁρᾷς ἥκιστα μὲν*, voluerit, me quidem prorsus obscurum est, nec dubito quin recte verba inter duas personas divisa sint. Kockii vero coniectura *τετράποδα δ' ἤδη* iam evertitur ipsius animadversione, id ad solum *τραγέλαφος* referri posse; procul enim dubio requiritur, quod ad omnia pertineat aut saltem pertinere videatur personae B, quae *βατιακὴ* et *λαβρώνιος* audiens pro piscibus, quales *βατίδες* erant et *λάβρακες*, habere ea poterat. Tale igitur quid reperiendum relinquo ingeniosioribus.

p. 486, f. *σὺ δὲ τὴν μέλην, Συρίσκε, ταυτηνὶ λαβὼν*
ἔνεγκον ἐπὶ τὸ μνῆμ' ἐκείνῃ, μανθάνεις;
καὶ κατάχεον.

Non fuisse revera vasculi nomen *μέλην*, sed deceptum esse Athenaeum corrupta scriptura, facillime credo Kaibelio. Nisi autem egregie fallor, ANAXIPPUS salsissime scripserat:

σὺ δὲ τὴν με‹*γάλ*›*ην, Συρίσκε, κτέ.*

scil. *κύλικα*. Vinosae mulieri qui, quaeso, gratius defunctae libari potuit quam e largo, quo viva uti solebat, poculo?

p. 494, e. In EUBULI fragmento:

καὶ πιεῖν χωρὶς μέτρῳ
ὀξύβαφον εἰς τὸ κοινόν· εἶθ' ὑπώμνυτο
ὁ μὲν οἶνος ὄξος αὐτὸν εἶναι γνήσιον,
τὸ δ' ὄξος οἶνον αὐτὸ μᾶλλον θατέρου.

non magis quam *μέτρῳ* et *ὑπώμνυτο* sana mihi videntur verba *εἰς τὸ κοινόν* et verba sequentia fere postulant, ut in his iam mentio facta fuerit de vino et aceto, quare lubens conicerem

Digitized by Google

καὶ πιεῖν χωρὶς — ὄξος κῷνον, modo satis apte emendare possem reliquum locum. Aperte sermo est de vino tam pravo, ut ab aceto distingui non posset.

p. 498, b. HESIODUS (fr. 194) scripsisse traditur:

καὶ τότε Μάντης μὲν δεσμὸν βοὸς αἶνυτο χερσίν,
Ἴφικλος δ' ἐπὶ νῶτ' ἐπεμαίετο κτέ.

in quibus valde mihi displicet iterata praepositio, quam nescio an grammaticus aliquis de metro male sollicitus verbo addiderit. Poeta, ni fallor, per tmesin dederat:

Ἴφικλος δ' ἐπὶ νῶτα ἐμαίετο.

p. 502, b. Versus Aristophaneos sic tempto:

ἐπτάπους γοῦν ἡ σκιά 'στιν,
ἐπί τε δεῖπνον ὁ χορὸς ἤδη μ'
ὁ Φιλοτήσιος καλεῖ.

pro tradita scriptura:

ἡ 'πὶ τὸ δεῖπνον ὡς ἤδη καλεῖ μ'
ὁ χορὸς ὁ Φιλοτήσιος.

p. 519, d. Non expedio tempora praesentia ὑπάρχουσιν, ποιοῦνται, τιμῶσι, ἀνακηρύττουσι usurpata de Sybaritis, populo dudum exstincto. Recte tam in praegressis quam in sequentibus apparent praeterita.

p. 521, e. ἔδοξαν γοῦν τὴν αὐτὴν ἰδεῖν ὄψιν ἐν τῇ αὐτῇ νυκτί· τὴν [γὰρ] Ἥραν [ἰδόντες] ἐλθοῦσαν εἰς μέσην τὴν ἀγορὰν καὶ ἐμοῦσαν χολήν. In his non tantum γὰρ, quod iam expunxit Meineke, sed etiam ἰδόντες male abundat.

p. 524, c. διὰ τὸ πλῆθος οὖν τῶν κατασχουσῶν αὐτοὺς (Scythas) συμφορῶν, ἐπεὶ διὰ τὸ πένθος ἅμα τόν τε τῶν βίων ὄλβον καὶ τὰς κώμας περιεσπάσθησαν, παντὸς ἔθνους οἱ ἔξω τὴν ἐφ' ὕβρει κουρὰν ἀπεσκυθίσθαι προσηγόρευσαν. Distingue et corrige: περιεσπάσθησαν πᾶν τὸ ἔθνος, οἱ ἔξω κτέ.

p. 529, f. in Sardanapalli epitaphio male cohaerent verba: εἰδὼς τόν τε χρόνον ὄντα βραχὺν ὃν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι καὶ τοῦτον πολλὰς ἔχοντα μεταβολὰς καὶ κακοπαθείας καὶ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθῶν ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις. Quia enim manifesto καὶ — ἀπολαύσεις pendere debet ab εἰδώς, haud dubie corrigendum: καὶ ⟨ὡς⟩ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθὼν ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις.

p. 530, e. Sub depravatissimis verbis PHOENICIS Colophonii

Digitized by Google

ὃς οὐκ ἴδ' ἀστέρ' οὐ διζωνεδίζητο

acute K. vidit subesse sententiam *qui neque clupeum neque hastam quaerebam*, quam audacter (in tanta enim corruptela litterarum apices frustra curabis) sic restituerim:

ὃς ἀσπίδ' οὐδὲ δουράτιον ἐδίζητο.

Hoc certe dispicere licet, lectionem ἴδ' ἀστέρ' natam esse e scriptura αστ$\overset{\text{ιδ}}{\text{ε}}$ρ, et διζων dittographia quadam e sequenti εδιζητο.

p. 534, d. Transpono: ἀφικόμενος δ' ἐξ Ὀλυμπίας, Ἀθήνησιν δύο πίνακας ἀνέθηκεν pro soloeco ἀ. δ' Ἀθήνησιν ἐξ Ὀλυμπίας.

p. 535, f. τὸ δὲ πᾶν ὁ πόλος ἐνύφαντο χρυσοῦς ἀστέρας ἔχων καὶ τὰ δώδεκα ζῴδια. Vera lectio videtur: ἔτι δὲ πᾶς ὁ πόλος κτέ.

p. 536, c. THEOPOMPI verba sic suppleo: ὡς Ἀρχίδαμος ὁ Λάκων ἀποστὰς τῆς πατρίας διαίτης συνηθίσθη ⟨ζῆν⟩ ξενικῶς καὶ μαλακῶς. Ante ΞΕΝικῶς periisse verbum necessarium nemo mirabitur.

p. 536, e. κατατεινόμενον οὖν — εἶπεν. Aut cum Meinekio legendum κατατεινόμενος, aut (quod fere praetulerim) εἰπεῖν, continuata structura per Acc. c. Inf. Pro verbis ὥς ποτ' οὖν ἐρράισεν καὶ κατεῖδεν διά τινων ὑπολαμπάδων τοὺς Αἰγυπτίους παρὰ τὸν ποταμὸν ἀριστοποιουμένους lubens correxerim: ὥς ποτ' ἀνερράισεν καὶ κατεῖδεν διαπεινῶν ⟨καὶ διοχλούμενος?⟩ ὑπὸ λαμπαδίων τοὺς Αἰγυπτίους παρὰ τὸν ποταμὸν ἀριστοποιουμένους καὶ τὰ τυχόντα προσφερομένους ἐπί τε τῆς ἄμμου χύδην ἐρριμμένους, εἰπεῖν· ὦ τάλας ἐγώ, τὸ μηδὲ τούτων ἕνα γενέσθαι. Hauptii opuscula, quae citat K., mihi praesto non sunt, ita ut quid de h. l. disputaverit ignorem. Ἀνερράισεν debetur Meinekio, διαπεινῶν Kaibelio.

p. 537, f. Ἀλεξάνδρου τοῦ Ἀριστοτελικοῦ τοσούτοις αὐτὸν ἀφομοιοῦντος θεοῖς, ἀτὰρ καὶ τῇ Ἀρτέμιδι; In praegresso EPHIPPI loco de duobus tantum dis, Ammone et Diana, sermo est, itaque τοσούτοις male hic interpres Schweighaüseri *tot* vertit, cum debuisset *tantis*, sed minime expedio addita verba ἀτὰρ καὶ τῇ Ἀρτέμιδι, nisi ante ea aliquid perierit, velut οὐ μόνον Ἄμμωνι, θεῷ ξενικῷ, quod minus grave videri poterat.

p. 540, e. De Polycrate Samio ALEXIS: ὅτι οὐδαμόθεν ἀναγέγραπται γυναῖκας ἢ παῖδας μεταπεμψάμενος, καίτοι περὶ τὰς τῶν ἀρρένων ὁμιλίας ἐπτοημένος, ὡς καὶ ἀντερᾶν Ἀνακρέοντι τῷ

Digitized by Google

ποιητῇ, ὅτε καὶ δι' ὀργὴν ἀπέκειρε τὸν ἐρώμενον. Requiro οὗ καὶ κτέ., et quia non tantum παῖδας sed etiam γυναῖκας praecedit, nescio an fuerit καίτοι περὶ τὰς τῶν ἀνδρῶν ⟨μάλισθ'⟩ ὁμιλίας ἐττομένος, quale vocabulum ante ὁΜΙΛΙΑC facile elabi potuit. Eandem vocem p. 541 b (vs. 20) elapsam inseruit K. e textu Aristotelio.

p. 542, c. καὶ ταῖς μὲν δαπάναις ταῖς εἰς τὰ δεῖπνα τοὺς Μακεδόνας ὑπερέβαλλε (Demetrius Phalereus), τῇ δὲ καθαριότητι Κυπρίους καὶ Φοίνικας. Quae deinde de impuris Demetrii moribus narrantur reponi iubent τῇ δὲ ἀκαθαρσίᾳ κτέ.

p. 547, b. ὡς ἂν οὖν λάβῃς τὴν ἐπιστολήν, σύνταξον κήρυγμα. De rariore formula ὡς ἄν, non addito πρῶτον, cf. Steph. thes. (Dind.) vol. VIII p. 2112 B.

p. 549, a. κνισότερος ὢν τοῦ Ὀδυσσέως Μελανθίου. Kaibel κνισολοιχότερος coniecit, recte, si κνισολοιχὸς comparativum admittit, sin minus, praetulerim Φιλοκνισότερος.

p. 552, b. λεπτότερος δ' ἦν καὶ Φιλητᾶς. Loci ratio postulare videtur λεπτότατος, agitur enim non de gracilioribus, sed de admodum gracilibus.

p. 554, c. καί ποτε παριόντος νεανίσκου πατέρα πρεσβύτην ἔχοντος ἐπέδειξαν ἑαυτὰς καὶ τούτῳ. Quod coniecit K. πρεσβύτην ⟨καὶ πλούσιον⟩ vereor ut huic loco medeatur, in quo ipsum illud πρεσβύτην, quia solae patris opes aut nobilitas ad rem faciunt, nihil vero refert utrum senior an iunior fuerit, admodum mihi suspectum est. Quid lateat non reperio. — Ib. sub e f malim ὅσησπερ ἄν τις ⟨πλησθ⟩είη.

p. 564, e. Supplendum credo: Λικύμνιος δ' ὁ Χῖος τὸν Ὕπνον φήσας ἐρᾶν Ἐνδυμίωνος ⟨ἐπάγει ὅτι⟩ οὐδὲ καθεύδοντος αὐτοῦ κατακαλύπτει τοὺς ὀφθαλμούς κτέ.

p. 577, e. In Machonis versibus (vs. 19) fortasse retinendum καὶ, quod praeeunte Iacobsio delevit editor, et statuenda duorum hemistichiorum lacuna. Cf. Kaibeli adnotatio.

p. 579, d.

κἄθ' ὡς ἐπηρώτησε 'πότερ' ἄνω θέλεις,
ἐλθοῦσ' ἅμα βαλεῖν ἢ κάτω;' γελάσασ' 'ἄνω,
βέλτιστε', φησίν. ὑπό τι γὰρ δέδοικά σε,
μή μου προπεσούσης τοὐμπλόκιον ὑπεκτράγῃς.

Non de accumbendo, sed de concubitu in hoc Machonis frag-

Digitized by Google

mento agi patet, itaque nemo non Kaibelio concedet falsam esse Meinekii coniecturam *ἀναπεσεῖν*. Nihilominus *ἅμα βαλεῖν* sanum esse credere nequeo et leni manu correxerim:

πότερ' ἄνω θέλεις
ἐλθοῦσά με λαβεῖν ἢ κάτω; κτἑ.

quod facile est ad intellegendum. Mox sub E in eiusdem Machonis reliquiis vix integra sunt verba *τὰ μετὰ ταῦτα* vs. 24, pro quibus *ψαλτρίαν* aut simile quid expectaveris.

p. 594 extr. DICAEARCHUS de Pythionicae hetaerae monumento in via sacra disserens sic scribit e Kaibeli recensione: *τοῦτο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὅπερ εἰκός, ἦ Μιλτιάδου Φήσειεν <ἂν> σαφῶς ἢ Περικλέους ἢ Κίμωνος ἤ τινος ἑτέρου τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν εἶναι, <καὶ> μάλιστα μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως δημοσίᾳ κατεσκευασμένον, εἰ δὲ μή, δεδομένον κατασκευάσασθαι. πάλιν δ' ὅταν ἐξετάσῃ Πυθιονίκης τῆς ἑταίρας ὄν, τίνα χρὴ προσδοκίαν λαβεῖν αὐτόν;* ex quibus insertis duobus particulis, quorum prior necessaria est, *δεδομένον* dedit pro *δεδογμένον*. Vellem autem K. significasset, quid sibi velint verba *εἰ — κατασκευάσασθαι*, quae, quantum video, nihil aliud significare possunt quam: sin vero minus, donatum ad extruendum (heredibus, an redemptoribus?). Quid vero hoc referat ad monumenti magnitudinem aut magnificentiam, haud-quaquam perspicio. Post *εἰ δὲ μή* expectaveram velut: *ὑπὸ φυλῆς ἢ δήμου*, sed quid faciam verbis traditis *δεδογμένον κατασκευάσασθαι* prorsus me fugit.

p. 596, c d.

Δωρίχα, ὀστέα μὲν σὰ πάλαι κόνιν, ἔσσατο δ' ἐσμὸς
χαίτης ἥ τε μύρων ἔκπνοος ἀμπεχόνη,
ᾗ ποτε τὸν χαρίεντα περιστέλλουσα Χάραξον
σύγχρους ὀρθρινῶν ἤψαο κισσυβίων.
Σαπφῶαι δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσι
ᾠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.
οὔνομα σὸν μακαριστόν, ὃ Νικύρατις ὧδε φυλάξει,
ἔστ' ἂν ἴῃ Νείλου ναῦς ἐφ' ἁλὸς πελάγη.

Quatuor ultimos vss. huius POSIDIPPI elegiae sic tento:

Σαπφῶαι δὲ μένουσ' ἀφίλης ἔτι καὶ μενέουσιν
ᾠδῆς αἱ λευκὰ (Mein.) *φθεγγόμεναι σελίδες*
οὔνομα σὸν μακαριστόν, ὃ Ναύκρατις ἥδε (M.) *φυλάξει,*
ἔστ' ἂν ἴῃ Νείλου ναῦς ἐφ' ἁλὸς πελάγη.

Digitized by Google

sive cum editore scribendum potius *οἵδε φυλάξαι. Sapphoae vero manent adhuc manebuntque inimici carminis paginae calumniantes tuum nomen, o Doricha, quod beatum praedicandum haec Naucratis servabit, quamdiu Nili navis maris ad aequora descendet.* Nempe λευκά Posidippus eo sensu usurpavit, quo usus est Pindarus Pyth. IV, 109 = λευγαλέα (cf. Hesych. λευκῶν πραπίδων), ut λευκὰ φθεγγόμεναι significet κακῶς λέγουσαι, Sappho enim, ut in praegressis narratum est, Dorichan διὰ τῆς ποιήσεως διέβαλεν, ὡς πολλὰ Χαράξου νοσφισαμένην. Ob eandem causam scripsi ἀφίλης, quam formam pro ἀφίλου in poesi multis similibus tutam esse vix opus habeo monere.

p. 596, f. Στρατοκλῆς δ' ὁ ῥήτωρ εἶχε ⟨Φυλάκιον⟩ τὴν ἐπικληθεῖσαν Λήμνην ἑταίραν τὴν ⟨καὶ⟩ καλουμένην Παρόραμα, ⟨ἔτι δὲ Δίδραχμον⟩ διὰ τὸ καὶ δύο δραχμῶν φοιτᾶν πρὸς τὸν βουλόμενον. Sic fere locus redintegrandus. Ex his supplementis καὶ mihi debetur, reliqua, ut proprie loquar, doctissimo editori, cuius vid. annot.

p. 597 extr. In Hermasianactis elegia (vs. 35) iure suspectum Kaibelio singulare πολλὸν in verbis:

Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς
ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεύμ' ἀπὸ πενταμέτρου.

Vix autem reconditius aliquid latet quam πολλά γ'.

p 600, f. Ἀλκμᾶνα γεγονέναι τῶν ἐρωτικῶν μελῶν ἡγεμόνα καὶ ἐκδοῦναι πρῶτον μέλος ἀκόλαστον, ὄντα καὶ περὶ τὰς γυναῖκας καὶ τὴν τοιαύτην μοῦσαν εἰς τὰς διατριβάς. Verba depravatissima. Suspiceris: ὄντα καὶ ⟨τοῖς⟩ περὶ τὰς γυναῖκας καὶ τὴν τοιαύτην μοῦσαν ἐνδιατριπτικόν. Cf. M. Antonin. I 16 p. 6 ἔτι δὲ τὸ μὴ εὐμετακίνητον καὶ ῥιπταστικόν, ἀλλὰ καὶ τόποις καὶ πράγμασι τοῖς αὐτοῖς ἐνδιατριπτικόν.

p. 601, c. Καὶ Πίνδαρος δὲ οὐ μετρίως ὢν ἐρωτικός φησιν·

εἴη καὶ ἐρᾶν καὶ ἔρωτι χαρίζεσθαι κατὰ καιρόν·
μὴ πρεσβυτέραν ἀριθμοῦ δίωκε, θυμέ, πρᾶξιν.

„Verba vix integra" K. Assentior. Conieci:

μὴ π' ἀρ μέτρον ἡδ' ἀριθμὸν δίωκε, θυμέ, πρᾶξιν,

sive

μὴ πὰρ μέτρα μηδ' ἀριθμοὺς κτέ.

p. 604, f. In epigrammate, quod Sophocli tribuebatur

Digitized by Google

Ἥλιος ἦν, οὐ παῖς, Εὐριπίδη, ὃς με χλιαίνων
γυμνὸν ἐποίησεν· σοὶ δὲ Φιλοῦντι ἑταίραν
Βορρᾶς ὠμίλησε κτέ.

Bene editor depravatam scripturam servare maluit quam recipere infelicem Musuri coniecturam Φιλοῦνθ' ἑτέραν. Vix aliud scripsit poeta quam

σοὶ δὲ Φιλοῦντι κόρην
Βορρᾶς ὠμίλησε.

p. 609, f. καὶ νικῆσαι πρῶτον αὐτοῦ τὴν γυναῖκα Ἡροδίκην. Imo πρώτην.

p. 614, e. τοσαύτη δ' αὐτῶν (LX scurrarum) δόξα τῆς ῥαθυμίας ἐγένετο ὡς καὶ Φίλιππον ἀκούσαντα τὸν Μακεδόνα πέμψαι αὐτοῖς τάλαντον, ἵν' ἐκγραφόμενοι τὰ γελοῖα πέμπωσιν αὐτῷ. *Hilaritatis* potius quam *levitatis* et *socordiae* notio nequiri videdetur, quare vide ne verius sit εὐθυμίας.

p. 615, e. ταῦτα τοῦ Οὐλπιανοῦ διεξελθόντος καὶ πάντων ἀναχασάντων ἐπὶ ταῖς Ἀνικίοις ταύταις θέαις. Malim equidem Ἀνικιείοις. Prorsus autem dubium non est quin infra p. 618 d. Schweighaüser pro ἀμάλας recte correxerit ἀμάλλας, quod non receptum esse ab editore pro ἀμάλας, valde miror.

p. 623 a. (vs. 8) B. λέγεις μάγειρον ζῶντα.
Kaibel coniecit λέγεις ὄνειρ', οὐ ζῶντα, in qua coniectura quin ζῶντα ferri nequeat non dubito. Multo praestat, quod addidit „vel οὐκ ὄντα".

p. 624, b. — Βάβυς, ἐφ' ᾧ καὶ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀεὶ πρὸς τὸ χεῖρον αὐλούντων· κάκιον Η Βάβυς αὐλεῖ. Vix recte voculam ἡ delevit editor, quae littera nescio an potius testatur voculam periisse, qua proverbium, si significabit quod ait Athenaeus, carere non poterat, nempe ἀεί. Si, ut saepe, hoc proverbium, quod non commemoratur a paroemiographis, habuit formam metricam, facile possis: ⟨ἀεὶ⟩ κάκιον Βάβυς αὐλεῖ.

p. 626, a. Οὐ παραληπτέον δὲ τὴν μουσικὴν — ἐπὶ ἀπάτῃ καὶ γοητείᾳ παρεισῆχθαι. Kaibelio οὐχ ἡγητέον, mihi lenior placet, in quam iam Schwh. incidisse video, coniectura οὐχ ὑπολητπτέον.

p. 636, b. Diogenis tragici vs. 10 sq. sic scribuntur:

ἔνθα Περσικῷ
νόμῳ ξενωθεὶς αὐλὸς ὁμονοεῖ χοροῖς.

Digitized by Google

Pro inepto ὁμονοεῖ Meineke ὁμοθροεῖ, Methner ὁμοφωνεῖ proposuit. Utroque lenius est nec minus aptum ὁμο⟨π⟩νοεῖ. Scio quidem id verbum nusquam traditum esse, sed idem valet de ὁμοθροεῖ, et optime formatum est.

p. 639, d. PHYLARCHI (?) versus depravatissimos sic tempto:

Σοὶ δ', Ἥρη, μοῦνοι μὲν ἐλεύθεροι ἱεροεργοί,
κἄνδρες προσκυνέουσιν ἐλεύθερον ἄμαρ ἔχοντες·
δούλων δ' οὔτις πάμπαν ἐσέρχεται οὐδ' ἡβαιόν.

Vs. 1 traditur σουρηι, vs. 2 ἀνδρασι προσκεινοισιν, neque igitur iusto fui audacior. Quod in primo vs. fortasse aliquis malit: ἐλεύθεροί εἰσ' ἱερουργοί, non videtur necessarium et magis placet forma epica. Dativum pro accusativo non raro sequiores iungunt cum verbo προσκυνεῖν.

p. 644, e.

τῶν μὲν ἐλαῶν — ἄφελε πάνθ' ὅσ' ἂν βούλῃ γένῃ
εἰς δὲ τὰ κρέα μόσχον ἔλαβες, δέλφακας, χοίρους, λαγώς.

In his eri nuptias parantis ad coquum verbis apud EUANGELUM si recte K. piscium mentionem requirit, fortasse ϵΛΛΩΝ ex ϵΛΛΩΝ, ἐλλῶν, i. e. ἰχθύων, depravatum esse statuere licebit. Vs. sequenti intellegerem ἔλαβον dictum, ut saepius, pro ἐτριάμην, sed ἄφελε non expedio.

p. 648, a. συμμίξας τε τὴν ὀπώραν μάλαξον μέλιτι ἡψημένῳ, προσβαλὼν πέπερι πλέον καὶ μάλαξον. Editor καὶ πλέον coniecit, equidem praefero: ⟨καὶ⟩ προσβαλὼν πέπερι πλέον μάλαξον.

p. 660, e. Κλείδημος φῦλον ἀμοφαίνειν μαγείρων ἐχόντων δημιουργικὰς τιμάς, οἷς καὶ τὸ πλῆθος ἐνεργεῖν ἔργον ἦν. Ad sententiam recte Wilamowitz ἀγείρειν coniecit, sed tradita lectio suadet συναγείρειν.

p. 668, e f. Corruptissima est DIONYSII elegia:

κότταβον ἐνθάδε σοι τρίτον ἑστάναι οἱ δυσέρωτες
ἡμεῖς προστίθεμεν γυμνασίῳ Βρομίου
κώρυκον· οἱ δὲ παρόντες ἐνείρετε χεῖρας ἅπαντες
ἐς σφαίρας κυλίκων· καὶ πρὶν ἐκεῖνον ἰδεῖν,
ὄμματι βηματίσασθε τὸν αἰθέρα τὸν κατὰ κλίνην,
εἰς ὅσον αἱ λάταγες χωρίον ἐκτέταται.

Conieci:

καὶ πρὶν ἔτ' οἰνοριφεῖν
ὄμματι βηματίσασθε τὸν αἰθέρα τὸν κατὰ μέσσον,
εἰς ὅσον αἱ λάταγες χωρίον ἐξετέαι.

Digitized by Google

in quibus *αἰθέρα* dictum pro *ἀέρα*, nisi hoc ipsum reponendum.

Sequentis fragmenti nimis obscura sententia, quam ut quidquam temptare audeam, nisi quod vs. tertio legendum puto:

τὸν — Φίλον
εἰρεσίῃ γλώσσης ἀναπέμψομεν εἰς μέγαν αἶνον
τοῦδ' ἐπὶ συμποσίου· κτέ,

pro *ἀποπέμψομεν*.

p. 672, b. *τοὺς δ' Ἀργείους πυθομένους καὶ χαλεπαίνοντας πεῖσαι χρημάτων ὑποσχέσει Τυρρηνοὺς λῃστρικῷ* [*τε*] *βίῳ χρωμένους ἁρπάσαι τὸ βρέτας, πεπεισμένους τοὺς Ἀργείους ὡς εἰ τοῦτο γένοιτο, πάντως τι κακὸν — ἡ Ἀδμήτη πείσεται.* Addidit nescio quis *τοὺς Ἀργείους* veritus, ne quis haec de Tyrrhenis intellegeret scilicet.

p. 673, c. *λαβὼν δὲ παρ' ἐμοῦ — Ἡφαιστίων ἐξιδιοποιήσατο τὴν λύσιν καὶ σύγγραμμα ἐξέδωκεν ἐπιγράψας περὶ τοῦ παρ' Ἀνακρέοντος λεγομένου στεφάνου· ὅπερ οὐκ ἐν τῇ Ῥώμῃ εὕρομεν παρὰ τῇ ἀντικοττυραι Δημητρίῳ.* „Latere videtur" ait K. „vici Turarii nomen, cf. Hor. ep. II 1, 269, fort. *παρὰ τῇ ἐν οὐίκῳ Τυραρίῳ Δημητρί.*" Docte et ingeniose, ut solet, sed coniecturae probabilitati admodum officit, quod Cereris aram, ut ipse addit, ibi fuisse nescimus. Mihi in mentem venit *παρὰ τῷ ἀντικουαρίῳ Δημητρίῳ*.

p. 675, e. *διὸ μυρσίνης μὲν στέφνον στύφοντα καὶ τὴν οἴνων ἀποθυμίασιν ἀποκρουόμενον.* Coll. p. 676 c editor coniecit *τὴν ⟨ἐκ τῶν⟩ οἴνων*. De articulo nulla potest esse dubitatio, de praepositione dubito propter locum p. 688 b, *ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθῶν ἀναθυμιάσεως*, licet etiam ibi *τῆς ⟨ἐκ⟩ τῶν ἀνθῶν ἀ.* expectaverim. In sqq. cum Schweighaüsero requiro *πρὸς δὲ τούτοις* pro *π. δ. τοῖς*.

p. 678, c. *χοροὶ δ' εἰσὶν τὸ μὲν πρόσω παίδων — τὸ δ' ἐξ ἀριστεροῦ ἀνδρῶν.* Annotat K. „fort. *εἰσίν γ', ὁ μὲν πρόσω παίδων, ⟨ὁ δ' ἐκ δεξιοῦ γερόντων⟩ ὁ δ' ἐξ ἀριστεροῦ ἀνδρῶν*". Sed iure Schweighaüser et Madvig corruptum iudicarunt *πρόσω*, quorum ille infeliciter reponebat *εὐπροσώπων*, hic rectius sane *ἐν μέσῳ*. Equidem suspicor *⟨κατὰ⟩ πρόσω⟨πον⟩*.

p. 682, d. Supplendum arbitror: *διὸ καὶ τοῖς ἡμέροις ⟨φυτοῖς⟩ φυλακὴν ἀπ' αὐτῶν κατασκευάζουσι.*

Digitized by Google

p. 688, c. μύρρα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολιεῦσιν, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο κτέ. Ante haec verba nonnulla excidisse assentior Schweighaüsero.

p. 692, a. Καὶ — τῶν πυρετῶν διακαιόντων τὰ σώματα τέγγουσι τὴν κεφαλὴν ἐπιβρέγμασιν, ἵνα μὴ πρὸς τὸ ξηρὸν, ταύτῃ δὲ καὶ πολύκενσον, ὁρμὴν τὰ παρακείμενα λαμβάνῃ. Intellegam: ὁρμὴν τὰ περικεκαυμένα λαμβάνῃ.

p. 696, a. ὡς ὁ τὴν τῆς ἀσεβείας κατὰ τοῦ Φιλοσόφου γραφὴν ἀπενεγκάμενος Δημόφιλος εἰς αἰδῶτε παρασκευασθεὶς ὑπ' Εὐρυμέδοντος. Conieci: ἠναιδεύσατο, i. e. ἀναιδῶς ἐψεύσατο.

EMENDATUR LOCUS PLATONIS DE REPUBLICA.

p. 403 B.

Οὕτω δή, ὡς ἔοικε, νομοθετήσεις ἐν τῇ οἰκιζομένῃ πόλει φιλεῖν μὲν καὶ ξυνεῖναι καὶ ἅπτεσθαι ὥσπερ (fort. excidit πηρ, i. e. πατὴρ) υἱέος παιδικῶν ἐραστὴν, τῶν καλῶν χάριν, ἐὰν πείθῃ· τὰ δ' ἄλλα οὕτως ὁμιλεῖν πρὸς ὃν τις σπουδάζοι, ὅπως μηδέποτε δόξει μακρότερα τούτων ξυγγίγνεσθαι· εἰ δὲ μή, ψόγον ἀμουσίας καὶ ἀπειροκαλίας ὑφέξοντα. Nonne corrigendum: ὅπως μηδέποτε δόξει μαργότερα τούτῳ ξυγγίγνεσθαι? Legitur ἡδοναὶ μάργοι Legg. VII p. 792 E.

H. v. H.

Digitized by Google

DE CATULLI CARMINE XLIIII.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

O funde noster seu Sabine seu Tiburs
(Nam te esse Tiburtem autumant quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est
Quovis Sabinum pignore esse contendunt).
Sed seu Sabine sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
Nam Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legi.
Hic me gravedo frigida et frequens tussis
Quassavit usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravedinem et tussim
Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc vocat me cum malum librum *legit*.

In interpretando lepidissimo poemate mirum quantum dissenserunt ac dissentiunt interpretes. Nec tamen de lectione ambigitur nisi in una voce eaque omnium postrema, unde sane haud parva ex parte pendet totius narratiunculae ratio.

Digitized by Google

Codices unanimo consensu in vs. 21 praebent *legit*. Quod cum LACHMANNUS in prima editione reciperet, necessario in duodecimo quoque versu corrigendum ei fuit *legit* pro *legi*, atque statuendum Catullum interfuisse cenae, in qua, vel potius ante quam, Sestium orationem suam ipsum recitantem audivisset. Huic tamen interpretationi cum refragarentur cum alia tum imprimis prima persona *recepso* in vs. 19, mox inversa ratione utroque loco exhibuit primam personam *legi*, eique adstipulati sunt BERGKIUS et SCHWABIUS, qui in *Quaestion. Catull.* anni 1862 p. 302 carmen sic enarravit: „Sestii cuiusdam, mali qui„dem scriptoris sed sui admiratoris, arrogantiae gratificaturus „ut in illius familiaritatem et, ut ita dicam, in cenas illius „lautissimas se insinuaret Catullus, cum orationem plenam „veneni et pestilentiae, quam in Antium petitorem nescio quem „et qualem ille scripserat, legere non recusasset, huius orationis „frigore tussim et gravedinem tam vehementem nactus est, ut „ad haec mala curanda in villam Tiburtinam ei confugiendum „esset. ibi mox valetudine bona reciperata Catullus villae suae „gratias maximas egit quod peccatum facile sibi ignovisset et „scripta frigidissima si a Sestio transmissa iterum legenda ac„cepisset, se negavit intercessurum quo minus ipsum Sestium, „qui nisi antea libellorum suorum pessimorum lectione cruciatos „non invitaret, paena tussis et gravedinis merita adficerent".

Idem in Fleckeiseni Ann. a. 1878 p. 262 in recensione edit. Ellisianae haec scripsit: „C. erzählt launig dass er sich eine „rede des Sestius von ihrem verfasser in der hoffnung dann zu „einem feinen essen eingeladen zu werden zur lectüre aus„gebeten habe und davon krank geworden sei".

ELLISIUS in Comment. Catull. a. 1876 edita probavit coniecturam *legi* sumsitque Catullum domi suae orationem perlegisse ac dein interfuisse cenae, ex hac autem propter gulam morbum contraxisse, quem imputaverit orationis frigori. Statuit hoc adductus maxime similitudine quadam narrationis Tullianae in Ep. ad fam. 7. 26, ubi Cicero cum in cena augurali apud Lentulum incidisset in fungos aliasque dapes, ita conditas *ut nihil posset esse suavius*, sibi sic indulsit ut tenacissima διαῤῥοίᾳ sit correptus.

ALEX. RIESIUS in ed. a. 1884 exhibuit *legi*, tametsi fatetur

Digitized by Google

etiam scribi posse *fecit*, quam coniecturam iam ante Baehrensium sibi natam esse testatur. Ceterum negat Catullum adulatoris vicem egisse et cenae se insinuare studuisse eoque consilio orationem a Sestio petivisse, sed censet poetam invitatum ab illo, ne sibi tacendum esset in cena, legisse postremam illius orationem, at vero repente adfectum gravedine abiisse in villam et recuperata valetudine specie gratiarum actionis ad Sabinum carmen composuisse ambigui sermonis et coloris plenum.

Idem inter alias doctorum opiniones citavit hanc quoque nescio cuius, poetam ipsum in cena orationem recitasse, et hanc alteram: Sestium una cum invitatione orationem poetae misisse.

Ab his interpretationibus non nihil differt quam protulit Baehrensius in Comm. Catull. a. 1885. Ille pro *legit* ex sua coniectura restituit *fecit*, unde haec explicatio consequitur. Sestius edita oratione vocavit homines bellos et in litteris eminentes, quorum laudes exciperet. Catullus bonam cenam minime aspernatus coepit orationis perlegendae onus suscipere, sed coepto mox destitit homo probus, qui sibi dixit *mentiri nescio: librum si malus est nequeo laudare* (Iuven. 3. 41). Rus abit die cenationis; redux absentiam ita excusavit ut venuste fingeret tussim et gravedinem ex frigore orationis sibi adlatam.

Has inter se opiniones comparanti apparet dubitari de his: 1. Utrum sponte sua cenam ambierit an invitatus. 2. Rogaverit acceperitve orationem ab auctore an aliunde sibi paraverit. 3. Legeritne eam domi an in convivio. 4. Interfueritne cenae necne. 5. Fueritne aegritudo simulata an vera.

In tanta rerum ambiguitate perpendamus utrum certam opinionem informare nobis liceat, an usque in caligine sit versandum.

Ac primum quidem constet oportet de postrema carminis voce. Lectio codicum aperte falsa est et a nemine, quantum scio, nunc defenditur. Igitur aut refugiendum ad transpositionem a primis editoribus probatam *lĕgit librum*, aut optio facienda e coniecturis *legi* et *fecit*, nam tertium dari posse vix videtur.

Transpositio *legit librum* ita tantum aliquam habet speciem, si praesens tempus pro futuro adhibitum aestimetur, ut Sestius suam ipse orationem recitaturus dicatur, quemadmodum Ligu-

Digitized by Google

rinus ille apud Martialem 3. 50. At vero quid tum necesse fuit, ut domi ante poëta bonum otium lectioni taediosissimae impenderet? Hac tamen lectione sublata concidit ipsa poëmatis causa et ratio.

Non autem magis idonea est prima persona temporis perfecti *legi*. Tum enim Sestius culpatur quod vocaverit Catullum postquam hic legit orationem venenatam. Sed nulla hac in re culpa vocantis esse potest, nisi novit poetam legisse. „Quod undenam compertum habuit? an ex epistolio Catulli?" rogavit verissime Baehrensius. Sed fac illum novisse per alios, tunc simul sane audivit, quantopere illa poetae displicuerit, neque eum vocavisset. Sed praeterea ea explicatio adversa fronte pugnat cum vs. 10 sqq. *dum volo esse conviva orationem ... legi*, ex quibus librum legit ipso prospectu cenae opiparae. Has autem conclusiones Riesius ita infringere conatus est, ut contenderet: „Humoristisch verdreht C., wie er schon in vs. 13 gethan hatte, „den Kausalnexus: während Sestius den C. eingeladen, und „dieser darauf, um bei Tisch vorbereitet zu sein, seine Rede „gelesen hatte, wendet es C. so, als habe S. ihn eingeladen, „weil er seine Rede gelesen habe, ja erst nachdem er wusste, „dass C. dies gethan habe".

Sed nemo non sentit quam intricata haec sint et longe arcessita, neque in ea veritatis conversione iocum deprehendimus festivi poetae verum hominis parum providi lepidique. Quid enim his Sestius statim respondisset nisi hoc: „Heus tu, quantum deliras, mi Catulle! Legisti mea scripta tua sponte, cupiens vocari ad cenam (vs. 9—12). Iam ego re audita benigne te voco, at tu non modo gratus non es, sed involas in me, mihique exprobras non gravedinem tussimque, non lectionis taedium, hoc esset aliquid, sed quod hoc ipso tempore te vocavi".

Nos igitur confidenter rescribamus, quod Riesius non improbavit et Baehrensius edidit: *cum malum librum fecit*, auctore Catulli amico Cornelio Nepote, qui in vita Catonis 3. 5 sic habet: *in eo libro, quem separatim de eo fecimus*. Neque non palaeographice etiam haec correctio paene iustior est quam *legi*, quandoquidem in gracili maiusculorum scriptura, qua exaratus fuit archetypus Lucretianus et exstat codex Vergilianus Palatinus, quis nescit quam saepe permutatae fuerint litterae ILTFE

Digitized by Google

atque C et G, ita ut in hac scriptura, qua Catullianum quoque archetypum exaratum fuisse credo, vix ullum discrimen esset inter FECIT et LEGIT.

Hac igitur lectione stabilita apparet Sestium oratione scripta et edita vocasse Catullum. Sed quo nomine? Ut amicum? At omnem familiaritatem inter eos excludit nimirum carminis tenor. Igitur vocavit eum ut hominem in litteris notum et clarum, unde sequitur cenam institutam esse non amicitiae ergo, sed praecipue ut scripta patroni celebrarentur cum ab aliis, tum etiam a poëta. Sic se rem habuisse eo maxime comprobatur quod Catullus cum accepta vocatione temptaretur dulcissima exspectatione sumptuosae cenae, nihil ocius habuit, quam ut legeret orationem. Sed unde acquisitam? De hoc nihil constat, tametsi suspicor, C. neque emisse, neque a Sestio traditam accepisse, sed mutuo sumpsisse a Licinio Calvo, de quo mox videbimus.

Quidquid est, eatenus in laqueos se dederat poeta a vano oratore positos, et hoc erat quod appellavit *peccatum* in vs. 17. At vero lectio maligni libelli eum mox deterruit superavitque ventris appetitum. Cum autem adnuisset se venturum, aliqua excusatio erat paranda, qua iniucundum officium detrectaret.

Num autem hoc ipso temporis puncto „Fortunae filius" felicissimo casu gravedine beatus est, an praetexuit morbum? De casu nihil credo. Verum tam debilis et inconstans fuisse videtur adolescentis valetudo — cui paulo ultra annum trigesimum occubuit — (cf. c. 38), ut nusquam non satis probabili specie eam praetendere liceret, quin ex hoc ipso loco efficiendum videtur, ea tabe paulatim confectum esse, eheu! splendidissimi ingenii iuvenem, quae mala et ominosa tussi identidem proditur. Igitur usus est praetextu, qui in promptu erat, abiit Tiburtem. Cum tamen mox, ut fit, per hominum rumores argueretur excusationis simulatae neque peius quam vulgo se habuisse convinceretur, veram absentiae causam aperuit, alteramque illam fictam esse festive eo innuit, quod eam fictae quoque et subabsurdae causae attribuit, nempe orationis veneno et pestilentiae.

Redux in urbem (vs. 6 *fui*) totam rem eleganter et iocose choliambis inclusit, deditque poemati formam gratiarum actionis ad villam, quod non esset *ulta peccatum*, h. e. quod eum grave-

Digitized by Google

dine liberasset, etiamsi hanc contraxisset suo peccato, non gulositatis (BAEHR.), neque lectionis et gulositatis (RIESE: „eigentlich sind es zwei *peccata*, welche vs. 9 und 11 aussprechen"), sed eo, quod ventris obsequio per lectionem iam adulatoris vicem praestare incohaverat. Itaque non deprecatur quominus si idem peccaverit atque eiusdem hominis alia scripta nefaria in manus sumserit (vs. 18), denuo applicetur eadem poena, at non sibi, sed Sestio omnium horum malorum auctori.

Hunc autem Sestium eundem fuisse atque Publium illum Sestium, quem a. 56 de ambitu et de vi accusatum defendit M. Tullius, a nemine fere dubitatur, neque potest dubitari, si comparamus quae de illius indole et scriptis tradidit Cicero in Epp. ad fratrem II 3. 5 et 4. 6. Sestium reum aegrotantem scribit se visitasse *praeter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant.* Nihilominus eius causam suscepit, *ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius perversitatem quibusdam in rebus humanissime ferremus: scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur: nam defendendo moroso homini cumulatissime satis fecimus.* Non tamen Sestium petulantiam oris cohibere potuisse erga patronum docet Ep. ad fam. VII 32. 1: *Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri.* Quale igitur dicendi genus talis homo in orationibus accusatoriis adhibuerit, facile suspicamur, nec minus indicavit Tullius ad Att. VII 17. 2, ubi perstringit Pompeium, quod in ancipiti rerum condicione anni 49 litterarum ad Caesarem scribendarum munus gravissimum commiserit illi homini: *accusavi mecum ipse Pompeium, qui cum scriptor luculentus esset* (cf. BOOTIUS ad Ep. II 12. 4), *tantas res atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sestio nostro scribendas dederit. Itaque nihil umquam legi σησπιωδέστερον.* Scripserat igitur plura, quae acrem et morosam hominis naturam prae se ferrent, secundum CATULLI iudicium paulo vehementius, *plena veneni et pestilentiae.* Constitit sibi hominis indoles ad finem usque, ut docet ep. Att. XV 27. 1 anni 44.

Praeterviderunt interpretes huius poematis LICINIUM CALVUM intimum Catulli amicum (cf. carm. 14 et 50) etiam cum Publio Sestio ita fuisse coniunctum, ut huic operam dederit in

Digitized by Google

iudicio a. 56 teste Cicerone ad Q. fr. 2. 4. 1 *Macer a Sestii subselliis surrexit ac se illi non defuturum affirmavit* (unde Scholiasta Bobiensis p. 292 Or. perperam eum recensuit in defensoribus Sestii cum Hortensio et Crasso). Quid igitur probabilius quam Calvum fuisse, qui poetam ad amicum introduxerat eique orationem mutuam praebuerat. At merito sane cavit Catullus ne frustra adhibitam amici operam vel uno verbo memoraret.

„De tempore poematis nihil erui posse" affirmavit post multos BAEHRENSIUS. Nihilominus novimus Sestium absentem fuisse in Macedonia quaestorem ab a. 63—61 et Catullum in Bithynia a. 57/56. Porro vidimus poetam iam aliqua claritate fuisse cum invitaretur a Sestio, neque hic parum notus fuerit causarum patronus necesse est, quippe in cuius adulationem convocarentur amici. Hinc efficitur carmen compositum esse aut non multo ante a. 57, aut a. 55, extremo ante obitum poetae, quod ideo probabilius videtur quia in hunc annum egregie convenit adversae valetudinis indicium, quod supra deprehendimus.

ETYMOLOGICUM MAGNUM.

Inter exempla manuscriptorum Graecorum nuper a viro d. OMONTIO edita (*Fac-similés des Manuscrits Grecs datés de la Bibliothèque Nationale du IX^e au XIV^e Siècle*, publiés par HENRI OMONT) in tabula LXI extat pagina ex Etymologico Magno anni 1273 desumta, ad artem palaeographicam sive discendam sive docendam utilissima; quae quamquam flagitiosis vitiis passim est oppleta, nonnulla tamen melius quam hactenus edita sunt inde possunt constitui, quapropter suspicor haud indignum esse illud manuscriptum quod data opera exploretur. Unum errorem satis iocularem hic indicare liceat:

τύφων· πρηστὴρ, κεραυνὸς. ἰστέον ὅτι τὸ ποσειδῶν διαιρούμενον ποσειδάων ὠνόμασται φυ\, τὸ δὲ τυφῶν διαιρούμενον συ\ (id est συστέλλει vel συστέλλεται) τυφάονος. Legendum est: Ποσειδῶν διαιρούμενον Ποσειδάων -ωνος μακρόν ἐστι Φύσει. Compendia ων' μα\ ἐστι φῦ male sunt lecta. Nihil est quod edi solet φυλάττει pro φύσει (quo de errore cf. Bast. Epist. Crit. p. 837); longius enim a verbis traditis discedit coniectura μακρὸν φυλάττει τὸ ω̄.

v. L.

Digitized by Google

DE IURE OBNUNTIANDI COMITIIS ET CONCILIIS.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 113.)

IV. De iure obnuntiandi constricto a senatu et maiore potestate et vi tribunicia. — Primis duobus capitibus ostendimus quomodo factum sit ut omnes magistratus Romani haberent *spectionem de caelo*, quae ipsa, quia semper coniuncta est *cum nuntiatione*, et ob eam causam semper adhiberi potest ad impediendas actiones alienas, non solum ad auspicato agendum, est ius obnuntiandi comitiis et conciliis. Causam illius rei repetivimus ex ipsa vi (comitiali) auspiciorum caelestium quaesitorum; nam cum reliqua auspicia adversa, ab aliquo quaesita, si nuntiabantur, valerent tantum ad eas actiones prohibendas quas eis qui nuntiabant ipsis quoque peragere liceret, i. e. cum spectio ex ceteris auspiciis penderet ex *iure agendi* et adhiberi tantum posset ad prohibendas actiones a *collegis* susceptas, auspiciis caelestibus quaesitis ea vis antiquitus attributa est ut valerent ad actiones alienas prohibendas quisquis ea quaesiverat et nuntiabat; cum vero auspicia caelestia quaesita nullis actionibus adversa essent nisi eis quae in comitiis et conciliis gererentur, actiones quae ex auspiciis de caelo quaesitis prohiberi ab unoquoque possent nullae erant praeter comitia et concilia. Sed ne ea re pro arbitrio abuti possent omnes mortales ad prohibenda comitia, lex antiquissima interdixit privatis et sacerdotibus omni spectione de caelo, non minus quatenus ad auspicato agendum quam

Digitized by Google

quatenus ad nuntiandum adhiberetur. Tribunos plebis vero, qui ab initio carebant omni spectione publica, lex anno 449 lata participes fecit spectionis de caelo, sed tantum quatenus pertineret ad nuntiandum et prohibendum, non vero ad auspicato agendum; itaque ius obnuntiandi comitiis et conciliis tum pertinebat ad omnes magistratus solos, cum patricios qui etiam aliis auspiciis uti et auspicato agere et collegis obnuntiare poterant, tum ad plebeios, quibus praeterea nihil ex auspiciis agere licebat.

Sed hoc ius magistratuum, ita in universum constitutum, non ab omnibus partibus intactum viguit; constrictum est partim legibus diversis quae aliis temporibus aliae fuerunt, partim vero iure maioris potestatis et vi tribunicia; magistratus partim legibus partim interdictis magistratuum maiorum et tribunorum prohiberi potuerunt ne in certis actionibus alienis usurparent ius suum obnuntiandi, neve de caelo servarent [1]).

Supra demonstravimus, formulam „de caelo servare" nihil aliud significare quam „de caelo auspicari" sive „auspicia caelestia quaerere", quod multum discrepat ab eo quod est „fulmen fortuito observare". Huius rei duo argumenta attulimus, quorum alterum petitum erat ex vocabulis ab auctoribus Graecis adhibitis (pag. 79 adn. 2), alterum ex ratione edicti quo quis „se de caelo servaturum esse" profitebatur (pag. 107—110). Ad haec igitur nunc addimus tertium argumentum longe firmissimum, quod petitur ex ipsa consuetudine vetandi; nam cum fieri non possit ut aliquis prohibeatur quominus fulmen fortuito observet, cum vero recte prohiberi possit unusquisque inire caerimoniam auspicandi et nuntiare eventum observationis, manifestum est legem aut magistratum, cum vetet „de caelo servari", vetare hanc caerimoniam, neque surdum aut caecum esse quempiam iubere. Quid intersit, inprimis cernitur in ratione diversa nuntiationis. Nam si interdicitur ne quis de caelo ser-

1) Exemplum legis: Cic. prov. cons. 19. 46: „cum lex feratur de caelo servari, obnuntiari, intercedi (non) licere (iubet lex Clodia anni 58)". — Exemplum edicti: Gell. 13. 15. 1 „ne quis magistratus minor de caelo servasse velit". — Manifestum est, huiusmodi exceptiones constrinxisse quidem sed nequaquam sustulisse ius magistratuum; loci supra (pag. 87 adnot. 2) laudati ostendunt, Romanos quoque ita censuisse.

Digitized by Google

vet, ea nuntiatio sola prohibetur, quae est *ex spectione* (i. e. nuntiatio fulminis impetriti aut quaesiti), quae fit *ante initium* comitiorum, sed liberae manent nuntiationes fulminum fortuito *inter comitia* conspectorum, quae omnino numquam prohibitae sunt neque prohiberi poterant sine maxima religionis contemptione. Sic ex eo tempore quo viguit lex Clodia anni 58 (quae de caelo servari vetabat cum leges ferrentur) multa exempla servata sunt quae ostendunt, tum etiam licuisse nuntiare fulmen fortuito conspectum, non solum auguribus (vid. exempl. coll. supr. pag. 95 sqq. sub 5°, 8°, 9°) sed etiam privatis (ibid. sub 12° et 14°); eo tempore vero quo viguit lex Aelia Fufia, ab a. 154 ad a. 58 (quae de caelo servari vetabat cum magistratus crearentur) saepe comitia quibus crearentur magistratus disturbata esse constat nuntiatione dirarum aut fulminum (supr. pag. 97 adn. 1). Itaque clare apparet eum qui interdicat ne quis de caelo servet nihil aliud vetare nisi caerimoniam auspicandi de caelo et nuntiationem fulminis quaesiti [1]).

Hoc loco acturi de decretis quibus constringi potuerit ius de caelo servandi (nam de legibus vetantibus proximo capite agemus), primum paucis absolvemus potestatem quam in ea re habuerit senatus. Senatus, ut in aliis rebus, sic in hoc genere obnuntiandi quoque, non potuit vetando diminuere de iure magistratuum. Sed superest unum genus decreti, quo nonnumquam adversus singulos magistratus (inprimis tribunos) usus est senatus, quo declarabatur contra rempublicam facturus esse videri is qui aliquid faceret quod displiceret senatui et reliquis magistratibus; huic addi solebat decretum quo consul iubebatur ad senatum referre de eo magistratu si in consilio suo permaneret, et huic periculum afferebatur ne ipse hostis iudicaretur, neve de eo fieret SenCt. Ultimum, quo ad consules provocaret senatus, ut hi, adhibita ultima potestate sua sive Vindicta Consulari qua eos oportebat in extremo reipublicae periculo vi coercere omnes cives seditiosos, etiam magistratus

1) Recte Dio (38. 13. 6) dicit, legem Clodiam prohibuisse solam obnuntiationem *magistratuum*, non vero *privatorum* et *augurum*, μηδένα τῶν ἀρχόντων τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ παρατηρεῖν cum leges ferrentur; quamquam *latine* nihil in ea lege scriptum erat quam hoc: ut de caelo servare ne liceret cum leges ferrentur; id enim ad magistratus solos pertinebat.

Digitized by Google

et tribunos, cogerent hominem qui suis factis exlegem se ipse fecisset. Itaque hac ratione senatus, si summa salus reipublicae ei deposcere videbatur ut de aliqua re ad populum ferretur, etiam conari poterat efficere ne quis eam rogationem intercedendo aut de caelo servando impediret. Formula huius decreti huiusmodi erat: „senatum existimare neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quominus de ea re ad populum (aut plebem) feratur et lex fiat; qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rempublicam fecisse" [1]). Sed nescio an nullum exemplum huiusmodi SenCti extet in quo *diserte* commemorata fuerit obnuntiatio. Unicum exemplum, de quo ipso vehementer dubito, cernitur in SenCto quod factum est a. 57, postridie quam senatus consules iusserat legem centuriatam facere de reditu Ciceronis, quae lex paullo postea perlata est pridie Non. Sext. Hoc SenCtum a Cicerone tribus locis relatum est, sed aliis semper vocabulis exornatum; mihi ea forma qua id SenCt. in Oratione post reditum in senatu habita expressum est [2]), in qua obnuntiationis et intercessionis mentio facta *non* est, verior esse videtur quam altera forma in qua Cicero dicit etiam diserte interdictum fuisse ne quis de caelo servaret [3]); et eam ob causam quidem, quia ante annum lex Clodia vetuerat obnuntiari et intercedi cum leges ferrentur; hanc legem Cicero quidem suis verbis libenter neglegit (cfr. supr. pag. 81 adn. 1 et pag. 100), neque eam semper verbis observavit senatus (vid. infr.); sed tamen cum optio facienda nobis sit, nolim sine causa credere eam legem in SenCto anni 57 iam ita neglectam esse ut diserte a senatu praecaveretur quod in ea lege ne fieret prohibitum esset.

Sed ut iam ad magistratus redeam, necesse est ut ius de caelo servandi magistratuum (nisi de ea re aliquid novi constituisset lex specialis) eatenus semper reprimi potuerit a maiore

---

1) Cf. Cic. fam. 8. 8. 6; Att. 4. 2. 4; Herenn. 1. 12. 21. — 2) Cic. p. red. in sen. 11. 27: „decrevistis, ne quis ulla ratione rem impediret; qui id impedisset, graviter vos molesteque laturos; illum contra rempublicam salutemque bonorum concordiamque civium facturum, et ut ad vos de eo statim referretur." Cfr. Pis. 15. 35. — 3) Cic. Sest. 61. 129: „postridie decretum ... ne quis de caelo servaret, ne quis moram ullam afferret; si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipublicae fore idque senatum gravissime laturum, et ut statim de eius facto referretur."

Digitized by Google

potestate aut vi tribunicia, quatenus singuli magistratus subiecti fuerint iuri vetandi aliorum; eam rem iam antea tetigi cum de universa obnuntiatione agerem (Mnem. XVIII pag. 426 adn. 1). Sed ut infra demonstrare conabor, in hac parte ius vetandi maioris potestatis et tribunorum sublatum est lege Aelia Fufia a. 154 lata, quae ipsa a. 58 abrogata est. Itaque ius, quod valuit ante annum 154 huiusmodi est: Consul penes quem fasces sunt, si ipse legem laturus est aut magistratum creaturus est, aut si iudicium populi exerciturus est II vir perduellionis aut quaestor parricidii, vetare potest cum collegam suum [1]) tum omnes reliquos magistratus patricios ordinarios minores et aediles plebis [2]), ne eo die in quem comitia indicta sunt de caelo servent; praetor eosdem vetare potest praeter consules; tribuni plebis vero cum plebe acturi quin omnes magistratus plebeios minores et patricios praeter dictatorem vetare potuerint de caelo servare, dubium esse non potest, nam vis tribunicia superat potestatem horum omnium. Modus vetandi qualis fuerit apud magistratus patricios, docet Gellius; fiebat hoc per edictum, quod addebatur ad edictum comitiale; cum dies comitiis habendis destinatus ediceretur, adscribebantur verba tralaticia „ne quis magistratus minor eo die de caelo servasse velit" [3]). Itaque si forte iam antea edixerat magistratus minoris potestatis, se eo die de caelo esse servaturum, eius edictum ab ipso auferri debebat aut a magistratu maiore auferendum cura-

---

1) Non licet h. l. accurate agere de ratione, qua magistratus, si imperium divisum est, suam quisque partem imperii sive suam provinciam contra collegas paris potestatis defendere potuerunt (cfr. Mnem. XVIII p. 436 adn. 2); satis habeo monere, ius vetandi et coercendi non solum maiori potestati, sed etiam pari potestati fuisse concessum, ita ut in sua semper provincia par potestas fieret maior. Sic consul *maior* (i. e. penes quem fasces erant Fest. pag. 161) potuit collegam suum minorem vetare et coercere mense suo, si ab eo perturbabatur divisio imperii. Vid. Dionys. 9. 43: ἦν δ' ἡ τοῦ μηνὸς ἐκείνου ἡγεμονία τῷ Κοιντίῳ προσήκουσα, ὥστε ἀναγκαῖον ἦν τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων μηδὲν ἄκοντος ἐκείνου ποιεῖν. Appian. 2. 11: οὐ γάρ τις τὴν βουλὴν συνῆγεν, οὐδ' ἐξῆν τῷ ἑτέρῳ τῶν ὑπάτων (scil. ei qui fasces non habebat) συναγαγεῖν ἐκείνην. Dionys. 10. 57: οἷς αὐτῶν τάς τε ῥάβδους καὶ τὰ λοιπὰ παράσημα τῆς ὑπατικῆς εἶχεν ἐξουσίας, ὃς βουλήν τε συνεκάλει κ.τ.λ. Liv. 2, 56. 15: „Quinctius, consul alter (qui tum fasces habebat), consularibus negotio dato ut collegam *vi, si aliter non possent*, de foro abducerent, ipse ...". — Propter hanc ipsam potestatem *maior* dicitur consul qui fasces habet. — 2) Liv. 3. 55. 9. — 3) Gell. 13. 15. 1.

Digitized by Google

batur. Tribuni plebis num ipsi quoque *edicto* vetare consuerint, parum constat; sed tamen dubium non est quin eorum edictum comitiale vicerit omnia edicta quibus diem vitiare coepissent alii magistratus, et qui in templo eis obnuntiare conaretur obnoxium se fecerit eorum potestati coercendi et poenis variis.

Quod posui, tribunos plebis ante a. 154 legem ferentes et iudicia exercentes (nam de creationibus magistratuum postea agam cap. V) non potuisse impediri a magistratibus patriciis de caelo servantibus, id confirmatur multis rebus memoriae traditis. Multa et varia olim impedimenta fuisse accepimus quae tribunis plebis obicere solerent consules, senatus, patricii iuniores, si de aliqua rogatione sine Auct. Senatus facta plebem in suffragium vocari non paterentur; sed nulla mentio fit impedimenti a patriciis ex auspiciis quaesitis petiti; de caelo servatum numquam est a patriciis cum tribuni aliquid invito senatu ad plebem ferrent, ne tum quidem cum Flaminius trib. pl. ferret legem „de agro Piceno et Gallico viritim dividendo", a. 233 Q. Fabio et M'. Pomponio consulibus [1]), quam legem ut impedirent nihil non moliti sunt optimates [2]). Huic rei convenit quod cum ante a. 287 patricii saepe negarent se teneri illis plebiscitis quae sine Auct. Senatus facta essent, cumque saepe etiam legibus centuriatis opus esset (Valeria Horatia a. 449, Publilia a. 339, Hortensia a. 287) quibus patricii iuberentur servare id ius quod plebs tributim constituisset, tamen numquam a patriciis affirmatum esse videtur, ea plebiscita facta esse *contra auspicia* (quemadmodum postea Cato fecit, cum leges Iulias non servaret quod eas factas esse diceret cum de caelo servatum esset, supr. pag. 101); hoc quoque probat, eis diebus quibus non amplius prohibere potuissent patricii ne in suffragium venirent rogationes plebeiae, de caelo ab eis non esse servatum neque *vitiatas* esse rogationes, quod certe facturi fuissent *si licuisset*. Itaque quod Cicero dicit „post urbem conditam nullum tribunum cum plebe egisse cum constaret servatum esse de

1) Cic. Senect. 4. 11. Lex videtur lata esse cum magistratum iam iniissent tribuni anni 232, necdum abiissent consules anni 233; Cicero a primo consulatu Q. Fabii aberravit ad eiusdem secundum consulatum, a. 228. — 2) Cic. l. l. et inv. 2. 17. 52; Val. Max. 5. 4. 5; Dionys. 2. 26 p. 293.

Digitized by Google

caelo" (cfr. supr. pag. 89 adn. 3), id ab a. 449 ad a. 154 totum pertinet ad obnuntiationes ab aliis tribunis interpositas.

Sed iam ratio nobis habenda est unius loci Ciceronis, quo is affirmavit, aliquando praetorem Romae fuisse, qui tribuno plebis concilium habenti non obnuntiasset quidem sed tamen obnuntiare animum induxisset; et id quidem a. 57, quo tempore lex Clodia nuper lata diserte interdicebat ne quis intercederet neve obnuntiaret comitiis aut conciliis cum leges ferrentur. Q. Fabricius enim, trib. pl., conatus est a. 57, a. d. VIII kal. Febr., legem ferre qua Ciceronem de exilio revocaret; sed is legem perferre prohibitus est vi et armis Clodii, inimici Ciceronis, qui tum privatus erat. Clodius ad eam rem adhibuit gladiatores, quos eius frater Appius Claudius, praetor, ludorum suorum causa paraverat [1]); cum eis Clodius noctu forum et curiam occupaverat, M. Cispium trib. pl. advenientem pepulerat, Q. Ciceronem qui legem suadere volebat pulsum e rostris in comitio iacentem reliquerat, deinde, cum ad suffragium tribus vocarentur a Fabricio, impetu in templum facto, permultis hominibus interfectis, superior factus consilium disturbaverat. Itaque concilium illud habitum non est; oppressum est, ut Cicero ipse dicit (Sest. 36. 78) *„non auspiciis, non intercessione, sed vi manu ferro."* Revera, ut dixi, propter legem Clodiam a. 58 latam non licebat hoc concilium impediri obnuntiatione aut intercessione. Nihilominus Cicero affirmat, duos viros sibi inimicos per eam pugnam in forum venisse, qui ea impedimenta vetita adhibere *in animo haberent;* alterum Serranum trib. pl., qui *intercedere*, alterum App. Claudium praetorem, eundem augurem, qui *„se de caelo servasse" dicere* constituisset. Neque sine voluptate quadam hoc dicit Cicero; ita enim adversarios suos in suspicionem adducit, quasi reditum suum prohibere voluissent impedimentis ante annum a Clodio vetitis, quibus uti eos minime deceret. Ob eam causam Cicero diserte dicit Appium tamquam *praetorem* obnuntiare voluisse (ex spectione), non tamquam augurem (ex diris oblatis); dubium non est quin Cicero, si pro ipso fuisset obnuntiatio Appii, dicturus fuisset

1) Dio 39. 7. 2; Cic. Sest. 39. 85 et 35. 77; cfr. quae adn. Car. Halm in edit. pag. 212.

Digitized by Google

eum venisse ut nuntiaret *quod vere senserat* (cfr. pag. 81 adn. 1); post a. 58 Cicero ad *inimicorum* obnuntiationes solas adhibet formulam „de caelo servare" in orationibus. Sed ad illam suspicionem confirmandam, Cicero specie quadam verborum laudat aut certe excusat consilium Serrani et Appii, et id multo melius fuisse dicit quam vim immoderatam quam adhibuerat Clodius; dicit enim eum qui intercessurus fuerat *„laesurum quidem fuisse rempublicam"* (quia odio Ciceronis ductus non servabat legem Clodiam), sed tamen eum *iure* id fuisse facturum (scil. quia praestabat legem Clodiam non servari); et eum qui obnuntiaturus fuerat plagam quidem allaturum fuisse reipublicae (quia Ciceroni contra legem nocebat), sed tamen *„plagam quam gemere posset respublica"*, scil. quia mortifera futura non fuisset et cum dolore quidem ferri, sed tamen ferri, posset [3]). — Sed si quaerimus, undenam Cicero haec omnia scire potuerit, Serranum *fuisse* intercessurum et Appium *fuisse* obnuntiaturum si opus fuisset, cum praesertim Cicero ipse tum longe ab urbe abesset, facile apparet has omnes esse meras calumnias, eiusmodi quibus oratori quidem uti liceat quibusque Cicero abunde uti soleat in orationibus, sed quae nobis inutiles sint cum quaeramus quid vere factum sit.

Sed tamen his calumniis ne Cicero quidem uti potuisset, si *numquam* licuisset praetori tribuno pl. legem ferenti obnuntiare. Nam hoc solum Cicero Serrano et Appio imputare conatur, eos legem Clodiam non servasse, non vero, eos evertere voluisse ius publicum et tribunum in ordinem cogere. Apparet igitur, ante annum 58 et legem Clodiam latam, praetori, i. e. magistratui patricio, potestatem fuisse de caelo servandi et obnuntiandi, cum tribunus aliquid ad plebem ferret.

Itaque hinc deducimur ad quaestionem de iure quod inter annos 154 et 58 in hac parte valuit. Fuit id tempus cum valeret lex Aelia Fufia, quam Clodius abrogavit (vid. cap. V);

---

1) Cic. Sest. 36. 78: „nam si obnuntiasset Fabricio is praetor, qui se servasse de caelo dixerat, accepisset respublica plagam, sed eam quam acceptam gemere posset; si intercessisset collega Fabricio, laesisset rempublicam, sed iure laesisset." De verbis „plagam quam gemere posset respublica" sine causa dubitare mihi videntur cum alii tum Lange (Kl. Schr. 1 pag. 317 n. 2); haec verba idem significant quod „plagam quae mortifera non esset", qua formula Cicero utitur Vatin. 8. 20.

Digitized by Google

ad unam partem huius legis nunc nobis animus advertendus est [1]).

„Obnuntiatio" ait Asconius (pag. 9 Or.) „qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata (a Clodio)". Ac primum quidem manifestum est, id quod dicatur *confirmatum* esse lege Aelia Fufia, non idem posse *institutum* esse hac lege. Praeterea duo argumenta probant, legem Aeliam Fufiam non instituisse obnuntiationem magistratuum; 1° hoc ius, quod iam a. 449 tribunis pl. concessum est, multo antiquius fuit; vigere coepit, cum primum institutum est ut auspicia caelestia quaesita adversa essent omnibus comitiis, neque postea potuit lege institui; 2° duo capita legis Clodiae, quorum alterum legem Aeliam Fufiam abrogavit, alterum de caelo servari vetuit cum leges ferrentur, accurate distinguuntur a Cicerone; at facile apparet, si lex Aelia Fufia instituisset ius de caelo servandi cum leges ferrentur, nihil opus fuisse secundo illo capite. — Sed tamen confirmare certo non idem est quod intactum relinquere. Is solus aliquod ius confirmasse dici potest, qui sustulit fines quosdam et impedimenta huic iuri antea opposita. At soli fines qui ante a. 154 positi erant iuri de caelo servandi cum leges ferrentur, continebantur iure vetandi maioris potestatis et tribunorum. Hos igitur removit lex Aelia Fufia; iussit obnuntiationem magistratuum etiam minorum adversus consules, etiam patriciorum adversus tribunos cum plebe agentes valere, neque quemquam magistratum ab alio magistratu vetari posse de caelo servare. Id autem quod indicatur ipsa voce „confirmare", etiam probatur duobus argumentis. Primum, ut modo dixi, Appius praetor non potuisset dici legem Clodiam non servasse cum obnuntiaturus esset tribuno legem ferenti,

1) Tempus quo lata est Aelia Fufia, indicatur his verbis Ciceronis (Pis. 5. 10): *„centum prope annos legem Aeliam et Fufiam tenueramus* (cum eam abrogaret Clodius)". Cum autem centum fere annos ante legem Clodiam, a. 153, *„consules magistratum inire coeperint kalendis Ianuariis"* (Liv. epit. 47), cumque valde verisimile sit lege Aelia Fufia institutum esse ut hoc fieret, recte v. d. Lange videtur hanc legem rettulisse ad a. 154 fere vel 155 (Röm. Alt. 2 p. 448). Lex videtur constitisse ex duobus plebiscitis brevi temporis intervallo latis, quorum alterum altero aut explebatur aut continuabatur; inde factum est ut alibi a Cicerone duae leges fuisse dicantur, Aelia et Fufia, alibi una Aelia Fufia. In hac quaestione non licet mihi agere de reliquis capitibus huius legis, quae ad ius de caelo servandi non pertineant.

Digitized by Google

nisi ante a. 58 licuisset magistratibus patriciis obnuntiare tribunis legem ferentibus; deinde vero Bibulus cos. non potuisset a. 59 mense Februario, cum Caesar fasces haberet, obnuntiare collegae suo maiori legem agrariam ferenti, nisi lex Aelia Fufia in hac parte sustulisset ius vetandi consulis maioris (vid. pag. 233 adn. 1).

Has ob causas statuo, ab a. 154 ad 58 consulibus et tribunis pl. leges ferentibus obnuntiare et diem vitiare potuisse consules, praetores, censores, aediles, quaestores, tribunos pl., quia illis non licebat magistratus vetare de caelo servare. Talem condicionem iuris Cicero respexit cum scriberet (leg. 3. 12. 27): „deinceps omnibus magistratibus auspicia ... dantur ..., ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae", quae verba vix apte dicta essent, si res ita se habuisset ut spectio multorum magistratuum reprimi posset ab eis qui leges ferrent. Est autem inter res ex hoc temporis spatio memoriae traditas etiam alia (praeter id quod dixi de obnuntiationibus Bibuli), quae nonnisi ex hoc iure satis explicari possit. A. 100 accidit ut *quaestor urbanus* (Q. Servilius Caepio) conaretur vi armata disturbare concilium, in quo *tribunus pl.* (Appuleius Saturninus) legem (frumentariam) ferebat. De ea lege senatus censuerat, contra rempublicam facturum esse qui eam ferret; tribuni pl. intercesserant legi; Saturninus his omnibus spretis legem ferre coeperat [1]); erat igitur, cur eis magistratibus qui cum senatu starent necessarium videri posset ut vim adhiberent, *quatenus ea res ad eos pertineret.* Sed tamen in illo Sen Cto et in intercessione tribunorum neglecta nihil erat quod aut privatos aut magistratus minores adducere posset ut huic rei se praeficerent; Sen Ct. Ultimum factum non erat, quo omnes cives ad arma vocati essent. Itaque quaestorem urbanum tali rei ultro se immiscere et vi resistere actioni tribuniciae, si nullum proprium ius haberet quod in ea re vindicari et defendi deberet, non solum prorsus inauditum erat, sed etiam plane seditiosum et multo gravius ferendum quam ipsum facinus tribuni. Sed ea res clara fit, cum sciamus, eo tempore actiones tribunicias pertinuisse ad omnes magistratus, etiam ad

1) Auct. Herenn. 1. 12. 21.

Digitized by Google

quaestores, cum omnes spectionem haberent de rogationibus, quam eis adimere non posset vis tribunicia. Quamquam solus auctor huius rei quem habemus (adn. 1 s. p.) non diserte dicit, Servilium quaestorem eo die *de caelo servasse*, tamen satis apertum est eum hoc fecisse, et ex ea re ab eo petitam esse causam haud iniustam cur tribuno vi resisteret, a quo suum ius legitimum quoque proculcari videret.

Hoc caput legis Aeliae Fufiae primum effecit, ut ius de caelo servandi cum leges ferrentur fieret subsidium aliquod haud spernendum in contentionibus partium politicarum. Antea enim non multum valere potuit obnuntiatio magistratuum, quia id ius adversus tribunos leges ferentes ab eis solis adhiberi poterat qui etiam haberent ius intercedendi; abhinc etiam reliqui magistratus habebant quo resisterent actionibus tribuniciis. Praeterea ex una parte plus valebat obnuntiatio quam intercessio. Si tribunus aut consul, legem sine Auct. Sen. ferens, intercessionem aut vi arcebat aut dolo eludebat (ut fecerunt cum alii tum Saturninus a. 100, Titius tr. pl. a. 99, Caesar cos. a. 59), rogatio perferri poterat, neque facile propter vim adhibitam solam postea tolli poterat; iudicium de maiestate vero, quo poena repeteretur ab eo qui intercessionem neglexerat, non ante proximum annum fieri poterat neque magna in eo spes erat. Sed nunc obnuntiatione potuit *vitiari* rogatio quae impediri non potuerat, et id quidem ab omnibus magistratibus qui volebant; hoc copiam praebebat, postea excitandi decreti augurum de vitio, et senatui facultatem dabat decernendi, lege quae contra auspicia lata esset cives non teneri. Hoc igitur, quod ut supra dixi ante a. 154 factum non est, saepius factum est ab eo tempore quo lex Aelia Fufia confirmaverat obnuntiationem magistratuum; praeter eas leges quae aliam ob causam vitio factae esse visae sunt (scil. quod cum ferrentur neglecta essent auspicia quaedam *inter comitia* conspecta quae pro impedimento habenda fuisse postea censuerunt augures, quod cadit in Appuleiam agrariam et Titiam agrariam) [1]), etiam aliae leges sublatae sunt

1) Obseq. 46, Cic. leg. 3. 6. 14; Aur. Vict. vir. ill. 73. 7, App. 1. 30, supr. pag. 98 sub 11°. Idem cadit in leges Antonias a. 44, Cic. Phil. 12. 5. 12 et 13. 3. 5, cfr. 5. 4. 10. — Cfr. supr. pag. 79 sub 4°.

Digitized by Google

a senatu tamquam vitio factae in quibus obnuntiationem a magistratu aliquo *ante comitia* interpositam, et neglectam contra legem Aeliam Fufiam, causam vitii fuisse etiamsi non prorsus constat tamen verisimile est, ut ceterae leges Appuleiae et leges Liviae a. 91 [1]); leges Iulias et Vatinias anni 59, in quas id cadere certo scimus, senatus rescindere ausus non est [2]).

Sed tamen cavendum nobis est, ne maximam utilitatem huius capitis legis Aeliae Fufiae, quod obnuntiationem confirmavit, in ea re fuisse credamus quod ex eo impediri aut vitiari potuerint leges sine Auct. Sen. latae. Vere Mommsen monuit, etiam in hoc temporis spatio quo viguit lex Aelia Fufia, cum de legibus ferendis certarent partes politicae, obnuntiationem magistratuum nequaquam tenuisse locum maxime insignem inter impedimenta quae praesto essent adversariae parti, et tum etiam multo plus valuisse et crebrius adhibitam esse intercessionem tribuniciam illam, quae etiam ante a. 154 semper viguerat [3]). Revera, non permagni momenti habendum esset hoc caput legis Aeliae Fufiae, si eius utilitas in ea re sola cerneretur quod per eam „legibus perniciosis resisteretur". Maximam utilitatem huius capitis legis, et ipsam causam praecipuam cur id rogari necessarium visum sit a. 154, in longe alia re esse censeo; cuius rei magnum momentum fuisse nemo negabit, etiamsi in rebus Romanis memoriae traditis vestigium tantum reliquerit, quia pertinebat ad res quae domi silentio peragi solebant, neque ab auctoribus nostris prolixe enarrantur. Ea res autem huius modi est: confirmata obnuntiatione magistratuum adversus maiorem potestatem et vim tribuniciam, factum est ut magistratus omnes, etiam minores, tueri possent suas actiones valde necessarias contra reliquos magistratus qui omne tempus comitiis occupare conarentur. Quod ipsum fundamentum totius rationis obnuntiandi fuisse iam supra (pag. 84 sq.) demonstrare conatus sum, ut comitiatus legum ferendarum causa a quolibet vocati (quibus *adversa* semper essent auspicia caelestia quaesita) subi-

1) Cic. leg. 3. 6. 14; Asc. pag. 68: „decretum est (leges Livias) contra auspicia esse latas neque eis teneri populum". — 2) Cic. dom. 15 40: „tua (Clodii) omnis actio posterioribus mensibus fuit: omnia quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere". Cfr. Mommsen Staatsr. 3. 1. p. 367. — 3) Mommsen Staatsr. 1. p. 114 adn. 1.

Digitized by Google

cerentur et locum cedere cogerentur reliquis actionibus publicis (quibus *secunda* essent eadem auspicia), id antea aliqua ex parte, sed neque plene neque quantum satis erat per obnuntiationem efficiebatur, cum de caelo servare non liceret magistratibus si vetaret maior potestas. Ante a. 154, si consuli aut tribuno pl. placebat legem ferre, et ob eam causam iubebat tabernas claudi et iurisdictionem in foro intermitti [1]), reliqui magistratus contra eos respirare non poterant, dies aliis actionibus destinati ab eis occupari, ipsae actiones vetari poterant, ipsi non poterant reprimi auspiciis. Ex. gr. censores nihil agere poterant si tribuno placebat diem in quem census indictus aut lustrum constitutum esset occupare concilio. Hoc inprimis reipublicae nocere poterat, cum magni momenti esset ut census et lustrum tempore iusto haberentur; sed quod plus etiam valebat, cum facile tribunis cordi esse posset ut ad lustrum omnino ne perveniretur, copia data erat tribunis lustri tollendi diebus occupatis et exemptis, sive „vitiatis" i. e. inutilibus factis, cfr. Mnem. XVIII p. 418 adn. 3. Itaque hoc ne fieret, inprimis cautum est hoc capite legis Aeliae Fufiae. Eo vigente (a. 154—58), si in eundem diem in quem censor censum aut lustrum indixerat, tribunus pl. ad legem ferendam plebem edicto advocabat, vincebat edictum censoris in quo adscriptum erat „se eo die de caelo esse servaturum" (vid. supr. pag. 103 et 105); auferendum erat edictum tribuni; si tribunus perseverabat, censor de caelo servando et obnuntiando dirimebat eius concilium. Quod quantum valeret, statim apparuit cum abrogata lege Aelia Fufia sublatum esset hoc praesidium. Cum primum censores fuerunt post legem Clodiam latam, a. 55, statim magnus metus erat ne tribuni pl. impedirent censum, „diebus vitiandis", ut scribit Cicero (Att. 4. 9. 1: „sane velim scire, num censum impediant tribuni, diebus vitiandis, est enim hic rumor"); et revera hoc factum esse videtur, quoniam proximo anno „lustrum iam desperatum esse" scribit Cicero (Att. 4. 16. 8 Boot). Non licet illud „dies vitiare" quo tribuni censum impedituri esse dicuntur, ita interpretari ut

1) Cfr. Varro l.l. 6. 91; Cic. dom. 33. 90; Aur. Vict. vir. ill. 73. 2: „Appuleius tr. pl. Glauciae praetori, quod is eo die quo ipse contionem habebat, ius dicendo partem populi avocasset, sellam concidit".

Digitized by Google

sit pro „diebus vitium *ex auspiciis* afferre", nam *obnuntiando* census impediri non potuit (nisi ab altero censore si auspicium divisum non erat, Mess. ap. Gell. 13. 15. 4, Mnem. XVIII p. 424—426), et fulmen quaesitum (quod *comitiis solis* adversum erat, supr. pag. 81) erat auspicium egregium cum census haberetur (Varro l.l. 6. 86, Mnem. XVIII p. 220); dictum est pro: „dies censui destinatos vitiosos sive inutiles reddere per edictum quo plebem ad concilium vocet tribunus". — Causa autem cur eo anno 55 rumores orti sint de consiliis tribunorum antequam hi quidquam fecissent, eo melius intellegitur, postquam apparuit nobis eam potestatem impediendi *novam* tum fuisse; homines intenti quaerebant num tribuni iam statim hoc anno usurpaturi essent novam potestatem quam eis daret lex Clodia, neque dubitabant quin eam arrepturi essent tribuni, quamquam hi nondum patefecerant consilium suum. Eatenus igitur illud caput legis Clodiae, quo abrogata est lex Aelia Fufia, etiam nocuit censurae, non minus fere quam alia lex Clodia quae erat de nota censoria. Cicero fortasse huius rei quoque memor fuit cum diceret, Clodium *extinxisse censuram* (har. resp. 27. 58).

V. De iure obnuntiandi in aliis comitiorum generibus lege sublato, in aliis libero relicto.

A. Primum agam de comitiis et conciliis quibus leges ferebantur. Usque ad a. 58 nulla lex fuit quae his comitiis obnuntiare vetaret magistratus quibus ius esset de caelo servandi. Sed propter legem Aeliam Fufiam a. 154 latam etiam in hac parte nobis distinguenda sunt tria temporis spatia, quorum primum fuit ab a. 449, secundum ab a. 154, tertium ab a. 58.

Ab initio liberae reipublicae consules potuerunt obnuntiare collegis suis mense alieno aliquid ad populum ferentibus, cum ipsi fasces haberent (nam qui suis mensibus ferebant, quia collegam de caelo servare vetare poterant, non magis obnuntiationi quam intercessioni eius obnoxii erant); ab a. 367 consules etiam obnuntiaverunt praetoribus; tribuni plebis ab a. 449 obnuntiare potuerunt tribunis, consulibus, ab a. 367 etiam praetoribus, leges ferentibus. Itaque ius de caelo servandi tum (ante a. 154) separatum non fuit a iure intercedendi, sed utrumque ius fuit penes eosdem, eidem caruerunt utroque. In rebus memoriae

Digitized by Google

traditis autem, cum permulta et notissima exempla sint rogationum intercedendo impeditarum, ex toto hoc temporis spatio exemplum servatum. est nullum obnuntiationis interpositae, nullum legis vitiatae aut tamquam vitio factae sublatae, neque dubium est quin locum haud insignem in hac parte tenuerit ius de caelo servandi. Tamen non est cur dubitemus, quin per hos annos quoque interdum tribuni pl. inter se usi sint hoc iure, quod a. 449 eis datum esse tradit Zonaras *ἵνα μὴ ῥᾳδίως οἱ δήμαρχοι καὶ τὸ πλῆθος ὅσα βούλοιντο πράττοιεν, ἀλλὰ προφάσει τῆς οἰωνοσκοπίας ἐστὶν οὗ ἐμποδίζοιντο* (supr. pag. 90 adn. 2). Non solum haud incredibile est, auctores nostros nonnumquam vocabulo *intercessionis* designavisse impedimentum aliquod quod revera ex auspiciis petitum esset (in libris Livianis qui supersunt et periochis omnino iuris de caelo servandi mentio facta non est; uno certe loco constat pro obnuntiatione intercessionem esse nominatam, epit. 105, a. 56); sed etiam verisimile est nonnumquam obnuntiando oppressas esse rogationes, quarum omnis memoria perierit, quod ab antiquorum annalium scriptoribus oblivioni committerentur actiones quae antea essent oppressae quam inchoatae. Nobis utile videtur verbo monere quid fuerit in iure de caelo servandi quod nonnumquam hoc impedimentum intercessione utilius reddere potuerit eis qui moram afferre vellent legum lationi. Is enim qui intercedit confitetur ex sua voluntate pendere impedimentum quod obiciat; concedit nihil esse quo prohibeatur intercessione remissa rogationem perferri sinere praeter iudicium quod ipse tulerit de utilitate et necessitate rogationis; etiamsi non ipse legem in contione dissuadens rationem reddidit intercessionis suae, tamen videtur consentire de vitiis rogationis cum aliis qui eam dissuaserunt [1]), itaque eo difficilius ei est tenere intercessionem, quo acrius rogatio efflagitatur a magna multitudine civium qui de ea universi aliter sentiunt quam ipse fere solus se sentire prae se tulit, et ab eo petunt ut suae sententiae aliquid ab eo tribuatur [2]); is vero qui diem eximit obnuntiando, cum causam impediendi petat ex religione, dissimulat quidem se improbare

1) Cfr. Liv. 45.21, supr. pag 104 adn. 1. — 2) Cfr. Liv. 10.9.1; 25.2; 34.8.1 et al. loc.

Digitized by Google

rogationem, sed tamen affert impedimentum quod ne ab ipso quidem removeri possit, et efficit ut vinci non possit consensu populi. Praeterea, quandoquidem primis saeculis liberae reipublicae fere sufficiebat multo ante, *per edictum*, obnuntiare (vid. supr. pag. 110), apparet hanc rationem faciliorem fuisse eis qui impedire vellent rogationem. Haec ratio igitur, quamquam magis apta etiam erat ad iram populi excitandam, et a nonnullis fortasse spreta est tamquam viro forti et constanti minus digna, tamen in acerrima partium contentione facile praeferri potuit, inprimis ab aliquo qui adversus populi consensum palam tendere non auderet. Accedit quod qui intercedit nihil agit nisi ius suum persecutus actioni vetando ipse finem imponit [1]); qui obnuntiat, satis habere potest diem vitiasse, cum noverit frustra fore si contra auspicia tendat is qui comitiis praeest, et augures postea sibi auxilio fore.

Ab a. 154 obnuntiatio confirmata fuit uno capite legis Aeliae Fufiae, quo factum est ut ius de caelo servandi cum leges ferrentur (nam ad legum lationes solas pertinuisse hoc caput legis ostendit Asconius, supr. pag. 237) per se staret et etiam eis utile fieret quibus legi intercedere non liceret. De ea re egimus superiore capite.

Denique a. 58 lex Clodia sustulit omnia impedimenta, quae magistratibus leges ferentibus afferri antea possent ex iure intercedendi et de caelo servandi. Quae lex quid iusserit, multis locis a Cicerone exponitur. Is quattuor capita huius legis, in brevissimam formam redacta, enumerare solet, et haec quidem: 1° ut lex Aelia Fufia ne valeret; 2° ut diebus fastis etiam legem ferri liceret; 3° ut, cum lex ferretur, ne liceret de caelo servari; 4° ne legi intercedere liceret [2]).

---

1) Cfr. Liv. 6. 35. 7; App. 1. 12 init.: Plut. Cat. min. 28; Asc. p. 58; cfr. Cic. ap. Asc. p. 71 Orell.

2) Locos Ciceronis ita adscribo, ut singula capita legis Clodiae numeris distinguam, utque leges ab illa diversas uncis includam:

Prov. Cons. 19. 46: „aut vobis statuendum est [1] legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, [2] non omnibus fastis legem ferri licere, [3] cum lex feratur de caelo servari, obnuntiari, [4] intercedi licere ... aut ..."

Sest. 15. 33: „lata lex est [3] ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, [4] ne quis legi intercederet, [2] ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, [1] ut lex

Digitized by Google

Tria capita quae posui sub 2°, 3°, 4°, ad legum lationes pertinere apparet. Primum caput quorsum pertinereret, non amplius explicuit Cicero; hoc solum apparet, id caput, cum abrogaret legem Aeliam Fufiam, pertinuisse ad omnia quae ea lege rogata essent. — Sed de eo primo capite multi hodie aliter sentiunt. Coniectura autem, quae placuit viris doctis antiquioribus, qua assequebantur Clodium non nominatim neque proprio capite legis suae abrogavisse legem Aeliam Fufiam, sed eam ob causam tantum eum a Cicerone dictum esse abrogavisse eam legem, quod tribus illis capitibus legis suae id rogavisset quod contrarium esset legi Aeliae Fufiae, haec coniectura, cum nihil omnino habeat quo se commendet, tum facile refutatur; novimus enim illis tribus capitibus *non* rogatum esse id quod contrarium esset legi Aeliae Fufiae; ex. gr. constat legem Aeliam Fufiam non vetuisse diebus fastis leges ferri, cum iam Numa rex id vetuisse tradatur neque umquam licuerit [1]); constat etiam eam non instituisse ius legibus intercedendi, quia magistratus Romani hoc ius crebro exercuerunt ante legem Aeliam Fufiam latam, quod mihi iam necessarium non videtur ut locis allatis probem. Sed vir cl. Lange, qui de hac quaestione egit in Commentatione de lege Aelia Fufia et in Antiq. Romanis [2]),

Aelia, lex Fufia ne valeret; qua una rogatione quis est qui non intellegat rempublicam esse deletam".

Sest. 26. 56: „mitto eam legem, quae [3 et 4] omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, [1 et 2] omnes leges quae sunt de iure et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit".

Post red. in sen. 5. 11: „legem tribunus pl. tulit, [3] ne auspiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut comitiis, [4] ne legi intercedere, liceret, [1] ut lex Aelia et Fufia ne valeret, quae nostri maiores certissima subsidia reipublicae contra tribunicios furores esse voluerunt".

Har. resp. 27. 58: „[1] sustulit duas leges, Aeliam et Fufiam, maxime reipublicae salutares; [censuram extinxit]; [4] intercessionem removit; [3] auspicia delevit".

Pison. 4. 9: „a fatali portento prodigioque reipublicae [1] lex Aelia et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii; [collegia restituta]".

Ibid. 5. 10: „[¼] centum prope annos legem Aeliam et Fufiam tenueramus".

Vatin. 7. 18: „te tribuno plebis erat etiamtum in republica lex Aelia et Fufia, quae leges saepenumero tribunicios furores debilitarunt et represserunt, quas contra praeter te nemo umquam est facere conatus, [1] quae quidem leges anno post [3] una cum auspiciis, [4] cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagraverunt". —

1) Liv. 1. 19. 7; Varr. l.l. 6. 29; Macrob. Saturn. 1. 16. 14. — 2) De legibus Aelia et Fufia Comment., 1861, in Kleine Schriften 1. p. 274—341; Röm. Altert. 1[3] p. 341 sq., p. 330 et 343; 2[2] p. 297, p. 447 sq.; 3[2] p. 297 sq.

Digitized by Google

ex hac coniectura, quam magna ex parte reicit, tamen aliquid retinendum sibi esse putavit. Nam ei quoque placuit, legem Aeliam Fufiam non esse nominatim neque proprio capite legis a Clodio abrogatam; coniecit, propter illud caput legis Clodiae solum quod supra sub 3° posui, quo magistratus vetabantur de caelo servare cum leges ferrentur, legem Aeliam Fufiam abrogatam esse a Cicerone perhiberi. Ea coniectura autem falsa est; quamquam concedo eam non omni specie auctoritatis carere. Nam ad eam defendendam vel certe excusandam afferri possit locus Asconii (Schol. pag. 9), qui huiusmodi est: „(*P. Clodius trib. pl. tulit quatuor leges*) ... *alteram, ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret de caelo servaret; propter quam rogationem* (*Cicero*) *ait legem Aeliam et Fufiam, propugnacula et muros tranquillitatis atque otii, eversam esse* [haec verba sunt Ciceronis, Pis. 4. 9]; *obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata*". Sed hoc testimonium Asconii, quod pro illa coniectura esse videtur, teneri non potest quatenus repugnat verbis Ciceronis. Equidem multum abest ut impugnare velim auctoritatem Asconii viri egregii et diligentis, quam magnam esse puto; sed ut in talibus scholiis saepe usuvenit, studium brevitatis obfuit veritati, neque satis plene Asconius dixit quod in animo habebat. Sic statim initio Asconius perhibet, Clodium vetuisse de caelo servari *omnibus diebus comitialibus et fastis;* Cicero (pag. 244 adn. 2) et Dio (38. 13. 6) hoc refutant; recte se haberet quod scripsit Asconius, modo haec vocabula addidisset: „si leges ferrentur". Eodem brevitatis vitio autem factum est ut Asconius aliquid quod per se verum est, *rogationem Clodii effecisse ut everteretur lex Aelia Fufia*, ita coniunxerit cum eo quod antea dixit, *Clodium vetuisse de caelo servari cum leges ferrentur*, ut opinari possit aliquis (quamquam id tamen necessarium non est), Asconio utrumque caput legis Clodiae unum idemque esse videri; etiam quae addit, Aeliam legem confirmasse obnuntiationem qua perniciosis legibus resisteretur, et ius obnuntiandi quod in Aelia lege confirmatum esset, sublatum esse a Clodio, quamquam haec quoque per se vera sunt, apta sunt ad eundem errorem excitandum quia alia omissa sunt, quibus opus erat ad plenam intellegentiam rei. Itaque

Digitized by Google

superest ut ipsam coniecturam viri d. Lange etiam paucis refellam. Primum Clodius tum solum potuisset a Cicerone propter illud caput legis suae dici abrogavisse legem Aeliam Fufiam, si lege Aelia Fufia *nihil aliud* rogatum esset quam hoc, ut ne liceret legem ferri si de caelo servatum esset. Atqui constat, multas alias res rogatas esse lege Aelia Fufia; exempli gratia provoco ad locum Schol. Cic. pag. 319. Has res igitur etiam a Clodio abrogatas esse ostendit Cicero; inde apparet abrogationem legis Aeliae Fufiae non contineri capite illo legis Clodiae quod sub 3° posui, sed per se stetisse et multo ampliorem effectum habuisse et proprio capite rogatam esse. Sed Lange, non veritus recedere ab auctoritate Ciceronis, coniecit, ea omnia, quae praeterea fuerant in lege Aelia Fufia, non esse sublata a Clodio, sed integra mansisse, neque abrogatam esse legem Aeliam Fufiam, sed ei esse derogatum tantum; coniecit post a. 58 magna ex parte valuisse legem, quam Cicero dicit tum *non valuisse, deletam esse, non mansisse, abrogatam esse, in republica non fuisse, conflagravisse;* nemo mirabitur hanc coniecturam auctori silentio reddendam esse nobis videri. Denique qui examinat locos Ciceronis supra adscriptos (pag. 244 adn. 2) statim videt, caput illud legis Clodiae quo sublata est Aelia Fufia per se stare, et a Cicerone diligenter distingui, partim ipsis vocabulis, partim ordine et loco quo de eo agit, ab eo capite quo magistratus vetantur leges impedire auspiciis non minus quam a reliquis duobus capitibus. Apparet igitur legem Clodiam anni 58 non solum 1° sustulisse legem Aeliam Fufiam, sed praeterea etiam habuisse tria capita quae ad legum lationes pertinerent, 2° ut etiam diebus fastis leges ferri liceret, 3° ut de caelo servari ne liceret cum leges ferrentur, 4° ut tolleretur ius intercedendi rogationibus.

Lex quam sub 2° posui (quam non pertinuisse ad creationes magistratuum ostendit Cic. Att. 4. 3. 3, ubi Milo, comitia aedilicia impediturus, traditur proscripsisse se omnibus diebus *comitialibus* — non vero *fastis* — de caelo esse servaturum), semper viguit quamdiu stetit libera respublica, neque abrogata est. Hoc probatur exemplo legis cuiusdam anno 44 factae, quae lata est a. d. IV non. Iunias, qui dies fastus fuit [1]).

1) Cic. Att. 16. 16 C. 11.

Digitized by Google

Legem autem, quam sub 3° posui, semel a. 57 a Sestio tribuno pl. neglectam esse tradit Cicero. Eo anno enim Sestius conatus est „obnuntiare consuli", ut Cicero dicit. Verba Ciceronis a nonnullis viris doctis [1]) referuntur ad comitia aedilicia, quae hoc anno obnuntiatione impedita esse novimus, quibus Clodium candidatum aedilem creari passi non sunt eius adversarii Sestius et Milo. Hoc si verum esset, res non pertineret ad eam rem de qua agimus. Sed certissimum argumentum obstat quominus assentiamur his viris doctis; comitia aedilicia enim hoc anno habita sunt in Campo Martio [2]), ubi eo tempore omnes creationes fieri solebant; obnuntiatio Sestii autem interposita est in Foro, in templo Castoris [3]); itaque necesse est ut statuamus, Sestium conatum esse obnuntiare consuli cum lex ferretur. Cum autem huic legi restiterit Sestius amicus Ciceronis, verisimile est latorem legis fuisse aut tribunum aliquem Ciceroni inimicum [4]), aut Q. Metellum consulem. Metellus cum Clodio valde coniunctus fuit, et initio huius anni parum favebat Ciceroni [5]), postea demum mense Iunio fere simultatem deposuit [6]). Etiam apparet, rogationem latam esse initio anni, brevi post rogationem Fabriciam impeditam [7]), mense Ianuario aut Martio cum Metellus fasces haberet. Sed quaenam fuerit ea rogatio nescimus. Cicero consulto rem obscuravit, partim ut tegeret culpam Sestii, partim ut occul-

---

1) Mommsen Staatsr. 1³ p. 113 adn. 3. — 2) Cic. Att. 4. 3. 3. — 3) Cic. Sest. 37. 79: „itaque fretus sanctitate tribunatus ... venit *in templum Castoris*, obnuntiavit consuli". Id. Qu. fr. 2. 3. 6: „incidi in eum locum in dicendo, cum Sestius, multis *in templo Castoris* vulneribus acceptis, subsidio Bestiae servatus esset". — 4) Quod Sestius *consuli* obnuntiavisse traditur, non obstat, quominus suspicemur, latorem legis fuisse tribunum pl. aliquem, veluti Q. Numerium Rufum (Sest. 38. 82). Actionibus tribuniciis enim consulem adesse oportebat; is omnibus rebus quae publice gerebantur praefectus erat, et ei erat providendum ut omnia ritu et ordine fierent; mirum non est, si quis de caelo servarat, etiam in actione tribunicia, si consul aderat, eum obnuntiare *consuli*, non *tribuno* soli. Sic Varro (r. rust. 3. 2. 2) tradit, a. 54, cum comitia aedilicia haberentur *a tribuno plebis* (eo anno enim creationes patriciae nullae habitae sunt), Appium Claudium augurem (eundem consulem) affuisse „ut *consuli* Domitio (non vero *tribuno*) praesto esset si quid usus poposcisset". — 5) Cic. Att. 3. 12. 1; fam. 5. 4. 1. — 6) Cic. Att. 3. 24. 2; Sest. 38. 72, 62. 130; prov. cons. 9. 22; Pis. 15. 35. — 7) Cic. Mil. 14. 38 res anni 57 enumerans, hanc rem etiam *ante* rogationem Fabriciam posuit, sed in Sestiana (37. 79), et post red. in. Sen. (3. 7) idem ostendit, eam brevi post esse factam.

Digitized by Google

taret quod Metellus initio anni hostili animo adversus se fecerat, et rem demersit magno quasi flumine verborum ne facile quid factum esset cognoscerent auditores. Etiam ea quae a Cicerone tecte significari videantur eiusmodi sunt ut huic verborum speciei prorsus nulla fides habenda sit. Sic primum ita locutus est Cicero, ut facile suspicaretur aliquis Sestium in ea re fuisse *victum* armis et vi adversariorum, quod ipse inermis esset, et rogationem esse *perlatam*; sed tamen non oportet huic suspicioni confidere, fieri enim potest ut consulto Cicero hanc opinionem excitare voluerit apud auditores, ne forte quis crederet (quod per se valde verisimile est) Sestium ipsum paravisse vim *maiorem*, et eius socios, cum ipse vulneratus esset, hac vi superiores fuisse [1]). Deinde ita egit Cicero, ut significare videatur, rogationem pertinuisse ad suum reditum [2]). Hoc si verum esset, statuendum esset hanc rogationem revocasse quidem Ciceronem, sed eiusmodi condicionibus, quae ipsi molestae eiusque inimicis solis gratae essent. Sed hoc quoque prorsus incertum est; fieri potest ut Cicero falsam opinionem excitare voluerit, rem ad suum reditum pertinuisse, ut eo facilius causam Sestii cum sua causa coniungeret utque Sestium omni culpa purgaret apud auditores suos; nam hoc tenendum est, *nihil* aperte et directe a Cicerone affirmari. Itaque nescimus quid rogatum sit, nescimus num perlata sit rogatio. Hoc solum constat, Sestium, cum impedire vellet rogationem, in templum venisse et dixisse *se de caelo servasse*; quod Cicero dicit § 79 eum sanctitate tribunatus fretum in templum venisse et *obnuntiasse* consuli, et § 81 eum *auspiciis religionique parentem obnuntiasse quod senserat* (cfr. supr. pag. 81 adn. 1) non debet nos perducere ut credamus, Sestium conatum esse consulem admonere de tonitru quod tum ipsum inter comitia factum

1) Hanc partem causae Sestianae fuisse maxime impeditam, et ad eam purgandam opus fuisse omnibus artibus oratoriis, indicat Cic. Qu fr. 2. 3. 6. — 2) Cicero in Sestiana quidem (§ 33) nihil aliud dicit quam hoc, Sestium vulneratum esse „cum causam *civis calamitosi*, causam *amici*, causam bene de republica meriti, causam senatus, causam Italiae, causam reipublicae suscepisset ... sanctissima in causa"; sed in Orat. post red. in Sen. (12 30) dicit: „Sestium ostendisse corporis vulneribus suam *erga Ciceronem* benevolentiam et fidem". Schol. Bob. (p. 292) rem totam rettulit ad restitutionem Ciceronis; sed is scripsit quod ex verbis Ciceronis deducendum esse putavit.

Digitized by Google

esse diceret (quemadmodum fecerunt a. 55 M. Cato privatus et a. 44 Asprenas trib. pl., supr. pag. 98 sq. sub 12° et 14°); nam apparet Sestium postulavisse ut consul eius obnuntiationem pro *cogente* acciperet et statim dimitti iuberet comitia, et cum consul suo iure repudiaret obnuntiationem, conatus est vi persequi ius (spectionis) quod contra legem Clodiam sibi arrogaverat. Pugna satis acris orta est; ut Cicero dicit (post red. in Sen. 3. 7): „summi viri et clarissimi consulis (Metelli, cfr. § 5) fasces fracti, fortissimi atque optimi tribuni pl. sanctissimum corpus ... vulneratum ferro confectumque". Sed etiamsi forte (quod ignoramus) rogatio perlata *non* est et comitia impedita sunt, tamen non licet id referre ad *obnuntiationem*, sed referendum est ad vim quam adhibuit Sestius, qua superavit Clodium qui consuli auxilio veniebat. Hoc factum non potest afferri tamquam argumentum quo probetur, tribunis pl. eo tempore de caelo servare licuisse cum leges ferrentur, vel a quoquam hoc eis tum concessum fuisse; narratio Ciceronis quamvis obscura sit hoc unum tamen clare ostendit, Metellum consulem *repudiavisse* obnuntiationem Sestii, eumque *negavisse* cuiquam eo die de caelo servare licere. — Praeterea vero haec lex Clodia semper servata est, neque umquam accidit ut quisquam conaretur eam neglegere. Quod Cicero dixit, App. Claudium praetorem eam neglecturum fuisse a. 57, eas meras calumnias esse supra monui (pag. 235 sq.). Ius de caelo servandi cum leges ferrentur, quod etiam a. 59 contra Caesarem Bibulus, contra Vatinium septem tribuni tam profuse adhibuerant, postquam semel a. 58 lege Clodia sublatum est, praeter Sestium nullus magistratus sibi arrogavit. Hoc inprimis apparet ex eis exemplis quae supra attuli (pag. 98 sq. sub 12° et 14°), ubi etiam tribunos plebis, cum moram ex auspiciis afferre velint legibus, videmus se convertentes ad alteram illam obnuntiationem (non cogentem) *privatorum*, et *inter comitia* (*ἐν τῇ χειροτονίᾳ*) clamantes se fulmen fortuito observasse, quia non poterant *ex spectione* obnuntiare. Hi tribuni igitur, quatenus auspicia *ficta* nuntiabant, faciebant quod omnium maxime improbandum erat: e m e n t i e b a n t u r a u s p i c i a, vid. supr. pag. 109 adn. 2. Antea, cum non distinguere solerent viri docti inter obnuntiationem *privatorum* et *magistratuum*, accidit ut ea ipsa exempla afferrentur ad

Digitized by Google

probandum, etiam post a. 58 de caelo servatum esse cum leges ferrentur. Alios locos iam supra ex hac quaestione removi, qui antea immisceri solebant, ut Dionis (39. 19. 3), vid. supr. pag. 95 sub 5°, et Ciceronis (Att. 4. 9. 1), vid. supr. pag. 241. — Quod supra ostendi, hanc legem ab optimatibus nonnumquam diligenter *verbis* esse neglectam (pag. 100 sq.), id certe nihil pertinet ad quaestionem quae est de iure huius legis; id ostendit tantummodo, legem multis displicuisse.

Sed lex quam sub 4° posui semel etiam facto neglecta est. Id huiusmodi fuit. A. 54 Sen Ctum factum est, ut propter ambitum eorum qui tum consulatum peterent „tacitum iudicium" fieret „in singulos candidatos", ante comitia [1]); M. Porcius Cato praetor hoc excogitaverat, et senatum permoverat ut hoc modo candidatos coercere conaretur. Paullo postea iterum Sen Ctum factum est, ut ea res ad populum ferretur a consulibus et *lex de tacito iudicio* fieret. In hoc Sen Cto scriptum erat: „si qui intercessisset (legi de tacito iudicio), res integra referretur" (vid. adn. 1). Itaque tum senatus ipse Decreto suo neglexit illud caput legis Clodiae quod vetabat intercedi cum lex ferretur; fortasse haec clausula addita est de sententia alicuius qui rei palam favens clam ei adversaretur. Consules autem, huic Sen Cto obsecuti, legem promulgaverunt de tacito iudicio, sed ipsis res parum placebat. Itaque cum venisset dies quo lex ferebatur, et intercederet Terentius trib. pl., consules non neglexerunt eam intercessionem, quamquam ex lege Clodia id facere eis licebat, sed neglecta lege Clodia eam acceperunt, et rem ad senatum rettulerunt, ut scribit Cicero: „(*lex*) *coepta ferri leviter, intercessum non invitis (consulibus); res ad senatum*". Senatus tum ipse quoque haud invitus omisit rem inceptam. — Praeterea haec lex numquam factis neglecta est. Multae leges quidem latae sunt inter annos 58 et 42, quas intercedendo aut obnuntiando multi libenter impedituri fuissent si licuisset (ex. gr. a. 57 de Ciceronis reditu, a. 55 lex Trebonia, a. 52 leges Pompeiae, a. 44 leges Antoniae, aliae), sed non licuit. Apparet igitur, post a. 58 tum

1) Vid. Drumann 3 pag. 5 sq. et 5 pag. 172; Cic. Att. 4. 17. 3 Boot (= 4. 16. 6 Orell.); Plut. Cat. min. 44.

Digitized by Google

solum potuisse intercedi, si hoc fieret *volentibus etiam eis qui legem ferrent*, si his quoque gratum esset ut lex impediretur, non vero, si ipsi cuperent legem suam perferre. Intercessio illa igitur, quae a. 54 facta est, non nitebatur lege, sed voluntate et consensu eorum qui ad legem vetantem provocare omitterent; itaque sita erat extra ius constitutum, et quasi privata pactione continebatur. — Sed hunc statum iuris, qui ortus erat ex lege Clodia, Cicero post decem annos in oratione quadam impugnare et verbis discutere conatus est. Antonius consul tum leges facturus erat quae parum placebant optimatibus; Cicero cum concedat consulem eas impediri non esse passurum, verborum specie simulat se hoc non ferendum existimare seque ignorare legem existere quae vetet impedimenta afferri. „*De his legibus* ait *quae promulgatae sunt queri possumus. Quaero autem quid sit cur aut ego aut quisquam vestrum, patres conscripti, bonis tribunis plebi leges malas metuat. Paratos habemus qui intercedant, paratos qui rempublicam religione defendant; vacui metu esse debemus. — Quas tu mihi, inquit, intercessiones? Quas religiones? — Eas scilicet, quibus reipublicae salus continetur. — Neglegimus ista et nimis antiqua ac stulta ducimus; forum saepietur, omnes claudentur aditus, armati in praesidiis multis locis collocabuntur. — Quid tum? Quod ita erit gestum, id lex erit? et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima: consules populum iure rogaverunt — hocine a maioribus accepimus ius rogandi? — populusque iure scivit?*" (Phil. 1. 10. 25). Haec verba multum sane valere potuerunt, siquidem senatus eis permoveri potuit ut etiamtum tolleret legem Clodiam intercedi vetantem; sed si ea exigimus ad normam iuris quod tum vigebat, voces erant et inanes querelae, neque quidquam probant nisi hoc, ius quod tum valeret displicuisse Ciceroni. Adeo verum est, tum nullam intercessionem fuisse, ut postea, cum leges Antoniae perlatae essent et senatus eas tollere vellet, senatus non potuerit petere causam tollendarum legum ex intercessione spreta aut elusa, sed causam petere debuerit ex *auspiciis mendacibus*, quod inter comitia tonuisse diceret, vid. supr. pag. 239 adn. 1.

B. De comitiis et conciliis quibus exercebantur iudicia populi et plebis, hoc tantum animadvertendum est, obnuntiationem,

Digitized by Google

quae in eis quoque ab initio valuit [1]), in hac parte quoque confirmatam esse videri lege Aelia et Fufia. Eo magis licet credere, in iudiciis semper idem ius valuisse quod de legum lationibus constitutum esset, quia videmus etiam illud caput legis Clodiae, quod dies fastos utiles reddebat actionibus popularibus (supr. sub 2ᵘ), quamquam verba Ciceronis id ad legum lationes solas referunt, ab ipso Clodio etiam esse relatum ad iudicia, sive quod ipsa verba legis (nobis ignota) eiusmodi essent ut creationes magistratuum solas excluderent, sive quod res de legum lationibus constituta per similitudinem etiam ad iudicia pertinere videretur. Clodius enim, cum a 56 aed. cur. iudicio plebis persequeretur Milonem, quartam accusationem et comitia tributa indixit in nonas Maias, qui dies erat fastus [2]). Hinc recte deducere nobis videmur, capita illa quoque legis Clodiae quae modo tetigimus, de obnuntiatione et de intercessione tollendis, etiam pertinuisse ad iudicia populi et plebis.

C. Denique acturus de comitiis et conciliis quibus magistratus creabantur, initio ostendam quo iure hoc genus comitiorum et conciliorum separaverim ab altero quod ad legum lationes pertinet. Primum animadverto, causam obnuntiandi ita differre pro diversitate comitiorum, ut ei qui cupiant, libertatem impediendi *integram manere* in legum lationibus, necessario simul cupere debeant eam *cohiberi* et *diminui* in creationibus, ut eis contra qui hoc impedimentum ad creationes *libere adhiberi posse* velint, necessario id *removendum esse* videri debeat a legum lationibus; fieri non potest ut ulla pars contendat, de utroque genere comitiorum idem ius esse constituendum. Partes quae semper in civitate sunt, quamvis praeterea sint variae et pro temporum diversitate variis consiliis incumbant, distingui fere possunt secundum hanc normam: altera pars magis propensa est ad conservandam antiquam formam reipublicae et ad retinendum eum statum rerum qui nunc est, altera vero magis ducitur cupidine mutandi et infringendi praesentis status reipublicae. Huic parti autem, quae conservandi studio

1) Cfr. Cic. dom. 17. 45: „si qua res illum diem aut auspiciis aut excusatione sustulit, tota causa iudiciumque sublatum est". Nihil est cur haec verba ad auspicia fortuito oblata sola referamus. — 2) Cic. Qu. fr. 2. 7; cfr. Hartmann-Ubbelohde, Ueber die Röm. Gerichtsverf. (1886) pag. 80 adn. 24.

Digitized by Google

ducitur, haud inutile videri solet ut lationes legum novarum retardari possint certis impedimentis; tam gratum ei est omne impedimentum quod obici possit novis legibus molestis, ut facile ferat etiam leges paucas et parum necessarias, quarum ipsa fortasse nonnumquam indigebit, obnoxias esse eidem impedimento, cum eis carere posse videatur respublica sine magno damno. Huius partis consiliis igitur convenit ut libertas obnuntiandi cum leges ferantur integra sit, nam in lationibus legum obnuntiatio directe id efficit quod optatum est, scil. ut respublica cogatur stare iure antiquo utque nova lex impediatur, et in iudiciis populi eodemmodo, ut reus salvus sit. Contra in magistratuum creationibus facultas obnuntiandi perniciosa ei videri debet. Nam quis fructus percipitur ex creationibus impeditis? Non hic certe, ut arceatur candidatus adversariae partis et superior fiat candidatus cui favet is qui obnuntiat; obnuntiatio si ibi adhibetur nihil efficit quam ut disturbetur respublica, utque ad inopiam redigantur ei qui eo tempore rempublicam administrent; quod ipsum maxime pestiferum esse videtur huic parti. Qui obnuntiando impedit creationes, aliquid facere ei videtur quod, si in eo consilio perseveretur, ad *destruendam rempublicam* tendat necesse sit. Itaque qui ex consiliis huius partis legem tulerit de auspiciis (quod maxime cadit in eos qui ex Auct. Sen. et secundum voluntatem optimatum eam rem gesserunt) cum in legum lationibus liberam manere iubeat obnuntiationem, idem lege sua eam a creationibus removeat necesse est. Quod Cicero, fautor optimatum, dicit, ius obnuntiandi datum esse omnibus magistratibus, *„ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae: saepe enim populi impetum iniustum auspiciis repressisse deos immortales"* (supr. pag. 87 adn. 2), id, si in legum lationes cadit, simul cadere non potest in creationes. Verum altera pars, quae rerum novarum studio mota mutationes inferri cupit in statum reipublicae, cum facultatem legum ferendarum quam maximam esse velit, et ob eam causam vetet de caelo servari si leges ferantur, sola eo progredi poterit, ut in creationibus de caelo servari permittat utque ita in hac parte quoque obnuntiationem inservientem faciat studio *mutandi* status reipublicae. Itaque apparet necesse esse, ut omnes leges quae de obnuntiatione factae sint, si de iure obnuntiandi in utroque

Digitized by Google

genere comitiorum agant, de altero genere non idem iubeant quod de altero, sed id ipsum quod contrarium est.

Sed obiecerit quispiam, auctores nostros non omnes ita inter se opponere genera comitiorum, ut clare appareat de alterutro genere diversum ius valuisse. Etsi de Cicerone hoc idem contendi non posse sine manifesto errore, unusquisque monitus concedet [1]), tamen Dionem ita loqui dixerit quispiam, ut affirmare videatur eodem tempore idem ius valuisse de creationibus magistratuum et de lationibus legum. Dio enim, de lege Clodia agens (38. 13. 5 sq.) postquam exposuit rationem spectionis de caelo: *ἐπεὶ οὖν πολλοί*, inquit, *ἐμποδίζειν ἢ νόμων ἐςφορὰς ἢ ἀρχόντων καταστάσεις ἐς τὸν δῆμον ἐςαγομένας βουλόμενοι, προεπήγγελλον ὡς καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενοι, ὥστε μηδεμίαν ἐν αὐτῇ κύρωσιν τὸν δῆμον σχεῖν, φοβηθεὶς ὁ Κλώδιος μὴ γραψαμένου αὐτοῦ τὸν Κικέρωνα ἀναβολήν τέ τινες ἐκ τοῦ τοιούτου καὶ τριβὴν τῇ δίκῃ ἐμποιήσωσιν, ἐςήνεγκε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις ἐν αἷς ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἴη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γιγνόμενα παρατηρεῖν.* Clodius igitur, ita loqui videtur Dio, obnuntiationem cum leges ferrentur sustulit, quia multi solebant per edicta obnuntiantes impedire legum lationes *et creationes magistratuum.* Sed vix opus mihi videtur monere, Dionem, etiamsi ad annum 58 de re universa agat, tamen minime asseverare, id quod dicat totum

1) Cicero clare divisit ius obnuntiandi secundum genera comitiorum illo loco quem antea attuli, Prov. Cons. 19. 46: „cum lex feratur de caelo servari, obnuntiari, intercedi (non) licere (iubet lex Clodia)". Hic locus sufficit, et facile vincit reliquos locos ubi Cicero, brevitatis studio motus, genera comitiorum non distinguit; neque licet contra eum locum accuratius scriptum afferre alios locos minus accurate factos, veluti Post red. in sen. 5. 11: „(Clodius) tulit ne auspiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Aelia Fufia ne valeret". Causa autem cur hoc loco Cicero non scripserit „... ne *legi* obnuntiare aut intercedere liceret ...", inest in proprietate sermonis latini, quo recte quidem dicitur „legi intercedere", sed non item recte „legi obnuntiare". Verbum „obnuntiare" enim iungitur latine cum dativo *personae* cui obnuntietur (ex. gr. Cic. Att. 4. 3. 4), aut *actionis* cui obnuntietur (veluti: obnuntiare comitiis et conciliis), sed numquam cum dativo eius rei quae ipsa perferri prohibeatur obnuntiatione, ut *legis*. Pro formula „legi obnuntiare" semper opus est longiore locutione, veluti: „legem obnuntiando impedire", „comitiis obnuntiare cum lex feratur", „obnuntiare magistratui legem ferenti"; et Cicero saepe brevitatis causa maluit (in re auditoribus satis nota) minus accurate omittere distinctionem generum comitiorum, quam tali locutione onerare orationem suam.

Digitized by Google

pertinere ad ineuntem annum 58 et tempora proxime superiora Prior pars eius sententiae etiam pertinet ad descriptionem illam universae obnuntiationis de caelo, quam praemisit. Qui novit proprietatem sermonis quo Dio utitur eiusque breviloquentiam, non mirabitur ab eo in unam sententiam coniuncta esse generalia (de obnuntiatione) et specialia (de lege Clodia). Sane auctor qui obnuntiationem brevissime explicare et quasi definire vult, duobus modis id facere potest; aut eam vim obnuntiationis solam indicabit, quae certo quodam tempore de quo agit in iure publico valuit, neglecta et omissa eius vi universa; hoc fecit Asconius, cum scriberet, pag. 9: *„obnuntiatio, qua perniciosis legibus resistebatur"*; aut, neglectis variis rationibus quibus eam semper adhibuerit ius publicum, indicabit quid per se valuerit; quod fecit Dio. Qui hoc facit, non debet eam referre ad unum genus comitiorum, nam per se (quatenus licuit de caelo servare) obnuntiatio aeque valuit in legum lationibus et iudiciis populi, aeque in magistratuum creationibus, etiamsi ab his eam removit lex a. 154 lata, ab illis lex a. 58 lata demum. Hic locus igitur minime nos cogit statuere, secundum sententiam Dionis anno 58 idem ius valuisse in utroque genere comitiorum. Cum autem res ipsa dubia non sit, et tot tantisque argumentis (quae infra proferam) probetur creationes magistratuum nonnisi ante a. 154 et post a. 58 impediri potuisse obnuntiationibus magistratuum, praestat opinor locum Dionis ita interpretari ut feci, quam statuere Dionem in errorem inductum a vero aberravisse; tertium certe non datur. Verum Dio ipse, ut primum opus est, ubi de lege Clodia ipsa scribere coepit, recte distinguit genera comitiorum, et satis indicat legem Clodiam vetuisse obnuntiari cum leges ferrentur solum, *ἐν αἷς ἡμέρας ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον ἦν.*

Itaque iam ad ipsam quaestionem aggressus, primum statuo tribunis plebis numquam licuisse de caelo servare cum crearentur tribuni et aediles plebis [1]). Argumento firmissimo utor,

1) Quod nonnumquam tribuni et aediles plebis magistratu abacti sunt tamquam *vitio creati* (Mnemos. XVIII p. 421 adn. 1, et supr. pag. 89 adn. 2), id non referendum est ad auspicia quaesita et obnuntiationem neglectam, sed ad auspicia fortuito inter comitia conspecta, quae, cum neglecta essent ab eo qui comitiis praeerat, pro impedimento habenda fuisse et creationem vitiosam reddidisse postea decreverint augures.

Digitized by Google

eodem quo Mommsen vir cl. probavit, tribunis intercedere non licuisse creationibus plebeis. Primum enim, si licuisset tribunis pl. moram afferre his creationibus, quotannis in potestate novem tribunorum pl. fuisset, magistratus plebeios e republica tollere, cum, si creationes factae non essent antequam tribuni magistratu abiissent, nihil inveniretur quod simile esset interregno patriciorum, quo possent renovari magistratus plebei extincti. Deinde res disceptatur silentio auctorum, quod probat numquam de caelo servasse tribunos cum creationes plebeiae haberentur [1]). Etiam unum exemplum affero, quod rem dubiam manere non patitur. Tiberius Gracchus enim, cum a. 133 vellet tribunus pl. refici, frustra conatus est ad concilium advocare plebem rusticam, cui maxime fidebat, nam eo tempore cum indictum esset concilium messis in agris retinebat rusticos (App. 1. 14). Facile apparet, plurimum interfuisse Gracchi ut paucis nundinis post haberetur concilium, quin etiam ex ea re summam eius pependisse salutem; sed quod obnuntiando facile impetrasset, si licuisset, pervincere non potuit, ut differretur concilium, itaque constat tum non licuisse de caelo servari. Neque incertum est, quo tempore lata sit lex quae hoc constituerit. Plebiscitum a M. Duillio tr. pl. rogatum a. 449: „qui plebem sine tribunis reliquisset, tergo ac capite puniretur" (Liv. 3. 55. 14) eiusmodi est, ut eo vigente neque intercessio neque obnuntiatio in creationibus plebeis tolerari potuerit. Necesse est legem quae eas prohiberet factam esse hoc ipso anno, eodem quo spectionis de caelo et obnuntiandi iuris primum participes facti sunt tribuni plebis; neque incredibile videtur, eam legem fuisse partem ipsius illius plebisciti quod rogavit M. Duillius.

Inde progressus ad creationes et subrogationes magistratuum patriciorum, statuo obnuntiationem tribunorum plebis et reliquorum magistratuum in eis liberam fuisse (quatenus non pro

---

1) Mommsen Staatsr. 2³ p. 279; cfr. ibid. 1³ p. 286 adn. 1: »Ausser dem in diesem Fall entscheidenden Stillschweigen der Quellen, sprechen dafür noch Vorgänge wie der von Liv 6. 35. 10 geschilderte: *comitia praeter aedilium tribunorumque plebis nulla sunt habita*, zumal da auch die Gegenpartei über Tribune gebietet und gegen die Wahl der plebeischen Magistrate die Intercession [addere licet: und die Obnuntiation] hätte gebrauchen können, wenn diese überhaupt hier statthaft gewesen wäre".

Digitized by Google

iure maioris imperii prohiberi posset) ab initio ad annum 154 quo fere lata est lex Aelia Fufia; deinde eam prohibitam fuisse quamdiu vigeret lex Aelia Fufia, i. e. ad annum 58; denique eam rursus liberam (cogentem) factam esse cum lex Clodia sustulisset Aeliam Fufiam. Hoc igitur probare conabor.

Primum paucis verbis rationem reddam, quomodo factum esse credam, cum obnuntiatio a creationibus patriciis removenda esse videretur lege speciali, ut tamen ab eis remota non sit intercessio, deinde ut tam diu (ad a. 154) libera relinqui potuerit obnuntiatio. — Intercessiones initio prorsus liberae fuerunt, et ad creationes magistratuum impediendas pro arbitrio adhiberi potuerunt, ut confirmant exempla nonnulla memoriae tradita [1]). Haec igitur causa fuisse videtur cur religio auspiciorum in hac parte initio non adhiberetur ad persequenda certamina civilia et studia partium; cum intercessio praesto esset, nemo indigebat obnuntiationis. Sed paullatim senatus constrinxit et definivit potestatem intercedendi creationibus, et id quidem duobus modis; primum senatus impetravit, ut ei tantum intercederent creationibus, qui *certam causam intercedendi* afferre possent, petitam ex ipsa ratione comitiorum et ex modo quo comitia habere instituisset magistratus qui praeesset; deinde vero senatus effecit ut ipsi liceret *summum iudicium ferre* de causis intercedendi, utque non is solum qui comitiis praeerat se subiceret eius iudicio, si senatus probasset causam intercedentis, sed etiam ut hic remitteret intercessionem si senatus eam iustam non esse censuisset. Hos fines in creationibus a senatu impositos esse libertati intercedendi, apparet ex exemplis memoriae traditis; ab ineunte saeculo tertio fere intercessiones nullae in creationibus factae sunt, quae non niterentur causa quadam ad rationem comitiorum habendorum pertinente; inde factum est ut certae causae intercedendi semper ab auctoribus nostris potuerint indicari et a nobis possint cognosci [2]); praeterea ab eo tempore nullae intercessiones factae sunt in quibus postea, cum de eis disceptavisset senatus, contra auctoritatem senatus perstiterint

1) Liv. 4. 50. 8 (a. 414); 6. 35. 10 (a. 375—371). — 2) Cfr. Liv. 25. 2. 6 (a. 212); 27. 6 (a. 210); 32. 7 (a. 199); 39. 39, de quo loco cfr. Mommsen Staatsrecht 1. p. 513 u. 3 (a. 184).

Digitized by Google

intercedentes; qui intercedebant creationibus, nihil aliud quam provocabant ad senatum [1]). Inde factum est ut ab eo tempore creationes annuae non solum numquam ita sublatae sint intercessione ut ad interregnum perveniretur, sed ne dilatae quidem sint amplius quam singulos vel binos dies. Apparet, senatum passurum non fuisse, aliquem temere intercedere propter causas privatas a ratione comitiorum alienas quae non possent palam proferri et defendi neque niterentur fundamento quodam probabili publicae utilitatis, eumque iudicaturum fuisse *contra rempublicam* facere qui sine tali causa intercederent; apparet eos quoque quorum causam intercedendi iniustam esse censuisset senatus, *contra rempublicam* facere visuros ei fuisse si ultro tenderent; hoc autem tantum valuit, et tam plene in ea parte vicit potentia senatus, ut omnes ultro agnoscerent, *non posse* impediri creationes magistratuum adversus auctoritatem senatus, quamvis *iure* liceret. Idem etiam post a. 154 observatum esse ostendunt res memoriae traditae. A. 148 tribuni professi sunt se intercessuros esse creationibus (*τοὺς ὑπάτους ἀφαιρήσεσθαι τὴν χειροτονίαν*) si consul perstaret in sententia, cum deiceret P. Scipionem, cuius rationem se habiturum non esse dixerat in comitiis consularibus quod nondum attigisset aetatem legitimam; senatus tum secundum intercessores pronuntiavit, et Scipionem legibus solvit (App. Pun. 112); a. 88 duo tribuni passi non sunt C. Caesarem Vopiscum consulatum ex aedilitate petere [2]); haec exempla satis probant, erravisse virum d. Lange cum statueret, etiam ius intercedendi creationibus esse sublatum lege Aela Fufia [3]). Sed tamen ne tunc quidem, non magis quam antea, intercessione abusi sunt tribuni pl. ut contra auctoritatem senatus temere differrent aut impedirent comitia annua. Itaque hoc satis explicare videtur, cur lege numquam remotae sint intercessiones a creationibus magistratuum; cum ius intercedendi in hac parte *facto* satis subiectum esset senatui, nihil erat cur *lege* cohiberetur aut tolleretur. — Necessitatem autem cohibendae obnuntiationis a. 154 demum, neque antea, ortam

1) Cfr. ex. gr. Liv. 27. 6 (a. 210); 27. 8 (a. 209); 32. 7 (a. 199); App. Pun. 112 (a. 148). — 2) Cic. Brut. 63. 226; har. resp. 20. 43; cfr. Mo. Staatsr. 1. p. 539 adn. 1. — 3) Lange Kl. Schr. 1. p. 341 (de leg. Ael. et Fuf. comm. p. 48).

Digitized by Google

esse, non est quod valde miremur. Initio enim, ut supra dixi, cum etiam temere intercedi posset creationibus (pag. 258 adn. 1) obnuntiationis non indigebant qui comitia impedire volebant. Postea vero, cum potentia senatus coartare coepisset libertatem intercedendi, facile quidem accidere potuit, ut ei, qui differre vel impedire vellent creationes patricias, confugerent ad impedimenta ex auspiciis petenda. Sed tamen res ipsae ostendunt, hunc morem non ita increbuisse ut ex ea re periculum impenderet comitiis annuis; etiam ante a. 154 numquam accidit, ut res ad interregnum reduceretur quod comitia ex auspiciis prohibita essent [1]). Licet fortasse hoc ita explicare, ut coniciamus senatum cum diem comitiis habendis constitueret, a tribunis plebis semper petivisse ne quis comitia eo die de caelo servando impediret, adhibita illa formula de qua supra egimus (pag 231): *„qui impedisset, prohibuisset, eum senatum contra rempublicam fecisse existimaturum esse"*. Quod si recte coniecimus, facile apparet, id tamen non amplius suffecisse, cum lex Aelia Fufia a. 154 *confirmaret* obnuntiationem. Nam ut supra vidimus (pag. 237 sq.), confirmatio obnuntiationis hoc ipso continebatur, ut ius obnuntiandi magistratuum liberaretur omnibus impedimentis quae antea ei parari poterant per edicta vetantia; haec lex effecit ut obnuntiatio utique valeret, etiamsi fieret adversus voluntatem maioris potestatis. Itaque si latores huius legis cavere volebant ne ea nova vis obnuntiationum etiam adversus voluntatem senatus adhiberetur ad creationes impediendas, necesse erat ut proprio capite huius legis tota a creationibus removeretur, quod si omitteretur, futurum esset ut creationes a senatu non amplius defendi possent contra tribunos, cum ne adversus minores magistratus quidem possent defendi.

Hinc transeo ad ea probanda quae supra posui. In hac parte autem, ut in rebus quas ante tractavi, propositum mihi non est, sententias virorum doctorum quibuscum consentire non possim omnes nominatim persequi et diligenter impugnare;

1) Quod ad a. 176 a Livio traditur (41. 16), consulem Q. Petilium collega demortuo a senatu iussum esse „cum primum per auspicia posset collegae subrogando comitia habere", id non pertinere videtur ad obnuntiationem, sed ad auspicia quae a consule ipso impetrari debebant. Comitia confecta esse traduntur (c. 17. 5) „eo ipso die in quem indicta erant".

Digitized by Google

satis habui meam sententiam clare exponere. Sed in ea quaestione de qua nunc ago, necessarium mihi esse visum est verbo monere quid sentirent viri duo primarii, Mommsen et Lange, quos honoris causa nomino; partim ne viderer nihil tribuisse eorum auctoritati neque satis perpendisse quatenus ab eis solutae sint magnae difficultates quas haec quaestio praebet; partim ut lectori appareret, quid in meis argumentis ordinandis potissimum secutus essem, et quae partes disputationis meae inprimis essent argumentis confirmandae. Itaque ex argumentis viri d. Lange, quae iam supra tetigi, id nunc promam quod ad hanc partem quaestionis nostrae pertinet; Lange recte statuit legem Aeliam Fufiam vetuisse de caelo servari cum magistratus crearentur; sed cum adversus auctoritatem Ciceronis teneat legem Aeliam Fufiam non esse abrogatam a Clodio, et censeat partem huius legis quae ad creationes pertineret etiam valuisse post a. 58, eo tempore neque legum lationes (propter legem Clodiam) neque creationes (propter Aeliam Fufiam) obnuntiatione impediri potuisse putat. Haec coniectura, quam supra (pag. 246 sq.) ex parte refutavi, tota erit sublata, si probavero, post a. 58 licuisse de caelo servari cum magistratus crearentur. — Sed Mommsen, cum censeret operam perdere qui diligenter exquirere conaretur quid rogatum esset lege Aelia Fufia [1]), tamen nonnihil de ea pro certo affirmare posse sibi visus est; hanc legem, qua confirmata sit obnuntiatio magistratuum, prorsus *idem* ius constituisse existimat de magistratuum creationibus quod de legum lationibus et de iudiciis populi [2]); lex Clodia vero ei videtur sustulisse *omnem* obnuntiationem magistratuum [3]); si fuerint qui

1) Staatsrecht I² p. 111 n. 4: „Ueber den Inhalt (der leges Aelia und Fufia) ist unter den vielen unbestimmten Angaben noch die bestimmteste die bei Asc. pag. 9, woraus sich auch ... ergiebt, dass dieselben in der Hauptsache nichts Neues bestimmten. Wie weit sie die Obnuntiation regelten, und was sie festsetzten und nicht festsetzten, werden vorsichtige Forscher nicht zu wissen sich bescheiden". — 2) Ibid pag. 108 adn. 2: „es ist in dieser Hinsicht nie ein Unterschied zwischen Gesetz-, Wahl- und Prozesscomitien gemacht worden". Itaque de obnuntiatione non agnoscit Mommsen, quod de intercessione ipse agnovit et certis argumentis probavit (supr. pag. 257 adn. 1), diversum ius constitutum fuisse pro diverso genere comitiorum. — 3) Ibid. pag. 112: „im Jahre 696 hat dann ein von dem Volkstribunen Clodius eingebrachtes Gesetz die Obnuntiation abgeschafft. Dasselbe ward eine Zeitlang angefochten, scheint aber schliesslich in Gültigkeit geblieben zu sein".

Digitized by Google

nihilominus post a. 58 obnuntiare conarentur, statuit hos non observasse legem Clodiam [1]). Huius quoque sententiae partem iam supra diluimus; legem Clodiam non ab omnibus comitiis, sed a legum lationibus solis removisse obnuntiationem, probavimus allatis verbis Ciceronis (pag. 255 adn. 1), Asconii (pag. 256), Dionis (ibid.), qui omnes cum affirment in *uno* genere comitiorum obnuntiationem magistratuum esse prohibitam lege Clodia, manifeste ita *excludunt* alterum genus comitiorum (creationes) [2]), ut appareat de his constitutum fuisse quod contrarium esset; ostendimus ipsam rationem comitiorum talem esse, ut ius quod de altero genere ponatur in hac parte semper contrarium esse debeat iuri quod constituatur de altero (pag. 253 sq.); praeterea monuimus, sententiam quam impugnemus non posse defendi verbis Dionis quae pro ea afferri soleant, cum praesertim auctoritas Dionis, etiamsi faveret huic sententiae, in hac re nihil valitura esset contra auctoritates Ciceronis et Asconii (pag. 256). Itaque in hac parte quoque hoc solum restat, ut ostendam cur concedere non possim viro d. Mommsen (qui in ea re consentit cum viro d. Lange), post a. 58 de caelo servare *non* licuisse cum magistratus crearentur; quod ubi assecutus ero, simul etiam de lege Aelia Fufia rem profligavero, quia constat aliam rationem non esse qua Clodius obnuntiationem in creationibus liberam facere potuerit, nisi abrogando legem Aeliam Fufiam.

a. Primum argumentum peto ex rebus post a. 58 Romae gestis, quae probant tum licuisse de caelo servari cum magistratus crearentur; hae res tales fuerunt, ut recte Cicero dixisse videatur *hac una rogatione rempublicam esse deletam*, et ostendunt obnuntiationes magistratuum, si permittantur in cre-

---

1) Ibid. pag. 112 adn. 2: „Allerdings finden sich aus der Zeit nach 696 Beispiele genug von Obnuntiationen, gewiss weil die Rechtsbeständigkeit der clodischen Gesetze vielfältig bestritten wurde ... Dass noch im J. 700 eine Anklage wegen Verletzung des Fufischen Gesetzes erhoben ward (Cic. Att. 4. 16. 5), ist mit der Rechtsbeständigkeit der Clodischen Gesetze durchaus vereinbar, dass dem älischen und fufischen wohl derogirte, aber sie nicht formell abrogirte. Es blieben ohne Zweifel manche Bestimmungen derselben gültig, auf die eine Klage gegründet werden konnte". — 2) Mirum non est ab his auctoribus rationem non habitam esse iudiciorum populi et plebis (supr. 252 sq.), quae tum fere in desuetudinem abiissent.

Digitized by Google

ationibus, haud iniuria optimatibus visas esse tendere, ut supra dixi, *ad destruendam rempublicam*. Exitium liberae reipublicae repetendum est ab hac lege Clodia, quae effecit, cum creationes annuas permitteret libidini cuiuslibet, ut respublica per se stare non amplius posset, et indigeret auxilio potestatis dictatoriae, quod primum Pompeius deinde Caesar ei praebuit, quo ipso remedio nihil magis pestiferum ei esse poterat. Nos. h. l. summatim tantum de eis rebus agere possumus; narratione prolixiore supersedemus, qua sola plene demonstrari possit quale fuerit hoc Anarchiae monstrum a Clodio in rempublicam immissum. — A. 58 etiam ordine et tempore habita sunt comitia annua omnia. Sed iam a. 57 pars quaedam comitiorum, aedilicia scil., prohibita est a duobus tribunis pl. turbulentis, Milone et Sestio, qui de caelo perpetuo servabant cum Clodium inimicum suum aedilem fieri nollent [1]). A. 56 vero *omnia* comitia e toto anno exturbata sunt, et proximus annus initus est cum interregno; scil., de caelo servabat C. Porcius Cato trib. pl., qui primus hoc modo omnia comitia prohibere ausus est, specie quidem sua consilia persecutus, sed revera a triumviris subornatus [2]). A. 55, cum consules essent Crassus et Pompeius, primum suffectiones, non sine caede quidem et sanguine [3]), habitae sunt, deinde ante finem anni novae creationes; de caelo servare nemo ausus est; sed a. 54 exemplum Catonis imitati sunt aliquot tribuni plebis, quorum unus fuit Q. Mucius Scaevola, qui M. Aemilio Scauro consulatum petenti gratificabatur [4]), et alii, Memmio candidato gratificantes, parati erant comitia differre in adventum Caesaris, quem Romam redire putabant [5]). Itaque annus 53 initus est sine magistratibus patriciis, et res iterum ad interregnum rediit. Eo anno, postquam respublica sex menses amplius specie ab interregibus administrata erat, revera Anarchiae tradita iacuerat, cum multi interreges partim per auspicia quae non impetrabantur [6]), partim etiam a tribunis

---

1) Cic. Att. 4. 3. 3 sq. — 2) Liv. epit. 105, Dio 39. 27. 3, cfr. Cic. Qu. fr. 2. 6. 6 Orell (2. 4. 6. Klotz). C. Catonem non intercedendo, sed obnuntiando impedisse comitia, postea ostendam. — 3) Val. Max. 4. 6. 4; Dio 39. 32. 2; Plut. Pomp. 53; App. 2. 17. — 4) Cic. Att. 4. 17. 4 Boot; Q. fr. 3. 3. 2. — 5) Cic. Att. 4. 16. 6 Boot (4 17. 2 Orell): „putant fore aliquem qui comitia in adventum Caesaris detrudat, Catone praesertim absoluto" — 6) Dio 40. 17. 2; 40. 45 3.

Digitized by Google

pl. de caelo servantibus [1]), prohiberentur magistratus creare, cum denique novi consules facti essent, comitia denuo ab his haberi non potuerunt „ob perditas candidatorum contentiones", qui iam palam armis decertabant de republica; casu factum est ut auctores nostri [2]) in ea re mentionem non faciant obnuntiationum, verisimile est eo tempore anni 53 etiam, non minus quam antea, causam cur in comitiis vi armata uterentur hanc a competitoribus praetextam esse, quod alii obnuntiandi copiam tribunis fieri, alii obnuntiationem tribunorum vi impediri vellent; nam opus erat specie rationis legitimae cur rempublicam vi perturbarent. Sed ab eo tempore Pompeius, a. 52 consul sine collega creatus, a. 51 et 50 tamquam dictator privatus reipublicae praepositus, seditiones coercuit et etiam ab eis qui antea res vi turbaverant poenas repetivit; comitia his annis tempore habita sunt. Idem factum est annis 49—44, cum Caesar reipublicae praeesset; a. 49 Caesar dictator edicto semel diserte vetuit de caelo servari cum consules crearentur [3]). Manifestum est his annis nullam aliam ob causam viros factiosos abusos non esse iure de caelo servandi cum magistratus crearentur, quam quod eos cohiberet Pompeius primum, deinde Caesar. Nam ius de caelo servandi etiam tum viguit; a. 44, cum Antonius cos. indixisset comitia censoria, tribunus pl. denuo hoc ius adhibuit ad impediendam creationem [4]). Initio eiusdem anni, cum Caesar viveret, Antonius maluit quidem tamquam *augur* ei obnuntiare cum Dolabellam consulem crearet (vid. supr. pag. 96); sed Cicero diserte dicit, ei etiam licuisse de caelo servare tamquam consuli [5]).

Haec omnia quantum valeant ad nostram sententiam confirmandam, inprimis apparebit si rationem habuerimus huius rei: Quod a. 57, 56, 54, 53, 44 factum est, ut comitia annua aut omnia aut singula impedirentur et ex anno suo demerentur a tribunis pl. de caelo servantibus, id fuit prorsus *novo exemplo;* nullum vestigium est quo appareat, huiusmodi aliquid factum

---

1) Dio 40. 45. 3 — 2) Asc. p. 32; Schol. Cic. p. 341, 343, 346. — 3) Lucan. Pharsal. 5. 395, supr. pag. 97. — 4) Cic. Phil. 2. 33. 89, supr. pag. 81 adn. 1. — 5) Cic. Phil. 2. 33. 81: „Quid enim? istud ... si augur non esses et consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius".

Digitized by Google

esse per centum annos qui fuérunt ante a. 58, ne per longius temporis spatium quidem. Ut omittam saecula superiora, interreges nulli fuerunt inter annos 216 et 166; raro tantum, et propter causas longe alias, inter annos 166 et 58 [1]). Quis negabit, etiam ante a. 58 saepe magnas fuisse contentiones partium, veluti tempore Gracchorum et Marii, et post mortem Sullae; tum etiam saepe alios aliorum honoribus invidisse (quemadmodum a. 57 Milo nolebat Clodium aedilem fieri)? tamen de caelo servatum non est cum magistratus crearentur. Hoc est quod Cicero dicit: *„sanctissimas leges, Aeliam et Fufiam, in Gracchorum ferocitate et in audacia Saturnini et in colluvione Drusi et in contentione Sulpicii et in cruore Cinnano etiam inter Sullana arma vixisse"* (Vatin. 9. 23). Has laudes iustas esse ostendunt ipsi fasti consulares; in maximis rerum perturbationibus lex Aelia Fufia tuita est comitia annua, interregna a republica removit, avertit illud monstrum Anarchiae, quod Clodius demum contra eam excitavit a. 58 cum abrogaret Aeliam Fufiam [2]). Res ipsae igitur refutant coniecturam illam quam proposuit Lange, quasi etiam post a. 58 vixisset illa pars legis Aeliae Fufiae quae ad creationes pertineret, quae si annis 154 ad 58 non potuit neglegi, non magis potuisset neglegi post a. 58 si mansisset; eaedem nos admonent ne credamus, obnuntiationem magistratuum post a. 58 fuisse remotam ab *omnibus* comitiorum generibus, ante a. 58 in *omnibus* comitiis liberam fuisse.

b. Qui tenent, post a. 58 non licuisse de caelo servari cum magistratus crearentur, cum interrogentur quomodo tandem fieri potuerit ut tum ipsum novo exemplo tam saepe impedirentur creationes postquam, ut ipsi volunt, lex Clodia vetuisset de caelo servari, respondere solent (vid. pag. 262 adn. 1): hoc fieri

1) A. 162, quod consules vitio creati abdicaverant; a. 82, quod consules in bello civili occisi erant; a. 77, quod comitia habita non erant propter seditionem Lepidi. Cfr. Willems Senat. 2. p. 12. — 2) Id ipsum quod scribit Mommsen Staatsr. 1. p 114 adn. 1: „bei Cicero's beredtem Preise der leges Aelia et Fufia bleibt es nur zu bedauern, dass von ihren Lebenszeichen in all dieser Zeit so wenig erfindlich ist; was um so mehr befremdet, wenn man damit vergleicht welche Rolle in diesen Kämpfen das Intercessionsrecht gespielt hat" — ostendit effectum salutarem legis Aeliae Fufiae non fuisse quaerendum in *legibus* obnuntiatione *impeditis* (supr. pag. 240), sed in *creationibus magistratuum defensis* contra obnuntiationem tribunorum.

Digitized by Google

potuit quia a multis *non servabatur* lex Clodia (vel, secundum virum d. Lange, pars legis Aeliae Fufiae quae mansit). Dicam, cur hoc responsum haud sufficere mihi videatur.

Sane verum est, post a. 58 fuisse qui contenderent leges Clodias iure rogatas non esse. Sed ea sententia quam de legibus Clodiis tenuerunt nonnulli, semper caruit publica auctoritate, leges Clodiae numquam sublatae sunt [1]); id, quantum pertinet ad hanc legem de qua agimus, etiam conceditur ab adversariis nostris (vid. pag. 261 adn. 3). Videamus igitur quid consecuturum sit, si dubitetur de iure alicuius legis quae multis civibus displiceat. Hoc certe consecuturum est, opinor, ut ei cives, *qui cupiant eam legem nullam esse*, in hac lege praesertim crebro usurpent illam potestatem non servandarum legum ad se pertinentium, quam habeant omnes cives quatenus putent se impunes fore cum legem aliquam non servaverint. Utilitas quidem parva est quam hi cives in ea lege non servanda percepturi sint ex dubitationibus quae de eius iure feruntur; periculum quod suscipiunt prorsus idem est ac si numquam de iure legis dubitatum esset; si accusantur quod legem neglexerint, nihilo minus obnoxii erunt condemnationi ac poenae; sed tamen magna est vis eiusmodi dubitationum, quia tollunt ex animis civium sensum sanctitatis huius legis, qui sensus magis fere quam metus poenae adducere solet cives ut leges observandas esse putent; nemo cum hanc legem neglegat, maleficium committere sibi videbitur. Itaque, ut dixi, omnes qui ob aliquam causam cupiant hanc legem non valere in aliqua re quae ad eos pertineat, avide arripient et prae se ferent has dubitationes, ut culpa se levent cum ipsi neglegant legem, quamvis poenae periculum non possint hac ratione a se removere. Sed praeterea *nihil* valent hae dubitationes. Inprimis constat, eos qui cupiant legem illam valere in re quadam ad se pertinente, non posse his dubitationibus invitos cogi ut eam deserant, quamdiu publica auctoritate valeat. Itaque si verum esset, post a. 58 lege sublatum fuisse ius de caelo servandi cum magistratus crearentur, fieri quidem potuisset ut hoc ius de caelo servandi defen-

1) Cfr. Cic. dom. 16. 42: „video enim quosdam clarissimos viros, principes civitatis, aliquot locis indicasse, te (Clodium) cum plebe iure agere potuisse".

Digitized by Google

deretur, et contra legem usurparetur aut aliis concederetur, ab eis qui cuperent in ea re quae ageretur legem illam tollentem non valere, sed necesse esset hoc ius neglegi et pro nihilo haberi ab eis qui eam in ea re valere mallent. Ita factum est, ut supra ostendi, de lege quae post a. 58 vetabat intercedi legibus; haec lex semel (a. 54) neglecta est, cum id fieret *volentibus etiam eis qui legem ferrent;* intercessio, si accipiebatur a magistratu legem ferente, quamquam posita erat extra legem et ius constitutum, tamen valere poterat, quia nitebatur mutuo consensu et quasi privata pactione. Eodem modo, si omnes obnuntiationes illae post a. 58 factae a tribunis pl. cum magistratus crearentur, quae acceptae sunt et valuerunt, fuissent gratae eis qui comitiis praeessent, et *ab ipsis volentibus* essent acceptae, admitti certe posset illa sententia quae tenet, eas omnes factas esse adversus legem vetantem, neque esset cur negaremus, eo tempore legem fuisse quae de caelo servari vetaret cum magistratus crearentur. Sed res longe alia fuit. A. 57 consul Metellus valde cupiebat habere comitia aedilicia et Clodium, amicum et consobrinum suum, aedilem facere [1]). Idem etiam clarius cernitur in rebus a. 56 gestis; tum Marcellinus consul, quamvis furore fremeret cum videret comitia sibi e manibus eripi, tamen cessit obnuntiationi C. Catonis [2]). Omnium maxime manifestum est, hos consules non *adversus* legem quae *vetaret*, sed *coactos* lege quae *permitteret* de caelo servari, accepisse obnuntiationes. Itaque constat ex iure quod tum vigebat licuisse de caelo servari cum magistratus crearentur.

c. Sed tantum abest ut illae obnuntiationes adversus legem vetantem valuerint quod de iure legis ambigeretur, ut etiam appareat post paucos annos nullam omnino fuisse dubitationem de iure huius legis Clodiae, et omnium consensu valuisse legem quae *permitteret* de caelo servari cum creationes fierent. A. 54 consules Domitius et Appius tam parum cogitaverunt, addubitari posse ius tribunorum de caelo servandi, ut etiam ultro obsecuti sint *edictis* quibus tum de caelo se servaturos esse profitebantur tribuni (supr. pag. 107). Denique ab ipsis optimatibus etiam *verbis* concessum est, licere de caelo servari

1) Cic. Att. 4. 3. 4, supr. pag. 102. — 2) Cfr. Dio 39. 27. 3.

Digitized by Google

cum magistratus crearentur; hac re tollitur levissimum vestigium controversiae iuris. Cicero hoc palam professus est a. 44 in Philipp. II (supr. pag. 264 adn. 5). Sed cum hunc locum Ciceronis tangam, facere non possum quin etiam indicem fontem totius huius erroris, sine quo nemo in illam sententiam iturus fuisset. Res tota continetur prava interpretatione huius loci Ciceronis: *„(de caelo servare), quod neque licet comitiis per leges, et, si qui servavit, non comitiis habitis, sed priusquam habeantur debet nuntiare"*. Iam antea (Mnemos. XVIII p. 449 adn. 2) notavi infelicem errorem, quo plerique hunc locum interpretati sunt quasi *„de caelo servare comitiis"* dictum esset pro *„obnuntiare comitiis"* sive *„de caelo servare comitiorum prohibendorum causa"*, quasi Cicero his verbis diceret totam obnuntiationem magistratuum lege prohibitam esse, et ipse his verbis negaret quod non solum paullo ante in eadem paragrapho diserte affirmaverat (cum diceret consulem *etiam facilius* creationes obnuntiando impedire posse quam augurem), sed etiam in hac ipsa sententia clare affirmavit (verbis: *si qui servavit ... debet nuntiare*). Scilicet non reputaverunt formulam „de caelo servare" non posse coniungi cum dativo (comitiis), neque intellexerunt *comitiis* esse ablativum temporalem (= *ἐν τῇ χειροτονίᾳ* sive *τῆς χειροτονίας οὔσης*, quibus formulis utitur Appianus 3. 7, supr. pag. 99 sub 14°), et opponi alteri temporis definitioni *„priusquam comitia habeantur"*; Cicero dicit, id quod facere *liceat* consuli priusquam comitia habeantur, idem legibus *prohibitum esse* ne fieret postquam inīta sint comitia (comitiis), et contendit, Antonium, cum *ἐν τῇ χειροτονίᾳ* obnuntiasset tamquam augur, ex auspiciis *fortuito oblatis* sive ementitis, non posse hoc factum ita excusare ut diceret se de caelo servasse adhibita spectione consulari; vid. supr. pag. 96. — Apparet igitur, nullam iuris controversiam fuisse, sed omnes semper consensisse, creationes magistratuum posse impediri auspiciis quaesitis, quia valeret lex Clodia quae abrogasset Aeliam Fufiam.

d. Denique afferam argumentum quod solum sufficiat. C. Porcius Cato qui a. 56 tribunus pl. primus ausus erat omnia comitia eius anni tollere de caelo servando et Marcellino consuli e manibus eripere comitia, post duos annos accusatus est,

Digitized by Google

et lege Fufia quidem [1]). Crimen quod ei imputabatur, a Cicerone clare indicatur, fuit hoc ipsum quod adversus legem Aeliam Fufiam „detrusisset" comitia in proximum annum, quo consules creari possent Crassus et Pompeius; locus Ciceronis non sinit nos credere, eum accusatum esse quod neglexisset alias quasdam partes legis Aeliae Fufiae nobis ignotas, ad obnuntiationem non pertinentes (cfr. supr. pag. 262 adn. 1); nam cum Cicero dicat eius absolutionem fuisse pro praeiudicio eis qui posthac „comitia detrudere" vellent, necesse est eum absolutum esse hoc crimine quod „comitia detrusisset" [2]); idem etiam probat Catonem *obnuntiando*, non proprie *intercedendo* (quamvis eo vocabulo usus sit Livius epit. 105) impedisse comitia, nam lex Aelia Fufia non vetuit intercedi, vid. supr. pag. 259 adn. 3 [3]). Atqui lege Fufia accusatus est Cato; constat igitur, primum legem Fufiam vetuisse de caelo servari cum magistratus crearentur, deinde vero, legem Clodiam id non vetuisse; nam si lex Clodia vetuisset impediri creationes obnuntiando, necesse fuisset ut Cato non lege Fufia sed lege Clodia accusaretur. Iudices autem, cum absolverent Catonem qui manifeste neglexerat legem Aeliam Fufiam, hoc ipso iudicio statuerunt, legem Aeliam Fufiam non amplius valere, et valere legem Clodiam quae eam abrogaverat. Itaque praesidium legis Aeliae Fufiae, quod antea sublatum erat suffragiis plebis legem Clodiam accipientibus, nunc etiam sublatum est sententia iudicum, quo nullum in republica ferri poterat iudicium sanctius aut validius de iure legum. Sed concedendum esse videtur, iudices vix aliter decernere potuisse, cum secundum ius, non secundum utilitatem, eis decernendum esset, neque umquam senatus iudicasset, leges Clodias nullas esse; Cicero nimium tribuit potestati iudicum cum de hoc iudicio scriberet: *„ex quo intellectum est, τρισαρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique rempublicam flocci non facere"* [4]).

---

1) Cic. Att. 4. 16. 5 (a. 54): „nunc ad ea quae quaeris de C. Catone. Lege Iunia et Licinia scis absolutum; Fufia ego tibi nuntio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus quam accusatoribus". — 2) Cic. Att. 4. 16. 6. Boot (4. 17. 2 Orell) (a. 54): „putant fore aliquem qui comitia in adventum Caesaris detrudat, Catone praesertim absoluto". — 3) Cfr. supr. pag. 263 adn. 2, et pag. 248. — 4) Cic. Att. 4. 15. 4, cfr. quae adnot. v. cl. Boot.

Digitized by Google

Sed ego satis mirari non possum, quod fuerint qui ex hoc iudicio et causa Catonis argumentum peterent quo demonstrarent, legem Aeliam Fufiam non totam esse abrogatam a Clodio; scilicet decepti hac falsa ratione, quasi fieri non posset ut aliquis accusaretur lege quae abrogata esset. Nam in hac re ratio habenda fuerat illius controversiae iuris, qua ambigebatur de iure legum Clodiarum, quam nimis crebro ad alias res, quo minime oportebat, applicare conati sunt viri docti. Concedo sane neminem accusari potuisse lege quam abrogatam esse *constaret*, cum constaret tali lege cives non teneri; sed id a. 54 ob eam causam non cadebat in legem Aeliam Fufiam, quia erant qui dicerent eam *non iure* esse abrogatam a Clodio. Haec sententia, secundum quam lex Clodia non valebat et Aelia Fufia manebat, non tam firma quidem erat neque tam probe confirmata erat auctoritate publica, ut eam persequi ausus esset Marcellinus consul cum haberet comitia; is invitus cesserat obnuntiationi et legi Clodiae, metu coactus ne ipse post annum de maiestate reus fieret quod contra auspicia comitia habuisset. Sed qui adversabantur legi Clodiae, sine periculo accusare poterant Catonem; ratio eius rei egregia erat, et sola qua optimates tute operam dare possent ut suam sententiam superiorem facerent, utque a iudicibus impetrarent quod a senatu impetrare non poterant. Primum igitur videndum erat consilio iudicum, num accipi deberet accusatio, num locus Catoni constituendus esset. Quod iudices hoc affirmarunt, neque reiecerunt accusationem, certe contra nostram sententiam afferri non potest; huius rei fere liberum arbitrium erat penes praetorem et consilium iudicum; nullum ea re praeiudicium fiebat, neque oportebat iudices eam quaestionem statim disceptare, quae multo commodius et plenius in ipso iudicio poterat tractari. Sed in ipso iudicio hoc solum quaesitum est, num cives tenerentur lege Aelia Fufia; quod cum negatum esset a iudicibus, controversia iuris ad finem erat perducta, neque amplius, ut supra ostendi, quisquam rem in dubium vocavit; ab a. 54 apud omnes constabat, legem Clodiam valere, et magistratibus licere de caelo servare cum magistratus crearentur.

Digitized by Google

ANNOTATIONES NONNULLAE AD VERGILII AENEIDOS LIB. II.

SCRIPSIT

H. C. MICHAËLIS.

Etsi eruditissimorum cura et studio Vergilii Aeneis iam adeo perpolita et illustrata est nihil ut fere amplius desideretur, in recentissimas editiones nonnullas coniecturae quaedam receptae sunt quae, quod pace egregiorum earum inventorum sit dictum, mihi non probabiles esse visae sunt; voces quoque nonnullae restant, quae planiore explicatione indigent. De iis locis, deque talibus verbis ex libro secundo nunc acturus sum.

Vs. 25. *Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.*
Ita olim in omnibus editionibus legebatur. Vir cl. Baehrens immatura morte literarum disciplinae ereptus pro *et vento* coniecit *sumus et*, legi vult igitur: *Nos abiisse rati sumus et petiisse Mycenas*, eaque coniectura in recentissimam Aeneidos editionem Batavam recepta est, ideoque eius mentionem facio; sed nisi omnia me fallunt, fieri id non debuerat. Nullius codicis scriptura vel minima ex parte patrocinatur tam vehementi mutationi: detractio verbi *vento* detruncat quoque solitam Vergilianam dictionem *vento petere*, ut in huius libri vs. 180 *Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas*, et in IV vs. 381 *I, sequere Italiam, vento pete regna per undas*, ut nunc rectissime scribitur, multo melius quam antea cum prava interpunctione *I, sequere Italiam vento, pete regna per undas.* — Neque in coniectura illa auribus satis, credo, consultum est. Nam terminationes similiter sonantes *abiisse ... petiisse* in versu secundum codices scripto felicissime et elegantissime variantur longis illis syllabis *et vento*, ut illa-

Digitized by Google

rum terminationum similitudo *abiisse ... petiisse* aures tritas non laedat, contra, intrusis brevibus illis *sumus et* (ubi *et* quoque sine ulla excusatione loco suo movetur) terminationes breves ita cumulantur ut versus omni elegantia destituatur. Adde quod dactylorum coacervatio inde orta non optabilis esset nisi celeritatis mentio esset facienda, quae in hoc versu neutiquam desideratur. Unica ratio quae huius coniecturae reddi posset, esset credo absentia verbi *sumus* apud participium *rati*; sed ne illud quidem ad talem conatum ducere debuerat; nam Vergilius et aequales saepe omittunt verbum *est*, aut *sunt* post participia perfecta deponentium: Vergil. Aen. II, 2 *Inde toro pater sic orsus ab alto*, IV, 632 *Tum breviter Barcen nutricem affata Sychaei*, VII, 374 *Ubi ... Latinum Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum* (scil. est) *Serpentis furiale malum, totamque pererrat*, Horat. Epod. II in fine:

Haec ubi locutus fenerator Alphius,

Tibul. II, III, 19:

O quoties ausae, caneret dum valle sub alta
Rumpere mugitu carmina docta boves.

Quin etiam ex iis, quae Wagnerus in Quaestione Vergiliana XV de abundantia et absentia verbi *esse* in Vergilio monuit, necessario sequi videtur ut hoc quidem loco verbum *sumus* potius omittendum sit: ait enim Numero 8 „*Interdum in commotiore oratione ubi festinatur ad proxima hoc verbum omittitur, omninoque in eo genere orationis, in quo scriptores vulgo brevitati student;*" quod hic sane locum habet, nam statim sequitur: cum alacritate et festinatione: *Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu, Iuvat ire.*

Retineatur igitur genuina et proba scriptura

Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.

59. *Qui se ignotum venientibus ultro*
Obtulerat fidens animi.

Vir cl. Speijer pro *ignotum* coniecit *ignotus*. Primo obtutu coniectura illa mihi valde placebat, eiusque acumen effecisse videtur ut in novam Vergilii editionem Batavam recepta sit. Re tamen serio deliberata eam non admittendam censui. Nam nullo codice stabilitur et versu 589 rursus ex omnibus fere

Digitized by Google

codicibus, similiter atque hic, legitur *Cum mihi se non ante oculos tam clara videndam obtulit.* Unus tantum codex Francianus minimi pretii et infimi ordinis (conf. Heynii edit. maiorem T. IV p. 166) dat: *videnda.* Nihilominus auctor illius coniecturae de qua agimus, hunc locum, qui eum plane redarguebat, mutavit, et ibi quoque scripsit *tam clara videnda.* Talis vero agendi ratio, etsi hodie saepe a Criticis, Graecis praesertim, adhibetur, non probabilis esse mihi videtur. Nam ab altera parte exempla codicibus stabilita adhibere, quibus opinionem tuam confirmes, ab altera contra illa exempla, quae eam redarguunt, detorquere, hoc minime probandum videtur: hoc est quasi testes, qui contra te in iudicio testimonium dicturi sint corrumpere, aut gladium in certamine singulari adversario eripere, quo ipsum eum conficias, quae omnia a bonis probisque literis et absunt, et remota manere debent. Neque usus Vergilianus illi mutationi favet; ille poeta enim et nominativo et accusativo in illa dictione utitur. Saepe metrum unum alterumve adhibere coegit: I, 314 *Cui mater media sese obtulit obvia silva*, sed I, 503 *Talis erat Dido, talem se laeta ferebat.* II, 388 *Quaque ostendit se* (Fortuna) *dextra sequamur*, sed IV, 11 rursus: *Quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis.*

Vergilii usus igitur aeque favet codicum scripturae *notum*, atque coniecturae *notus*; codicum consensus vulgarem perquam probabilem reddit, locus simillimus iam allegatus II 589 *Se ... videndam obtulit* eam unice comprobat, cui pondus denique addit ratio, quae clamat fere adiectivum *ignotum* accusativo *se* iungi debere, non subiecto; nam Sinon, quum ad fraudem suam perpetrandam proficisceretur, non ignotus erat, imo valde notus Achivis, sed quum ad Troianos pervenisset, tum demum ignotus factus est, tum se *ignotum obtulit.* Ideoque opinor critici superiores omnes locum ut integrum intactum reliquerunt, et intactus manere debet.

Elegantia denique, cuius in tam castigato poeta ubique ratio habenda est, favet scripturae ignot*um*, quum statim post sequatur venienti*bus*, quod multo gratius sonat quam ignot*us* venienti*bus*; in illa placet variatio terminationum *tum*, *bus*; in hac vero similitudo *tus*, *bus* laedit aures tritas.

Digitized by Google

26. *Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.*

Interpretes Vergilii, quos consului, silent omnes de vocis *ergo* vi et praestantia. Lexicographi quoque et grammatici recentiores in ea voce describenda et tractanda valde ieiuni sunt. Agunt tantum de eius significatione conclusiva et coniunctiva, deque loco, quem in periodis obtinet, qua in re admodum miror Madvigium in Gramm. Lat. § 465 c in conclusionibus praesertim primum ei adsignare locum, nam tum fere semper vocem conclusionis sequitur. Conf. Tuscul. Quaest. Ciceronis I Cap. 6, 7, 8. Sed si initio sententiae ponitur, ut nostro loco, maximam vim et multo efficaciorem significationem habere potest, praesertim apud poetas. Is qui solus accurate de ea vocis *ergo* significatione egit, fuit praestantissimus Brouckhusius, qui ad Propert. Lib. III, V, 1 *Ergo sollicitae tu causa pecunia vitae es* notavit: „haec particula stomachantis est aut conquerentis" idque multis exemplis confirmavit. Et Ruhnkenius ad Ovid. Heroid. V 59, et 60:

Votis ergo meis alii redituro redisti?
Hei mihi pro dira pelice blanda fui!

id comprobat, eadem illa ex Brouckhusii nota afferendo.

Et verissima sane Brouckhusii observatio plane confirmatur pulcherrimo Horatii versu Lib. I. Od XXIV, 5 *Ergo Quinctilium perpetuus sopor urguet?* Sed Brouckhusius vim huius particulae angustioribus finibus inclusit. Vergilii locus de quo agimus latiorem sensum ei inesse docet. Indicat omnino, id quod docti nondum monuerunt, animi motum solito maiorem, non solum dolore aut indignatione, sed etiam laetitia, aliave quavis perturbatione ortum. In versu allato est signum animi diu oppressi, anxie deliberando et reputando, et tandem alacriter erumpentis.

Similem laetitiae declarationem exhibet *ergo* in Tib. Lib. IV 175, ubi poeta de Messallae triumphis exclamat

Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.

Impatientiam animi in iubendo indicat *ergo* in hoc Terentii versu Adelph. 1 III, II, 33: *Sed estne frater intus? — Non est ... Scio ubi sit. — Quid ais? ... — At nomen nescio illius hominis, sed locum novi ubi sit. — Dic ergo locum.* Ubi Donatus iam annotavit: *Ergo semper addimus ut hortemur tarde*

Digitized by Google

quid facientes. Conf. Phorm. I, II, 12 *Ergo ausculta*, ubi Donatus eadem repetit.

Animi vehementer stomachantis indicium praebet *ergo* in his Plauti quoque verbis Bacch. I, II, 17: *Non placet mihi ornatus. — Nemo ergo tibi hoc apparavit, mihi paratum est, placet.* Denique summam admirationem exprimit illa particula in Plauti Mil. Glor. 1. 1. 63 ubi Militis gloriosi assentator Artotrogus ei narrat quantopere mulieres eius pulcritudinem admirarentur his verbis:

Rogitabant: 'hicin Achilles est' inquit mihi
'Immo eius frater' inquam, annuit altera:
'Ergo mecastor pulcer est', inquit mihi,
'Et liberalis, vide caesaries quam decet!
'Ne illae sunt fortunatae, quae cum illo cubant'

ubi v. d. Lorenzio nulla causa erat cur adnotaret: voci *ergo* apud Plautum saepe vim addi particula *edepol.* Nam illa particula apud comicos non tantum voci *ergo*, sed plurimis verbis animi concitati, *certo*, *profecto*, numquam aliis, additur. In summa indignatione iteratur. Id videmus in Senec. Clem. I, IX, 13 *Quid ergo? Ergo percussorem securum ambulare patiar? Ergo non dabit paenas?* Quam certum denique signum sit vehementissimi moeroris in carissimorum amissione, optime intellexit et expressit Horatius in iocosa illa de heredipetis satyra II, V, 101, ubi avidum illum post Damae mortem, cuius hereditatem tam diu inhiaverat, quaque nunc demum potitus est, exclamantem facit: *Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est? Unde mihi tam fortem tamque fidelem?*

107. *Prosequitur pavitans et ficto pectore fatur.*

Vir cl. Kvic'ala, accuratus ille Vergilianae elegantiae indagator, verbum *prosequitur* contra omnes Codd. mutandum censuit in *persequitur*, quoniam verbi *prosequi* cum tali significatione non exstet alterum exemplum. Tale effatum viri in Vergilii scriptis versatissimi multum valere potest, et apud doctum editorem recentis editionis Batavae tantum valuit, ut coniecturam illam *persequitur* in textum receperit. At pace illorum virorum de Vergilio optime meritorum dixerim, illam mutationem probare non possum. Esto ut vox illa eo sensu alibi non inveniatur,

Digitized by Google

fieri tamen posset ut nihilominus probabilis esset, si indole linguae et usu poetae non redargueretur, sed praeterea saepe iam expertus sum, talia effata vel praestantissimorum literatorum non semper tam certa esse ut non uno, pluribusve locis unde-unde ex auctoribus bonis petitis possent refutari.

Mox complures afferam locos unde patebit *prosequi* non solum saepius significare, quod hic requirimus, narrationis continuationem, sed hoc quidem loco aptius esse quam *persequi*. Sed ambarum particularum *per* et *pro* comparatio id iam docet. *Per* indicat transitum per locum totum, *finem* designat: e. g. persequor hostem, eum sequor, donec eum prehendero. Id ex pluribus verbis: perago, perduco, perficio cet. luculenter apparet. Sic persequi sermonem dicitur is, qui eum ad finem perducit. At hoc Vergilius dicere noluit, id solum: Sinon ita narrare pergit. Et hoc multo melius indicatur voce *prosequi*, quae continuationis notionem tantum continet, non ad finem spectat. Prosequimur abeuntem oculis, aliquem votis, lacrymis, honore, beneficiis, quae omnia *comitatum* alicuius per viam aut vitam pergentis, iter *continuantis*, non *finem* indicant. Sed age iam exempla verborum amborum proferamus, quae eorum discrimen clare indicent. Cic. de off. 1. 37 *Sermo persequatur convivia* i. e. comitetur usque ad finem, Ep. ad fam. IX, 3 *te persequar* i. e.: propositum nostrum utriusque, ut in studiis una vivamus. *Persequi* hic ergo propositi pertinaciam ad finem usque indicat, quae significatio loco nostro non convenit. *Prosequi* contra hoc ipsum significat, quod requirimus: Senec. de Ira. II, 3, § 1 *Ergo affectus est non ad allatas rerum species moveri, sed permittere se illis et hunc fortuitum motum prosequi* (Ibi procul dubio verbo *prosequi* inest *pergendi* notio, quam solam requirimus). Ita nunc ex omnibus fere codicibus scribitur: olim edebatur *persequi*. Codex Leidensis Voss. 43. A optimae notae, quem olim consului, etiam exhibet lectionem *prosequi*.

Q. Natural. VI, 20 § 1 *Ait motum aliquando spiritu fieri, aliquando aqua ... et id hoc modo prosequitur.*

De Benef. V, 10 § 4 *Diutius hoc et pluribus exemplis licet prosequi.*

Plin. Ep. I. 8, 8 *Quid utilius fuit, quam munificentiae rationem etiam stilo prosequi.*

Digitized by Google

Flor. III, XII, 14 *Hos igitur populi Romani omnes domesticos motus, separatos ab externis iustisque bellis, ex ordine prosequemur.* In quibus omnibus exemplis pergendi notionem verbo *prosequi* inesse videmus, quam Vergilii loco requirimus.

His si addimus *pro* in *prosequi* multo fortius sonare quam *per* in *persequi*, et vocem validam requiri, ubi Sinon ea narraturus est, quae populo interitum urbi excidium allatura sunt, nulla causa remanere videtur cur lectioni *prosequitur* ratione et Codicibus commendatae novam *persequitur* praeferamus.

124 et 125. *Et mihi iam multi crudele canebant*
Artificis scelus et taciti venturâ videbant.

Duo recentissimi interpretes statuunt Vergilium hic de duobus hominum generibus loqui, ita ut altera pars Sinoni perniciem imminentem alta voce praedicat, altera vero eam tacens praevideat. Id ut facere possint, particulae *et* tribuunt vim disiunctivam, eamque explicant per *aut*, provocantque ad morem Vergilianum. Largior sane iis id saepius apud Vergilium animadverti posse (Conf. Wagneri Quaest. Vergilian. 33, 34 et 35 in Heynii Ed. maiore). Credo tamen id quidem fieri licere in variarum et discrepantium opinionum aut actionum enumeratione, ita tamen ut vinculum quoddam inter eas cogitari possit, non vero ubi duo hominum genera, ut plane contraria, inter se opponuntur, quod secundum illos interpretes hic locum haberet, aliis clamantibus, aliis tacentibus.

Id optime animadverti potest in loco maxime memorabili eumque in finem iam a Wagnero citato Verg. Aen. II. 36.

Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent subiectis q u e urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.

Ubi non admittenda est coniectura *subiectis v e* pro *subiectisque*, nam duo illa priora una notione comprehendi possunt, nempe ut deleatur equus sive in pelagus praecipitando, sive comburendo, alterum autem consilium est ut perforetur. Ideoque *ibi* Vergilius usus est particula disiunctiva *aut*, ut Wagnerus optime monuit. Si igitur poeta duo plane contraria hominum genera proponere voluisset non *et* sed *aut* scribere debuerat. Sed graviora sunt quae illam opinionem redarguere mihi videntur.

Digitized by Google

Eiusmodi discrimen ut alii taceant, alii periculum imminens Sinoni palam vaticinentur, non convenit huic personarum pulcrae descriptioni. Quisque, nullo excepto, anxius est ne vates se arae destinet, nam vs. 130 legimus

quae sibi quisque timebat
unius in miseri exitium conversa tulere.

Omnes ergo tacebant: quamvis Sinonis perniciem praevidebant et taciti divinabant, nemo tamen id palam dicere ausus fuisset. Sed quum Calchas eum sacrificio destinasset, tum, metu sublato, omnes clamorem tulerunt: *assensere omnes.* Si pars rem iam prius clamando divulgasset, ceteris tacentibus metu, priores illi sane non timorem sed audaciam periculosissimam ostendissent, id quod poeta nec dicere voluit, nec dixit.

Nam tum inutilis quoque et languida fuisset ceterorum timoris adiectio, quae ita in illorum iactabunda declaratione non animadversa fuisset, neque rationem habuisset. Id quod recentissimos interpretes ad illam opinionem, a qua recedere coactus sum, perduxit, fuit credo vox *canebant*, quae iis visa est opponi debere taciturnitati, et necessario indicare clamorem: quod secus est. Optimi quoque auctores interdum verbo *canere* utuntur de *tacita* vaticinatione et praedictione.

Prop. III, IV, 3

Si non vana canunt mea Lygdame somnia, testor.

Claudianus de bello Childonico

Per somnos mihi, sancte pater, iam saepe futura
Panduntur, multaeque canunt praesagia noctes.

Iust. VII, 6 *Fata quae cecinerant.* Ipsum denique adiectivum *tacitus* nonnumquam iis verbis additur quae sonum indicant,

Propert. I. XVI, 25 (Tu, ianua)

Respondes tacitis mutua cardinibus,

Val. Flacc. VII, 488

Tacitis nam cantibus illum
Flexerat.

si quis autem rogaret, quomodo Sinon resciscere potuerit multos perniciem sibi praedixisse, quum tacerent, responderi posset: quum Calchantis indicium patefactum esset, aut hi ipsi, aut amici Sinonis id ei declararunt. Quum igitur nihil impediat quominus quis *tacite* canere sive praedicere aliquid dicatur, neque

Digitized by Google

ulla alia difficultas id impediat, retinebimus veterem et probabilem explicandi rationem.

301. *Clarescunt sonitus armorumque ingruit horror.*

Verbi *ingruere* vim et pulchritudinem interpretes nondum indicasse videntur, neque discrimen, quod inter hoc verbum et *irruere* intercedit, quae voces in codicibus saepe permutantur. Lexicographi quoque ad illud discrimen non videntur attendisse, Heinius hoc loco scripturam *irruit* ex uno codice commemorans ait quidem „*ingruunt* bene de iis quae accedunt, propiora fiunt." Sed illa ieiuna et nequaquam apta sunt ad vim eius verbi in lucem proferendam. Sed Taciti locus Hist. III. 34 desiderio nostro optime satisfacit, ubi legimus *Condita erat Cremona ingruente in Italiam Hannibale* (nempe per Alpes) *propugnaculum adversus Gallos et si qua alia vis per Alpes rueret* (= irrueret). *Ingruere* significat igitur appropinquationem minacem mali magis minusve etiamnunc remoti, sed lente et certe adventantis, et nulli impedimento cedentis: *irruere* contra indicat impetum subitum et improvisum.

Sic Livius pulcre V, 21 *Haec precatus ... ab omnibus locis urbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset.* Quia autem malum, quod *ingruit*, non potest amoveri, certe instabit; illud verbum etiam impetum ipsum sed deliberatum, aut saepe repetitum indicare potest. Rursus Taciti et Livii citabo locos. Nam ea vox gravis et fortis a militia petita, in soluta oratione, ut Weissenborn ad Liv. V, 21 declaravit, primum a Livio usurpata est, et quantum ego comperire potui ex poetis iam Plauto placuit: Plaut. Amph. 1. 1. 81 *Hostes crebri cadunt nostri contra ingruunt.* Sed inprimis Vergilio, tum serioribus historicis, qui, ut novimus, iam proni erant ad poeticas dictiones a Vergilio praecipue mutuandas. Livii iam scripta sed Taciti inprimis satis huius rei exemplorum suppeditare possunt, sed apud Tibullum, Propertium, Horatium alios haud facile credo huius verbi exemplum invenias. Iam ad Taciti Liviique locos redeo: Tacit. Ann. II, 11 *Curiovalda hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent* (de ordinato et deliberato impetu), *atque ipse in densissimos irrumpens* (= irruens

Digitized by Google

de subito, non praeviso impetu). Livius XXVIII, 44 in fine *Illuc* (in Africam) *terror fugaque, populatio agrorum ... quae in nos per quattuordecim annos ingruerunt, verterunt.* Ubi *ingruerunt* vehemens malum indicat diu et identidem et undique incurrens tanta vi ut ei resisti non possit. Inde pulcre de morbis Curtius V, 1, 11 *Ingruentibus deinde morbis quos odor cadaverum totis iacentium campis vulgaverat;* et Tacitus de accusatoribus Ann. 6, 38 *Non enim Tiberium tempus preces mitigabant quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruentis accusatores haud perpessus.* Denique simili ratione illa vox a Vergilio, eiusque exemplo a serioribus historicis pulcre adhibetur de telis aliisque rebus, quae tamquam nubes pestifera de coelo decidunt. Vergil. Aen. XII, 284

It toto turbida coelo
Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber.

Georg. II, 410 *Bis vitibus ingruit imber,*
Bis segetem densis obducunt sentibus herbae;
Durus uterque labor.

Florus II, 59 *Relicto quidem in fluctibus paludamento ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur.*

Unde Tacit. Ann. I, 27 non longe recedit ubi ait: *Circumsistunt, simul ingruunt, saxa iaciunt.*

260. *Illos patefactus ad auras*
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt.

Ad ea Heinius haec notat: *Promunt* maior librorum pars; et sic proprie hac in re dicitur. Enimvero Longob. Pierii, quem etiam Fabricius respicere videtur, *produnt* habet, quod sane exquisitius *se prodere.* Itaque Heinsio illud probatum. Heynius tamen id non in textum recepit: sed Heinsii auctoritas persuasit doctissimo v. d. Vliet, editori optime de Vergilii explicatione apud nos merito, ut eam scripturam in editionem suam reciperet. Mihi tamen non probabilis et merito a prioribus editoribus non recepta videtur, aeque atque Ovid. Fast. V, 518, ubi seriores editores restituerunt lectionem *Promit fumoso condita vina cavo*, quamvis Heinsius ex vetust. Codd. legi volebat *prodit* pro *promit.* Etiamsi ambae voces *promunt* et produnt propter

Digitized by Google

significationem pari iure hic locum obtinerent, tamen sine dubio praeferrem *promunt*, ne versus similibus verbis red*dit* et pro*dunt*, minus eleganter inciperet et desineret. Sed non idem significant: ex omnibus, quos consului, locis mihi apparuit *promunt* hoc ipsum exprimere quod Vergilius voluit dicere, *produnt* nequaquam. *Promere* semper significat aliquid ex occulto et latenti loco proferre ad usum vel cognitionem praesentem:
Hor. III Od. 28, 2 *Prome reconditum*
Lyde, strenua Caecubum.
V. Flacc. VI, 41 *Ergo duces solasque deae mihi promite gentes*,
ut eorum cognitione nunc statim in carmine utar.

Tacit. Ann. XII, 65. *Agrippinam magis magisque suspectans* (Narcissus) *prompsisse* (ex intimo cordis recessu) *inter proximos ferebatur certam sibi perniciem seu Britannicus rerum seu Nero potiretur.*
Hor. I Od. 34, 14 *Valet ima summis*
Mutare et insigne attenuat Deus
Obscura promens,
ubi *promens* rursus ad praesens tantum tempus, non ad *futurum* pertinet. *Prodere* vero saepius futuri temporis rationem habet, quod iam patet ex locutione *memoriae prodere*. Sic Seneca Q. Nat. III Praef. *Aliis causas et secreta mundi noscenda prodere.*
V. Flacc. III, 216 *Vos prodite Divae*
Eumenidum noctisque globos, vatique patescat
Armorum fragor (i. e. prodite mihi et per me posteris).
Terent. Andr. II, 1, 13
Credo impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Ubi Donatus *prodat* explicat per *proferat*, *prolatet*, ergo rursus de futuro tempore dictum est. Sed futuri temporis et morae notiones nequaquam aptari possunt militum in equo inclusorum imagini, atque inde clam exire festinantium. *Clam* certe id facere volunt, et ideo quoque *prodere* probari haud potest, quo saepe *palam* ostenditur quod quis anxie tegere studuerat.
Ovid. Met. II, 447 *Crimen prodere vultu.*
Heroid. XII, 38 *Eminet indicio prodita flamma suo*,
et inprimis Met. IV, 655
Laevaque parte Medusae
Ipse retroversus squalentia prodidit ora,
ut vultum illum totum et plane intueretur.

Digitized by Google

Dictio *se promunt* denique commendatur Columellae loco III, 12, ubi scripsit: *vites se promunt.*

Dictionis autem *se produnt* = prodeunt, nullum inveni exemplum. Neque Nonius, qui verbi *prodere* diversas significationes collegit. easque multis Vergilii locis stabilivit, ullum affert locum ubi *prodere* idem valeat quod *promere.* Quibus de causis lectio *promunt* mihi retinenda videtur.

305. *In segetem veluti quum flamma furentibus austris*
Incidit aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores
Praecipitesque trahit silvas.

Vir cl. Baehrensius pro *rapidus* acute coniecit *rabidus.* Eruditus auctor editionis recentioris Batavae laudabili studio Vergilii emendandi ductus coniecturam illam elegantem in textum recepit. Ductus sane literarum in duabus illis vocibus tam parum differt ut facillime una pro altera scribi potuerit. Compluribus tamen locis, ubi illa verba inveniuntur, inter se sedulo comparatis coniectura illa vulgatae scripturae non praeferenda mihi videtur. Bene quidem voces *rabidus* et *rabies,* ut proprie de cane et homine ira furioso, ita tropice de mari et vento usurpari possunt, sed tum demum si motibus eius, velut rabidi canis, nullum consilium, nulla ratio inesse videtur, sed quoquo versus se iactat et furit, non vero de flumine quod uno certoque decursu omnia obstantia secum rapit. Hi loci id luculenter docent. Horat. I Od. 3 vs. 14 ait:

Nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti.

Iure quidem, nam ibi omnia furibunde agitantur.

Sed Ovidius Fast. III, 587:

Dumque parant torto subducere carbasa lino,
Percutitur rapido puppis adunca noto

dixit *rapido noto,* optime quidem, non *rabido,* quia *notus* certo incursu percutit puppim, non incerte vagatur.

Simili de causa ait Trist. I, 2, 91:

Ferte, quid hic facio, rapidi mea carbasa venti.
Ausonios fines cur mea vela vident?

Digitized by Google

nam desiderat cursum certum ab Italia Graeciam versus. Apud Vergilium quoque loco quem consideramus torrens de montibus certo agitur decursu eo quasi consilio ut eodem tractu omnia secum rapiat.

Etiam Tibulli duo loci discrimen aperte ostendunt.

IV, 1, 72 *Quum canibus rabidas inter freta sorberet undas* (Charybdis)

Sed ibidem 193:

Pro te vel rapidus ausim maris ire per undas.

Atque hic Horatii locus etiam adiectivum *rapidus* nobis commendat I Sat. 10, 62

Etrusci
Quale fuit Cassi r a p i d o ferventius amni
Ingenium.

Nam si *rabidus* usquam flumini adiungi posset, hic certe ei locus fuisset. Sed poeta sobrius et sanus non inflatus et turgidus id non fecisset. Adiectivum *rapidus* et verbum *rapere* satis fortia sunt. Quod hi loci satis superque declarant: Cic. Phil. XIII, 18 *Unde se quo furore rapiebat, in urbem*, Tacit. Hist. 1, 13 *Spem acrius in dies rapiebat*, 1, 27 *Imperatorem strictis mucronibus rapiunt* (secum in urbem). Imprimis Iustini locus XXXXIV, 1, 7 *In hac* (Hispania) *cursus amnium non torrentes rapidique ut noceant, sed lenes et vineis campisque irrigui*, luce clarius ostendere videtur quantopere scriptura *rapidus* apud Vergilium sit praeferenda. Hic denique Plauti locus clamat quasi quam arcte *rapidus* et *fluvius* cohaereant, Mercat. Prol. 63 et 64:

Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule
Rapidus raptori pueri subduxit pedes.

Atque ea quidem, ut spero, satis tuebuntur vulgatam scripturam *rapidus ... torrens.*

Velpiae mense Novemb. 1890.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA.

SCRIPSIT

H VAN HERWERDEN.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 386).

Plutarchi Chaeronensis Moralia recogn. Gregorius N. Bernardakis Vol. III. Lipsiae in aed. B. G. Teubneri MDCCCXCI.

Novum hoc Moralium volumen, in quo plurima Bernardakis dedit rari acuminis et sanae doctrinae documenta, insigni cum fructu et voluptate perlustravi et inter legendum nonnulla notavi, e quibus pauca doctissimo editori aliisque diiudicanda communicabo cum Plutarchi studiosis.

P. 390 A. *ὀκτάεδρον καὶ εἰκοσάεδρον καὶ δωδεκάεδρον.* Non sine dubitatione me advertit mirus hic verborum ordo pro *ὀκτάεδρον καὶ δωδεκάεδρον καὶ εἰκοσάεδρον.*

P. 401 B. Lacunam 18 fere litterarum in codd. B E post Ὀρέστην Ἀχαιὸν explerent verba *καὶ τὸν Πάριν Ἀλέξανδρον,* sed propter praegressa veri est similius periisse aliquod reconditioris doctrinae *γεῦμα.*

P. 402 D. *οὐκ ὀρθῶς οὖν Εὔδοξος ἐπίστευσε τοῖς Στυγὸς ὕδωρ τοῦτο καλεῖσθαι πεφήνασι.* Editor proponit aut *γε φήσασι* aut *πεπεικόσι.* Hoc video, locum non esse particulae ΓΕ.

P. 405 B. De Batto dicitur *ὅτι τραυλὸς μὲν ἦν καὶ ἰσχνόφωνος.* Ipsa vocabuli origo satis demonstrat *ἰσχνοφώνους* dici, quibus vox est exilis, contra eos quibus vox haeret, itaque Battum, qui balbutire credebatur, dicendos esse *ἰσχοφώνους,* i. e. interprete Aristotele (Probl. 11, 35) *οἱ ἴσχονται τοῦ φωνεῖν.*

Digitized by Google

Quare non dubito quin recte Bekkerus Herodoto IV 155 *ἰσχόφωνος* reddiderit, neque aliter hic scripserit Plutarchus.

P. 410 BC. *ἀεὶ γὰρ ἔλαττον ἀναλίσκειν ἔλαιον ἔτους ἑκάστου, καὶ τοῦτο ποιεῖσθαι τεκμήριον ἐκείνους τῆς τῶν ἐνιαυτῶν ἀνωμαλίας, τὸν ἕτερον τοῦ προάγοντος ἀεὶ τῷ χρόνῳ βραχύτερον ποιούσης.* Miror Bernardakin fugere potuisse Plutarchum scripsisse *τὸν ὕστερον κτἑ.*

P. 413 B. Unice Graecum existimo *τὸν Πυθαγόραν εἰπόντα βελτίστους <αὐτοὺς> ἑαυτῶν γίγνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους.* Saepius in hac formula titubasse librarios nihil est quod miremur.

P. 413 F. Operarum errore excidit *εἰ* post *ὥσπερ.*

P. 420 D. *Ἀλέξιδος τοῦ κωμῳδιοποιοῦ.* Codd. hic et alibi *κωμῳδοποιός*, quam formam editor aliorum exemplum secutus ubique correxit. Non excitabo vocabula *κωμῳδοδιδάσκαλος* et *κωμῳδοδιδασκαλία* apud Aristophanem ubique metro tuta, quia poetae tam *κωμῳδοὺς* quam *κωμῳδίαν ἐδίδασκον.* Sed plus me movet Pac. 734

χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδούχους, εἴ τις κωμῳδοποιητὴς κτἑ.

Qui enim probet *κωμῳδοποιητής* quo iure *κωμῳδοποιός* improbare possit non video. Quia autem ipsae fabulae, praesertim comicae, a choro nomen accipere solebant, haud ita mirum videtur populum in vita quotidiana *κωμῳδούς* et *τραγῳδούς* dixisse pro *κωμῳδίαν* et *τραγῳδίαν*, quo pertinet nota illa formula *καινοῖς τραγῳδοῖς.*

P. 434 A. *αὐτόθηκτον* in versu Aeschyleo sanum esse minime mihi persuasit editor, et posterior pars eius notae ad h. l. prorsus obscura mihi est.

P. 442 extr. *δέδοικα δὲ μὴ δόξαιμι παντάπασιν ἐπαγωγὰ καὶ νεαρὰ τῷ λόγῳ περαίνειν.* Syntaxin corrigit editoris coniectura *δόξω μοι.* At quis ita loquitur: *vereor ne mihi videar?* Expectatur aut *δόξω* aut *δόξω σοι.*

P. 447 A extr. *ὥσπερ αἱ τῶν παίδων ἐπιδρομαὶ κτἑ.* Malim *παιδίων*, ut infra p. 458 D Plutarchus de eadem re scribit: *ὥσπερ ἐν τοῖς δρόμοις τὰ παιδία τῷ μὴ κρατεῖν ἑαυτῶν προκατατίπτοντα τοῦ τέλους ἐφ' ὃ σπεύδει γελοίως.*

P. 451 C extr. *τὸ ἄγριον κολοῦσαι καὶ ἀφελεῖν τὴν ἀμετρίαν, εἶτα τιθασεύειν καὶ περίστασθαι τὸ χρήσιμον.* Quo sensu haec sana esse possint, vellem Bernardakis explicasset, quod

Digitized by Google

quamdiu non fecerit, suspicabor, genuinam lectionem esse καὶ περιιστάναι πρὸς τὸ χρήσιμον.

P. 453 init. ἐπεὶ τοίνυν οὐκ ἔστιν αὐτὸν αὐτῷ διὰ χρόνου προσελθεῖν χωρὶς γενόμενον καὶ διαστήσαντα τῆς συνεχείας τὴν αἴσθησιν, ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶ τὸ μάλιστα ποιοῦν ἕκαστον αὐτοῦ Φαυλότερον κριτὴν ἢ ἑτέρων· δεύτερον ἂν εἴη τὸ τοὺς φίλους ἐφορᾶν διὰ χρόνου καὶ παρέχειν ὁμοίως ἐκείνοις ἑαυτόν, οὐκ εἰ γέρων γέγονε ταχὺ καὶ τὸ σῶμα βέλτιον ἢ χεῖρον ἔσχηκεν, ἀλλὰ καὶ τὸν τρόπον καὶ τὸ ἦθος ἐπισκοπεῖν, εἴ τι χρηστὸν ὁ χρόνος προστέθεικεν ἢ τῶν Φαύλων ἀφῄρηκεν. Quos amicos aliquo temporis spatio praeterlapso revisimus, de iis non quaerimus, *celeriterne* sed an *interea* consenuerint, itaque Plutarcho reddendum est: εἰ γέρων γέγονε ⟨με⟩ταξύ κτέ.

P. 454 E. De versu Aeschyli fortasse iusto brevior ideoque obscurior est annotatio. Vix enim editor adversari potuit Salmasio et Heathio corrigentibus ineptum dorismum ἠβάσασα, sed de ipso verbo, quod Paley in ἀμφιβᾶσα mutare voluit, dubitare videtur. Quod tamen ex notula effici nequit.

P. 455 C. In Callimachi epigrammate (13) recipienda, certe commemoranda fuerat verissima Piersoni emendatio ἐκόησα pro ἐβόησα. Cf. quae nuper scripsi Stud. Crit. in Epigr. Gr. (Brill, Lugd. 1890) pag. 149.

P. 455 DE. ὁ δὲ Ξέρξης — πρὸς τὸ ὄρος ἐξέπεμψεν ἐπιστολάς 'Ἄθω δαιμόνιε οὐρανόμηκες μὴ ποιεῖν ἐν ἐμοῖς ἔργοις λίθους μεγάλους κτέ.' Mira oratio pro μὴ ποιεῖν ἐμποδίους τοῖς ἐμοῖς ἔργοις λίθους κτέ. sive ἐμποδὼν τοῖς ἐμοῖς ἔργοις. Quare vide ne inter praepositionem et pronomen aliquot litterae perierint.

P. 467 A. Aut suppleverim: κυβείᾳ γὰρ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βάλλειν δεῖ τὰ πρόσφορα καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. τούτων δὲ τὸ μὲν ⟨τὰ πρόσφορα⟩ βάλλειν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, τὸ δὲ προσηκόντως δέχεσθαι τὰ γιγνόμενα παρὰ τῆς τύχης κτέ. aut deleto verbo βάλλειν scripserim: τούτων δὲ τὸ μὲν οὐκ ἐφ' ἡμῖν κτέ., quod fortasse etiam probabilius est. Absurde enim dicitur τὸ βάλλειν non esse penes nos, nec in huiusmodi sententia e praegressis mente supplere licet τὰ πρόσφορα.

P. 469 D. ὥσπερ τὰ μικρὰ παιδάρια, ἀπὸ πολλῶν παιγνίων ἂν ἕν τις ἀφέληταί τι καὶ τὰ λοιπὰ πάντα προσρίψαντα κλαίει

Digitized by Google

καὶ βοᾷ. Miror editorem non necessariam iudicare meam correctionem προρριψαντα ideoque fere suspicor aut viro egregio non esse liberos aut puerulos Graecos multo maligniores esse nostratibus; hi enim, si ludicrarum rerum unam iis demseris, reliquas omnes *proiciunt* sive *abiciunt*, non iis petere solent auferentem. Teneo igitur quod olim conieci.

P. 470 B. οἱ δεδεμένοι εὐδαιμονίζουσι τοὺς λελυμένους, ἐκεῖνοι δὲ τοὺς ἐλευθέρους, οἱ δ' ἐλευθεροὶ τοὺς πολίτας, οὗτοι δὲ — τοὺς πλουσίους κτἑ. Bis offendo; nam omissa est necessaria servorum mentio, hi enim manifeste dicuntur οἱ δεδεμένοι et λελυμένοι et hiant verba δεδεμένοι εὐδαιμονίζουσι. Suspicor: οἱ δεδεμένοι ⟨μὲν⟩ εὐδαιμονίζουσι τοὺς λελυμένους ⟨δούλους⟩, ἐκεῖνοι δὲ κτἑ.

P. 470 C. ad πατρικίους cf. p. 465 A.

P. 473 EF. ὥσπερ ἐν Ὀλύνθῳ τοὺς κανθάρους λέγουσιν εἴς τι χωρίον ἐμβάλλοντας ὃ καλεῖται κανθαρώλεθρον, ἐκβῆναι μὴ δυναμένους ἐναποθνῄσκειν. Quod coniecit editor ἐμβαλόντας, si sermo fieret de re semel facta, procul dubio foret necessarium, sed in re identidem repetita ita saepe apparet praesentis pro praeterito participio, ut correctionem necessariam esse dubitem. Plenus, ut hoc utar, exemplis est Herodotus, sed etiam apud Atticos is usus minime rarus est; qua de re alias dabitur dicendi occasio.

P. 486 E extr. ὁ μὲν γὰρ Σωκράτης ἔλεγε βούλεσθαι Δαρεῖον ἔχειν μᾶλλον φίλον ἢ τὸ δαρεικόν. Bernardakis aut τὸ δαρεικὸν ⟨χρυσίον⟩ aut τὸν δαρεικὸν requirit. Lepidius Socrates mihi dixisse videtur ἢ δαρεικόν sine articulo, quasi nomen Darii cum alio nomine comparans.

P. 492 C. καὶ τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς συγγενέστατόν ἐστιν. Num recte pro τῇ ψυχῇ?

P. 494 CD. Ὁ δ' Ὁμηρικὸς λεὼν (secuntur vss. P 134—6) ἆρ' οὐχ ὅμοιός ἐστι διανοουμένῳ πρὸς τοὺς κυνηγοὺς σπένδεσθαι περὶ τῶν τέκνων; Imo vero ἆρα (vel ἆρά γε) ὅμοιός ἐστι κτἑ. Sententia enim: *num tibi videtur similis esse meditanti cum venatoribus pacisci de catulis?*

P. 494 F. Quod Plutarchus dicit gallinarum pullos ἐπιβαίνειν τῶν νώτων matrum vereor ut recte observaverit. Facere id solent avium aquaticarum, cygnorum anserum anatum, pulli natando fatigati, non gallinarum.

Digitized by Google

P. 495 DE. Editorem ἐν Φυτοῖς recte tueri dubito. Expectatur ἐμΦύτως, i. e. *vi insita*.

P. 499 A. ἡ δὲ Κακία παρεστῶσα γυμνὴ καὶ μηδενὸς δεομένη τῶν ἔξωθεν ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον ἐρωτάτω καὶ τὴν Τύχην, πῶς ποιήσει κακοδαίμονα καὶ ἄθυμον τὸν ἄνθρωπον. Quam vim hic habeat vocula καὶ frustra quaero. Vix genuina videtur.

P. 500 A. ἀλλὰ ποιεῖ πλουτοῦντας, εὐΦοροῦντας, κληρονομοῦντας. Fortasse legendum εὐπραγοῦντας.

P. 500 E. εἰ δὲ τὰ μὲν ἐν σαρκὶ νοσήματα σΦυγμοῖς καὶ ὠχραις ἐρυθαινόμενα Φωρᾶται κτἑ. Lenis sane est editoris coniectura χρόαις, at parum satisfacit. Nam non minus pallore quam rubore morbi deprehenduntur, neque ipsi morbi ἐρυθαίνεσθαι dici possunt, quare saltem τῶν ἐρυθαινομένων requireretur. Gravius igitur vulnus loco inflictum est. Intellegerem: καὶ ὠχραις ἐρυθήμασί τε Φωρᾶται.

P. 517 AB. Hic locus, in quo non sanior est lectio quam editor praefert τὸ προαισθανόμενον quam vulgata τὸν προαισθανόμενον, certam fugit emendationem. Si scriptum esset Φθάσει τῆς αἰσθήσεως προανελὼν ἑαυτόν, nihil desideraretur.

P. 519 A. „τί οὖν; ἐν ὥραις τρισὶν οἶει τὴν πόλιν μετακεκοσμῆσθαι". Iniuria haec verba ita eduntur, quasi ad dialogum curiosi cum alio pertineant. Sunt enim ipsius scriptoris ad lectorem.

P. 520 CD. οὕτως οἱ τὰ περὶ τὸν βίον ἀστοχήματα καὶ γενῶν αἴσχη καὶ διαστροΦάς τινας ἐν οἴκοις ἀλλοτρίοις καὶ πλημμελείας πολυπραγμονοῦντες, τῶν πρώτων ἀναμιμνησκέτωσαν ἑαυτοὺς ὅτι χάριν καὶ ὄνησιν οὐδεμίαν ἤνεγκε. Melius intelligam: τῶν προεγνωσμένων ἀναμιμνησκέτωσαν, ut supra cap. X init. scriptum exstat: διὸ καὶ χρήσιμον — τοῖς πολυπράγμοσιν ἡ τῶν προεγνωσμένων ἀνάμνησιν.

P. 524 D. οὐ παύσονται δεόμεναι τῶν περιττῶν. Verba adeo clara, ut mireris Plutarchum opus esse iudicasse interpretatione: τουτέστιν ἐπιθυμοῦντες ὧν οὐ δέονται. Num ea verba genuina esse putemus?

P. 525 E. Pro καθαριότητος, quae forma est nihili, correctum oportuit καθαρειότητος.

P. 526 C. vs. 18 γίγνεται δούλων τέκνα gravis est operarum error pro κατὰ τὸν Εὐριπίδην.

Digitized by Google

P. 532 A. καὶ γὰρ ἰατρὸν νοσοῦντες οὐ παρακαλοῦμεν τὸν ἔμπειρον αἰσχυνόμενοι τὸν συνήθη, καὶ παισὶ διδασκάλους ἀντὶ τῶν χρηστῶν τοὺς παρακαλοῦντας αἱρούμενοι. Depravatum est παρακαλοῦντας, quod interpretes intellegere videntur τοὺς παρακαλοῦντας; ἑαυτοὺς αἱρεῖσθαι, quae tamen interpretatio iam eo excluditur quod paullo ante eodem verbo aliter usus est. Quid lateat indicare mihi videntur quae paullo post secuntur verba ἐθίζοντες μήτε κουρεῖ μήτε γραφεῖ κατὰ δυσωπίαν χρῆσθαι μηδὲ καταλύειν ἐν Φαύλῳ πανδοκείῳ, βελτίονος παρόντος, ὅτι πολλάκις ὁ πανδοκεὺς ἠσπάσατ' ἡμᾶς. Cf. mox quoque τὸν ἀσπασάμενον καλεῖν — μᾶλλον ἢ τὸν εὔνουν καὶ χρηστόν. Quoniam vero noto usu honoris causa iuniores seniores ἐπατέριζον, *patres salutabant*, nescio an Plutarchus scriptum reliquerit καὶ παισὶ διδασκάλους ἀντὶ τῶν χρηστῶν τοὺς πατέρα καλοῦντας αἱρούμεθα. Praepositiones πρός, περί et παρά cum compendiis formarum πατρός, πατρί et πατέρα confundi solere in volgus notum est.

P. 533 D. καὶ πρὸς τοὺς δυσωποῦντας ἔξεστιν εἰπεῖν τὸ
μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά
τὰ ψευδῆ μαρτυρῶν ἢ τὰ μὴ δίκαια κρίνων ἢ τὰ μὴ συμφέροντα χειροτονῶν ἢ δανειζόμενος ὑπὲρ τοῦ μὴ ἀποδώσοντος. Res adeo insolita, ut contrahat aliquis aes alienum alteri mutuum daturus, ut credam potius Plutarchum scripsisse ἢ δανείζων ἢ ἐγγυώμενος ὑπὲρ τοῦ μὴ ἀποδώσοντος, nam de utraque re saepius fit in hoc libello mentio. Cf. etiam de exilio cap. XI (p. 603 extr.).

P. 558 DE. Facile haec superstitio intellegitur de hydrope, sed quo pacto eadem cautela contra phthisin valere credi potuerit prorsus me fugit.

P. 562 B. ἄρκτων μὲν γὰρ ἔτι νήπια καὶ λύκων τέκνα καὶ τιθήκων εὐθὺς ἐμφαίνει τὸ συγγενὲς ἦθος. Mirus verborum ordo pro ἄρκτων μ. γ. ε. νήπια τέκνα καὶ λύκων ut Homerice dicit Plut. Cf. Β 311 Λ 113, nisi forte praestat ut glossema delere τέκνα, cl. Π 134. Solet autem Plutarchus tam hominum quam bestiarum recens natam subolem νήπια vocare. — Sequitur memorabilis de *atavismo*, quem hodie dicunt, locus p. 563 A sq.

P. 564 A. καὶ τότε μὲν κάτω τότε δ' ἄνω ῥεπούσας (τὰς

Digitized by Google



Digitized by Google

tura σχεδὸν οὐδὲν dixit Plutarchus, quia praeter ossa crines diu post mortem permanere assolent.

P. 578 F. Post lacunam ποτὲ συμφιλοσοφοῦντες διετρίβομεν ἐγὼ καὶ Πλάτων καὶ Ἑλλοπίων ὁ Πεπαρήθιος prima vocula e τότε depravata videtur. Cf. etiam p. 579 A. Quo recepto scripserim: γράμματα δὲ πολλὰ παρ' Ἀγησιλάου κομίζων Ἀγητορίδης ὁ Σπαρτιάτης ἦκεν εἰς Μέμφιν ὡς Χόνουφιν τὸν προφήτην, ⟨παρ' ᾧπερ⟩ τότε συμφιλοσοφοῦντες διετρίβομεν κτέ. Nam Bernardakianum supplementum παρ' ᾧ lacunam octo litterarum non explet. Sub litt. B corrigo: δεόμενοι Πλάτωνος ὡς γεωμετρικοῦ λῦσαι χρησμὸν αὐτοῖς ἄτοπον ὑπὸ τοῦ θεοῦ προβεβλημένον. ἦν δ' ὁ χρησμός (pro ἦν δὲ χρησμός), Δηλίοις — παῦλαν τῶν — κακῶν ἔσεσθαι κτέ.

P. 579 D. βουλόμενος ὑμῖν γνωρίσαι τὸν ξένον, ἄνδρα γενναῖον μὲν αὐτὸν ὄντα μετὰ γενναίας δὲ καὶ καλῆς ἀφιγμένον τῆς προαιρέσεως ** ἐξ Ἰταλίας τῶν Πυθαγορικῶν Xylander supplet ἔστι δέ τις, Bernardakis πρὸς ἡμᾶς vel ἡμῖν, ego malim πεμψάντων propter locum p. 583 C, ubi ipse hospes ille dicit: ἀπεστάλην ἐγὼ νέος καὶ εἷς ὑπὸ πολλῶν καὶ πρεσβυτέρων. Lacuna est septem litterarum in E, undecim in B teste editore.

P. 582 A. καὶ κυβερνήτῃ πελάγους φθόγγος ὄρνιθος. Ipse olim proposui πελαγίου, Bernardakis nunc πελαγίας. Utrum verius sit, prorsus incertum est.

P. 587 CD. τίνα πρὸς τοὺς ἄνδρας ἐξαπέστειλας, εἰ γὰρ οὐ πάλυ προείληφας, διωξόμεθα. Verius arbitror προείληφε, sc. *ei quem misisti*. Saepius Plutarchus ut Zosimus aliique προλαμβάνειν ponit pro φθάνειν sive προφθάνειν.

P. 589 E. ἧς ἀπήλλακτο Σωκράτης ὁ ἑταῖρος ἡμῶν. Nomen proprium, quod elegantius abesset, scriptor fortasse addidit, ut duplicem vocalium concursum evitaret. Poterat tamen ἧς ἀπήλλαχθ' ὁ ἑταῖρος ἡμῶν.

P. 593 A. Quid moverit editorem ad scribendum ἐπιμέλεται pro codicum lectione ἐπιμελεῖται me latet. Titulorum enim testimoniis constat, post V a. Chr. seculum hanc formam magis magisque invaluisse, vereque scribit Meisterhans p. 139 ed. II „die Form ἐπιμελοῦμαι ist von 380 v. C. an fast einzig üblich".

P. 595 A. τοῖς ὑπὸ πόλιν Φρουροῖς. Bernardakis annotantem „fort. ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν" suspicor Plutarchi usum respicere;

Digitized by Google

non enim potuit vir doctissimus ignorare ad veterum Atticorum normam ὑπὸ πόλιν eo ipso sensu optime dictum esse.

P. 595 E. βέλτιον εἶναι προσελθόντας ἐν ὑπαίθρῳ συμπλέκεσθαι πρὸς ἀλλήλους ἀσυντάκτους καὶ σποράδας, ἢ μένειν ἐν οἰκίσκῳ καθειρξαντας αὐτούς. Editor spreta Xylandri coniectura πρὸς αὐτούς, distinxit post συμπλέκεσθαι, qua distinctione quid lucremur non video. Ita enim expectes potius ipsum contrarium: συμπλέκεσθαι, πρὸς ἀλλήλους εὐσυντάκτους καὶ ⟨μὴ⟩ σποράδας, ut taceam verba πρὸς ἀλλήλους ita abundare. Lubens equidem deleto ἀλλήλους scriberem: βέλτιον εἶναι προσελθόντας ἐν ὑπαίθρῳ συμπλέκεσθαι πρὸς ἀσυντάκτους καὶ σποράδας ἢ μένειν ἐν οἰκίσκῳ καθειρξαντας αὐτούς. Ita enim omnia recte et ordine procedunt.

P. 600 F. ἀλλὰ γίγνεται, μᾶλλον δ' ὀνομάζεται καὶ καλεῖται τούτων ἕκαστον ἀεὶ πρὸς τὸν οἰκοῦντα καὶ χρώμενον. Displicet perinepta abundantia. Legerim: μᾶλλον δὲ νομίζεται κτἑ. Perpetua est utriusque verbi confusio.

P. 602 E. οὐδαμοῦ μετέστη τοσοῦτον χρόνον. Ne Plutarcho quidem hoc tribui posse videtur pro οὐδαμόσε.

P. 605 C. Post Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης exspectatur Ἀνδροτίων ⟨ὁ⟩ Ἀθηναῖος, sive praefers Ἀθηναῖος.

P. 611 F. Hiat oratio. Suppleverim: ἀλλὰ τοῦτ' αὐτοῦ τὸ χαλεπώτατόν ἐστιν, ὅτι τὴν ψυχὴν ἕωλόν τε ποιεῖ ταῖς μνήμαις τῶν ⟨ἐνθάδ' ἀγαθῶν περὶ τὰ⟩ ἐκεῖ καὶ λιπαρῇ περὶ ταῦτα καὶ κάμπτει καὶ πιέζει, τὸν σχηματισμόν, ὃν ἔσχεν ὑπὸ τοῦ σώματος ἐν τῷ πεπονθέναι, διαφυλάττουσαν.

P. 612 A. τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, scil. οἱ ἐνθάδε, quod abesse miror. Manifeste scribendum αὐτῶν.

(*Continuabitur*).

TERTULLIANUS. *de Idol.* c. 11. (Reifferscheid I. 41. 25. O. I. 84. 5.) Quaeritur liceatne Christianis mercaturam facere. Respondetur tura quidem ceteraque quae idolorum sacrificiis inserviant venditare, dei servo haudquaquam concedi posse. — *cum pompae, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusve instruuntur* ⟨tuis⟩, *quid aliud quam procurator idolorum demonstraris?*

J. VAN DER VLIET.

Digitized by Google

EPISTULA CRITICA AD BATAVOS HOMERI EDITORES.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Quanti faciam, Amicissimi Viri, operam Vestram in Homero emendando positam, nec Vos latet et me palam iuvat proloqui. Equidem ab ineunte aetate post certa intervalla semper Homeri lectionem repetere soleo et nunc denuo ad Maeonium vatem delatus ipse optime sentio quantum ex Vestris studiis profecerim et si quid novi mihi forte reperire contigit, id nunc ad Vos potissimum mittere decrevi, nam tum demum me operae pretium fecisse intelligam, si Vestrum assensum tulero. Ego autem in plerisque Vestras rationes impense probo et in laudandis poetae verbis Vestram recensionem ut plurimum sequar, sed nolite aegre ferre si in minutis quibusdam sed intricatis quaestionibus a Vobis discessero. Veluti in pronunciando ut aequum est Aeolicae literae sedulo rationem habere soleo, nec-dum tamen mihi persuadere potui, ut eandem literam etiam lectorum oculis repraesentarem, nisi id fortasse propter elisionem necessarium esset. Ferte quaeso meam superstitionem et cogitate quam multa hac qua vivimus aetate senibus discenda sint et dediscenda. Vobis autem contingat quam inchoastis telam annuentibus Musis ad finem pertexere. Valete.

I. Ad A 19:

ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.,

adnotastis Suringarem correxisse:

ἐκπέρσασι πόλιν Πριάμοι' εὖ οἴκαδ' ἱκέσθαι.,

Digitized by Google

quod commendari fortasse poterit, sed tenebo quod olim conatus sum ostendere in Quaest. Hom. p. 87 sqq. in talibus Homerum semper delabi ad quartum casum, unde malo *ἐκπέρσαντε*. Ipse dualis numerus propemodum necessarius est propter ea quae praecedunt:

καὶ λίσσετο πάντας Ἀχαιούς,
Ἀτρεΐδα δὲ μάλιστα δύω, κοσμήτορε λαῶν.

Similiter habemus Δ 406:

ἦμες καὶ Θήβης ἕδος εἴλομεν ἐπταπύλοιο,
παυρότερον λαὸν ἀγαγόνθ' ὑπὸ τεῖχος Ἄρειον.

II. Consentiunt interpretes omnes ferri non debere A 31:

ἰσὸν ἐποιχομένην καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιάουσαν,

neque opus est demonstrare quod nemo negat. Quomodo *parare lectum* apud Homerum dicitur? *Πορσύνειν* verbum est Γ 411, γ 403, η 347: alibi est *ἐντύνειν* et imperfectum *ἔντυον εὐνήν* ψ 289 et *ἐντύνεσκε λέχος* apud Apollonium Rhod. III 40. Hinc scripserim: *ἐμὸν λέχος ἐντύνουσαν*.

III. Articulus displicet A 107:

αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι.

Quidni scribimus:

αἰεί τοι φίλον ἐστὶ κακὰ φρεσὶ μαντεύεσθαι,

quemadmodum recte editur:

A 541 *αἰεί τοι φίλον ἐστὶν ἐμεῖ' ἀπὸ νόσφιν ἑόντα*, et
Δ 372 *οὐ μὲν Τυδεΐ γ' ὧδε φίλον πτωσκαζέμεν ἦεν.*

Dubito etiam de sinceritate lectionis ρ 15:

ὁ ξεῖνος δ' εἴπερ μάλα μηνίει, ἄλγιον αὐτῷ
ἔσσεται· ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι.

Expuncto eo quod est *ἔσσεται*, arridet sane:

ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλον ἐστὶν ἀληθέα μυθήσασθαι.

IV. A 200: *δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάενθεν*, praestat, uti arbitror *δεινόν*. Sic *δεινὸν δερκόμενοι* est Γ 342 et Λ 37, *δεινὸν ἔνευε* Γ 337, Z 470 et Π 138, *δεινὸν ἀποπνείουσα* Z 182, *δεινὰ δ' ὑπόδρα ἰδών* O 13, *ὀξύτατον κεφαλῆς ἐκ δέρκεται ὄσσε* Ψ 477, *ἐν δέ οἱ ὄσσε — δεινὸν — ἐξεφάενθεν* Τ 17, alibi fortasse.

Digitized by Google

V. Satis facilis est emendatio A 272:

καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτὸν ἐγώ· κείνοισι δέ κ' οὔ τις
τῶν οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι μαχέοιτο.

Recte improbatis μαχέοιτο, deinde additis varia posse tentari. Post fortasse non tentabuntur alia, si mecum rescripseritis: ἐπὶ χθονὶ ἴφι μάχοιτο. De confusione literarum O et Φ cf. Mnem. 1876 p. 342.

VI. Scripseram equidem A 555, ut poetae digamma suum redderem simulque coniunctivum eliminarem:

νῦν σ' αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα μὴ παρείπε,

sed Vos dubitare videmini sitne prolepsis satis ex Homeri consuetudine. Hinc non alienum poterit haberi, si quaedam exempla collegero:

B 409 ἥδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο.
I 191 δέγμενος Αἰακίδην ὁπότε λήξειεν ἀείδων.
Π 17 ἠὲ σύγ' Ἀργείων ὀλοφύρεαι ὡς ὀλέκονται.
Τ 311 νόησον — Αἰνείαν ἤ κέν ἑ ἐρύσσεαι ἤ κεν ἐάσῃς.
Χ 321 εἰσορόων χρόα καλὸν ὅπῃ εἴξειε μάλιστα.
Χ 382 ὄφρα κέ τι γνῶμεν Τρώων νόον, ὄντιν' ἔχουσι.
Ω 629 ἤτοι Δαρδανίδης Πρίαμος θαύμαζ' Ἀχιλῆα
ὅσσος ἔην οἷός τε.
γ 193 Ἀτρεΐδην δὲ καὶ αὐτοὶ ἀκούετε νόσφιν ἐόντες — ὥς τ' ἦλθε.
τ 219 εἶπέ μοι ὀπποῖ' ἄσσα περὶ χροῒ εἵματα ἕσο,
αὐτός θ' οἷος ἔην, καὶ ἑταίρους οἵ οἱ ἕποντο.
ω 124 ἀτρεκέως καταλέξω
ἡμετέρου θανάτοιο κακὸν τέλος οἷον ἐτύχθη.

Iam affatim exemplorum, nec tamen minus ultro concedo, laudatos locos etiamsi similes sint, non esse simillimos.

VII. Displicuit Vobis adiectivum ἀγκυλομήτης cum genetivo ἀγκυλομήτεω itaque cum Nauckio, secuti eam analogiam quae cernitur in adiectivis δολόμητις, πολύμητις, ποικιλόμητις B 205 alibi scripsistis Κρόνου πάις ἀγκυλόμητις, non ἀγκυλομήτεω. Factum non improbo, sed manet tamen quaedam difficultas, quam Vos aliquando solvetis. Etenim tum apud Hesiodum, tum Δ 59 ἀγκυλόμητις epitheton est non Iovis, sed Saturni. Habet praeterea genetivus quo se commendet, nam etiamsi aeque bene

Digitized by Google

dicatur ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης atque πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο, tamen mihi videor observasse epitheta paulo frequentius cum genetivo casu coniungi; veluti Diomedes μεγαθύμου Τυδέος υἱός saepe nominatur et sunt Οἰνῆος μεγαλήτορος υἱέες et υἱὸς Πριάμοιο δαΐφρονος eodemque modo sexcenties alibi, sed paulo rarius invenio Λυκάονος υἱὸν ἀμύμονα et Ἱπολόχοιο Φαίδιμος υἱός et similia. Quocirca nondum continuo Tecum, mi Leeuweni, scribere ausim λαὸς ἐϋμμελίης Πριάμοιο et si ἵππότα Πηλεὺς dicitur, fortasse etiam extrema senectute poterit ipse Priamus ἐϋμμελίης dici, quum olim adulescens strenue rem gesserit, Γ 188. Ceterum propter κ 106 θυγατέρ' Ἰφθίμῃ Λαισρυγόνος Ἀντιφάταο, rescribere poterimus δ 365 Πρωτέος Ἰφθίμη θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος pro Ἰφθίμου.

VIII. Impeditus locus est ubi legitur Β 355:

πρίν τινα πὰρ Τρώων ἀλόχῳ κατακοιμηθῆναι,

quod ferrem si Troianae mulieres pluribus maritis eodem tempore nuptae esse potuissent; nunc malo Τρῳῇ ἀλόχῳ. Hiatus horror corruptelam peperit.

IX. Non ferendum est Φύλοις pro Φύλοισι Β 363:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ Φύλοις.

Fortasse probari poterit:

ὡς φρήτρη φρήτρῃ, φῦλον δέ τε Φύλῳ ἀρήγῃ.

X. Demonstrabit Β 634 Cephallenum nomine, quibus Ulysses praeest, etiam Zacynthios comprehendi: Xenophonti haec observatio prodesse poterit in Anabasi II 1. 7: ἦν δ' αὐτῶν Φαλῖνος εἷς Ἕλλην, pro quo Cobetus ut tolerabilis lectio fieret, rescripsit: ἦν δ' αὐτῶν εἷς Ἕλλην Φαλῖνος. Legendum est, uti arbitror, ἦν δ' αὐτῶν Φαλῖνος Κεφαλλήν. Zacynthium hominem fuisse dicet Plutarchus Artax. 13, uti et Diodorus Siculus XIV 25. Sed haec obiter.

XI. Γ 438:

τῷ δέ γε νικήσαντι Φίλη κεκλήσε' ἄκοιτις.

Utrum casum hic intelligemus, nominativum an vocativum?

Digitized by Google

XII. Ad B 794 et K 189 persuasi Vobis pro ὁππότε restituendum esse εἵποτε. Contra Γ 180:

δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἦσκε κυνώπιδος, εἵποτ' ἔην γε,

quaero an non rectius possit intelligi ὁππότ' ἔην γε, nec quidquam ad rem pertinere video, quod interpretes ad vulgatam lectionem explicandam attulerint. Praefero certe meum ὁππότ' ἔην γε Curtii suspicioni, quem scripsisse dicitis: ἦ ποτ' ἔην γε. Verte: *Levir meus fuit, quamdiu fuit:* h. e. *iamdudum esse desiit.* Alio modo idem dictum est Δ 321: ἦ τότε κοῦρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ὀπάζει, h. e. *iamdudum consenui*, et cf. Ψ 643. Similiter Λ 762: ὡς ἔα, εἵποτ' ἔα γε, sed lege ὁππότ' ἔα γε, itidemque eadem correctione utar ω 289 ἐμὸν παῖδ' εἵποτ' ἔην γε et Ω 426:

ἐπεὶ οὔ ποτ' ἐμὸς πάις, εἵποτ' ἔην γε,
λήθετ' ἐνὶ μεγάροισι θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι,

legam: ὁππότ' ἔην γε, h. e. *quamdiu superstes erat Hector, cuius mortem numquam elugebo.* Recte vero, quem locum describam ut discrimen luculenter appareat, κ 66:

ἦ μέν σ' ἐνδυκέως ἀπεπέμπομεν, ὄφρ' ἀφίκοιο
πατρίδα σὴν καὶ δῶμα καὶ εἴ ποθί τοι φίλον εἴη.

Itidemque recte ο 403:

νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται εἴ που ἀκούεις.

Sed cum vitio ambulat τ 315:

οἷος Ὀδυσσεὺς ἦσκε μετ' ἀνδράσιν, εἵποτ' ἔην γε,

et utendum est remedio quod dixi. Praeterea cf. ο 268, de quo loco ampliandum censeo.

XIII. Δ 11: καὶ αὐτοῦ κῆρας ἀμύνει. Nonne solet Homerus hoc verbum cum tertio casu coniungere?

XIV. Quam est insolenter dictum Δ 314:

ὥς τοι γούναθ' ἕποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη.,

quum proclive sit rescribere ὄροιτο. De υ 237 Vestrum exspecto iudicium.

XV. Prorsus est ridiculum quod de Simoisio traditur Δ 476:

ὅν ποτε μήτηρ
Ἴδηθεν κατιοῦσα παρ' ὄχθῃσιν Σιμόεντος

Digitized by Google

γείνατ', ἐπεί ῥα τοκεῦσιν ἅμ' ἕσπετο μῆλα ἰδέσθαι·
τοὔνεκά μιν κάλεον Σιμοείσιον· οὐδὲ τοκεῦσιν
θρέπτρα φίλοισ' ἀπέδωκε.

Filias familiarum olim solitas fuisse pastum ducere oves, novi et exempla ubique prostant. Rachel patris gregem ipsa pascebat, ut est Genes. 29. 9. Magis etiam disertum est quod invenimus Exod. 2. 16: „Erant autem sacerdoti Madian septem filiae, quae venerunt ad hauriendam aquam et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Supervenere pastores, et eiecerunt eas: surrexitque Moyses, et defensis puellis, adaquavit oves earum". Sed nusquam legi etiam matronas deserta domo pastoriciam vitam secutas fuisse. Dicet Theocritus, dicet Longus et unusquisque intelligit, quantum periculi fuerit virginibus a pastorum lascivia: idem Homerus innuere videtur Z 25. Sed quid multa in re aperta? Emendandum est:

ἐπεί ῥα νομεῦσιν ἅμ' ἕσπετο μῆλα ἰδέσθαι.

Hoc quoque in vulgata scriptura molestum est, duobus continuis versiculis eodem τοκέων nomine primum Simoisii avum et aviam intelligi, deinde patrem et matrem.

XVI. Prorsus incognita est origo adiectivi quod legitur E 49:

υἱὸν δὲ Στροφίοιο Σκαμάνδριον, αἴμονα θήρης.

Difficile est non suspicari legendum esse ἴδμονα θήρης, neque adeo Aeolicae literae amans sum, ut propterea perpetuo premam quod mihi ante permultos annos iam in mentem venit. Quin et Vos ipsi in Homerica Grammatica Vestra dedistis aliquot exempla nominum derivatorum, in quibus digamma maturius periit quam in primitivis.

XVII. In comparatione quadam leo dicitur oves adortus esse E 410: ἀλλὰ κατὰ ϝαθμοὺς δύεται, τὰ δ' ἐρῆμα Ϝοβεῖται. Hic rogatis num forte Ϝέβονται praestet, sed praeterea breviter additis: „Sed quid est τά?" ut appareat Vobis locum de vitio suspectum esse. Etiam Aristarchus hic haeserat, quum proxime praecedat: ἐπ' εἰροπόκοισ' ὄϊεσσι, itaque Aristonici est adnotatio: ἡ διπλῆ ὅτι πρὸς τὸ σημαινόμενόν καὶ οὐ πρὸς τὸ ῥητὸν τοῦτ' ἐπήγαγεν. Valeat alibi illud πρὸς τὸ σημαινόμενον· nunc certe nimis dure dictum est τὰ δ' ἐρῆμα Ϝέβονται. Ante pedes posita est correctio: τὰ δὲ μῆλα Ϝέβονται, nec dissimile est K 485.

Digitized by Google

XVIII. Aeneae verba sunt E 227:

ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
δέξαι, ἐγὼ δ' ἵππων ἀποβήσομαι ὄφρα μάχωμαι.

Hic adnotastis: „ἀποβήσομαι Ar. A. D.] ἐπιβήσομαι Zen. C. inepte, currum enim conscensurus est uterque (vid. vs. 239). Verte: *ego vero (cum Diomedem assecuti erimus) de curru desiliam, ut eum aggrediar*, quemadmodum ipse quoque Diomedes non de curru pugnat, cf. vs. 13, 107 sqq., 249. Propter versum tamen 294 dubitare licet an aliud verbum (*negligendi* sensu) lateat". Aperte dicam, hic mihi non persuasistis. Ipsi conceditis ἀποβήσομαι hic non satis commode dici, sed videor mihi ostendisse in Qu. Homer. p. 111 Zenodoteum ἐπιβήσομαι adeo non esse ineptum, ut longe faciliorem explicationem admittat. Verum re denuo accurate perpensa, utramque lectionem abiiciendam censeo; neque ἀποβήσομαι, neque ἐπιβήσομαι huc satis quadrat, nec tamen de negligendi verbo restituendo cogitabo. Dixerat nisi fallor Aeneas: *vel ego curru te auriga utar ut me in eam partem conferam, ubi Diomedes versatur, vel tu cum Diomede manum conscre, dum ego interea equis moderabor.* Id quomodo Graece dici potuit? Contuli equidem:

H 172 οὗτος γὰρ δὴ ὀνήσει ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς.
Λ 763 αὐτὰρ Ἀχιλλεύς — οἷος ἧς ἀρετῆς ἀπονήσεται.
Π 31 τί σε' ἄλλος ὀνήσεται ὀψίγονος περ;
P 35 οὐδὲ μὲν οὐδέ — ἧς ἧβης ἀπόνητο.
λ 324 ἦγε μὲν οὐδ' ἀπόνητο.
ρ 293 θρέψε μὲν οὐδ' ἀπόνητο.

Itaque si Ulysses ex cane suo, nam de eo postremus locus est, nullam percepit utilitatem, dixerim Aeneam etiam eodem modo potuisse dicere: ἐγὼ δ' ἵππων ἀπονήσομαι ὄφρα μάχωμαι eodemque verbo Pandarus brevi ante usus fuerat de arcu, quem domi reliquerat vs. 205: τὰ δέ μ' οὐκ ἄρα μέλλον ὀνήσειν. Hoc tantum me male habet, quod P 480 sine ulla corruptelae suspicione itidem legitur:

δέξαι, ἐγὼ δ' ἵππων ἀποβήσομαι ὄφρα μάχωμαι.

Dixi de eo loco Mnem. 1884 p. 347.

XIX. Itidem suspecta verba sunt E 395:

τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀιστόν.

Digitized by Google

Veram lectionem monstrabit O 188:

Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισι ἀνάσσων.

XX. Nonnihil miror Vos prorsus nihil adnotasse ad E 503. Rem expendamus. In comparatione pulveris cum palea ita legitur:

αἱ δ' ὑπολευκαίνονται ἀχυρμιαί· ὣς τότ' Ἀχαιοὶ
λευκοὶ ὕπερθ' ἐγένοντο κονισάλῳ, ὃν ῥα δι' αὐτῶν
οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον ἐπέπληγον πόδες ἵππων.

Mirum sane est compositum verbum ὑπολευκαίνονται in priore comparationis parte et adverbium ὕπερθε in altera. Operae pretium est videre quomodo Homerus alibi loquatur:

B 150 ποδῶν δ' ὑπένερθε κονίη
ἴςατ' ἀειρομένη.

Γ 13 ὣς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσαλος ὄρνυτ' ἀελλής.

Λ 151 ὑπὸ σφίσι δ' ὦρτο κονίη
ἐκ πεδίου, τὴν ὦρσαν ἐρίγδουποι πόδες ἵππων.

Λ 282 ςήθεα δ' ἠΦριζον, βαίνοντο δὲ νέρθε κονίῃ.

Ψ 365 ὑπὸ δὲ ςέρνοισι κονίη — ἴςατ' ἀειρομένη.

Ipsos Vos iudices fero: nonne omnia suadent ut reponamus: λευκοὶ ἔνερθ' ἐγένοντο? Si dicetis nimis violentam correctionem esse, respondebo, quum pro ἔνερθ' forte scriptum esset ὑπένερθ', hoc ipsum ut metro accommodaretur, perperam olim fuisse correctum. Nec sane heroes prius superne quam inferne pulvere conspergebantur. Quantum hoc discrimen Homero curae sit, apparet ex ridiculo versu — nam non metuo ne Musas mihi iratas habeam, si nunc quidem Maeonium alitem risero — N 175:

μαιμάουσι δ' ἔνερθε πόδες καὶ χεῖρες ὕπερθε.

XXI. Hectori mater obviam fit Z 252 Λαοδίκην ἐσάγουσα. Hic diu quaesivi quid tandem lateret, sed nihil invenire potui quod magis arrideret quam Λαοδίκην καλέουσα. Quid intersit et cur καλέουσα longe aptius sit, ostendet κ 231:

ἦ δ' αἶψ' ἐξελθοῦσα θύρας ὤϊξε Φαεινὰς
καὶ κάλε', οἱ δ' ἅμα πάντες ἀιδρίηΦιν ἕποντο·
Εὐρύλοχος δ' ὑπέμεινεν δισάμενος δόλον εἶναι·
εἶσεν δ' εἰσαγαγοῦσα κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Digitized by Google

XXII. Cum Zenodoto edidistis Z 285:

Φαίην κεν Φίλον ἦτορ ὀιζύος ἐκλελαθέσθαι.,

sed satis creditur Aristarcho placuisse: *Φαίην κεν Φρεν' ἄτερ που*. Ne Aristarchus veram lectionem cognoverit, sed numquam credam eum Zenodoto neglecto scripsisse quod omnino ne intelligi quidem possit. Coniecit Nauckius *Φρέν' ἄφαρ που*, Plattius *Φρέν' ἀτερπέ'*, sed vestigia pristinae scripturae etiam pressius poterimus sequi corrigendo: *Φαίην κε Φρέν' ἀφέρτου ὀιζύος ἐκλελαθέσθαι*, nec tamen repugno quominus Aristarchea lectio Zenodoteae hodie postponatur. Ἄφερτος adiectivum Aeschylo in deliciis est.

XXIII. Quod declarat H 95, Menelaus propemodum invitus significarat esse se paratum ad depugnandum cum Hectore, itaque quod legitur H 122: *τοῦ μὲν ἔπειτα — γηθόσυνοι θεράποντες ἀπ' ὤμων τεύχε' ἕλοντο*, malo *γηθοσύνου*.

XXIV. De muro quem Neptunus et Apollo exaedificarant, sermo fit H 453:

ἥρωι Λαομέδοντ' ἐπολίσσαμεν ἀθλήσαντε.

Notatis *ἀθλήσαντε* tamquam novicium. Cogitavi equidem de: *ἀρθμήσαντε*, quemadmodum in vicinia est vs. 302: *ἐν φιλότητι διέτμαγεν ἀρθμήσαντε*.

XXV. Sicuti multa alia in octavo libro, haec quoque parum eleganter vs. 243:

αὐτοὺς δή περ ἔασον ὑπεκφυγέμεν καὶ ἀλύξαι,
μηδ' οὕτω Τρώεσσιν ἔα δάμνασθαι Ἀχαιούς.,

nam quae est oppositio inter *ἔασον* et *ἔα*? Nunc autem parata medicina est: *αὐτοὺς δή περ νεῦσον*. Hinc continuo sequitur: *νεῦσε δέ οἱ λαὸν σάον ἔμμεναι οὐδ' ἀπολέσθαι*.

XXVI. Inficeta carminis pars est, in qua legitur barbara aoristi forma *πηχθῆναι* Θ 298, nec tamen ferendum puto quod Byzantinis poetis relinquendum est. De sagittis gloriatur Teucer:

πάντες δ' ἐν χροΐ πῆχθεν ἀρηϊθόων αἰζηῶν,

sed verum monstrabit quod legitur vs. 67: *ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο* et rescripserim:

Digitized by Google

πάντες δ' ἐν χροΐ ἦφθεν ἀρηϊθόων αἰζηῶν.

In hiatu nulla offensio, cf. Γ 244, alibi.

XXVII. Omnibus displicuit quod legitur I 100:

τῷ σε χρὴ περὶ μὲν Φάσθαι ἔπος ἠδ' ἐπακοῦσαι.

Herwerdenus commendavit ἠδ' ἐπανύσσαι, Christius ἠδὲ νοῆσαι, Vos coniecturam non periclitati estis, sed, quum correctio nimis incerta esset, vulgatam lectionem retinuistis. Mihi dum cogito quam stulte Agamemnon in ducum concilio dixerit, arridet: οὐδ' ἀπινύσσειν. Diomedes summum imperatorem in superioribus etiam acerbius increpaverat vs. 39.

XXVIII. Non mihi persuadeo genuinas esse formas ἐπιοσσομένω P 381 et ἐπιόψομαι β 294, sed acquiescendum est iis quae viri docti de his locis adnotarunt; equidem certe nil melius reperire potui. Sed recurrit ἐπιόψομαι I 167 et de eo loco ita dicere iuvat ut lusisse putemur si nihil sit. Verba sunt Nestoris:

εἶ' ἄγε, τοὺς μὲν ἐγὼν ἐπιόψομαι, οἱ δὲ πιθέσθων.,

nam ita Tu scripsisti, mi Leeuweni, Mnem. 1887 p. 115, τοὺς μέν, cum τούς κεν olim ederetur. Verum quid significat ἐπιόψομαι? Nimirum *nominabit* Nestor legatos ad Achillem, nam *nominare* hoc Romani appellabant indeque *nominationis* nomen ad nostra tempora pervenit. Idem quomodo Attice dicitur? Credo προβαλοῦμαι. Sed apud Homerum synonyma verba sunt βάλλειν et ἰάπτειν atque hinc ferri poterit: τοὺς μὲν ἐγὼ προϊάψομαι. Si meliōra docueritis, gratum erit.

XXIX. Quod proposueram I 225 δαιτὸς μὲν ἴσης οὐκ ἐπιδευσις pro ἐπιδευεῖς, conceditis requiri vocabulum quo *penuria* denotetur, improbatis quod audacter novam vocem procuderim. Ita est: ἐπίδευσις alibi mihi non est lectum et primo obtutu species novicia est. Sed reputate Vobiscum, quam sint multa eiusdem generis apud Homerum. Est B 286 ὑπόσχεσις, B 347 ἄνυσις, B 380 ἀνάβλησις, O 404 παραίφασις, Π 43 ἀνάπνευσις, X 270 ὑπάλυξις, Ω 655 λύσις, ρ 451 ἐπίσχεσις, Φ 402 ὄνησις, ω 485 ἔκλησις et Nauckius ἐπίλησιν reponere voluit δ 221.

XXX. Iuvat indicare locos quibus aut poeta a perpetua con-

Digitized by Google

suetudine recessit aut librarii nos ludificantur. Etiam Homerus loqui solet sic: A 387 *Ἀτρείωνα δ' ἔπειτα χόλος λάβεν*, B 2 *Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος*, B 33 *μηδέ σε λήθη αἱρεέτω, ὅτε κέν σε μελίφρων ὕπνος ἀνείῃ*, B 71 *ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκε*, Δ 23 *χόλος δέ μιν ἄγριος ᾕρει*, Δ 229, E 136, Z 137, 166, N 581, P 143 alibi. Imprimis me advertit Λ 269 *ὅτε κ' ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα*, sed mox Ilithyiae ipsae *πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσιν*. Sed inter legendum paucos quosdam locos observavi qui perpetuae normae repugnant: I 305 *λύσσαν ἔχων ὀλοήν*, P 565 *Ἕκτωρ πυρὸς αἰνὸν ἔχει μένος*, Γ 412 *ἔχω δ' ἄχε' ἄκριτα θυμῷ*. Ecquid vos censetis? Ipse anceps haereo neque audeo proloqui quid suspicer.

XXXI. Quod scripsistis I 327:

ἀνδράσι μαρναμένοισ' ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.,

recte scripsistis, nam Codicum lectio *μαρνάμενος* iamdudum a viris doctis certatim correcta est. Cum Cobetus tot millia locorum sollerter emendaverit, fortasse haud illubenter audietis hunc locum omnium primum a summo viro tentatum esse. Res est eiusmodi. Duo sunt fratres Bootii, vegeta senectute superstites; horum alter propter felix studium Latini sermonis inter nostros homines inclaruit; alter iurisprudentiae se dedit et iam per complures annos Regi a consiliis est. Hic mense Septembri 1830 Leidam profectus est, postquam in Gymnasio Hagano per sex menses Cobetum condiscipulum habuit. Etiam hodie meminit et libenter se meminisse narrat, Kappeynium qui tunc Gymnasio praeerat, cum discipulis tractare nonum Iliadis librum. Quum perventum esset ad vs. 327, ibi tum Cobetus qui se continere non poterat, exclamavit: „Verum, aestumatissime Rector, nonne hic multum praestat dativus *μαρναμένοις*?" Erat autem in omnibus libris vulgata lectio *μαρνάμενος*. Ibi tum Kappeynius parumper conticuit, deinde re bene pensitata, „Recte, mi Carole", inquit, „tuam correctionem probo et libenter amplector".

Forte incidimus in deverticulum nec quidquam impedit quominus aliquid adnectam, quod ad Nauckii laudem pertinet. Clemens Alexandrinus Strom. V p. 681 versiculum laudat: *ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι*. Nemo mor-

Digitized by Google

talium omnibus horis sapit et Cobetus de eo loco agens ἐν τῷ λογίῳ Ἑρμῇ I p. 451 scribit sibi videri Πυθαγορείου τινὸς τὸν σίχον, neque agnovit Homeri versum λ 443. Hoc si quis alius criticus animadvertisset de illo genere quod nostis, quam se iactavisset et quantos cecinisset triumphos! Sed Nauckius rem dissimulans in adnotatione ad Iamblichum p. 238 errorem reticuit magis quam protulit. Dignum sane exemplum est quod omnes imitemur.

XXXII. Quod invenio I 449 οἶνον ἐπισχών facit ut meminerim eorum quae leguntur E 269 ὑποσχὼν θήλεας ἵππους, quod mihi semper admodum ridiculum visum est, coll. H 188 ὑπέσχεθε χεῖρα. Praestat nisi fallor ἐπισχὼν θήλεας ἵππους.

XXXIII. Vere observavistis molestum esse articulum K 10:

ἦ τοι ὅτ' ἐς πεδίον τὸ Τρωικὸν ἀθρήσειε.

Commendo ἐς πεδίον Ἰλήιον, quod adiectivum hic recte usurpari potuit, etiamsi vitiosus sit Φ 558. Cf. Λ 166.

XXXIV. De Agamemnone legimus K 136:

βῆ δ' ἴμεναι κατὰ νῆας Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Qui oberrat, κατὰ νῆας oberrat, veluti vs. 82: τις δ' οὗτος κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν ἔρχεαι οἷος et vs. 141 τίφθ' οὕτω κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν οἷοι ἀλᾶσθε; sed Agamemnon qui Ulyssem convenire volebat, quem tendere sciebat ἐν μεσσάτῳ, ibat παρὰ νῆας i. e. iuxta naves. Lubet conferre alios locos. Recte legitur:

I 182 τὼ δ' ἐβάτην παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

I 657 σπείσαντες παρὰ νῆας ἴσαν πάλιν.

K 336 βῆ δ' ἴμεναι προτὶ νῆας ἀπὸ στρατοῦ (Dolon).

K 347 αἰεί μιν προτὶ νῆας ἀπὸ στρατόφι προτιέλλειν,

sed ibi quidem Aristarchus malebat ἐπὶ νῆας, sicuti legitur:

K 385 πῇ δ' οὕτως ἐπὶ νῆας ἀπὸ στρατοῦ ἔρχεαι οἷος;

Maxime ad nostram rem facit

Θ 220 βῆ δ' ἴμεναι παρά τε κλισίας καὶ νῆας Ἀχαιῶν.,

qui versiculus recurrit N 167 et 208. Itidem recte:

K 54 ῥίμφα θέων παρὰ νῆας,

quae est Aristarchi scriptura, cum olim ἐπὶ νῆας legeretur. Confero praeterea:

Digitized by Google

M 352 βῆ δὲ θέειν παρὰ τεῖχος Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.
Λ 806 βῆ δὲ θέειν παρὰ νῆας ἐπ' Αἰακίδην Ἀχιλῆα,
ἀλλ' ὅτε δὴ κατὰ νῆας Ὀδυσσῆος θείοιο
ἵξε θέων,

qui locus διδασκαλικός est. Nunc opinor apparebit cur recte legatur B 47 = 187 σὺν τῷ ἔβη κατὰ νῆας.

XXXV. Displicuit Vobis quae forma omnibus displicuit K 364:

λαοῦ ἀποτμήξαντ' ἐδιώκετον ἐμμενὲς αἰεί.,

sed nimis operose mihi locum tentasse videmini. Quidni scribimus ἐδιώκαθον? Vobis utique non opus est revocare in memoriam formas quales sunt ἑκίαθον, ἔσχεθον, τελέθω, Φλεγέθω, νεμέθοντο, ἐέργαθεν, θαλέθω, Φαέθων, ἠγερέθοντο, ἠερέθονται· his formis librarios interdum bellum indixisse, dicet Ruhnkenius ad Timaeum p. 87. Quoniam longa vocalis praecedit, ἐδίωκαθον forma recepta fuit et μετεκίαθον et ἐέργαθεν, sed in reliquis terminatio est in ΕΘΩ.

XXXVI. Ferrine potest tam elumbis versiculus, qualis invenitur Λ 679 = ξ 101:

τόσσα συῶν συβόσια, τόσσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν.?

Notandum ἅπαξ εἰρῆσθαι vocabulum συβόσια, in quo producta paenultima syllaba miraculo est. Commodius certe poeta dare potuit:

τόσσα συῶν συΦεούς, τόσσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν.

XXXVII. Admodum miror veram lectionem nondum repertam fuisse Λ 791, quum tamen ante pedes posita sit. Verba sunt Nestoris ad Patroclum:

ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
ταῦτ' εἴποις Ἀχιλῆϊ δαϊφρονι, αἴ κε πίθηται·
τίς οἶδ' εἴ κεν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίναις
παρειπών; ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐσιν ἑταίρου.

Correxerat Bentleius εἴποις ταῦτ', Heynius τὰ εἴποις, sed Vobis gravius vitium inesse videtur. Vultisne mecum rescribere παρείποις Ἀχιλῆα δαΐφρονα? Hoc certe si in libris esset, nemo sede moveret. Video quidem brevi intervallo recurrere παρείποις, παρειπών, παραίφασις, sed de hoc argumento Lehr-

Digitized by Google

sium conferri iubeo de Aristarch. p. 454 et alios locos nullo negotio conquirere possumus, veluti O 315:

ἄλλα μὲν ἐν χρὸ' ἐπήγνυτ' ἀρηϊθόων αἰζηῶν,
πολλὰ δὲ καὶ μεσσηγύ, πάρος χρόα λευκὸν ἐπαυρεῖν,
ἐν γαίῃ ἵσαντο, λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι.

Ceterum nunc video in eandem suspicionem ante me incidisse Herwerdenum Mnem. 1890 p. 35.

XXXVIII. Nunc me advertit quod adnotastis ad M 200, ubi quum vulgo legeretur περησέμεναι μεμαῶσι, quod vs. 218 recurrit, non tulistis infinitivum futuri et περήμεναι ἐμμεμαῶσι scripsistis. Mihi quoque hoc futurum vehementer displicet, sed de corrigendi necessitate etiam atque etiam ambigo, quum Homerus alibi haud raro similiter dixisse videatur ac saepe quidem ex nostris libris futurum evanuerit, sed longe rarius perperam in textum fuerit illatum. Sed rem expendamus. Sunt loci quos ipsi collegistis:

B 544 μεμαῶτες ὀρεκτῇσιν μελίῃσι
θώρηκας ῥήξειν δηίων ἀμφὶ σήθεσσι.
H 36 πῶς μέμονας πόλεμον καταπαυσέμεν' ἀνδρῶν;
M 198 μέμασαν δὲ μάλιστα
τεῖχός τε ῥήξειν καὶ ἐνιπρήσειν πυρὶ νῆας.
Ξ 89 οὕτω δὴ μέμονας Τρώων πόλιν εὐρυάγυιαν
καλλείψειν, ἧς εἵνεκ' ὀιζύομεν κακὰ πολλά;
O 105 ἦ ἔτι μιν μέμαμεν καταπαυσέμεν' ἄσσον ἰόντες;
Φ 482 πῶς δὲ σὺ νῦν μέμονας — σήσεσθαι;
ω 395 δηρὸν γὰρ σίτῳ ἐπιχειρήσειν μεμαῶτες.

Et hos quidem locos corrigere facile est; verum affertis praeterea:

ο 522 καὶ γὰρ πολλὸν ἄριστος ἀνὴρ μέμονέν τε μάλιστα
μητέρ' ἐμὴν γαμέειν καὶ Ὀδυσσῆος γέρας ἔξειν

et praeterea adnotavi:

Φ 399 ἢ ὅ γ' ἐφορμᾶται ποιησέμεν, ὡς ἐνὶ χερσίν.
Φ 125 τρὶς μέν μιν πελέμιξε ἐρύσσεσθαι μενεαίνων,

qui versus itidem legitur Φ 176, ubi itidem libri inter aoristum et futurum fluctuant. Hic quoque minime dubito quin lenem aliquam medicinam indicare possitis, sed equidem quominus Vos sequar, ipsa locorum multitudine paene deterreor et, εἰ μή τι ὑμεῖς ἄλλο λέγετε, dixerim cupiendi verba apud Homerum

Digitized by Google

interdum sperandi significationem adsciscere; quod si itidem probaveritis, nihil erit cur cum futuris pergamus bellum gerere. Quin et magis crediderim aoristos et praesentia interdum loco cedere debere. Similiter ϛεῦται cum futuro construitur.

XXXIX. Minime intelligo Polydamantis verba N 738:

Τρῶες δὲ μεγάθυμοι, ἐπεὶ κατὰ τεῖχος ἔβησαν,
οἱ μὲν ἀφεϛᾶσιν σὺν τεύχεσιν, οἱ δὲ μάχονται
παυρότεροι πλεόνεσσι, κεδασθέντες κατὰ νῆας.,

sed hoc voluit, opinor, equites non ausos fuisse currum per fossam agere, quod solus nimis imprudenter Asius tentaverat. Hinc suspicatus sum legendum esse:

οἱ μὲν ἀφεϛᾶσιν σὺν ὄχεσφιν, τοὶ δὲ μάχονται.

XL. Egregie stultum est N 754:

ἦ ῥα καὶ ὠρμήθη ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς.

Herwerdenus commendavit κίρκῳ ἴρηκι vel simile quid. Cogitaveram equidem de χειμαρρόῳ ἄντα ἐοικώς, coll. Ω 630. Similiter E 87: θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποτάμῳ πλήθοντι ἐοικώς χειμαρόῳ. Alii alia excogitabunt, donec verum inventum erit.

XLI. De oleo quo Iuno se inungit, legimus Ξ 173:

τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς κατὰ χαλκοβατὲς δῶ
ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή.

Estne ea in re proprium verbum κινυμένοιο? Mihi quidem aptius videtur κιδναμένοιο.

XLII. Postquam Polydamas Graeci ducis humerum transfixit, effertur gaudio et exclamat triumphans non frustra se torsisse telum, Ξ 456:

ἀλλά τις Ἀργείων κόμισε χροΐ, καί μιν ὀΐω
αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἄϊδος εἴσω.

Suspectum Vobis est αὐτῷ et merito suspectum, nam novicius hic est pronominis usus. Quid latet? Nempe ξυϛῷ σκηπτόμενον, quo sensu est ἔγχε' ἐρειδομένω T 49.

XLIII. Interpretes se non extricant O 714:

ὀξέσι δὴ πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσ' ἐμάχοντο

Digitized by Google

καὶ ξίφεσιν μεγάλοισι καὶ ἔγχεσιν ἀμφιγύοισι.
πολλὰ δὲ φάσγανα καλὰ μελάνδετα κωπήεντα
ἄλλα μὲν ἐκ χειρῶν χαμάδις πέσον, ἄλλα δ' ἀπ' ὤμων
ἀνδρῶν μαρναμένων.

Primum ut tela non gladii in terram decidere dicantur, expungere necesse est versum πολλὰ δὲ φάσγανα κτέ. Poeta verosimiliter hoc dicere voluit, hastas, ἔγχεα ἀμφίγυα, partim frustra emissas fuisse, partim hostium corporibus haesisse. Hoc est illud quod describitur Λ 572:

ἄλλα μὲν ἐν σάκεϊ μεγάλῳ πάγεν ὁρμενα πρόσσω,
πολλὰ δὲ καὶ μεσσηγύ, παρὸς χρόα λευκὸν ἐπαυρεῖν
ἐν γαίῃ ἵσαντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι.

Hinc commendo: ἄλλα δ' ἐπηῦρον — ἀνδρῶν μαρναμένων. Sic λίθου ἐπαυρεῖν est Ψ 340.

XLIV. Quicumque ignem ferens ad naves accedebat, Ο 745:

τὸν δ' Αἴας οὔτασκε δεδεγμένος ἔγχεϊ μακρῷ·
δώδεκα δὲ προπάροιθε νεῶν αὐτοσχεδὸν οὔτα.

Non satis hoc est, duodecim enim hostes interfecit, ἕκτα. Cf. Σ 230.

XLV. De Peleo et Menoetio sunt Achillis ad Patroclum verba Π 16: τῶν κε μάλ' ἀμφοτέρων ἀκαχοίμεθα τεθνηώτων, quod ita dictum est quasi in fatis esset, ut ambo senes simul morerentur, adeo ut alterius mors mortem alterius post se traheret. Sed Achilles graviter laturus est mortem Menoetii et Patroclus Pelei, quod obtinebimus hoc modo:

τῶν κε μάλ' ἀμφοτέρω ἀκαχοίμεθα τεθνηώτων.

XLVI. Omnes improbamus οὐρανὸν εἰσανιδών, quod Π 232 invenitur et Ω 307, nec multum arridet Bentleianum εἰσορόων. Equidem scripserim: οὐρανὸν ἄντα ἰδών. Conferte modo Ρ 526 ἀλλ' ὃ μὲν ἄντα ἰδὼν ἠλεύατο χάλκεον ἔγχος, Ρ 334 ἔγνω ἐσάντα ἰδών, ε 217 εἰς ἄντα ἰδέσθαι, alibi. Possis quoque αἰθέρ' ἐς ἄντα ἰδών. Utrum probem anceps haereo, sed videtis correctionis facilitatem.

XLVII. Advertit me Π 310 ῥῆξεν δ' ὀξυὸν ἔγχος, nam modo

Digitized by Google

hastae mentio facta fuerat, quapropter malim: ῥῆξεν δ' ὀϛέον ἐντός, quemadmodum legitur P 211: πλῆσθεν δ' ἄρα οἱ μέλε' ἐντός — ἀλκῆς.

XLVIII. Moribundi Sarpedonis sunt ad Glaucum verba Π 501 = P 559: ὄτρυνε δὲ λαὸν ἅπαντα. Nonne praestat ἀπάντῃ?

XLIX. Leve vitium remansit in Patrocli ad Aiaces cohortatione Π 559:

ἀλλ' εἴ μιν ἀεικισσαίμεθ' ἐλόντες,
τεύχεα τ' ὤμοιίν τ' ἀφελοίμεθα, καί τιν' ἑταίρων
αὐτοῦ ἀμυνομένων δαμασαίμεθα νηλεῖ χαλκῷ.

Scribam equidem ἀμυνόμενον.

L. Corruptum esse scribitis Π 736:

ἦκε δ' ἐρεισάμενος, οὐδὲ δὴν ἄζετο Φωτός.

Parum prodest scire esse variam lectionem χάζετο, nam legitur quidem Λ 539 μίνυνθα δὲ χάζετο δουρός, nec tamen propterea illud χάζετο inconsiderate arripiemus. Cogitavi equidem de: οὐδὲ δὴν πλάζετο Φωτός, coll. Λ 351: πλάγχθη δ' ἀπὸ χαλκόΦι χαλκός et ρ 72: οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν Τηλέμαχος ξείνοιο ἑκὰς τράπετο.

LI. Audita morte Patrocli, Achillis equi stabant immoti, P 436:

ὣς μένον ἀσφαλέως περικαλλέα δίφρον ἔχοντε.

Miror adverbii usum et multo melius intelligerem ἀϛεμφές.

LII. Mire dictum est P 489:

ἐπεὶ οὔ κεν ἐΦορμηθέντε γε νῶι
τλαῖεν ἐναντίβιον ϛάντες μαχέσασθαι Ἄρηι.

Nonne praestabit νῶιν? Sed ipsi de ea re videritis.

LIII. Quantum video sine exemplo dictum est Σ 525:

αἳ δὲ τάχα προγένοντο, δύω δ' ἅμ' ἕποντο νομῆες.

Collatis B 465, O 360, Π 259 et 267 et Φ 6, malim fere προχέοντο. Praeterea memini quid Vos ad T 360.

LIV. Novi Homericos locos:

Ω 134 σκύζεσθαί σοί Φησι θεούς, ἐὲ δ' ἔξοχα πάντων.

Digitized by Google

N 269 *οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς.*
θ 221 *τῶν δ' ἄλλων ἐμέ φημι πολὺ προφερέστερον εἶναι.*,
quamquam alibi nominativus reperiatur A 77, 170, 398, E 246, Θ 234, I 161, O 165, λ 236, 431, *π* 64, sed displicet:
T 361 *ἀλλ' ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε*
καὶ σθένει, οὔ μέ τι φημι μεθησέμεν, οὐδ' ἠβαιόν.
Multo certe malim: *οὐκέτι.*

LV. Ψ 157: *γόοιο μὲν ἔξι καὶ ἄσαι*, hic quam difficile est non coniicere *ἄσῃ*.

LVI. Vulgata scriptura est Ψ 792:
ἀργαλέον δέ
ποσσὶν ἐριδήσασθαι Ἀχαιοῖς, εἰ μὴ Ἀχιλλεῖ.
Hic uti aequum est adnotatis displicere formas *ἐριδήσασθαι* et *Ἀχιλλεῖ*, deinde reiectis aliorum tentaminibus, profertis suspicionem, quam etiam in textum intulistis, esse legendum:
ἀργαλέος δέ
πόσσ' ἐριδαινέμεναι ἄλλοισ' εἰ μὴ Ἀχιλῆι.
Non aegre feretis si dixero medicinam mihi satis violentam esse visam itaque quaerere coepi num forte expeditior via pateret et tandem eo deveni ut putarem barbarum *ἐριδήσασθαι* transpositis literis cedere debere notae formae *δηρίσασθαι*. Hoc mihi quidem satis probabile visum est, sed quomodo *εἰ μὴ Ἀχιλλεῖ* corrigam, si quidem corrigendum est, non habeo pro certo dicere. Varia tentari possunt.

LVII. Sequitur certaminis simulacrum inter Aiacem et Diomedem, sed omnia nimis stulte ita describuntur, ut appareat inter simulacrum et veram pugnam prorsus nullum fuisse discrimen neque absurde suis metuunt Graeci vs. 822. Legem certaminis edixerat Achilles vs. 805:
ὀπποτερός κε φθήῃ ὀρεξάμενος χρόα καλόν,
ψαύσῃ δ' ἐνδίνων διὰ τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα,
τῷ μὲν ἐγὼ δώσω κτέ.
Alter versiculus *ψαύσῃ δ' ἐνδίνων κτέ.* merito Aristarcho displicebat itaque appinxerat obelum, sed stulti quoque versus corrumpi possunt, neque *ἔντεα* et *αἷμα* hic recte copulantur.

Digitized by Google

Legerim: διά τ' ἔγκατα καὶ μέλαν αἷμα eademque verba coniuncta reperietis Λ 176 et Σ 583. Quod ad ψαύσῃ δ' ἐνδίνων attinet, hoc utique constat corruptum esse ἐνδίνων. Lusi: χραύσῃ δ' ἐνδύνων διά τ' ἔγκατα καὶ μέλαν αἷμα. Χραύσῃ legitur E 138 et δέρτρον ἔσω δύνοντες λ 579, sed ultro concedo ἐνδύνειν vel ἔσω δύνειν rectius usurpari de vulturibus qui Tityi iecur rostro petunt, quam de bellatore qui hasta rem gerit.

LVIII. Plato in Republica p. 388 respicit Ω 12 his verbis usus: πάλιν δὴ Ὁμήρου τε δεησόμεθα καὶ τῶν ἄλλων ποιητῶν μὴ ποιεῖν Ἀχιλλέα θεᾶς παῖδα ἄλλοτε ἐπὶ πλευρᾶς κατακείμενον, ἄλλοτε δ' αὖτε ὕπτιον, ἄλλοτε δὲ πρηνῆ, τότε δ' ὀρθὸν ἀναςάντα πλωΐζοντ' ἀλύοντ' ἐπὶ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο. Absurdum est πλωΐζοντα· quid reponendum? Nemo certe Astium sequetur et corriget πρὸ ἰόντα. Legitur apud Homerum: δινεύεσκ' ἀλύων παρὰ θῖν' ἁλός, sed nemo videtur observasse Platonem Homeri verba ita immutare et in suos usus convertere, ut tamen immutata verba versiculi cuiusdam speciem habeant; unde consequitur pro πλωΐζοντα participium requiri, quod a vocali litera incipiat. Quid igitur latet? Opinor:

ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρᾶς κατακείμενον, ἄλλοτε δ' αὖτε
ὕπτιον, ἄλλοτε δὲ πρηνῆ, τότε δ' ὀρθὸν ἀναςάντ'
αἰάζοντ' ἀλύοντ' ἐπὶ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.

LIX. Ω 442: ἐν δ' ἔπνευσ' ἵπποισι καὶ ἡμιόνοις μένος ἠύ, displicet Vobis et iure displicet dativus ἡμιόνοις, sed ipsi Vobis in corrigendo non satisfecisse videmini. Scire pervelim quidni scripseritis: καὶ οὐρεῦσιν μένος ἠύ, nec probo eos qui inter utrumque genus nescio quid discriminis intercedere fingunt, nam Ψ 121 ἡμίονοι dicuntur qui modo οὐρῆες fuerant et Ω 716 οὐρῆες sunt qui alibi ἡμίονοι appellantur.

LX. Ad Homeri versum Ω 649: τὸν δ' ἐπικερτομέων προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, adscripsistis hinc alienum Vobis videri participium ἐπικερτομέων, cum acerba cavillatio Achillis verbis non insit. Credo sane, neque umquam cavillationibus vel acerbis vel paulo mitioribus magis fuit inopportunum tempus quam in Achillis colloquio cum misero sene, qui supplex in castra Graecorum venerat. Conferunt interpretes alios locos, ubi αἰ

Digitized by Google

κερτομίαι de solita acerbitate aliquantum remiserunt, veluti η 17, ubi Minerva Ulyssi priusquam intrat Phaeacum urbem, tenebras affundit, ne quis κερτομέοι ἐ ἔπεσσι καὶ ἐξερέοιθ' ὅτις εἴη vel θ 153, ubi Ulysses ad certamen provocatus, Λαοδάμαν, inquit, τί με ταῦτα κελεύετε κερτομέοντες, vel ν 326, ubi idem Ulysses metuit ne Minerva se ludificari voluerit: σὲ δὲ κερτομέουσαν δίω ταῦτ' ἀγορευέμεναι. Quin et ω 240 Ulysses patrem Laertem aggreditur κερτομίοισι ἔπεσσιν seque peregre in insulam Ithacam delatum esse simulat. Quid tamen hoc ad Achillem, qui modo extra tentorium Priamo lectum sterni iusserat eumque nunc compellat his verbis: ἐκτὸς μὲν δὴ λέξο, γέρον Φίλε? Ad ω 240 scholiasta adscripsit: κερτομίοις ἐπέεσσιν· ἀπατητικοῖς, δολίοις, ἵνα μὴ τῇ αἰφνιδίῳ χαρᾷ ἀποψύχῃ ὁ γέρων, ὥσπερ καὶ ὁ κύων ἀπώλετο· sed nil tale Achillem decet, qui nunc quoque uti semper εὐθυρρήμων est. Observatio est Aristarchi ad Π 261: τὸ κερτομεῖν οὐ τίθησιν ἐπὶ τοῦ δι' ἔργων ἐρεθίζειν ἀλλὰ διὰ λόγων· recte hoc quidem, ut spurium versum esse ostenderet, sed si κερτομεῖν ei revera fuit ἐρεθίζειν διὰ λόγων, miror eum non attendisse ad locum unde disputatio nostra profecta est et parum abest quin credam ἐπικερτομέων ne lectum quidem fuisse in Aristarchi editione. Herwerdenus corrigit: τὸν δὲ ἐπεὶ ἐκτέλεσαν, quam coniecturam non ausi estis in textum recipere; recte hoc quidem ex mea sententia, nam etiamsi Herwerdenus nunc quoque luculenter ostenderit quanto valet ingenii acumine, nihil tamen habet eius suspicio, quod vel invito assensum possit extorquere. Quomodo tandem Achilles Priamum alloqui potuit? Prehendit eum manu, quemadmodum supra vs. 515, quum prostratum senem surgere iuberet: γέροντα δὲ χειρὸς ἀνίσχῃ. Nec manum retinuit per omne tempus quod colloquio insumitur, sed postquam convenit de induciis decem dierum, iterum legimus vs. 671: ὡς ἄρα Φωνήσας ἐπὶ καρπῷ χεῖρα γέροντος ἕλλαβε δεξιτερήν. Quid igitur latet sub ἐπικερτομένων? Sed ipsi Vos, credo, inter legendum iam me praevertistis corrigendo: ἐπὶ καρπῷ ἑλών. Consimile est σ 258: δεξιτερὴν ἐπὶ καρπῷ ἑλὼν ἐμὲ χεῖρα προσηύδα et literarum ductus satis conveniunt.

LXI. Intelligere mihi videor quid πτύξαι sit. Reditura est domum Nausicaa ζ 211 ζεύξασ' ἡμιόνους πτύξασά τε εἵματα

Digitized by Google

καλά iterumque ζ 252 εἵματ' ἄρα πτύξασ' ἐτίθει καλῆς ἐπ' ἀκήνης itemque Penelope τ 256 dat Ulyssi ad bellum profecturo vestem πτύξασ' ἐκ θαλάμου· nunc enim primum complicatur, nam pependerat in thalamo, quemadmodum Euryclea α 439 Telemachi tunicam clavo suspendit:

ἡ μὲν τὸν πτύξασα καὶ ἀσκήσασα χιτῶνα
πασσάλῳ ἀγκρεμάσασα παρὰ τρητοῖσι λέχεσσι
βῆ ῥ' ἴμεν ἐκ θαλάμοιο.

Sed iam videtis quanam re offendar: potuitne Euryclea vestem complicare complicatamque vestem ἀσκῆσαι ac deinde ἀνακρεμάσαι? Contuli equidem Ξ 179 ἀμφὶ δ' ἄρ' ἀμβρόσιον ἑανὸν ἕσαθ' ὅν οἱ Ἀθήνη — ἕξυσ' ἀσκήσασα et latere credo similiter: ἡ μὲν τὸν ξύσασα καὶ ἀσκήσασα χιτῶνα, nimirum ut pexam tunicam Telemachus mane statim induere posset.

LXII. In Vestris adnotationibus soletis perquam honorificam mentionem facere eorum quae ego olim ad Homeri textum emendandum conferre volui, nec Vobis molestum esse lubet, sicubi forte meas rationes non probavero. Unum fere locum excipio. Contenderam γ 216 cum Zenodoto legendum esse: τίς οἶδ' εἴ κέ ποτέ σφι βίας ἀποτίσεαι ἐλθών, non ἀποτίσεται, expuncto sequenti versu: ἢ ὅ γε μοῦνος ἐὼν ἦ καὶ σύμπαντες Ἀχαιοί. Quid enim? Nestor ut adulescenti animum addat, Tu, inquit, fortasse aliquando, si Minerva tibi faverit quemadmodum olim patri tuo favit, procos ipse superabis:

τίς οἶδ' εἴ κέ ποτέ σφι βίας ἀποτίσεαι ἐλθών;
εἰ γάρ σ' ὣς ἐθέλοι φιλέειν γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ὡς τότ' Ὀδυσσῆος περὶ κήδετο κυδαλίμοιο —
. . . . . .
εἴ σ' οὕτως ἐθέλοι φιλέειν κήδοιτό τε θυμῷ,
τῷ κέν τις κείνων γε καὶ ἐκλελάθοιτο γάμοιο.

Vos vulgatam scripturam unice probatis, nec tamen negabitis nunc Nestorem nugari et nescire quid dicat: res incurrit in oculos. Quid igitur Vos retinuit? Nempe dubitastis possentne ποτέ et ἐλθών apte de Telemacho dici. Haec certe me iudice offensio facili opera evitari poterit: quid si poeta dedit:

τίς οἶδ' εἴ ποτε ἴφι βίας ἀποτίσεαι ἀνδρῶν,

cf. ρ 540. Sed Vestro iudicio acquiescam.

Digitized by Google

LXIII. Quam incredibile est quod invenio γ 256—261! Orestes Aegistho tumulum erexit eumque matronae luxerunt! Non habeo quomodo me extricem.

LXIV. Nec minorem mirationem movet coena ab Oreste instructa in Clytaemnestrae et Aegisthi honorem γ 310. Versum expungitis ut Agamemnonis parentalia fiant; per me licet: sed quis locum tam stulte interpolavit?

LXV. Risum movet δ 208:

ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων
ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γιγνομένῳ τε.

Non me offendit τὸ ὕστερον πρότερον, quod ne potuit quidem vitari similiterque me legere memini ἅμ' ἔτραφον ἠδ' ἐγένοντο, ἀποπεμπέμεν ἠὲ δέχεσθαι, alia; verum quam intempestiva hic nuptiarum mentio! Laudibus effert Menelaus viridem senectutem Nestoris liberorumque eximiam virtutem; hoccine indicari potuit ope participii γαμέοντι? Voluit, opinor, dicere, *ab ineunte aetate*. Graece hoc satis recte sonabit: θαλέθοντί τε γιγνομένῳ τε.

LXVI. De Penelope legimus δ 788:

κεῖτ' ἄρ' ἄσιτος ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος.

Neque ἄσιτος huc optime quadrat et Rhianus ἀναυδος legerat. Contextus mihi videtur ducere ad ἄϋπνος.

LXVII. Sororis in somnio sunt ad Penelopam verba δ 805:

οὐ μέν σ' οὐδ' ἐάουσι θεοὶ ῥεῖα ζώοντες
κλαιέμεν οὐδ' ἀκαχῆσθαι.,

sed hoc quidem falsum est, nam per totam Odysseam misera mulier vix quidquam aliud agit: adeo hoc immortales dii non prohibent. Satisfaciet: οὐ μέν σ' οὐδ' ἐθέλουσι· iam enim filio reditum pararunt.

LXVIII. Secundum matrem Telemachus est δ 818:

νήπιος οὔτε πόνων ἐὺ εἰδὼς οὔτ' ἀγοράων.

Opponi solent ἀγοραί et πόλεμος, videte modo A 490, I 438 aliosque locos quos Buchholzius enumerat III. 2. 120. Hinc malim: οὐ πολέμου ἐὺ εἰδὼς οὐδ' ἀγοράων.

Digitized by Google

LXIX. Cum Aristarcho spurium esse iudicatis ε 54:

τῷ ἴκελος πολέεσσιν ὀχήσατο κύμασιν Ἑρμῆς.

Non intercedo, sed nonne praestat πολιοῖσιν? Nemone ante me in eam suspicionem incidit?

LXX. Ad ζ 58:

πάππα φίλ', οὔ κεν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην
ὑψηλὴν εὐκυκλον, ἵνα κλυτὰ εἵματ' ἄγωμαι.,

recte a Vobis animadversum est: „in puellae ore displicet vox grandisona". Quin igitur mecum scribitis: ἵν' ἄπλυτα. Me certe non deterrebit quod sequitur: ἐς ποταμὸν πλυνέουσα, τά μοι ῥερυπωμένα κεῖται.

LXXI. Sunt Nausicaae quinque fratres ζ 63:

οἱ δύ' ὀπυίοντες, τρεῖς δ' ἠίθεοι θαλέθοντες.

Studueram olim ostendere nec verbum ὀπυίειν sic absolute usurpari de eo qui uxorem iam duxerit, deinde θ 119 non nisi tres adulescentes memorari, quorum Laodamas natu maximus secundus ab rege est. Sequitur reliquos duos verosimiliter fuisse pueros et quaerere coepi quid tandem lateret sub illo ὀπυίοντες, sed res mihi non successit et libenter agnovi Vos meum παράρραμα occultare maluisse quam exagitare. Nunc autem dicite velitisne probare: οἱ δύο νηπύτιοι.

LXXII. Vitium notavistis, sed nondum successit emendatio ζ 83:

αἳ δ' ἄμοτον τανύοντο, φέρον δ' ἐσθῆτα καὶ αὐτήν.

Ausim contendere emendandum esse:

αἳ δ' ἄμοτον ἀνύοντ' ἔφερον ἐσθῆτα καὶ αὐτήν.

Simul est restituta aeolica litera et habetis ἀνύοντε, participii dualem, quem requirebatis. Cf. verbum ἀνύειν δ 357.

LXXIII. Confunduntur τεῖχος et πύργος M 333, alibi itaque fortasse dubitare licebit de sinceritate lectionis ζ 262:

αὐτὰρ ἐπεὶ πόλιος ἐπιβήομεν ἣν πέρι πύργος — ὑψηλός.

Cf. η 44: τείχεα μακρὰ ὑψηλά.

LXXIV. Phaeaces norunt bellum Troianum iisque insula

Digitized by Google

Euboea τηλοτάτω est η 322 itaque poeta eos removit septentrionem versus nec Corcyram incolunt.

LXXV. Quod legitur ι 141:

αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος ῥέει ἀγλαὸν ὕδωρ,
κρήνη ὑπὸ σπέεος.

collatis locis quales sunt λ 37 οἱ δ' ἤγροντο ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβευς, μ 107 ῥύεσθαι ὑπ' ἐκ κακοῦ, ι 489 ἵν' ὑπ' ἐκ κακότητα Φύγοιμεν, coniicio veram lectionem esse ὑπ' ἐκ σπέεος. Itidem conferendi sunt vss. ζ 87 sqq.: πολὺ δ' ὕδωρ — καλὸν ὑπεκπρόρεεν μάλα περ ῥυπόωντα καθῆραι· ἔνθ' αἵ γ' ἠμιόνους μὲν ὑπεκπροέλυσαν ἀπήνης, sed malim certe ὑπεκπαρέλυσαν, nam παραλύειν novi, προλύειν mihi quidem eo sensu inauditum est.

LXXVI. Nondum correctum fuit ι 348:

Κύκλωψ, τῇ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα,
ὄφρ' εἰδῇς οἷόν τι ποτὸν τόδε νηῦς ἐκεκεύθει.

Collato η 328 simplicissima est correctio: εἰδήσεις.

LXXVII. Est Nauckii coniectura ad χ 385, ubi perfacile intelligitur cur pro κοῖλον ἐς αἰγιαλόν malit λευρὸν ἐς αἰγιαλόν. Adiectivum λευρὸς semel omnino apud Homerum legitur, nempe η 123, λευρῷ ἐνὶ χώρῳ, qui locus non de nihilo Vobis interpolatus videtur, unde in editione XXIX versiculos minoribus literis exarandos curavistis. Itaque fortasse temerarium est alio loco idem vocabulum poetae reddere velle; sed videndum tamen satin recte edatur κ 94 λευκὴ δ' ἦν ἀμφὶ γαλήνη. Πολιὴν ἅλα novi, quis umquam λευκὴν appellavit? Eandem confusionem olim odoratus sum in Euripidis Helena.

LXXVIII. κ 179:

ἐκ δὲ καλυψάμενοι παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
θηήσαντ' ἔλαφον.

Intelligam: ἐκ δὲ τανυσσάμενοι.

LXXIX. Describitur lectus Laertis aestivus λ 194:

φύλλων κεκλιμένων χθαμαλαὶ βεβλήαται εὐναί.

Optimo iure Vobis displicet participium κεκλιμένων. Equidem

Digitized by Google

conieci: φύλλων καὶ καλάμων. Eadem coniuncta reperietis Plat. Rep. II p. 372 B. Simplicitatem heroum videmus π 47, ubi Eumaeus herili filio sternit χλωρὰς ῥῶπας καὶ κῶας ὕπερθεν.

LXXX. Matris sunt ad filium verba λ 202:

ἀλλά με σός τε πόθος σά τε μήδεα, Φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ,
σή τ' ἀγανοφροσύνη μελιηδέα θυμὸν ἀπηύρα.

Hinc emendari poterit ι 302: ἕτερος δέ με θυμὸς ἔρυκε. Vix sana haec esse pronunciatis, quum θυμὸς pro *sententia* alibi nusquam usurpetur aut usurpari potuerit. Deinde reiicitis ἕτερος ... μῦθος aut ἑτέρη ... βουλή, sed fortasse non improbabitis: ἕτερον δὲ με μῆδος ἔρυκε.

LXXXI. Dona si dederitis, Ulysses ait λ 360:

καί κ' αἰδοιότερος καὶ φίλτερος ἀνδράσιν εἴην
πᾶσιν ὅσοι μ' Ἰθάκηνδε ἰδοίατο νοστήσαντα.

Nauckio suspectum est adiectivum αἰδοιότερος. Vultisne mecum commendare ἀφνειότερος?

LXXXII. Quod legimus λ 542:

αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων
ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε' ἑκάστη.,

hoc quid significare debeat, ostendet ι 13:

σοὶ δ' ἐμὰ κήδεα θυμὸς ἐπετράπετο φονόεντα — εἴρεσθαι.,

sed verissime adnotavistis hinc prorsus alienum esse *rogandi* verbum. Dixerim equidem verbum τείρειν hic latere et coniicio: τεῖρον δέ τε κήδε' ἑκάστην, sed quomodo ultimo vocabulo Aeolicam literam addam, non magis habeo quam T 302. Nec tamen ideo meam correctionem premere volui, nam ο 8:

ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ
νύκτα δι' ἀμβροσίην μελεδήματα πατρὸς ἔγειρεν,

videte an non praestet ἔτειρον, quod equidem certe praeferam Nauckiano ἔχεσκεν. Nihil attinet adscribere locos, ubi τείρειν apud poetam legitur.

LXXXIII. Improbat Nauckius quod de Tantalo legitur λ 586:

τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν

et commendat ἀπέδεικεν. Nondum satis apud me constat ἀπολέ-

Digitized by Google

σκετο in mendo cubare, sed minore molimine corrigere potero εἴχνεσκεν.

LXXXIV. De Sisypho traditur λ 600 κονίῃ δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει, sed concedo ἐκ κρατὸς absurde addi. Ancipites haeretis probarine debeat κονίῃ δ' ἄσβεσος an κονίῃ δ' ὑπὸ ποσσὶν ὀρώρει. Ad sensum utrumque recte se habet, sed lenior medicina est: κονίῃ δ' ἀμέγαρτος ὀρώρει.

LXXXV. Multum me torsit μ 34:

εἷσέ τε καὶ προσέλεκτο καὶ ἐξερέεινε ἕκαστα.

Rideo sedentem Ulyssem et Circen iuxta cubantem. Audite Scholiastam: παρέκλινεν ἑαυτὴν καὶ προσηγάγετο, deinde addit: ἢ καὶ προσδιελέξατο, ὃ καὶ ἄμεινον. Alterum absurdum est, alterum praeter Homeri consuetudinem, qui προσέειπε hoc appellare solet, non προσέλεκτο. Plurimum arridet προσέδεκτο, quod ut firmem Homerum laudare nequeo, sed Athenienses certe dicebant, quemadmodum Sophocles dixit Trach. 233: δίδαξον, εἰ ζῶνθ' Ἡρακλῆ προσδέξομαι.

LXXXVI. Σχῆμα est καθ' ὅλον καὶ μέρος, de quo me dicere memini Mnem. 1884 p. 364. Ut ostenderem non accusativum tantum cum accusativo copulari, sed etiam dativum cum dativo, ibi tum duos locos excitavi:

P 269 ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν
λαμπρῇσιν κορύθεσσι Κρονίων ἠέρα πολλὴν — χεῦε.

et Σ 375 χρύσεα δέ σφ' ὑπὸ κύκλα ἑκάστῳ πυθμένι θῆκεν.

Sed operae pretium est exemplis allatis rem in clara luce ponere:

A 585 μητρὶ φίλῃ ἐν χειρὶ τίθει καί μιν προσέειπεν.
B 259 μηκέτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη.
B 451 ἐν δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστῳ — καρδίῃ.
E 40 πρώτῳ γὰρ ῥεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξεν.
E 182 Τυδεΐδῃ μὲν ἔγωγε δαΐφρονι πάντα ἔοικα
ἀσπίδι γιγνώσκων αὐλώπιδί τε τρυφαλείῃ.
K 257 ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῇφιν ἔθηκεν.
Λ 12 Ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ — καρδίῃ.
O 451 αὐχένι γάρ οἱ ὄπισθε πολύσονος ἔμπεσεν ἰός.
N 282 ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ μεγάλα σέρνοισι πατάσσει.

Digitized by Google

N 805 ἀμφὶ δέ οἱ κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ.
P 523 ἐν δέ οἱ ἔγχος — νηδυίοισι μάλ' ὀξὺ κραδαινόμενον.
υ 327 ἥπιον, εἴ σφωιν κραδίῃ ἅδοι ἀμφοτέροιιν.
ψ 208 ἀμφὶ δὲ χεῖρας — δειρῇ βάλλ' Ὀδυσῆϊ.

Nunc credi mihi fortasse poterit recte Nauckium edidisse μ 200: ὅν σφιν ἐπ' οὔασ' ἄλειψ', ἐμέ τ' ἐκ δεσμῶν ἀνέλυσαν, nec quidquam causae esse, cur Vobiscum accusativum οὔατα praeferamus. Nec dubito quin in notissimo ἐν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί dativus indicet manum quae praehensa fuit, non eam quae praehendit. Iam eo ducunt Ξ 218 τόν ῥά οἱ ἔμβαλε χερσίν et Φ 379 ἐν χείρεσσ' Ὀδυσῆι δαΐφρονι θῆκε παρασάς· sed res conficitur plurali numero κ 397 ἔφυν τ' ἐν χερσὶν ἕκαστος et ω 410 ἐν χείρεσσι φύοντο. Obiter addo Φ 286 χειρὶ δὲ χεῖρα λαβόντες, fortasse praestare dualem χεῖρε, cf. χ 500.

LXXXVII. Phaeaces navi imponunt πόσιν καὶ βρῶσιν ἅπασαν ν 72; malim equidem ἅπασιν, nam continuo sequitur: καδ' δ' ἄρ' Ὀδυσσῆϊ ϛόρεσαν ῥῆγός τε λίνον τε. Sic demum, uti videtis, dativus Ὀδυσῆϊ recte opponitur dativo ἅπασιν.

LXXXVIII. Nauckium miror qui ediderit ν 216:

ἀλλ' ἄγε δὴ τὰ χρήματ' ἀριθμήσω καὶ ἴδωμαι
μή τί μοι οἴχωνται κοίλης ἐπὶ νηὸς ἄγοντες.,

nam prorsus requiro indicativum οἴχονται, h. e. *num forte abierint.*

LXXXIX. Notissima verba sunt ξ 188 = α 171:

τίς πόθεν ἐσσ' ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;
ὁππο ίης δ' ἐπὶ νηὸς ἀφίκεο; πῶς δέ σε ναῦται
ἤγαγον εἰς Ἰθάκην;

Conceditis quod in oculos incurrit ὁππο ίης pro ποίης usurpatum soloecum esse; deinde additis verum Vobis videri ποίης δεῦρ' ἐπὶ νηός. Non assentior; scribendum enim ποίης εἶπ' ἐπὶ νηός; Videtis corruptelae originem.

XC. Frustra me torqueo neque umquam intelligere potui ξ 278:

αὐτὰρ ἐγὼ βασιλῆος ἐναντίον ἤλυθον ἵππῳ.

Quid refert hiccine legam cum Nauckio ἵππῳ an ἵππων cum

Digitized by Google

aliis? Numquam sequi poterit quod sequitur: καὶ κύσα γούναθ' ἑλών. Ostendi in Mnem. 1884 p. 359 Homerum sibi res quas narrat saepe non satis accurate animo repraesentavisse et praeterea complures loci quibus hoc probem ad manus sunt. Veluti omnem fidem superat quod de Melanthio traditur χ 144:

ἔνθεν δώδεκα μὲν σάκε' ἔξελε, τόσσα δὲ δοῦρα
καὶ τόσσας κυνέας χαλκήρεας ἱπποδασείας.

Habet tamen ea observatio magnas cautiones, cuius rei nunc ὁδοῦ πάρεργον unum certe exemplum afferre lubet. Ineptum esse dixeris quod de Sarpedone legitur Ε 655:

οἳ μὲν ἄρ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι
ἐξέφερον πολέμοιο· βάρυνε δέ μιν δόρυ μακρόν
ἑλκόμενον· τὸ μὲν οὔ τις ἐπεφράσατ' οὐδ' ἐνόησεν
μηροῦ ἐξερύσαι.

Quid tamen Procopius Bell. Vandal. II 2 p. 151. 10: Κουτίλας μέσην τὴν κεφαλὴν ἀκοντίῳ πληγεὶς καὶ ταύτῃ τὸ δοράτιον ἐμπεπηγὸς ἔχων ἐδίωκε. τῆς τε τροπῆς γενομένης ἅμα τοῖς περιοῦσιν ἐς τὴν πόλιν ἀμφὶ ἡλίου δύσιν ἐσήλασε, κραδαινομένου οἱ ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ ἀκοντίου, θέαμα λόγου πολλοῦ ἄξιον. ἐν τούτῳ δὲ καὶ Ἄρζην τῶν Βελισσαρίου ὑπασπιστῶν ἕνα, τῶν τις Γότθων τοξότης μεταξὺ τῆς τε ῥινὸς καὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ δεξιοῦ βάλλει. καὶ τοῦ μὲν τοξεύματος ἡ ἀκὶς ἄχρι ἐς τὸν αὐχένα ὀπίσω διῆλθεν, οὐ μέντοι διεφάνη, τοῦ δ' ἀτράκτου τὸ λειπόμενον ἐπῆν τε τῷ προσώπῳ καὶ ἱππευομένου τοῦ ἀνθρώπου ἐσείετο· ὃν δὴ σὺν τῷ Κουτίλᾳ θεώμενοι ἐν θαύματι μεγάλῳ ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, ὅτι δὴ ἱππεύοντο οὐδεμίαν ἐπισροφὴν τοῦ κακοῦ ἔχοντες. Nec minora portenta loquuntur Diodorus Siculus XVII 20. 4 et Plutarchus Camill. 2. Sed ut illuc redeam, nunc quidem offensionem evitare facile est:

αὐτὰρ ἐγὼ βασιλῆος ἐναντίον ἤλυθον ὦκα.

Certe rex dum curru vehebatur, supplex eius genua complecti non potuit. Sed quod dicebam, multa sunt apud Homerum praepostere ficta et quae fidem superant. Veluti quae est curruum in bello utilitas? Iliadem semel iterumque perlegi ad eam rem unice intentus: comparuit mihi poetam sibi perpetuo contradicere. Credo Homeri aequales fando accepisse Aegyptios et Assyrios in bello currus habuisse, ipsos autem numquam vidisse vel usurpasse. Coniicio etiam Zoilum ad eam quaestionem olim attendisse. Narrat Homerus Ε 20:

Digitized by Google

Ἰδαῖος δ' ἀπόρουσε λιπὼν περικαλλέα δίφρον,
οὐδ' ἔτλη περιβῆναι ἀδελφεόν κταμένοιο.

Hic Zoilus *λιάν, φησί, γελοίως πεποίηκεν ὁ ποιητὴς τὸν Ἰδαῖον ἀπολιπόντα τοὺς ἵππους καὶ τὸ ἅρμα φεύγειν· ἠδύνατο γὰρ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ἵπποις.* Verum hanc quidem reprehensionem diluere poterimus, nec dissimile est quod traditur in libro Iudicum 4.15: *κατέβη Σισάρα ἐπάνωθεν τοῦ ἅρματος αὐτοῦ καὶ ἔφυγε τοῖς ποσὶν αὐτοῦ.*

XCI. Retractare iuvat quod ante septem annos adnotavi ad *o* 373: *τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ **αἰδοίοισιν** ἔδωκα*, nam maneo quidem in vetere sententia non pudenda hic intelligi debere, sed Eumaeum regis sui exemplo, *τ* 76, interdum aliquid mendicis impertiri fuisse solitum, quemadmodum videmus eum *Αἰτωλὸν ἄνδρα* hospitio excepisse *ξ* 379, sed quod reponebam *αἰτίζουσιν*, hodie dixerim paulo verosimilius coniici posse *ἀλλοδαποῖσιν*, coll. *ρ* 485.

XCII. *o* 435:

ΤΟΝ δ' αὖτε προσέειπε γυνὴ καὶ ἀμείβετο μυθῷ·
*εἴη κεν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτε γε, **ναῦται**,*
ὅρκῳ πιστωθῆναι ἀπήμονα οἶκαδ' ἀπάξειν.

Emenda: *ναῦτα*. Simile obtinet *υ* 98: *Ζεῦ πάτερ, εἴ μ' ἐθέλοντες — ἤγετε.*

XCIII. Quam est mirum *o* 466:

*εὗρε δ' ἐνὶ προδόμῳ ἠμὲν δέπα ἠδὲ **τραπέζας***
ἀνδρῶν δαιτυμόνων.

Mensas Phoenissa mulier non curabat, sed auream supellectilem. Utinam *κύπελλα* minus recederet ab traditis literarum ductibus, cf. *υ* 253.

XCIV. Dixi ante multos annos de Iliadis compositione in Quaestionibus meis Homericis, nam firmum solum mihi nactus esse videbar, cui alia tuto possent superstrui: etenim poeta qui sexto libro cecinit colloquium Hectoris cum uxore, posthac ei reditum in urbem concedere non potuit, sicuti fit H 310: tam mihi hoc certum videtur quam quod certissimum atque hinc

Digitized by Google

profectus quae particulae deinceps pristino Iliadis nucleo agglutinatae sint, cum cura constituere aggressus sum. In indaganda Odysseae primitiva forma mihi non satisfacio, nec tamen negligam iam ante Fenelonem Zenodotum fuisse qui Telemachum in insulam Cretam deduceret, qua de re breviter dixistis ad α 93 et 285. Recensionem Zenodoti hodie pluris habemus quam antea fiebat, nec facile credam eum mero ingenio fretum Cretae nomen in textum invexisse. Quid enim? qui fecit adulescentem ita dicentem et Eumaeum interrogantem:

π 33: εἴ μοι ἔτ' ἐν μεγάροις μήτηρ μένει, ἦέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλος ἔγημεν, Ὀδυσσῆος δέ που εὐνὴ
κήτει ἐνευναίων κάκ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.,

hiccine cogitare potuit de itinere paucorum et ut plurimum triginta quinque dierum? Colorem rei quaerit Kammerus in docto de Odyssea libro p. 369, sed quem affert Iuvenalis locus XIV 60 sqq., is non probat id quod probari debuit, nec magis ad rem Plautus quidquam confert Asin. 2. 4. 18 vel Stich. 2. 2. 23. Verum fugito quaestionem unde me non extrico. Veluti nescio quid faciam Aristotelis testimonio de Poetica c. 8: Ὀδύσσειαν ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη· οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ· ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἦν ἢ εἰκὸς θάτερον γενέσθαι. Eggerus de hoc loco quaesivit in opere postumo: *la Litérature Grecque.*

XCV. Apud Penelopam mentitur Ulysses esse se Aethonem Cretensem, qui aliquando Ulyssem viderit et hospitio exceperit tempestate in insulae littus abreptum, τ 189:

ϛῆσε δ' ἐν Ἀμνισῷ, ὅθι τε σπέος Εἰλειθυίης,
ἐν λιμέσιν χαλεποῖσι, μόγις δ' ὑπάλυξεν ἀέλλας.

Flante Borea, parum tuta haec fuit statio navium. Cogitavi de: ἐν λιμέσιν χθαμαλοῖσι, qualem portum Virgilius describit Aen. I 163 sqq. vel III 533 sqq.

XCVI. Fibula describitur τ 228:

ἐν προτέροισι πόδεσσι κύων ἔχε ποικίλον ἐλλόν,
ἀσπαίροντα λάων· τὸ δὲ θαυμάζεσκον ἅπαντες
ὡς οἱ χρύσεοι ἐόντες, ὃ μὲν λάε νεβρὸν ἀπάγχων,
αὐτὰρ ὃ ἐκφυγέειν μεμαὼς ἤσπαιρε πόδεσσιν.

Digitized by Google

Veterem scripturam hanc esse scio, nec tamen λάων et λάε probare possum, cum interpretatio huc neutiquam quadret. Audiamus Scholiastam: λάων· ὁ μὲν Ἀρίσαρχος ἀπολαύων, ἀπολαυσικῶς ἔχων, ὁ δὲ Κράτης ἀντὶ τοῦ βλέπων, οἱ δέ φασιν ἀφῃρῆσθαι τὸ υ, ἵν' ᾖ ὑλάων. Sardi venales, uti videtis. Canis non fruebatur, non adspiciebat, non allatrabat, sed leporem credo *mordebat*. Verum est nisi fallor δακών et δάκε. Aliter canes in scuto Achillis Σ 585:

οἳ δ' ἦτοι δακεέειν μὲν ἀπετροπάοντο λεόντων.

XCVII. Violatur syntaxis τ 298:

τὸν δ' ἐς Δωδώνην Φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο
ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ,
ὅππως νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Unusquisque hic statim requiret futurum νοστήσει et quam hoc sit necessarium liquido ostendet ξ 329. Leve est reponere: ὅππως νοστήσει οἰκόνδ' ἐς πατρίδα γαῖαν.

XCVIII. Inconcinne mihi dictum videtur τ 390:

αὐτίκα γὰρ κατὰ θυμὸν ὄΐσατο μή ἑ λαβοῦσα
οὐλὴν ἀμφράσσαιτο καὶ ἀμφαδὰ ἔργα γένοιτο.

Recte ψ 87 χεῖρε λαβοῦσα, recte de cicatrice τ 467 τὴν γρηῢς χείρεσσι καταπρηνέσσι λαβοῦσα, sed contrectandi verbum usurpatur τ 475: οὐδέ σ' ἐγώ γε — πρὶν ἔγνων, πρὶν πάντα (Duntzerus γ' ἄντα) ἄνακτ' ἐμὸν ἀμφαφάασθαι. Quid censetis de correctione μή ῥ' ἀφάουσα, coll. Z 322?

XCIX. Quam est mirum τ 572:

ἦδε δὴ ἠὼς εἶσι δυσώνυμος, ἥ μ' Ὀδυσῆος
οἴκου ἀποσχήσει.

Utinam ἀποσχήσει usu Homerico melius commendaretur!

C. Duplex est offensio υ 52:

ἀνίη καὶ τὸ Φυλάσσειν
πάννυχον ἐγρήσσοντα.,

nam nec καί nec τό huc pertinent. Contuli Κ 312 οὐδ' ἐθέλουσι νύκτα φυλασσέμεναι, uti et χ 195. Verum est: ἀνίη νύκτα Φυλάσσειν. Ne quem offendat coniunctum νύκτα cum πάννυχον,

Digitized by Google

indicabo in vicinia χ 364: βοὸς δ' ἀπέδυνε βοείην et supra quoque hoc argumentum attigi.

CI. *Succrescere* apud Herodotum est ἐπιτραφῆναι, veluti IV 3: ἐκ τούτων δὴ ὧν σφι τῶν δούλων καὶ τῶν γυναικῶν ἐπετράφη νεότης. Hic quidem librariis proclive fuit scribere ὑπετράφη, sed bene factum quod vera forma ex illorum manibus illaesa evasit. Legitur autem apud Homerum υ 212:

οὐδέ κεν ἄλλως
ἀνδρί γ' ὑποσαχύοιτο βοῶν γένος εὐρυμετώπων.

Sed analogia, uti videtis, magis ducit ad ἐπισαχύοιτο eamque lectionem in suo libro videtur habuisse Apollonius Rhod., apud quem invenio I 972:

Ἶσον που κἀκείνῳ ἐπισαχύεσκον ἴουλοι.

Quam parum afuerit quin hic quoque verum pessumdaretur, Scholiasta dicet.

CII. Theoclymenus mala multa procis imprecatus dixerat figurato sermone, quum divino instinctu incitaretur, Ulyssis in domo tenebras iam omnia occupare. Itaque eum iubet Eurymachus υ 362 εἰς ἀγορὴν ἔρχεσθαι, credo ut solem contueretur seque sentiret nugari. In eiusmodi sententia locus indicari debet, unde quoquoversus aspectus pateat; hinc omnino malim: εἰς δροφὴν ἔρχεσθαι, sicuti legitur χ 298 ὑψόθεν ἐξ δροφῆς.

CIII. Nauckio ἐπὶ suspectum est in hisce χ 427:

οὐδέ ἑ μήτηρ
σημαίνειν εἴασκεν ἐπὶ δμωῇσι γυναιξίν.

Estne verum ὑποδμωῇσι?

Amstelodami, m. April. 1891.

Digitized by Google

DE LOCIS NONNULLIS PLATONIS E LIBRIS DE REPUBLICA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Septem fere sunt anni ex quo in Mnemosynes Vol. XI p. 332—350 et Vol. XII 319—336 locos haud ita paucos e nobilissimo opere Platonico aut iure aut iniuria temptavi, nuper vero eosdem de civitate libros, qui plus quam reliqua omnia quae philosophus scripsit me quidem delectant, intenta mente perlegenti novae quaedam natae sunt *ἀπορίαι*, quas in hac scriptiuncula num solvere possim experiar. Supersedere fortasse possem, nisi Schanzii, quo nemo hodie vivit sermonis Platonici peritior, frustra semper expectaremus editionem. Dubito enim, ut hinc ordiar, num is tam patienter quam hucusque factum est laturus sit scripturam codicum p. 333 E cap. VIII init. *Οὐκ ἂν οὖν, ὦ φίλε, πάνυ γέ τι σπουδαῖον εἴη ἡ δικαιοσύνη, εἰ πρὸς τὰ ἄχρηστα χρήσιμον ὂν τυγχάνει. τόδε δὲ σκεψώμεθα. ἆρ' οὐχ ὁ πατάξαι δεινότατος ἐν μάχῃ — οὗτος καὶ φυλάξασθαι κτἑ.* Agitur enim, ut universum locum quem exscribere longum est attente legens intelleges, non de eo quod considerandum est, sed de ratione qua quaestio, quae sit iustitiae utilitas, consideranda sit, itaque vera lectio videtur *ὧδε δὲ σκεψώμεθα*, ut saepe alibi scribit Plato haud raro addito *πως*, nisi ubi *τῇδέ πῃ* dicere mavult. *Τόδε* contra recte habet v. c. p. 351 B.

P. 334 extr. *Τὸν δοκοῦντά τε, ἢ δ' ὅς, καὶ [τὸν] ὄντα χρηστὸν φίλον.* Quia de uno eodemque non de duobus agitur, alterum articulum spurium esse apparet.

P. 337 init. revocetur forma antiqua *ἀνεκάχασε*, cuius verbi

Digitized by Google

originem ex χὰ χὰ (ha! ha!) λέγειν aperit pap. Leemans W. 4, 36. Post pauca legitur. Σοφὸς γὰρ εἶ, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Θρασύμαχε· εὖ οὖν ἤδησθα ὅτι, εἴ τινα ἔροιο ὁπόσα ἐστὶ τὰ δώδεκα, καὶ ἐρόμενος προείποις αὐτῷ· ὅπως μοι — μὴ ἐρεῖς, ὅτι ἔστι τὰ δώδεκα δὶς ἓξ μηδ' ὅτι τρὶς τέτταρα μηδ' ὅτι ἑξάκις δύο μηδ' ὅτι τετράκις τρία· ὡς οὐκ ἀποδέξομαί σου, ἐὰν τοιαῦτα φλυαρῇς· δῆλον, οἶμαι, σοὶ ἦν ὅτι οὐδεὶς ἀποκρινοῖτο τῷ οὕτω πυνθανομένῳ. Si in apodosi abessent verba δῆλον, οἶμαι, σοὶ ἦν ὅτι, nemo ea desideraret, ita enim verba οὐδεὶς — πυνθανομένῳ statim suspensa essent a verbis εὖ οὖν ἤδησθα ὅτι, nec tamen verba supervacanea, quibus resumitur post fictum colloquium oratio, spuria esse credo. Ceterum praetulerim οὐδεὶς ἀποκρινοῖτο οὕτω πυνθανομένῳ, scil. σοι, omisso articulo, qui facile nasci potuit e cauda verbi ἀποκρινοῖTO.

P. 359 A καὶ εἶναι δὴ ταύτην γένεσίν τε καὶ οὐσίαν δικαιοσύνης μεταξὺ οὖσαν τοῦ μὲν ἀρίστου οὗτος, ἐὰν ἀδικῶν μὴ διδῷ δίκην, τοῦ δὲ κακίστου, ἐὰν ἀδικούμενος τιμωρεῖσθαι ἀδύνατος ᾖ, κτέ. Durior hic videtur pronominis indefiniti omissio, quare nescio an Plato per crasin cum articulo scripserit ἀδικῶν et ἀδικούμενος.

P. 371 C. αὐτοῦ γὰρ δεῖ μένοντας αὐτοὺς περὶ ἀγορὰν τὰ μὲν ἀντ' ἀργυρίου ἀλλάξασθαι τοῖς τι δεομένοις ἀποδόσθαι, τοῖς δὲ ἀντὶ αὖ ἀργυρίου διαλλάTTEIN ὅσοι τι δέονται πρίασθαι. Nullam invenio causam probabilem, cur putemus philosophum medium inter tot aoristos posuisse praesens διαλλάττειν, pro quo vix dubito quin reponendum sit διαλλάΞΑΙ.

P. 373 C. Plato describens civitatem opulentiorem et luxuriosam haec dicit: ἢ οὐ δοκεῖ δεήσειν παιδαγωγῶν τιτθῶν τροφῶν κομμωτριῶν κουρέων καὶ αὖ ὀψοποιῶν τε καὶ μαγειρῶν; ἔτι δὲ καὶ συβωτῶν προσδεησόμεθα, τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἐν τῇ προτέρᾳ πόλει οὐκ ἐνῆν· ἔδει γὰρ οὐδέν· ἐν δὲ ταύτῃ καὶ τούτου προσδεήσει. δεήσει δὲ καὶ τῶν ἄλλων βοσκημάτων παμπολλῶν, εἴ τις αὐτὰ ἔδεται. En exemplum perquam memorabile structurae κατὰ ξύνεσιν quam vocant grammatici. Nam e συβωτῶν scriptor mente elicuit substantivum ὗς, pro eoque posuit pronomen τοῦτο, quam esse ipsius manum confirmat subsequens τοῦτο, quia si pro τοῦτο dedisset ὗς, deinde posuisset ταύτης. Non magis scribere poterat τοῦτο τὸ βόσκημα, quia ea lectio ridicu-

Digitized by Google

lum reddidisset vicinum *συβωτῶν*. — Ad rem quod attinet, licet prima facie subeat mirari sues, quarum aetate Homerica creberrimum usum fuisse novimus, simplicissimae illi civitati quam in praegressis philosophus describit defuisse et illic pag. 370 D legamus *ἀλλ' οὐκ ἂν πάνυ γε μέγα τι εἴη* (sc. *τὸ πολίχνιον*) *εἰ αὐτοῖς βουκόλους τε καὶ ποιμένας τούς τε ἄλλους νομέας προσθεῖμεν κτἑ.*, nihilominus revera non admissos fuisse subulcos suesque luculenter docent quae ibidem secuntur verba: *ἵνα οἵ τε γεωργοὶ ἐπὶ τὸ ἀροῦν ἔχοιεν βοῦς, οἵ τε οἰκοδόμοι πρὸς τὰς ἀγωγὰς μετὰ τῶν γεωργῶν χρῆσθαι ὑποζυγίοις, ὑφάνται δὲ καὶ σκυτοτόμοι δέρμασί τε καὶ ἐρίοις*, neque adhuc, ut sequentia docent, pristinae illius civitatis incolae carnibus vescebantur. Solarum igitur carnium causa sues aluisse Graecos antiquiores et carmina Homerica et hic Platonis locus docent, nec setarum alium usum novi quam qui in flagello quodam *ὑστριχίδι* dicto, quo servi caedebantur, conspicitur.

P. 376 E. *Τίς οὖν ἡ παιδεία; ἢ χαλεπὸν εὑρεῖν βελτίω τῆς ἀπὸ τοῦ πολλοῦ χρόνου εὑρημένης* (l. *ηὑρ.*); *ἔστι δέ που ἡ μὲν ἐπὶ σώμαCI γυμναστική, ἡ δ' ἐπὶ ψυχHI μουσική*. Non cadit in sermonem Platonicum tanta inconcinnitas, requiriturque aut *σώματι*, aut *ψυχαῖς*, sed utrum dederit difficile dictu est. Pluralis est p. 377 C.

P. 378 B. *Οὐδέ γε, ἦν δ' ἐγώ, τὸ παράπαν* (sc. *ἐπιτήδειον λέγειν*), *ὡς θεοὶ θεοῖς πολεμοῦσί τε καὶ ἐπιβουλεύουσι καὶ μάχονται — οὐδὲ γὰρ ἀληθῆ —, εἴ γε δεῖ ἡμῖν τοὺς μέλλοντας τὴν πόλιν φυλάξειν αἴσχιστον νομίζειν τὸ ῥᾳδίως ἀλλήλοις ἀπεχθάνεσθαι. πολλοῦ γε δεῖ γιγαντομαχίας τε μυθολογητέον αὐτοῖς καὶ ποικιλτέον, καὶ ἄλλας ἔχθρας πολλὰς καὶ παντοδαπὰς θεῶν τε καὶ ἡρώων πρὸς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους αὐτῶν, ἀλλ' εἴ πως μέλλομεν πείσειν ὡς οὐδεὶς πώποτε πολίτης ἕτερος ἑτέρῳ ἀπήχθετο οὐδ' ἔστι τοῦτο ὅσιον, τοιαῦτα λεκτέα μᾶλλον πρὸς τὰ παιδία εὐθὺς καὶ γέρουσι καὶ γραυσὶ καὶ πρεσβυτέροις γιγνομένοις καὶ τοὺς ποιητὰς ἐγγὺς τούτων ἀναγκαστέον λογοποιεῖν.* Manifeste Plato non auctor est suae civitatis civibus, ut credant neminem unquam *civem* alteri inimicum fuisse (quod cui quaeso persuasisset?), sed neminem deum aut heroem unquam inimicitias exercuisse cum alio deo aut heroe, itaque absurdum emblema *πολίτης* quantocius delendum est. Deinde verba soloeca

Digitized by Google

καὶ πρεσβυτέροις γιγνομένοις, supervacua praegresso πρὸς τὰ παιδία εὐθὺς, quin similiter spuria sint nullus dubito. Frustra ea defendit Stallbaum loco hiulco Sympos. p. 203 A, quem recte Schanz e F. A. Wolfii coniectura sic suppletum edidit: διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους ⟨καὶ πρὸς θεοὺς ἀνθρώποις⟩, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι.

P. 393 B. τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ὥσπερ αὐτὸς ὢν ὁ Χρύσης λέγει (scil. ὁ ποιητὴς) καὶ πειρᾶται ἡμᾶς ὅτι μάλιστα ποιῆσαι μὴ Ὅμηρον δοκεῖν εἶναι τὸν λέγοντα ἀλλὰ τὸν ἱερέα πρεσβύτην ὄντα. Nihil prorsus est in Chrysae Homerici oratione quod seni potissimum proprium sit, sed quae dicit omnia sacerdotem produnt. Omnis vero evanescit loci difficultas, si mecum transposueris ἀλλὰ τὸν πρεσβύτην, ἱερέα ὄντα.

P. 400 D extr. Εὐλογία ἄρα καὶ εὐαρμοστία καὶ εὐσχημοσύνη καὶ εὐρυθμία εὐηθείᾳ ἀκολουθεῖ, οὐχ ἣν ἄνοιαν οὖσαν ὑποκοριζόμενοι καλοῦμεν [ὡς εὐήθειαν], ἀλλὰ τὴν ὡς ἀληθῶς εὖ τε καὶ καλῶς τὸ ἦθος κατεσκευασμένην διάνοιαν. Deleatur interpretamentum, quo impeditur loci compositio. Supra autem quam dici potest absurdum est additum ὡς. Ceterum Plato scribere poterat καλοῦμεν ⟨οὕτως⟩, ἀλλά, sed aeque recte οὕτως potuit omitti.

P. 401 D. E fuga retrahatur necessaria littera scribendo: Ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Γλαύκων, τούτων ἕνεκα κυριωτάτη ⟨ἡ⟩ ἐν μουσικῇ τροφὴ κτέ.;

P. 401 E. καὶ ὅτι αὖ τῶν παραλειπομένων καὶ μὴ καλῶς δημιουργηθέντων ἢ μὴ καλῶς φύντων ὀξύτατ' ἂν αἰσθάνοιτο ὁ ἐκεῖ τραφεὶς ὡς ἔδει, καὶ ὀρθῶς δὴ δυσχεραίνων τὰ μὲν καλὰ ἐπαινοῖ —, τὰ δ' αἰσχρὰ ψέγοι κτέ. Corrige et distingue: — παραλειπομένων, ἢ μὴ καλῶς δημιουργηθέντων ἢ μὴ καλῶς φύντων, κτέ. et sic intelleges, qui fieri potuerit ut Plato participium praesentis cum duobus aoristi participiis copularet.

P. 402 B. καὶ οὔτ' ἐν σμικρῷ οὔτ' ἐν μεγάλῳ ἠτιμάζομεν αὐτά, ὡς οὐ δέοι αἰσθάνεσθαι. Quatuor ultima verba reddantur interpreti. Cf. mox sub C καὶ μήτε ἐν σμικροῖς μήτ' ἐν μεγάλοις ἀτιμάζωμεν, quae verba recte carent glossemate.

P. 403 B. ὅπως μηδέποτε δόξει μακρότερα τούτων ξυγγίγνεσθαι. H. l. iam correxi Mnem. XIX p. 221.

P. 405 C. πάσας δὲ διεξόδους διεξελθὼν ἀποστραφῆναι λυγιζόμενος, ὥστε μὴ παρασχεῖν δίκην. Formulam παρέχειν δίκας

Digitized by Google

nusquam alibi apud idoneum auctorem legere me memini. E pervulgato usu loquendi expectes *ὑποσχεῖν*.

P. 413 D. *Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, καὶ τρίτου εἴδους τούτοις γοητείας ἄμιλλαν ποιητέον καὶ, ὥσπερ τοὺς πώλους ἐπὶ τοὺς ψόφους τε καὶ θορύβους ἄγοντες σκοποῦσιν εἰ φοβεροί, οὕτω νέους ὄντας εἰς δείματ' ἄττα κομιστέον καὶ εἰς ἡδονὰς αὖ μεταβλητέον, βασανίζοντας πολὺ μᾶλλον ἢ χρυσὸν ἐν πυρί, εἰ δυσγοήτευτος καὶ ἀσχήμων ἐν πᾶσι φαίνεται.* Ut locus sic scriptus meridiana luce clarior est et apte decurrit, ita actum est de eius interpretatione, si cum editoribus e libris scribitur *καὶ θεατέον, ὥσπερ τοὺς πώλους κτἑ.*

P. 415 E. *στρατοπεδευσάμενοι δέ, θύσαντες οἷς χρὴ εὐνὰς ποιησάσθων (οἱ φύλακες* sc.*) ἢ πῶς; Οὕτω, ἔφη. Οὐκουν τοιαύτας, οἵας χειμῶνός τε στέγειν καὶ θέρους ἱκανὰς εἶναι; Πῶς γὰρ οὐχί; οἰκήσεις γάρ, ἔφη, δοκεῖς μοι λέγειν. Ναί ἦν δ' ἐγώ, στρατιωτικάς γε, ἀλλ' οὐ χρηματιστικάς. Πῶς, ἔφη, αὖ τοῦτο λέγεις [διαφέρειν ἐκείνου]; Ἐγώ σοι, ἦν δ' ἐγώ, πειράσομαι λέγειν.* Nullus dubito quin olim Mn. XI p. 343 verba seclusa recte tribuerim interpolatori. Socratis interlocutor negat *πῶς αὖ τοῦτο λέγεις*; *quo sensu hoc dicis*, ut modo dixerat *οἰκήσεις γὰρ δοκεῖς μοι λέγειν*. Si quid esset in verbis a me damnatis genuini, Plato saltem scripsisset *πῶς ταύτας λέγεις διαφέρειν ἐκείνων*; sed ne hoc quidem satisfaceret sequenti Socratis expositioni, quae non docet, quod nemo non ultro intellegit, quid intersit inter *οἰκήσεις στρατιωτικὰς* et *χρηματιστικάς*, sed cur ita dixerit. Quod olim verbo monui, nunc ne quis dubitaret, diligentius persecutus sum.

P. 416 A. *δεινότατον γάρ που πάντων καὶ αἴσχιστον ποιμέσι τοιούτους γε καὶ οὕτω τρέφειν κύνας ἐπικούρους ποιμνίων, ὥστε ὑπὸ ἀκολασίας ἢ λιμοῦ ἤ τινος ἄλλου κακοῦ ἔθους αὐτοὺς τοὺς κύνας ἐπιχειρῆσαι τοῖς προβάτοις* [*κακουργεῖν*] *καὶ ἀντὶ κυνῶν λύκοις ὁμοιωθῆναι.* Si *κακουργεῖν* spurium esse contenderem, quod si absit nihil desideremus, sat scio paucos tantum fidem mihi habituros; sin vero *κακουργεῖν* hic contra constantem veterum consuetudinem dativum pro accusativo regere affirmavero, nemo facile erroris me convincet; dabiturque mihi sciolum qui *κακοῦργεῖν* interpolavit male *ἐπιχειρῆσαι* interpretatum esse *conari*, cum debuisset *invadere*, *adoriri*.

P. 419 A. Lib. IV init. *Καὶ ὁ Ἀδείμαντος ὑπολαβών Τί οὖν,*

Digitized by Google

ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἀπολογήσει, ἐάν τίς σε φῇ μὴ πάνυ τι εὐδαίμονας ποιεῖν τούτους τοὺς ἄνδρας, καὶ ταῦτα δι' ἑαυτούς, ὧν ἔστι μὲν ἡ πόλις τῇ ἀληθείᾳ, οἱ δὲ μηδὲν ἀπολαύουσιν ἀγαθὸν τῆς πόλεως κτἑ. Aperte δι' ἑαυτούς nihil hic significare potest, neque ea res iam latuit Morgensternium non inepte conicientem καὶ ταῦτα δὴ αὐτούς, ὧν κτἑ. Quod tamen non prorsus mihi satisfacit, cum quia formulae καὶ ταῦτα *idque* non solet adhaerere vocula δή, tum praesertim quia civitas omnis, imprimis vero Platonica, est omnium civium non partis alicuius. Optime vero illa res publica dici potuit revera exstare per φύλακας illos de quibus hic agitur, quare correxerim potius καὶ ταῦτα αὐτούς, δι' ὧν ἔστι μὲν κτἑ. Vitium inde natum, quod praepositio, primum errore omissa et deinde supra αὐτούς scripta, ab eo qui codicem descripsit loco non suo reposita est.

P. 420 C. νῦν μὲν οὖν, ὡς οἰόμεθα, τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν (sc. πόλιν) οὐκ ἀπολαβόντες, ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς θέντες, ἀλλ' ὅλην. Quia ὀλίγους simul est participii ἀπολαβόντες et sequentis θέντες obiectum, nescio an rectius virgula post ἀπολαβόντες omittatur.

P. 421 D. Καὶ μὴν καὶ ὀργανά γε μὴ ἔχων παρέχεσθαι ὑπὸ πενίας ἢ τι ἄλλο τῶν εἰς τὴν τέχνην κτἑ. Aperte hic, si locus sanus est, παρέχεσθαι significat *sibi parare*, quo sensu Graece non sic sed πορίζεσθαι dici solet. Nam παρέχεσθαί τι est *aliquid praebere de suo;* quae notio hic vix satis apta videtur.

P. 424 A. καὶ μήν, εἶπον, πολιτεία, ἐάνπερ ἅπαξ ὁρμήσῃ εὖ, ἔρχεται ὥσπερ κύκλος αὐξανομένη. Parum lucis hic verbis affundit Stallbaumii interpretatio: si semel a bono initio profecta est, sicuti circulus praecedit ita, ut semper crescat et augeatur, numquam minuatur. Intellegendum videtur, si non supplendum: ἔρχεται ὥσπερ ⟨ἐν ὕδατι⟩ κύκλος αὐξανομένη.

P. 425 B. σιγάς τε τῶν νεωτέρων παρὰ πρεσβυτέρους, ὡς πρέπει, καὶ κατακλίσεις καὶ ὑπαναστάσεις καὶ γονέων θεραπείας. Apposite Stallbaum citavit Aristot. Eth. IX 2 παντὶ δὲ τῷ πρεσβυτέρῳ τιμὴν καθ' ἡλικίαν ἀποδοτέον ὑπαναστάσεσι καὶ κατακλίσεσι, monens κατακλίσεις hic esse loci cessiones honoris causa. Nihilominus miror κατάκλισιν dici potuisse pro ὑποκατάκλισιν, videndumque ne verus verborum ordo restituendus sit e discipuli verbis, ut Plato scripserit καὶ ὑπαναστά-

Digitized by Google

σεις καὶ κατακλίσεις, quo facto recte omissa esset praepositio, quemadmodum Aeschylus in Prometheo 331 dixit πάντων μετασχὼν καὶ τετολμηκὼς (pro συντετολμηκὼς) ἐμοί.

P. 444 E, cap. 19 init. Τὸ δὴ λοιπὸν ἤδη, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν σκέψασθαι, πότερον αὖ λυσιτελεῖ δίκαιά τε πράττειν καὶ καλὰ ἐπιτηδεύειν κτἑ. Neutiquam huc pertinent quae collegit Stallbaum ad p. 357 A exempla, in quibus τὸ pro τοῦτο positum refertur ad praegressa. Hic omnino legendum puto Τόδε (s. τόδε δὴ) λοιπὸν κτἑ.

P. 450 C. οὐ ῥᾴδιον, ὦ εὐδαιμον, ἦν δ' ἐγὼ διελθεῖν. Unicus hic, ni fallor, locus est ubi Plato ironica hac compellatione utitur, ut alibi ὦ μακάριε et ὦ δαιμόνιε. Ad vocabuli vim comparetur p. 422 E. Εὐδαίμων εἶ, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι οἶει ἄξιον εἶναι ἄλλην τινὰ προσειπεῖν πόλιν ἢ τὴν τοιαύτην, οἵαν ἡμεῖς κατασκευάζομεν.

P. 452 B. Τί, ἦν δ' ἐγώ, γελοιότατον αὐτῶν ὁρᾷς; ἢ δῆλα δή, ὅτι γυμνὰς τὰς γυναῖκας ἐν ταῖς παλαίστραις γυμναζομένας μετὰ τῶν ἀνδρῶν, οὐ μόνον τὰς νέας ἀλλὰ καὶ ἤδη τὰς (τὰς ἤδη? Mn. XI, 347) πρεσβυτέρας, ὥσπερ τοὺς γέροντας ἐν τοῖς γυμνασίοις, ὅταν ῥυσοὶ καὶ μὴ ἡδεῖς τὴν ὄψιν ὅμως Φιλογυμναστῶσιν. Parum apte addita videntur verba ἐν τοῖς γυμνασίοις et invito Platone.

P. 452 C. ὑπομνήσασιν, ὅτι οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ τοῖς Ἕλλησιν ἔδοκει αἰσχρὰ εἶναι καὶ γελοῖα ἅπερ νῦν τοῖς πολλοῖς τῶν βαρβάρων, γυμνοὺς ἄνδρας ὁρᾶσθαι. καὶ ὅτε ἤρχοντο τῶν <τοιούτων> γυμνασίων πρῶτον μὲν Κρῆτες, ἔπειτα Λακεδαιμόνιοι, ἐξῆν τοῖς τότε ἀστείοις πάντα ταῦτα κωμῳδεῖν. Quia γυμνάζεσθαι γυμνάσιον et γυμναστική ita usurpabantur, ut evanuerit fere nuditatis notio, nescio an hic locus sic ut feci explendus sit. Ita in praegressis sub litt. A Plato scribens γυμνὰς τὰς γυναῖκας ἐν ταῖς παλαίστραις γυμναζομένας primum vocabulum omittere non potuit.

P. 456 C. οὐκοῦν πρός γε τὸ Φυλακικὴν γυναῖκα γενέσθαι, οὐκ ἄλλη μὲν ἡμῖν ἄνδρας ποιήσει παιδεία, ἄλλη δὲ γυναῖκας, ἄλλως τε καὶ τὴν αὐτὴν φύσιν παραλαβοῦσα; Cum philosophus simpliciter scribere potuisset οὐκοῦν οὐκ ἄλλη μὲν ἡμῖν Φυλακικοὺς ἄνδρας ποιήσει γενέσθαι παιδεία, ἄλλη δὲ γυναῖκας; maluit quia hic de sola mulierum educatione agebat, prolepsi simul et anacoluthia quadam uti. Sententia: *quod igitur ad rationem at-*

Digitized by Google

tinet qua mulier ad custodiendum apta evadet, nonne eadem viros et mulieres educatio, cum praesertim utrisque eadem sit natura, aptos est redditura? Nempe ad ἄνδρας mente supplendum φυλακικούς, ad γυναῖκας φυλακικὰς γενέσθαι.

P. 459 C. Ὅτι ἀνάγκη αὐτοῖς — φαρμάκοις πολλοῖς χρῆσθαι, ἰατρὸν δέ που μὴ δεομένοις μὲν σώμασι φαρμάκων, ἀλλὰ διαίτῃ ἐθελόντων ὑπακούειν καὶ φαυλότερον ἐξαρκεῖν ἡγούμεθα [εἶναι]. Recte infinitivum delenti Astio inepte obloquitur Stallbaum. Lenius quidem possis ἐξαρκῇ ἡγούμεθα εἶναι, hiatum enim non evitat Plato, sed obstare videtur rarissimus adiectivi, in sola tragoedia obvii, usus.

P. 460 A. κλῆροι δή τινες, οἶμαι, ποιητέοι κομψοί, ὥστε τὸν φαῦλον ἐκεῖνον αἰτιᾶσθαι ἐφ' ἑκάστης συνέρξεως τύχην, ἀλλὰ μὴ τοὺς ἄρχοντας. Risum movet hic, ut non ita raro, Platonis, si de tanto viro ita loqui fas est, ἀφέλεια. Iusto enim simpliciores et hebetiores fingit civitatis suae homines, qui sortes semper exire praestantioribus animadvertentes nihilominus non intelligerent, magistratuum sortitioni praepositorum perfidia istud fieri. Similiter p. 464 B sq., ubi solis custodibus decernit mulierum communionem, et alibi, ubi his tantum privatam possessionem omnem adimit, ut ita omnes discordiae civilis causae abessent, mireris philosophum nihil curasse, quod opificum tamen et agricolarum ordines, quibus eadem decernere non poterat, dissentiendi istis causis manserint obnoxii. Fortasse opinabatur fore ut custodum concordia facile reliquorum discordiam, si non extingueret, vinceret tamen et innoxiam redderet; quod si ita est, admodum dubito num vere iudicaverit.

P. 464 E. Καὶ μὴν οὐδὲ βιαίων γε οὐδ' αἰκίας (l. αἰκείας) δίκαι δικαίως ἂν εἶεν ἐν αὐτοῖς. Non agitur de iis, quae iure aut iniuria, merito aut immerito, sed de iis quae in r. p. Platonicae civibus omnino fiant aut non fiant. Δικαίως dittographema esse arbitror.

P. 465 C. Τά γε μὴν σμικρότατα τῶν κακῶν δι' ἀπρέπειαν ὀκνῶ καὶ λέγειν, ὧν ἀπηλλαγμένοι ἂν εἶεν κολακείας τε πλουσίων [πένητες deleo cum Astio], ἀπορίας τε καὶ ἀλγηδόνας ὅσας ἐν παιδοτροφίαις καὶ χρηματισμοῖς διὰ τροφὴν οἰκετῶν ἀναγκαίαν ἴσχουσι, τὰ μὲν δανειζόμενοι, τὰ δὲ ἐξαρνούμενοι, τὰ δὲ πάντως πορισάμενοι θέμενοι παρὰ γυναῖκάς τε καὶ οἰκέτας, ταμιεύειν παραδόντες, ὅσα τε, ὦ φίλε, περὶ αὐτὰ καὶ οἷα πάσχουσι, δειλά

Digitized by Google

(δοῦλά malim cum Benedicto) τε δὴ καὶ ἀγεννῆ καὶ ἄξια λέγειν. Locus participiorum coacervatione, qua optimi scriptores Attici delectantur, nobis impeditior, quippe in quo a θέμενοι et παραδόντες pendeat πορισάμενοι, ab hoc vero participio δανειζόμενοι et ἐξαρνούμενοι, quibus ἐκ τοῦ παραλλήλου positum est πάντως, i. e. καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως. Verto: *opes partim mutando partim infitiando* (debita) *partim quocumque modo paratas apud mulieres servosque deponentes* cett. Tironum causa moneo.

P. 474 E. ὅτι πάντες οἱ ἐν ὥρᾳ τὸν Φιλόπαιδα καὶ ἐρωτικὸν ἀμηγέπη δάκνουσί τε καὶ κινοῦσι. Verba Φιλόπαιδα καὶ et τε καὶ κινοῦσι omisit h. l. citans PLUTARCHUS *de audiendo* cap. 13. Mor. p. 44 F.

P. 484 A. Οἱ μὲν δὴ Φιλόσοφοι, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Γλαύκων, καὶ οἱ μὴ διὰ μακροῦ τινὸς διεξελθόντος λόγου μόγις πως ἀνεφάνησαν οἷοί εἰσιν ἑκάτεροι. Ἴσως γάρ, ἔφη, διὰ βραχέος οὐ ῥᾴδιον. Οὐ φαίνεται, εἶπον· ἐμοὶ γοῦν ἔτι δοκεῖ ἂν βελτιόνως φανῆναι, εἰ περὶ τούτου μόνου ἔδει ῥηθῆναι κτἑ. C. F. Hermann qui e cod. H dedit διεξελθόντες annotat: „Διεξελθεῖν non λόγος, „sed λόγον homines dicuntur; nunc autem facile fieri poterat, „ut genetivo genetivum trahente librarius elegantiam imaginis „negligeret, qua se ex sermonum ambagibus quasi emersisse „gaudet; cf. Legg. III, 5: νῦν οὖν τοσόνδε πλεονεκτοῦμεν τῇ „πλάνῃ τοῦ λόγου διὰ πολιτειῶν τινων καὶ κατοικισμῶν διεξελθόν„τες." At Socrates eiusque interlocutores διὰ μακροῦ διεξῆλθον λόγου, non philosophi, qui non disputationis auctores sunt sed argumentum, itaque illa lectio falsa est. Neque omnino verum esse de ipsa oratione dici non posse διεξελθεῖν demonstravit Stallbaum loco Sophist. p. 237 B: τὸν δὲ λόγου, ᾗ βέλτιστα διέξεισιν, σκοπῶν αὐτός τε ἴθι κἀμὲ τὴν ὁδὸν ἄγε. Ita tamen necessario corrigendum est: διὰ μακροῦ τινὸς διεξελθόντος ⟨τοῦ⟩ λόγου, nisi forte praeferendum διὰ μακροῦ τινὸς διεξελθοῦσιν (sc. ἡμῖν) λόγου ut dativus suspensus sit ab ἀνεφάνησαν. Deinde vero ad δοκεῖ cogitandum τὸ πρᾶγμα, licet haud diffitear me malle ἐμοὶ γοῦν ἔτι δοκοῦσιν ἂν βελτιόνως φανῆναι κτἑ., quod quin Plato scripserit vix dubito.

P. 485 E. ὧν γὰρ ἕνεκα χρήματα μετὰ πολλῆς δαπάνης σπουδάζεται, ἄλλῳ τινὶ μᾶλλον ἢ τούτῳ (vero philosopho) προσήκει σπουδάζειν. Quia αἱ τοῦ σώματος ἡδοναὶ (cf. praegressa) intelle-

Digitized by Google

genda sunt τὰ ὧν ἕνεκα χρήματα σπουδάζεται, minus recte Mnem. XII, 319 statuebam Platonem hic usurpasse δαπάνην pro τὴν τοῦ δαπανᾶν ἐπιθυμίαν, sive τὸ Φιλοδάπανον, cl. Aesch. Ctes. § 218. Tertius autem est admodum memorabilis huius vocabuli usus, quo non ipsos sumtus significat, sed pecunia cuius ope sumtus fiunt, velut apud Thuc. I 99 τοῖς μὲν Ἀθηναίοις ηὔξετο τὸ ναυτικὸν ἀπὸ τῆς δαπάνης, ἣν ἐκεῖνοι ξυμφέροιεν, et apud Xenoph. Cyr. I 6, 9 ἦν — ἐπιλίπῃ αὐτὸν ἡ δαπάνη. Non aliter Plato infra p. 550 D (cf. Legg. IV p. 718 A) τὸ ταμιεῖον — ἐκεῖνο ἑκάστῳ χρυσίου πληρούμενον ἀπόλλυσι τὴν τοιαύτην πολιτείαν. πρῶτον μὲν γὰρ δαπανὰς αὐτοῖς ἐξευρίσκουσι κτέ. Loco quem nunc tractamus vertere possumus: *pecunia cum magno sumtu*, i. e. cum magna quam praebet sumtus faciendi potestate.

P. 486 D. Ἀλλ' οὐ μὴν τό γε τῆς ἀμούσου τε καὶ ἀσχήμονος Φύσεως ἄλλοσέ ποι ἂν Φαῖμεν ἕλκειν εἰς ἀμετρίαν. Cave propter praegressa ἐπιλήσμονα ἄρα ψυχὴν ἐν ταῖς ἱκανῶς Φιλοσόφοις μή ποτε ἐγκρίνοιεν existimes Platonem hic scripsisse ἀμνήμονος, nam de industria philosophus ἀσχήμονος scripsisse videri potest, propterea quod ἡ τῆς ἀμούσου Φύσεως ἀσχημοσύνη (fere = ἀρρυθμία) necessario ducit ad ἀμουσίαν. Quamquam si boni codices ἀμνήμονος exhiberent, hoc praeferrem.

P. 491 A. Ταύτης δή, ἦν δ' ἐγώ, τῆς Φύσεως δεῖ θεάσασθαι τὰς Φθοράς, ὡς διόλλυται ἐν πολλοῖς, σμικρὸν δέ τι ἐκΦεύγει, οὓς δὴ καὶ οὐ πονηρούς, ἀχρήστους δὲ καλοῦσι· καὶ μετὰ τοῦτο αὖ τὰς μιμουμένας ταύτην καὶ εἰς τὸ ἐπιτήδευμα καθισταμένας αὐτῆς, οἵαι οὖσαι Φύσεις ψυχῶν εἰς ἀνάξιον καὶ μεῖζον ἑαυτῶν ἀΦικνούμεναι ἐπιτήδευμα, πολλαχῇ πλημμελοῦσαι, πανταχῇ καὶ ἐπὶ πάντας δόξαν οἵαν λέγεις Φιλοσοφίᾳ προσῆψαν. Gravissimo hic locus mendo laborat, quoniam perabsurde negotium, cui aliquis par non sit, hic vocatur ἀνάξιον, *indignum*, cum potius ipse homo tali re indignus, ἀνάξιος, dicendus fuisset, ita ut Plato scribere potuerit οἵαι οὖσαι Φύσεις ψυχῶν καὶ ὡς ἀνάξιοι εἰς μεῖζον ἑαυτῶν ἀΦικνούμεναι ἐπιτήδευμα κτέ. Nec tamen sic scripsisse videtur, quia unius vocabuli mutatione locus salvus erit, si scribimus: οἵαι οὖσαι Φύσεις ψυχῶν εἰς ἀνοίκειον καὶ μεῖζον ἑαυτῶν ἀΦικνούμεναι ἐπιτήδευμα — δόξαν οἵαν λέγεις Φιλοσοφίᾳ προσῆψαν. Cf. p. 501 D Ἀλλὰ μὴ τὴν Φύσιν αὐτῶν οἰκείαν εἶναι τοῦ ἀρίστου, ἣν ἡμεῖς διήλθομεν (sc. ἕξουσιν ἀμ-

Digitized by Google

φισβητῆσαι); Ineptum esse ἀνάξιον qui sensit Benedictus quo sensu ἀντάξιον reponi iusserit me quidem latet.

P. 495 E. Δοκεῖς οὖν τι, ἦν δ' ἐγώ, διαφέρειν αὐτοὺς ἰδεῖν ἀργύριον κτησαμένου χαλκέως φαλακροῦ καὶ σμικροῦ κτἑ., Οὐ πάνυ, ἔφη, διαφέρει. Respondendum erat, si pluribus verbis scriptor uti vellet, aut οὐ πάνυ διαφέρουσιν, aut οὐ πάνυ διαφέρειν (αὐτοὺς δοκῶ), unde apparere mihi videtur διαφέρει esse perversum glossema, quantocius delendum.

P. 498 D. Salse rideri rhetorum artificia, παρισώσεις, παρομοιώσεις similiaque apparet praesertim coll. p. 499 A. Sub litt. C ὡς ἀληθῶς μοι δοκεῖς ἔφη, λέγειν γε προθύμως nescio an vocula ΓΕ, cuius hic vix ulla vis est, errore nata sit e praegresso verbo.

P. 507 E. Τίνος δὴ λέγεις, ἔφη, τούτου; Ὁ δὴ σὺ καλεῖς, ἦν δ' ἐγώ, φῶς. Quia non solus Glauco eo nomine utebatur, Platonem dedisse suspicor: ὃ δὴ ⟨καὶ⟩ σὺ καλεῖς — φῶς, *tu, ut alii.* Sic p. 508 A. τίνα οὖν ἔχεις αἰτιᾶσθαι τῶν — θεῶν τούτου κύριον κτἑ.; Ὅνπερ καὶ σύ, ἔφη, καὶ οἱ ἄλλοι· τὸν ἥλιον γὰρ δῆλον ὅτι ἐρωτᾷς.

P. 515 C. σκόπει δή, ἦν δ' ἐγώ, αὐτῶν λύσιν τε καὶ ἴασιν τῶν τε δεσμῶν καὶ τῆς ἀφροσύνης, οἵα τις ἂν εἴη, φύσει εἰ τοιάδε ξυμβαίνοι αὐτοῖς· ὁπότε τις λυθείη κτἑ. Schleiermacher distinguere maluit οἵα τις ἂν εἴη φύσει, εἰ τοιάδε κτἑ., sed ita male abundat φύσει, Astii vero interpretantis *per rei naturam si iis talis contingat*, i. e. si revera iis possit contingere, contorta videtur explicatio. Equidem intellegam potius *natura*, i. e. ipsorum naturae beneficio, quod Plato addiderit proptera quod etiam rarissimi illi philosophi, quibus hi comparantur, singulari naturae, qua reliquis hominibus antecellunt, beneficio ad luminis caelestis veritatisque conspectum evocantur.

P. 543 A. τῇ μελλούσῃ ἄκρως οἰκεῖν πόλιν. Adverbium ἄκρως in sequiorum scriptis satis frequens nusquam alibi apud veteres probatosque scriptores occurrere videtur.

P. 543 D. καὶ ταῦτα, ὡς ἔοικας, καλλίω ἔτι ἔχων εἰπεῖν πόλιν τε καὶ ἄνδρα. Cum in praegressis nihil reperiatur, unde Glauco efficere potuerit, Socratem etiam pulchriorem quam finxit civitatem fingere potuisse, vix dubito quin hic obtineat haud infrequens librariorum negationem omittentium error, dederitque Plato ⟨οὐ⟩ καλλίω ἔτι κτἑ.

Digitized by Google

P. 594 B. Καὶ μήν, ἦ δ' ὅς, ἐπιθυμῶ καὶ αὐτὸς ἀκοῦσαι, τίνας ἔλεγες· τὰς τέτταρας πολιτείας. Quis igitur praeter Glauconem hoc desiderium in praegressis significaverat? Locus vix sanus, sed quo pacto corrigendus sit non video.

P. 548 A. τιμῶντες ἀγρίως ὑπὸ σκότου χρυσόν τε καὶ ἀργύριον. Notabilis vocabuli usus, qui nullo alio neque veterum neque recentiorum loco illustrari posse videtur. Num sanum?

P. 548 E. αὐθαδέστερόν τε δεῖ αὐτὸν — εἶναι καὶ ὑπαμουσότερον, φιλόμουσον δὲ καὶ φιλήκοον μέν, ῥητορικὸν δ' οὐδαμῶς. Universi loci ratio et contextus postulant, ut intellegatur homo, qui licet ipse musicae sit imperitior, artes tamen huc pertinentes in aliis admiratur, quique libenter alios audit dicentes ipse dicendi minime peritus. Quare locum sic distingui malim: — ὑπαμουσότερον ⟨μὲν?⟩, φιλόμουσον δέ, καὶ φιλήκοον μέν, ῥητορικὸν δ' οὐδαμῶς. In ῥητορικὸν sine causa idonea haerebam Mnem. XII p. 327.

P. 550 D. τὸ ταμιεῖον — ἐκεῖνο. Indicat pronomen respici ad dicta p. 548 A ἅτε κεκτημένοι ταμιεῖα καὶ οἰκείους θησαυροὺς κτέ.

P. 531 E. ἢ μὴ χρωμένους (sc. τῷ πλήθει) οἱ ἀληθῶς ὀλιγαρχικοὺς φανῆναι ἐν αὐτῷ τῷ μάχεσθαι. Vox ὀλιγαρχικός, quae usurpari solet *de paucis, qui multis imperant*, hic a Platone ludibundo, permittente vocabuli compositione, sic adhibetur, ut sit ὀλίγων ἄρχων, quamquam numquam Graeci ea voce hoc sensu usi sunt. Luculentum igitur praebet hic locus exemplum, in talibus nihil referre utrum una tantum vocabuli significatio in usu fuerit, modo aliam ferat eius origo, quare iure meo Mnem. XII pag. 294 suspicatus sum Theognidem vs. 45 ἀμφιβόλως usum esse adiectivo ἄδικος, ut simul *iniustus* sit simul *iuris expers*. Quod moneo propter ea quae doctus iuvenis Eugenius Loew in *Quaestionibus Theognideis* pag. 5 huic meae sententiae opposuit. — Ex hoc autem Platonis loco lucem accipiunt, quae subobscure dicta leguntur infra p. 555 A ὀλίγοις τισὶν ἑαυτοῦ πολεμῶν ὀλιγαρχικῶς τὰ πολλὰ ἡττᾶται καὶ πλουτεῖ.

P. 556 B. Notabilis est huius loci breviloquentia et structurae libertas. Plena enim oratio haec foret: Νῦν δέ γ', ἔφην ἐγώ, διὰ πάντα τὰ τοιαῦτα οὕτω διατιθέασιν ἐν τῇ πόλει οἱ ἄρχοντες· σφᾶς δὲ αὐτοὺς καὶ τοὺς αὑτῶν (διατιθέασιν ὧδε·) τρυφῶντας μὲν τοὺς νέους (ποιοῦσιν) καὶ ἀπόνους καὶ πρὸς τὰ τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὰ τῆς ψυχῆς, μαλακοὺς δὲ καρτερεῖν πρὸς ἡδονάς τε καὶ

Digitized by Google

λύπας καὶ ἀργούς, αὐτοὺς δὲ πλὴν χρηματισμοῦ τῶν ἄλλων ἠμελημότας, καὶ οὐδὲν πλείω ἐπιμέλειαν πεποιημένους ἀρετῆς ἢ τοὺς πένητας. Sed omissis in prioribus quae cogitando suppleri poterant, posterior loci pars alacriter induit hanc formam interrogativam: ἆρ' οὐ τρυφῶντας — καὶ ἀργούς; Τί μήν; Αὐτοὺς δὲ — ἢ τοὺς πένητας; Οὐ γὰρ οὖν.

P. 557 C. Κινδυνεύει, ἦν δ' ἐγώ, καλλίστη αὕτη τῶν πολιτειῶν εἶναι· ὥσπερ ἱμάτιον ποικίλον πᾶσιν ἄνθεσι πεποικιλμένον, οὕτω καὶ αὕτη πᾶσιν ἤθεσι πεποικιλμένη καλλίστη ἂν φαίνοιτο. Glossatori reddatur ποικίλον, quod et per se inepte abundat et nocet concinnae loci compositioni.

P. 560 C. Ἆρ' οὖν οὐ πάλιν τε εἰς ἐκείνους τοὺς ΛωτοΦάγους ἐλθὼν φανερῶς κατοικεῖ ⟨ἐκεῖ⟩. Necessaria vox cur perierit, vides.

P. 561 sqq. Multa in his Alcibiadis vitam moresque revocant in memoriam, eumque praesertim Platoni obversatum esse admodum videtur probabile.

P. 558 A. De vitiosa huius loci compositione egi Mnem. XII p. 328, ubi recte καταψηΦισθέντος correxi pro καταψήΦισθέντων, sed in reliqua emendatione fui iusto violentior. Est autem perfacilis, nam deleta copula ante ὡς et correcta interpunctione sic scribendum: ἢ οὔπω εἶδες ἐν τοιαύτῃ πολιτείᾳ, ἀνθρώπων καταψηΦισθέντος θανάτου ἢ Φυγῆς, οὐδὲν ἧττον αὐτῶν μενόντων τε καὶ ἀναστρεΦομένων ἐν μέσῳ, ὡς οὔτε Φροντίζοντος οὔτε ὁρῶντος (ὁρᾶν δοκοῦντος?) οὐδενὸς περινοστοῦσιν ὥσπερ ἥρωες; καὶ πολλούς γ', ἔΦη (sc. εἶδον περινοστοῦντας ὥ. ἤ.). Ita locus expeditissimus.

P. 571 C. ἰέναι vix sanum videtur.

P. 575 A. Κἂν μέν γε — ὀλίγοι οἱ τοιοῦτοι ἐν πόλει ὦσι καὶ τὸ ἄλλο πλῆθος σωΦρονῇ, ἐξελθόντες ἄλλον τινὰ δορυΦοροῦσι τύραννον ἢ μισθοῦ ἐπικουροῦσιν, ἐάν που πόλεμος ᾖ· ἐὰν δ' ἐν εἰρήνῃ τε καὶ ἡσυχίᾳ γένωνται, αὐτοῦ δὴ ἐν τῇ πόλει (haec tria vocabula abesse malim) κακὰ δρῶσι σμικρὰ πολλά. Τὰ ποῖα δὴ λέγεις; Οἷα κλέπτουσι, τοιχωρυχοῦσι, βαλαντιοτομοῦσι (l. βαλλ..), λωποδυτοῦσιν, ἱεροσυλοῦσιν, ἀνδραποδίζονται. Σμικρά γ' ἔΦη κακὰ λέγεις [ἐὰν ὀλίγοι ὦσιν οἱ τοιοῦτοι]. Τὰ γὰρ σμικρά, ἦν δ' ἐγώ, πρὸς τὰ σμικρά ἐστι κτέ. Verba quae a magistello ex huius loci initio ineptissime repetita uncinis saepsi nemo non sentit quantopere frangant vim ironicam exclamationis Glauconis: Σμικρά γ', ἔΦη, κακὰ λέγεις.

Digitized by Google

P. 575 D. Οὐκοῦν ἐὰν μὲν ἑκόντες ὑπείκωσιν· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιτρέπῃ ἡ πόλις κτἑ. Cobet Mnem. VIII n. s. p. 87, ubi iure an iniuria refellit meam sententiam Thuc. I 82 expungentis verba ταῦτα ἄριστα haec scribit: *Observasse mihi videor ellipsin habere locum, ubi sequitur* εἰ δὲ μὴ *ut in notissimo* Thuc. III 3 καὶ ἦν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα, εἰ δὲ μή Μυτιληναίοις εἰπεῖν κτἑ., *sed ubi* ἦν δὲ μή *additur, ellipsin non apparere, ut in hoc loco.* Ex quo legi haec verba eruditissimi philologi, qui stupenda praeditus memoria omnia legerat, coepi inter legendum locos colligere, quibus eam observationem aut confirmare aut infirmare possem; ex quibus autem hucusque collegi exemplis apparet *saepissime* reperiri hanc ellipsin, sive ἐὰν (ἤν) δὲ μή, sive εἰ δὲ μή sequatur, praeterea vero perinde esse utrum ἐὰν (ἤν) μὲν an εἰ μὲν praecedat formulae εἰ δὲ μή, nam εἰ μὲν — ἐὰν (ἤν) δὲ μὴ inauditum est; contra vero *rariora* esse ellipsis supplementa, quae apud optimos scriptores *saepe* occurrere desideratissimus magister adversus me contendebat. Ecce tabella:

I a. ἐὰν (ἤν) μὲν — εἰ δὲ μὴ *cum ellipsi* legitur Thuc. III 3, 3. Plat. Protag. 325 D. Hippocr. (ed. Ermerins) II p. 195. 676. 834. 800. Cf. Eustath. ad Iliad. A 139. Nunc addo Aristot. (?) Ἀθ. πολ. p. 63 sq. ed. Kenyon.

b. *sine ellipsi*, itaque contra Cobeti observationem Plat. Hipp. mai. p. 295 D καὶ ἐὰν μὲν εὕρωμεν, κάλλιστα ἕξει, εἰ δὲ μή, στέρξω κτἑ. Xen. Anab. II 2, 2 ἐὰν μὲν ἥκωμεν, ὥσπερ λέγετε (sc. ἔσται), εἰ δὲ μὴ κτἑ.

II a. ἦν (ἐὰν) μὲν — ἦν (ἐὰν) δὲ μὴ *cum ellipsi*, itaque contra observationem, Plat. Rep. p. 575 D, unde haec disputatio orta est, Hippocr. II p. 205. 211. 212. 259. 276. 277. 290. 313. 317. 322. 324. 345 sq. 349. 350. 356. 363. 742. 831, i. e. XX locis.

II b. *sine ellipsi*, ut requirebat vir summus, Hippocr. II p. 602 ἦν μὲν δυνατὸν ᾖ εἶσω ἀπῶσαι ἄμφω —, ταῦτα ἄριστα, ἦν δὲ μὴ κτἑ., quem locum ipse l.l. attulit. Thuc. I 82, 2 καὶ ἦν μὲν ἐσακούωσί τι πρεσβευομένων ἡμῶν, ταῦτα ἄριστα· ἦν δὲ μὴ κτἑ. His addo Hippocr. p. 685: ἦν μὲν μὴ —, πάντων ἄριστον· ἦν δὲ κτἑ.

III a. εἰ μὲν — εἰ δὲ μὴ *cum ellipsi* Hom. A 139. Aristoph. Thesm. 536. Plat. com. II 621 (Mein.) Sophocl. (?) ap. Eustath. ad. Iliad. locum εἰ μέν τις οὖν ἔξεισιν· εἰ δὲ μή, λέγε. Cf. Hermann. ad Vig. p. 509. Xenoph. Anab. VII 7, 15. Menand. IV 266 (M.).

Digitized by Google

III b. *Sine ellipsi* semel, nempe Xen. Anab. III 2, 37 εἰ μὲν οὖν ἄλλο τις βέλτιον ὁρᾷ, οὕτως ἐχέτω, εἰ δὲ μή κτέ. Itaque hucusque *sex* tantum locos colligere mihi licuit, ubi non apparet ellipsis, contra *triginta tres*, ubi apparet, sed in colligendo pergam aliisque ut idem faciant auctor sum.

P. 583 C. οὐκ ἐναντίον φαμὲν λύπην ἡδονῇ; καὶ μάλα. Οὐκ οὖν καὶ τὸ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι εἶναί τι; Εἶναι μέντοι. Μεταξὺ τούτων ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ὂν ἡσυχίαν τινὰ περὶ ταῦτα τῆς ψυχῆς; ἢ οὐχ οὕτως αὐτὸ λέγεις; Οὕτως, ἢ δ' ὅς. Alterutrum inepte abundat, nam μεταξὺ et ἐν μέσῳ prorsus idem significant. Sic infra sub E, ubi huc respicitur, legimus: Ὃ μεταξὺ ἄρα νῦν δὴ (l. νυνδὴ) ἀμφοτέρων ἔφαμεν εἶναι, τὴν ἡσυχίαν et p. 584 A. Τὸ δὲ μήτε λυπηρὸν μήτε ἡδὺ οὐχὶ ἡσυχία μέντοι καὶ ἐν μέσῳ τούτοιν ἐφάνη ἄρτι. Quia ἐν μέσῳ paullo exquisitius est quam μεταξύ, probabilius videri potest μεταξύ a glossatore profectum esse quam ἐν μέσῳ. Res tamen ancipitis est iudicii.

P. 592 B. Ἀλλ', ἦν δ' ἐγώ, ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν. Mnem. XII p. 332 corrigebam ὁρῶντι αὐτὸ κατοικίζειν. Hodie nescio an praestet ὁρῶντι πρὸς (s. εἰς) αὐτό, i. e. βλέποντι s. ἀποβλέποντι πρὸς (s. εἰς) αὐτό.

P. 598 A. εἰπὲ δέ μοι περὶ τοῦ ζωγράφου τόδε· πότερα ἐκεῖνο αὐτὸ τὸ ἐν τῇ Φύσει ἕκαστον δοκεῖ σοι ἐπιχειρεῖν μιμεῖσθαι ἢ τὰ τῶν δημιούργων ἔργα; Τὰ τῶν δημιούργων, ἔφη. Ἆρα οἷα ἔστιν ἢ οἷα φαίνεται, κτέ. Post quaestionem ita comparatam vix sufficere videtur in responso articulus sine substantivo, quod ita tantum recte haberet, si artificum opera alienis opponerentur. Quare legendum suspicor: Τὰ τῶν δημιούργων, ἔφη, ⟨ἔργα⟩. Ἆρα κτέ. Quam facile ante APA ea vox elabi potuerit, cadit in oculos.

P. 598 B. Πόρρω που ἄρα τοῦ ἀληθοῦς ἡ μιμητικὴ ἐστι· καὶ ὡς ἔοικε, διὰ τοῦτο πάντα ἀπεργάζεται, ὅτι σμικρόν τι ἑκάστου ἐφάπτεται, καὶ τοῦτο εἴδωλον. Imitatio prorsus non tangit τὸ ἀληθές, i. e. ideam, sed res sive a deo sive ab hominibus secundum ideas fabricatas, has ipsas vero non quales revera sunt, sed quales imitatori esse videntur. Quocirca vide ne Plato scripserit: διὰ τοῦτο πάντα ἀπεργάζεται, ὅτι σμικρόν τι ἑκάστου ἐφάπτεται, καὶ τοῦτο (idque) εἰδώλου.

P. 600 B. λέγεται γάρ, ὡς πολλή τις ἀμέλεια περὶ αὐτὸν

Digitized by Google

(Homerum sc.) ἣν ἐπ' αὐτοῦ ἐκείνου, ὅτε ἔζη. Duo ultima vocabula sunt interpretamentum verborum praecedentium ἐπ' αὐτοῦ ἐκείνου, nam idem significant.

P. 604 D. ἀλλ' ἀεὶ ἐθίζειν τὴν ψυχὴν ὅτι τάχιστα γίγνεσθαι πρὸς τὸ ἰᾶσθαι τε καὶ ἐπανορθοῦν τὸ πεσόν τε καὶ νοσῆσαν, ἰατρικῇ τὴν θρηνῳδίαν ἠφανίζετο. Melius intelligam τὸ πταῖσάν τε καὶ νοσῆσαν, corporis partem offensam. Praecedunt enim verba ἀλλὰ μὴ προσπταίσαντας, καθάπερ παῖδας ἐχομένους τοῦ πληγέντος, ἐν τῷ βοᾶν διατρίβειν. Ex πταισαν perversa sequiorum orthographia primum natum est πτεσαν, deinde prave correctum πεσον, neque ita raram esse utriusque verbi confusionem norunt harum rerum periti.

P. 605 b. Suppleverim: ὥσπερ ἐν πόλει ὅταν τις ⟨τοὺς⟩ μοχθηροὺς ἐγκρατεῖς ποιῶν παραδιδῷ τὴν πόλιν ⟨τούτοις⟩, τοὺς δὲ χαριεστέρους φθείρῃ.

P. 609 A. τὸ ξύμφυτον ἄρα κακὸν ἑκάστου καὶ ἡ πονηρία ἕκαστον ἀπόλλυσιν, ἢ εἰ μὴ τοῦτο ἀπολεῖ, οὐκ ἂν ἄλλο γε αὐτὸ ἔτι διαφθείρειεν. Nemo non sentit, quanto elegantius abessent vocabula ἑκάστου et ἀπολεῖ. Scatent Platonis codices huiusmodi magistellorum additamentis.

P. 618 A. τυραννίδας τε γὰρ ἐν αὐτοῖς εἶναι, τὰς μὲν διατελεῖς τὰς δὲ καὶ μεταξὺ διαφθειρομένας καὶ εἰς πενίας καὶ φυγὰς καὶ εἰς πτωχείας τελευτώσας. Praepositio εἰς male iterata est, ceterum expectes: εἰς φυγάς τε καὶ πενίας καὶ πτώχείας τελευτώσας.

P. 619 D. διὸ δὴ καὶ μεταβολὴν τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ταῖς πολλαῖς τῶν ψυχῶν γίγνεσθαι καὶ διὰ τὴν τοῦ κλήρου τύχην. ἐπεὶ εἴ τις ἀεί, ὁπότε εἰς τὸν ἐνθάδε βίον ἀφικνοῖτο, ὑγιῶς φιλοσοφοίη καὶ ὁ κλῆρος αὐτῷ τῆς αἱρέσεως μὴ ἐν τελευταίοις πίπτοι. Quae verba diductis litteris repraesentavi pugnare videntur contra ea quae in praegressis leguntur. Conferas imprimis p. 617 E αἰτία — ἀναίτιος, p. 618 A πολὺ — παρόντων et p. 619 B μήτε ὁ τελευτῶν ἀθυμείτω, unde eligendi quem aliquis sortitus sit ordo bonae optioni nihil obstare apparet, quam rem deinde planissime confirmat prudens Ulixis, quae p. 620 D narratur, optio. Quare verba illa ipsius Platonis esse dubito.

Traiecti ad Rhenum mense Martio 1891.

Digitized by Google

MISCELLA.

SCRIPSIT

C. M. FRANCKEN.

In Aulularia postquam Euclio abiit obsonatum et eo absente Staphula coquum Congrionem admisit, prodit qui vocatur Pythodicus servus in F Z, Fitodicus in B J et Voss., et haec loquitur v 363 sqq. Goetz:

Curate: ego intervisam quid faciant coqui:
Quos pol ut ego hodie servem, cura maximast.
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cenam coquant:
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si ipsi autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incenati sint et cenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum sit in aedibus.

Deinde evanescit Pythodicus, nec usquam apparet, in proxima scena Euclio a foro redit. Pythodicum Ussingius *Alfitodicum*, Gertzius *Philositum*, alii *Philonicum* vel *Philodicum* fecerunt. Pythodici nomen ex priore recensione remansisse, quo significetur qui alibi in altera quam habeamus recensione vocetur Strobilus I Megadori servus, statuit Goetz praef. p. VIII, cum quo fere consentit Dziatzko Rein. Mus. 1882 p. 261 et P. Langen in ed. 1889. Megadori atriensem ipse olim Pythodicum in editione opinatus sum. Neminem vidisse mirum est, verba Pythodici ad amussim convenire Euclioni; non alia persona, nisi Euclio, potest coquos *rapacidas* vocare, in nullius, nisi Euclionis aedibus nunc „officium suum" faciunt coqui, ut perdant omnia et furentur; nemo tam ineptum consilium coquos in puteum detrudendi

Digitized by Google

invenire potuit nisi Euclio, qui absurdum in modum avarus est et suspicax. Hic enim ungues desectos servat, araneas non vult abigi, fumum queritur suum ligillum (sic cum Nonio lego v. 301) furari. Itaque obliviscitur in carcere subterraneo sive puteo (cf. Ussing ad 339) ignem et utensilia non parata esse. Haec aeque quadrant in Euclionem atque aliena sunt a servis, Megadori potissimum, quibus anxia et usque ad insaniam progressa sollicitudo pro bonis alienis unde advolet? ne dicam iam vocabula v. 370 *in aedibus* non apte usurpari, nisi ab eo, qui de suis aut domini aedibus loquatur.

Itaque certum mihi videtur, verba esse Euclionis; de eo ambigi possit, num a vero loco mota sint et num sint per se integra. Dubitanter Langen initio: „at ego intervisam ⟨nostri⟩ quid faciant coqui" (omisso *curate*). Mihi non persuasum est, quidquam mutandum esse, quamquam scenarum cohaerentia difficultatem non exiguam obicit. Euclio enim, qui modo foras abiit, subito rursus comparet, et verbis his pronuntiatis denuo in scenam venit v. 371: „volui animum tandem confirmare hodie meum", rell., denique mandatum initio dat: „curate", nec liquet ad quos. Sed omnia recte se habent me iudice. Nimirum abiit in forum cum servis, qui portarent quae emturus esset; in via comperit Megadorum coquos suam domum misisse, itaque propere redit, iubetque consistere pedisequos, qui a spectatoribus fortasse non conspiciuntur, et curare corbes aut id genus alia quae portant, et curriculo accurrit, paulo post inquietus et turbatus rursus abit et scenam relinquit. Ante quam redit tibicen delectaverit, opinor, spectatores. Tum obsonatu reversus Euclio in collis servorum apportat — nihil. Omnia cara erant. Ita nulla mutatione opus esse et haec admodum ridicule agi potuisse, video. Imo haec scena adeo videtur placuisse, ut sub nomine PUTODICI (= puteodici) i. e. eius, qui puteum in ore habet („ut in puteo cenam coquant") vendibilis fieret; idque vocabulum adscriptum Euclionis pepulit.

Per hanc opportunitatem iuvat aliud de Aulularia afferre fortasse non spernendum. Cereris vigiliae cum ieiuniis bis iactantur 354 et 795:

Cererin, Strobile, hi sunt facturi nuptias?
Cereris vigiliis per vinum atque impetu adulescentiae.

Digitized by Google

Ieiunium Cereris institutum est a. 191, cf. Liv. XXXVI. 37.4, Marquardt-Wissowa p. 364. Non maiorem haec *πειθανάγκην* habent quam reliqua temporis indicia, abrogatam legem Oppiam puta et Bacchanalia memorata, sed fulciunt haec inter se. Prior certe de Cereris sacris locus Plauti ipsius, non Graeci exemplaris, in quo Thesmophoria fuerint, esse videtur. Temporis indicia igitur sunt 195, 191, 186 a. C. Sponte autem, dudum exploso argumento de coquis servis ex Athenaeo XIV, 658 E olim sumto, quo loco Athenaeus non liberos et servos sed servos domesticos contra conductos in foro opponit, consequitur ut de Posidippo auctore non sit cogitandum. Fabula est Menandri. Choricius: *τῶν Μενάνδρῳ πεποιημένων προσώπων — Σμικρίνης* (= Euclio) — *ὁ δεδιὼς μήτι τῶν ἔνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο Φέρων* — „de suo ligillo „fumus si quid fert foras". De Menandri *ὑδρίᾳ* anno 1881 exposui in Versl. en Meded. Kon. Akad. Afd. Letterk. 2e Reeks XI p. 217. Thesaurus nomine quodam feminino designatus fuit, si confusio illa iocularis inter filiam Phaedram et aulam in Graeco quoque exemplari fuit (cf. IV 9, 727 sqq.), quod, quoniam tam diu illa continuatur probabile est; de titulo *Θησαυρός* igitur non est cogitandum.

Hageni Gradum ad Criticen Lips. 1879 qui nuper „scrutum pusillum" in Spectatore Nederlandico dixit, libellum exagitavit sane minime elegantem, sed admodum tironibus utilem, cum praesertim alius non exstet quo via et ratione de critica palaeographica exponatur. Si quis exemplis, non e grammaticorum sordibus, sed ex bonis scriptoribus allegatis, similem librum componat propositis partim quaestionibus, non solutis omnibus (quem ad modum Madvigius in introitu ad Adv. Crit. non satis ad acuendam industriam accommodate fecit), bene mereri possit de studiis iuniorum. Nam non minus critices palaeographicae quam grammaticae et cuiusvis studii severioris methodus ordine demonstrari potest. Sed quamvis arida sit libri Hageniani materies, ea ipsa tamen si cum studiis Loeweni glossographicis componatur aliquod lucellum promittit, ut memoriam veterum verborum paene intermortuam, aut ineptias grammaticorum cognoscamus. Difficile subinde est constituere hasne an illam

Digitized by Google

manu teneamus. Veluti *cinnum* Nonius dicit esse „commixtionem plurimorum" p. 59. 28, coll. 43. 22, idque vocabulum ex Arnobio V. 25 afferunt lexicographi. Sed re diligentius considerata apparet, argumentum quo nititur Nonius nihili esse (p. 59). „Cinnus, inquit, est coniunctio plurimorum; unde et concinnare „dicitur, Cicero in Oratore [c. 6]: est autem quidam interiectus „inter hos medius, et quasi temperatus, nec acumine posterio„rum, nec flumine utens superiorum, *ut cinnus* amborum [in] „neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum „quaerimus, potius expers." Quamvis non optimos habeamus Oratoris codices, hoc tamen loco praestant Nonianis, praebentes *vicinus*; ex VICINUS depravatum est: UTCINNUS. Idem p. 43. 23: „proprietas verbi [concinnare] haec est, quod apud veteres cinnus genus potionis ex multis liquoribus confectum dici solet". Rumor ita aiebat grammaticorum, sed nullum documentum neque apud Catonem et Varronem, neque apud Plautum. Nec melius se habet quod lexicographi recentiores ex Arnobio afferunt V. 25: „sitientis ardori oggerit potionem *cinni*, cyceonem quam nuncupat Graecia" nam, teste Reifferscheid, unus ille codex, cui Arnobium debemus, habet *cynum*, quod admodum probabile est dittographiam esse proxime *cyceonem*. Cinnum eo loco unus habet *r* i. e. corrector recens, vir doctus saec. XVI, nimirum is noverat Nonium. Itaque omnis res vertitur in testimonio grammatici miri stuporis, cui de consuetudine veterum tanquam iurato testi non est credendum, reliquis non assentientibus Varrone L. L. VI. 57, Festo p. 38, qui tamen C. O. Mullero non persuasit, ad solum rursus Nonium provocanti. Nec Loewius dubitavit, sed huic quoque Peripateticus iste Tibursicensis, si dis placet, imposuit, Prodromi p. 393. Hildebrand in Glossario Saec. IX p. 52 non aliis nititur testimoniis. Recte Varro l. l.: concinne loqui dictum a *concino*, ubi inter se conveniunt partes". Nam cum concĭnnus conferenda sŏllemnis (sŏleo), lĭttera (lĭno), sŏllicito, sŏllo (= totum, omnino, Osce et Lucilius ap. Fest. 298; ὅλος, sŏlidus); sic concĭno, concĭnnus.

Novum vocabulum similiter ex etymo invenit grammaticus cod. Bern. apud Hagenum p. 124: *Cra* (aut *crea*, nam *e* superscripta) „stercus, spurcicia, unde *excrare* domus spurcicias eicere" quae glossa exstat etiam apud Loewium p. 125 ex Amploniano

Digitized by Google

et Vossiano cod., ex quibus corr.: „unde excreare dicimus spurcitias eicere" aut: „dicimus domus s. e." Facile est hoc monstrum procurare; illud *crea* (*cra*, aut *creat* Voss., *creta* Ampl.) procudit grammaticus ex notissimo vocabulo *excreare* male diviso; solvit enim *ex-creare* pro *ec-screare*. *Excreare (exscreare)* esse spurcitias eicere, quod glossator testatur, non sane absurdum est; nempe significare potest: radere, radendo purgare, expurgare, everrere. Apud Tibullum I. 5. 74 „ante fores excreare" est strepitum facere gutture radendo, tussiendo. Apud Nonium p. 495. 16: „(Titinius) in Gemina: non exsecrat is parasitum nec virum aspellit domo" Bambergensis (et Lugdun.) *exscratis*, unde Buechelerus „non pus *exscreat* parasitum" (in postremis agnovit *vīrus* substantivum, pro quo Ribbeckianum *vestrum* probat Mullerus, omittens *virum* esse in codd.) cf. glossa cod. Leid. 67. E apud Goetz Corp. Gloss. Lat. IV (Lips. 1889) p. 338: „excreat, proicit", glossa Vat. ib. 66 „execrat proicit", ubi manifesto corrigendum *excreat*. Ib. p. 219 aliud exemplum lepidum vocabuli pro opportunitate ficti: „*Cinici* philosophi sunt a canibus vita ducentes. *Cinus* canis grece." (corrig.: canibus, canum vitam).

APULEIUS.

Apuleius. Florida III 17. *Viderint quibus mos est oggerere se et otiosis praesidibus, ut impatientia linguae commendationem ingenii quaerant et affectata amicitiae vestrae specie glorientur. Utrumque eius a me, Scipio Orfite, longe abest.* Quo magis otio praesides abundant, eo minus erit periculum ne oratores verba facientes eis sint molesti. Scripsisse videtur Apuleius: *viderint quibus mos est oggerere se et odiosi esse praesidibus* cet. Etiam *Hildebrandium* de loci integritate dubitasse effici potest ex iis, quae adnotat: *difficile est de vera loci scriptura iudicium proferre, quum quid Apuleius praemiserit initio huius Floridi, statui nequeat.*

J. van der Vliet.

Digitized by Google

AD ORACULA SIBYLLINA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

ΧΡΗΣΜΟΙ ΣΙΒΥΛΛΙΑΚΟΙ. *Oracula Sibyllina recensuit Aloisius Rzach Vindobonae. MDCCCLXXXXI.*

Oracula Sibyllina, quae propter argumentum cognoscere pluris interest eorum, qui religionis Christianae primordia indagare quam qui res Graecorum Romanorumque, in quibus saepe turpiter labitur futuri praescia Sibylla, scire student, plerisque philologis est terra incognita, licet hi, quibus litterae Alexandrinae et depravati sermonis Graeci proprietas et seriorum hexametrorum leges curae cordique sunt, ex horum carminum lectione plurimum proficere possint. Ipse quoque candide fateor me numquam diligenter ea legisse priusquam allata mihi sit novissima editio critica, quam hoc ipso anno curavit vir sermonis epici peritissimus Aloisius Rzach, qui antiquiorum editorum, in quibus facile princeps est Gallus C. Alexandre, minime vero spernendi sunt Opsopoeus, Volkmann, Friedlieb, alii, ceterorumque criticorum, in quibus praesertim numerandi Meineke, Nauck, Hartel, Mendelsohn et ipse editor, usus inventis novam dedit recensionem, quae optimis nititur fundamentis. Nam praeter XIV codices MSS. (quorum III hodie deperditi), quas in III classes distinctos accurate descripsit et diiudicavit in Praefatione, editor usus est Lactantii aliorumque scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, praeterea vero plurimis locis corruptissimos codices, quorum nullus seculo XIV est antiquior, emendavit ope Homeri Hesiodi Empedoclis Arati Calli-

Digitized by Google

machi Orphicorum, aliorum, a quorum poetarum lectione quanto opere pendeat Sibyllistarum poesis fuse demonstravit memoriarum sua collectione in fine libri, pag. 240—316.

Quidquid iudicabitur de audacia, qua saepius vir doctus violentiores (sed raro ineptas) suas coniecturas in contextum recepit, infirmitate quadam multis editoribus nimium communi certa aut probabilia aliorum inventa subinde in annotatione delitescere passus, hoc profecto negare nemo poterit, patientissimo Rzachii et pererudito labore obscurissimorum et depravatissimorum oraculorum crisin plurimum proficisse.

Fundit haec oracula (IV 4)

οὐ ψευδοῦς Φοίβου χρησμηγόρος, ὅντε μάταιοι
ἄνθρωποι θεὸν εἶπον, ἐπιψεύσαντο δὲ μάντιν·
ἀλλὰ θεοῦ μεγάλοιο, τὸν οὐ χέρες ἔπλασαν ἀνδρῶν,
εἰδώλοις ἀλάλοισι λιθογλύπτοισιν ὅμοιον,

non igitur Erythraea aut Cumana aliave Graeca Sibylla, sed Orientalis, Noae, quocum in arca servata est, nurus I 287 sqq., nomine Sambethe (Schol. ad Plat. Phaedr. p. 244 B), eademque soror Isidis deae Aegyptiacae (V 53), cuius versus primus Graecorum legit ψευδογράφος πρέσβυς βροτὸς — ψευδόπατρις Homerus (III 419 sqq.) et impudentissime furatus in suam rem convertit. Cf. XI 186 sqq. Cui stolido mendacio, ficto scilicet ut ipsum contrarium obtegeretur, fuisse olim qui fidem haberent, perdifficile est ad credendum.

Conditae autem sunt hae de universi mundi historia praedictiones a variis auctoribus Alexandrinis, partim Iudaeis, partim Christianis, in quibus sunt Iudaei sacris litteris Christianis plus minusve imbuti et Christiani iudaïzantes, utrique autem in veteris foederis libris et Graecorum poesi epica versatissimi. Diversissimae autem sunt aetatis, nam pars antiquissima ad Ptolemaei Philadelphi tempora pertinet, pars condita est Tito vel Domitiano imperante, alia Antonini Pii, alia Alexandri Severi aevum testantur, ultima denique pars manifesto scripta est posteaquam Zenobiae maritus Odenathus Palmyrae rex et pontifex, qui labenti Romanorum imperio opem tulerat, uxoris invidia dolisque interfectus est (l. XIII et XIV), ita ut quinque fere seculorum spatio recentissima oracula distent ab antiquissimis.

Digitized by Google

II.

Priusquam his theosophiae Alexandrinae fetibus pro virili parte medicam adhibebo manum, paucis (largam enim materiem post accuratissimam Volkmanni dissertationem exhaurire nihil attinet) exponam de horum carminum ratione metrica et prosodiaca ac de universa Sibyllistarum elocutione, prout hodie contextus in Rzachii editione partim librorum ope partim divinando constitutus est. Quod faciens sub unum ponam conspectum, quae de variis poetis sapientissimo consilio singillatim olim exposuit Volkmann, qui de singulorum proprietatibus semper identidem erit consulendus.

Versus igitur omnes sunt hexametri praeter unum I 146, ubi griphus, quem de nomine sacro Immanuele Deus Noae proponit, finitur pentametro

γνοὺς δὲ τίς εἰμι
οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Hexametri, in quibus, ut in seriore poesi fieri solet, muta cum liquida pro libito fere aut facit aut non facit positionem et adiectivo καλός et ἴσος vocalem modo producunt modo corripiunt, plerumque apte decurrunt.

Eaedem quae a veteribus epicis observantur caesurae, et rarissime reperies versum in duas partes aequales divisum, quales versiculi extrema aetate haud ita rari sunt. Cf. *Studia* mea *critica in Epigrammata Graeca* ap. Brill, Leidae 1890, p. 23. Unum talem reperio I 57

αὔξεσθε πληθύνεσθ', ἐργάζεσθ' ἐπὶ γαίης

quam scripturam frustra temptatam a Volkmanno certam esse in annotatione probavit Rzach.

Nulla autem caesura, ut omnino apud seriores, aeque frequens est (iuncta saepe cum semiquinaria) atque bucolica quae dicitur. In libri primi vss. 400 exstat 210 vicibus, in vss. 829 libri tertii 448, ita ut in utroque plus quam dimidia hexametrorum pars hac diaeresi sit insignis. Haud raro tamen, quod severior ars salvis exceptionibus quibusdam, de quibus post alios docte egit van Leeuwen Mnem. XVIII, 265 sqq., fere respuit, ultima quarti dactyli syllaba duobus ultimis pedibus adhaeret, ut I 142

αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη.

Digitized by Google

Cf. I 55. 90. 94. 198. 201. 240. 272. 295. 326. II 198. 220. III 349. 739 al., in quorum tamen numero sunt qui nihil offendant. Ante caesuras, ut in veteri poesi, saepe arsi producitur syllaba brevis, etiam ante diaeresin semiternariam, ut I 181

οὐ κλαίετ', ἄλλυδις ἄλλου ἀπηνέες ἀλλὰ γελᾶτε.

Cf. II 6. 323. 347. III 33. 302. 396. 536. 726. 759 al.

Depravata est lectio III 816

ἔσται γὰρ ὅτε κόσμος ὅλος ἀπερείσιος ἀνδρῶν,

ubi lege cum Meinekio *τὰρ τότε* et IV 111, ubi in thesi producitur brevis syllaba ante bucolicam caesuram

ὄμμασιν ἐν θνητοῖς, οὐ πλασθέντα χερὶ θνητῷ,

quem locum infra corrigam in parte critica.

Hiatus brevis syllabae in his carminibus, ut hodie correcta sunt, non est admodum frequens; in toto libro VIII (501 sunt vss.), nisi forte mens oculique legentem fefellerunt, nusquam reperitur.

Extat autem:

1) ante vocabula quaedam quae apud Homerum praefixum habuerunt digamma, ut *ἄναξ* III 15. V 157. XI 270. XIII 172, *ἕκαστος* I 213. V 80. 402. al., *ἔργον* III 250 (?) V 193. XIV 321, *ἰδέσθαι* V 333, *οἱ* V 415. al., *ἔοργεν* XII 94. XIV 253, *εἰδώς* XII 256. Fallitur Volkmann p. 8 Sibyllistas hanc licentiam ad quaevis aspirata transtulisse contendens.
2) in versus exitu in formulis *κατὰ ἦμαρ* III 229 et *ἄλλοτε ἄλλη* XI 167, ut in hymn. H. in Merc. 558.
3) post caesuram *κατα τρίτον τροχαῖον* II 277. III 59. 373. 810. IV 165. 180. VI 119. XIV 267. al. Loci XI 2 incerta scriptura.
4) ante bucolicam I 10. II 212 222. III 250 (?). 192. 301. 813. IV 19. 42. 111. 138. V 276. VII. 78. XII 188 (ante *ἑοῦ*) 238. 276. Fr. III 10.
5) ante semiternariam, simul producta syllaba.
6) post tertium dactylum II 250 loco vix sano, de quo vid. pars critica; alterum XII 251 iam correxit editor.
7) post primum pedem ante interpunctionem III 10; locos XIV 17. 177 recte curavit Rzach inserenda vocula *δ'*.

Haud ita raro vocula *καί* in thesi ante vocalem longam facit syllabam. Cf. I 367. III 46. IV 59. V 205. VIII 311. 339. 467. al. Eadem saepissime facit crasin.

Digitized by Google

Alia licentia, de qua egit Rzach in libello, „Neue Beiträge zur Technik des nachhomerischen Hexameters" p. 12, cernitur XIV 276

εἰς ἄφενον σπεύδοντι ἐπὶ δυοκαίδεκα μῆνας,

consulaturque idem ibidem pag. 30 de producta brevi vocali ante vocalem in vs. XI 156.

Synizeses notabiliores collegi hasce: I 26 παραδείσου ἐριθηλέος, cui editor contulit ἄστυ ἐριηυδές in oracula apud Herod. VII 220. V 142 θεατροκοπῶν. VIII 488 ἐώμεσθα (depravatum ἐάσας XIII 102). VIII 52 πολιόκρανος, verissime restitutum ab Opsopoeo ex III 176 pro absurdo πολύκρανος, quod in textu retinuit Rzach. Similia sunt Ἰουδαίων IV 127. V 249. Cf. IX 239. V 263. Ἰορδάνου VI 5. VII 67 alia, de quibus cf. Volkmann p. 24. Νῶε modo est monosyllabum, modo priorem vocalem contrahit. Synizesios vocalarum δὴ οὐκ nullum est in Sibyllinis exemplum, quare non probo Rzachium V 353 scribentem

αὐτὸς δυσμενέας δ' ἄνδρας τότε δὴ (pro δ') οὐκ ἐλεήσει.

Cum melioribus libris (Φ) deleatur δ' errrore repetitum. Legitimus enim est hiatus ante diaeresin bucolicam.

Crases satis frequentes sunt, plerumque factae ope copulae et articuli.

Versus *spondaici* crebro occurrunt, in libro I, si recte numeravi, 36 in 400 vss., in III (829 vss.) 48; nullus autem peccat contra metri leges.

Quae hucusque vidimus de Sibyllistarum arte metrica plerumque aut levem aut nullam habent offensionem. Sed graviter iidem saepe peccant contra vocalium quantitatem. Quo minus refero quod antiquiorum exemplo non tantum vocales, ut in Νῶε (cf. ἥρωος sim.), sed etiam diphthongum αι in mediis vocabulis ante vocalem corripiunt, ut in nomine Ἑβραῖοι II 170. 173. 175. al., in δίκαιος II 261 al., in ματαίως III 29, in γαίη III 361. VI 21 al., in κεραίη V 22. 25 et passim; quae exempla faciunt ut pro corrupta codicum lectione XIII 8 γεγαώς potius γεραιός corrigam quam γεραός, quod editor restituit e pulchra Alexandri coniectura. Neque admodum graviter fero, quod II 29 poeta scribere sibi permisit in clausula σύνεσις ἔσται, quia in Homero suo legerat συνεχὲς αἰεί. Etiam μεσημβρίης III 26 al. producta brevi syllaba inter duas longas, voce Ho-

Digitized by Google

merica ὑποδεξίης aliisque similibus tutum est, sed pessima sunt ἀθανασίης II 40. 150 et θυσίης II 82 producta paenultima, nec sane melius ultima corripitur in ἐλευθοπρα(ξ)ία II 13, ἱεροσυλία II 14. al., ἡμέραν II 193, πλάνα = πλάνη III 228, νέα XIV 100, nisi forte ibi legendum est νέη cum synizesi, et Εὖαν pro Εὔην I 29. Contrario errore μοίρη est pro μοῖρα III 414. XI 229. XII 175. XIV 69 et γαίη pro γαῖα I 82. 257. al. saepe. Prima syllaba vitiose producitur in λινόστολος V 492, Σικελίη V 16, Λατίνων XIV 280, Γιγάντων II 232, ῥαπίσματα (?) VIII 288, ἀείρουσι III 591 (cf. ἐπᾱείραντες IV 165), corripitur in κιβωτός I 266, ut apud Gregorium Nazianzenum.

A gravissimo crimine correptae vocalis ϒ in συκοφαντεῖν liber quidem est Sibyllista II 73, pessimum enim versum interpolatum esse recte agnovit editor, sed contra legem eadem correpta est in ὑετοῖσιν I 230. Suspectam vero habeo lectionem θλίβεται correpto iota V 86, quem locum temptabo in parte critica, sed utcumque de eo iudicabitur, pro eo quod passim legitur θλῖψις procul dubio corrigendum θλῖψις et μῖξις pro μίξις. Contra κλίμα V 39 (cf. προσκλίματα VIII 298) aliorum sequiorum exemplis tutum est sequiturque analogiam similium formarum apud seriores, ut θέμα, ἔκχυμα, πόμα, ἀνάσταμα (VIII 268, ubi lenius ἀνάσταμα δῶμεν correxit Alexandre quam Rzach ἀναστήσωμεν) in his ipsis quoque oraculis, praeterea παρασύμβαμα, ἀνάθεμα, alia; itaque prorsus inutilis est Rzachii coniectura κλῖμα δὲ. Semel III 396 κεράτων est, correpto α, quod breve est in κεράων, de quo restituendo cogitari potest. Pessima tandem est prosodia VIII 191 = XIV 270 πάντα μάλ' ἐξείης ἀτὰρ ἀκτῖνέντα κομήτην.

III.

Quatenus haec oracula sunt centones ex antiquis fere carminibus epicis consuti, eorum sermo, nisi quod epica vocabula tragicis formaeque epicae mixtae sunt Atticis communibusque, velut λεώς, γῆ, χρίσεως et similibus, haud ita pravus est; sed sicubi antiquiores fontes deficiunt, Sibyllistae ad sequioris linguae sordes delabuntur, et quo quisque est aetate inferior, eo

Digitized by Google

frequentius adhibent vocabula novitia et plebeia, in quibus sunt quae frustra apud alios scriptores quaesiveris. Plurima horum derivata sunt e veteri et novo foedere scriptoribusque ecclesiasticis. Ex ingenti numero vocabulorum novitiorum commemorare lubet γρήγοροι ἀλΦηστῆρες I 98, ἀγγελτήρ II 214, ἀλλαγίη II 156, ἵπταμαι VII 20, διήκονες II 264, ζωσμοῖς III 151, πενιχρομένοισι III 264, βασιληίς = βασιληίη III 168. 175, ἔκχυμα III 320, ἀκατάστασις passim, ἀπαρτίην XIV 288, θέμα = ἄθλον II 46. 49, πρηνισμός IV 69 al., ὑπέρκτησις IV 158, διέξοδος XI 106, προσοχθίζων III 272, ὁλοθρεύειν et ἐξολοθρεύειν III 309 al., ὁλοκαρπώσασα et ὁλοκαρπώοντες III 565. 579, ἐρωτᾶν = αἰτεῖσθαι III 308. VIII 355, σκορπισμός III 17 al., μυριάεντα II 274, νηπιάεις II 300. Plura qui requirit adeat Volkmannum, qui haec et alia multa diligentissime scrutatus singula, quantum fieri poterat, ad auctores suos rettulit. Sunt de quorum sanitate dubites, velut αἰδοίην = αἰδώ I 175 (cf. adn.) et ἀγριηνός VII 79, quem locum temptabo in parte critica. Inepte cum alia multa dicta sunt, tum praesertim ὀνειροπολεῖν πετεηνά I 95 pro ὀρνιθοσκοπεῖν, pessima vero licentia Βαβυλῶνες (ας) pro Βαρβυλώνιοι (ους) V 116. XIII 33.

Declinatio nihil habet insoliti praeter dativum Φαΐ pro Φάει I 348 al. et formas metaplasticas ὠλένας III 591, quasi a nom. ὠλήν, et κήραις, quasi a κήρη derivatas; praeterea apparet vitiosus genetivus plur. masc. ὑδάτων κελαρυζομεν ά ω ν I 228 et XI 184 ad exemplum loci [Hesiod.] Scut. Herc. 7. — Addo μεγαλόσθενος pro μεγαλοσθενής V 196. 63. XIV 230 et πολυήλατι χαλκῷ V 218.

Multo plura observanda de *coniugatione*. Nam primum hi poetae *confundunt genera verborum*, ut activum pro medio ponatur, velut ἐξελάθεσκεν I 44, ἐμασήσατε III 329 et, si sana lectio, πίΦαυσκε I 6, aut medium pro activo, ut ποιήσατο I 60, λαβέσθαι VI 2, ἄρξωνται VII 41. XI 261, κελαρυζομενάων I 228 et XI 184. Imprimis vero sic peccant in futuris, adhibentes formas activas, ubi veterum usus medias postulat, ut κλαύσω, πλεύσω, ῥεύσω, οἰμώξω, γελάσω, ἀκούσω, σιγήσω, κατέδω, δύσω, δείσω, δηλήσω (?). Cf. I 182. 190. 193. III 420. 473. V 91. 121. 124. 283. 372. 470 sq. 476. VII 158. VIII 345. XIV 152 al. Rarius inversa ratione medium apparet pro activo in θρηνήσομαι (II 158), στοναχήσομαι (XI 297), πτολεμίξομαι (V 382).

Digitized by Google

Praeterea Futuris utuntur aut plebeiis, ut ἑλῶ (= αἱρήσω), ἐξαφελῶ, καθελῶ (V 39. 155. 364. 367. 470 sqq. al.), aut barbaris, ut θάνομαι, κατθάνομαι (XII 36. al.) πίσομαι, καππέσομαι (III 83. al.), νηχήσομαι (II 209. al.), θνήξομαι (I 190. XIV 147. al.), φάγομαι (III 791), λάβομαι (XI 294), φύγομαι (III 26. XI 45. XII 93. 252. 272) et δεικνύσει VIII 57, de cuius tamen loci sinceritate dubito. Cf. pars critica. Quod autem III 400 legitur futurum pass. φθεῖται, id recte Rzach tuetur scriptura codicum quorundam Homeri λ 330 et Quinti Smyrn. III 17. XII 351.

Neque rari sunt *Aoristi* novitii et vitiosi. Sic I 382. II 260. VI 6. XI 47. 75 et alibi reperies ἔλειψα et ἔφευξα, V 176 al., εὕρατο, VII 134. al. δυσάμενοι, quod omnino in sequiorum scriptis perfrequens est, sed etiam, quae est forma omnium pessima, ἐχήσειεν XI 23. 91. 153. XII. 221. 258. Adde τετύχῃ VIII 202 et τετύχωσι III 634, ubi vid. Rzachii notam.

Certa est, licet codd. habeant ἄμφω εἶχεν, I 36 *Imperfecti* forma vitiosa ἄμφειχον, quia sollemnis est in epicorum Alexandrinorum carminibus.

Quod minus valet de *Perfecti* forma πεπειθμένος, quam Rzach edidit I 44. II 266. XIV 260, et primo quidem loco e mera coniectura, quam infirmat tertius, ubi omnes libri conspirant in proba forma πεπεισμένοι, nec satis confirmat secundus, ubi tertiae classis codices habent eandem, recte probatam Nauckio et Ludwichio. Nec quidquam me movet allatum ab editore κεκορυθμένος (I 77 al.), quae forma constanti usu Homerico stabilitur, dum inauditum est κεκορυσμένος. Rarissimum est in his carminibus βεβλημένος, pro quo participio paene constanter adhibetur βεβολημένος, nulla habita ratione observationis Aristarcheae de eius usu Homerico. Tandem notandae sunt formae ἔσχηκαν (I 35), πέφυκαν (I 265) et ἔοργαν (XIV 250).

Adverbia ἄχρις (ἔσαχρις) et μέχρις usu novitio paene constanter habent sigma finale, quo fere carent ubi vim induunt coniunctionum, ut V 267. 456 et III 446. 570. VIII 129; πάλι, prout metrum postulat, usurpatur iuxta πάλιν, ut II 1 sq. al. Pessime ἐκεῖσε positum pro ἐκεῖ s. ἐκεῖθι I 302, nec tamen peius quam ibidem *praepositio* ἐν usurpatur pro εἰς, de quo usu cf. I 84. 85. 305. 306 al. Passim vero Sibyllistae ἀτὰρ et αὐτὰρ adhibent pro copula, ut I 173. 335. 351. III 17. 691. IV 18. al.

Digitized by Google

Syntaxis quoque Sibyllina in multis discrepat ab usu probo atque antiquo. Tantummodo notabiliora ordine recensebo.

1) *Optativus sine ἄν* passim usurpatur *pro futuro*, ut I 193
πλεύσει γῆ, πλεύσειε δ' ὄρη πλεύσει δὲ καὶ αἰθήρ,
ut optime correctum est ad plurimorum locorum exemplum. Cf. v. c. II 237. III 249. 452. 457. 521. al. Quod autem eodem modo saepissime merus coniunctivus adhibetur, ea in re abusi sunt rarissimis veteris poesios exemplis.

2) *Imperfectum sine ἄν pro conditionali*, praegresso in protasi εἰ μή, habemus VIII 33—36.

3) ὁπότ' ἄν *passim coniungitur cum futuro*, ut I 182 sq. 336 sqq. 344. II 237. 362. 394. III 259. 452. 457. 519. 521. XI 107. XII 172. al. Contra ὅτ' ἄν constanter regit coniunctivum, sed ἔπῃ futurum habet XIV 183 et 217. — Ἡνίκ' ἄν semel optativo coniunctum vidi, VI 28:
οὐχ ἕξει σε χθών, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
ἡνίκ' ἂν ἀστράψειε τὸ σόν, θεὸς ἔμπυρον ὄμμα,
sed ex incertissima Alexandri coniectura ita edidit Rzach. Nam optimi libri habent ἡνίκα δ' ἀστράψει, cl. II ἡνίκα ἀστράψῃ, cl. III ἡνίκ' ἀστράψει. Fortasse autem verius est ἡνίκ' ἀπαστράψειε = ἀπαστράψει, quo composito saepius utuntur Sibyllistae.

4) ἵνα *finale cum futuro* VIII 70 sqq. ἵνα — θήσει, 257 ἵν' — δώσει, 409 ἵνα — δώσω, qui loci plus probant quam VIII 293 sq. 421 aliique multi, quorum minus certa scriptura est. Nemini enim auctor sum, ut coniectura his poetastris reddat θήῃ, δώῃ, δώω. Similis est ὡς finalis structura ὡς ἔσσεται I 160.

5) ἄχρι *sequente Infinitivo* est V 276, *Acc. c. Inf.* V 456.

6) Proprium est sermoni Sibyllae, ut passim *futuris misceat praeterita*, scilicet ut facta narrans quae fore vaticinatur. Cf. v. c. V 145 sqq. 150 sqq. 203 sqq.

7) *Adverbium praedicativum sine articulo cum substantivo iungitur* VIII 52, ubi est de Hadriano imperatore ἔσσετ' ἄναξ πολυκράνος ἔχων πέλας οὔνομα πόντου. Sic praepositio cum Infinitivo ἀντὶ — ναίειν fr. III 25, ubi tamen lectio incerta est.

8) Notandae formulae δὲ μὲν I 67. 91 (cf. ἀλλὰ μὲν III 755), αὖ — δὲ III 448, quocum comparetur V 77 ἢ πῶς Μήδων δὲ κρατήσεις, si recte sic codicum lectionem τε emendavit

Digitized by Google

editor nec potius σὺ scribendum est. Legitur ἠδέ τε III 181. V 423 et passim, ut apud Manethonem, ἀλλά γε V 235 al., quod est apud sequiores poetas perfrequens.

9) Permira est et suspecta mihi structura verbi γλακτοδοτεῖν cum quarto pro tertio casu II 192 ὅσαι δέ τε νήπια τέκνα γλακτοδοτοῦσιν, sed incerta est haec Struvii et Meinekii correctio pro γαλαδοτοῦσιν. Alii libri habent γαλουχοῦσιν, unde γλακτουχοῦσιν fecit Alexandre. Sed accusativus facit ut expectemus potius γλακτοτροφοῦσιν.

IV.

Devorato ingrati laboris taedio tandem accingimur ad disputandum de locis quibusdam aut manifeste adhuc laborantibus aut certe de vitio suspectis. Ad horum numerum pertinere arbitror primum

I 5 σὺ δέ, ποικίλε θνητέ, πίφαυσκε ‖ νουνεχέως κτέ.

ubi dubito num Volkmanni emendatio pro πίφασκε sufficiat, quia πιφαύσκειν est φαίνειν, *aperire*, *dicere*, sed sententia postulat *discendi* s. *animadvertendi* notionem, quam apud sequiores habere solet verbum medium. Quare legerim πιφαύσκου. Verborum formas contractas iuxta cum solutis Sibyllistas, ut omnes recentiores, adhibere vix est quod moneam.

I 178 λεκτροκλόποι θ' εὑρεσίλογοι δύσφημα χέοντες.

Legendum suspicor εὑρεσίδολοι.

I 214 ἀλλ' ὅτε δ' ἁρμονίη κληὶς περὶ πῶμ' ἐγενήθη
ἐς πλάγι' ἁρμοσθεῖσα περιξεστῷ ἐνὶ χώρῳ κτέ.

Quanto aptius scriberetur τοίχῳ, ut est infra 234 sq.:

ὦκα δὲ δῶμ' (πῶμ' Opsopoeus) ἀνέῳξε περιξεστοῦ ἀπὸ [τοίχου
ἐμπείροις (-ως Mendelsohn) ἁρμοῖσι κατ' ἀντίον ἁρμοσθέντος.

Fortasse codex archetypus vs. 215 habuit ЄNIXΩ pro ЄNITOIXΩ, eaque lectio male correcta est.

I 242. καὶ τότε δὴ (Noach) πελίην οἶην ἀπὸ νόσφι ποιήσας
ἔκβαλεν, ὄφρα κε γνοίη ἐνὶ φρεσίν, εἴ ποτε γαῖα
φαίνετ' ἔτι στερεή.

Suadet sententia: εἴ ποθι γαῖα κτέ.

Digitized by Google

I 342 τὴν δ' αὖ βαρβαρόφρων, πεπεδημένος ὀρχηθμοῖσιν,
ἐκκόψας δώσει μισθόν.

Ludwich μεμελημένος ὀρχηθμοῖο coniecit, recte emendans participium, sed secus dativum, qui optime habet. Supra I 126 καλοῖς τ' ἔργοισι μεμηλώς. II 341 ἤλιτον οὔτε γάμῳ μεμελημένη οὔτε λογισμοῖς. VII 18 τὴν λιπαρὴν Αἴγυπτον ἀεὶ σταχύεσσι μέλουσαν. al.

I 347 καὶ γὰρ θεὸν ὑψιμέδοντα
γνώσονται διὰ τοῦδ' ἀτραπητόν τ' ἐν φαῖ κοινῷ.

Infelix haec est Volkmanni correctio (vox enim nihili ἀτραπητός) meliorum librorum (Φ) scripturae διὰ τοῦδε ἀταρπητόν τ'. Quod cum editor intellexisset, in *Addendis et Corrigendis* probavit deterioris familiae lectionem διὰ τοῦδε καὶ ἀτραπόν, quae me iudice mera est coniectura. Prior enim scriptura celat hanc optimam lectionem:

γνώσονται, διὰ τοῦ δὲ ἀταρπιτὸν ἐν φαῖ κοινῷ.

cum hiatu legitimo post caesuram, (cf. supra pag. 349). *Etenim summum Deum cognoscent, per hunc vero communi in lumine callem.*

II 192. Vide supra p. 355.

II 196 καὶ τότε δὴ ποταμός τε μέγας πυρὸς αἰθομένοιο
ῥεύσει ἀπ' οὐρανόθεν καὶ πάντα τόπον δαπανήσει
γαῖάν τ' ὠκεανόν τε μέγαν γλαυκήν τε θάλασσαν
λίμνας καὶ ποταμοὺς πηγὰς καὶ ἀμείλιχον Ἀιδην
καὶ πόλον οὐράνιον.

Probabilius videtur καὶ ποταμῶν πηγάς, aut si ποταμούς verum est, πηγάς τ' ἰδ' ἀμείλιχον Ἀιδην. Infra III 23 est πηγὰς καὶ ποταμοὺς.

Sequitur: ἀτὰρ οὐράνιοι φωστῆρες
εἰς ἓν συρρήξουσι καὶ ἐς μορφὴν πανέρημον.

Licet eadem sine varietate repetantur VIII 340, expectaveram potius ἐς μορφὴν πανέρεμνον, quod de astris corruente mundo exstinctis multo aptius dictum foret.

II 250

Τοὺς δὲ μετ' (κατ' Badt) Ἡρεμίαν ἐπὶ βήματι πάντας ὀλέσσει
κρινομένους Ἑβραίους, ἵνα ἄξια ἔργα λάβωσιν,
καὶ τίσωσιν, ἅπερ βιότῳ θνητῷ τις ἔπραξε.

Suspectus mihi hiatus post pedem tertium, cuius nullum in his carminibus reperitur exemplum. Fortasse fuit ἵνα γ' ἄξια vel

Digitized by Google

ἵν' ἐπάξια. Praeterea pro λάβωσι, quod permire dictum, siquidem ita ἔργα significare debet *mercedem*, dubitabundus tempto πάθωσιν.

II 271 ἡδ' ὁπόσοι χήρῃσι καὶ ὀρφανικοῖσι διδοῦσιν
ἐξ ἀδίκων ἔργων, ὁπόσοι δ' ἰδίων ἀπὸ μόχθων
δόντες ὀνειδίζουσιν κτἑ.

Falsa est oppositio inter ἔργα ἄδικα et μόχθοι ἴδιοι, quo honesti labores significantur, quasi iniusta facinora non sint propria sed aliena. Num corrigendum:

ὁπόσοι δικαίων δ' ἀπὸ μόχθων
δόντες ὀνειδίζουσιν?

ΔΙΚΑΙΩΝΔ facile abire potuit in ΔΙΔΙΩΝΔ, quod deinde in ΔΙΔΙΩΝ correctum est.

III 71 ἀλλ' ὁπότ' ἂν μεγάλοιο θεοῦ πελάσωσιν ἀπειλαί,
καὶ δύναμις φλογόεσσα δι' οἴδματος ἐς γαῖαν ἥξει,
καὶ Βελίαρ φλέξει καὶ ὑπερφιάλους ἀνθρώπους
πάντας, ὅσοι τούτῳ πίστιν ἐνεποιήσαντο.

Quoniam non video, quae sit h. l. vis voculae καί, suspicor corrigendum esse καταφλέξει, vel lenius cum tmesi

καὶ Βελίαρ φλέξει κατ' ὑπερφιάλους ἀνθρώπους.

III 93 ὦ ὦ δὴ πλωτῶν ὑδάτων καὶ χέρσου ἁπάσης,
ἠελίου ἀνιόντος, ὅπου δὴ καὶ πάλι δύνει.

Mirum hyperbaton pro καὶ ὅπου δὴ πάλι δύνει. Num haec sana sunt? Conieci:

ἠελίου ἀνιόντος ἰδ' οὗ δὴ καὶ πάλι δύνει.

III 175

αὐτὰρ ἔπειτ' ἄλλης βασιληίδος ἔσσεται ἀρχὴ
λευκὴ καὶ πολύκρανος (πολιοκ. Opsop.) ἀΦ' ἑσπερίοιο θαλάσσης,
ἣ πολλῆς γαίης ἄρξει, πολλοὺς δὲ σαλεύσει,
καὶ πᾶσιν βασιλεῦσι φόβον μετόπισθε ποιήσει,
πολλὸν δ' αὖ χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἐξαλαπάξει
[πολλῶν ἐκ πόλεων· πάλι δ' ἔσσεται ἐν χθονὶ δίῃ
χρυσίον, αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἄργυρος ἠδέ τε κόσμος].
καὶ θλίψουσι βροτούς· κτἑ.

Obscurum est πάλι vs. 180, pro quo expectes πολύ. Versus tamen 180 sq. ita languide interrumpunt flumen orationis, ut num sint genuini multum dubitem.

III 207 αὐτίκα δὴ Πέρσῃσι καὶ Ἀσσυρίοις κακὸν ἥξει
πάσῃ τ' Αἰγύπτῳ Λιβύῃ τ' ἠδ' Αἰθιόπεσσιν

Digitized by Google

Καρσί τε Παμφύλοις τε κακὸν μετακινηθῆναι,
καὶ πάντεσσι βροτοῖσι κτέ.

Perinepte dictum κακὸν κακὸν μετακινηθῆναι. Fallor an Sibyllista scripsit

Καρσί τε Παμφύλοις τ' ἄπορον μετακινηθῆναι?

Vix certe probanda Alexandri coniectura κακῶς. Errore κακὸν repetitum videtur e praegressis.

III 262 τοῖσι μόνοις καρπὸν τελέθει ζείδωρος ἄρουρα
ἐξ ἑνὸς εἰς ἑκατὸν τελέθοντο τε μέτρα θεοῖο.

Immo vero:

ἐξ ἑνὸς εἰς ἑκατὸν τελέθοντος μέτρα θεοῖο.

III 308 ἠέριος γάρ σοι, Βαβυλών, ἥξει ποτ' ἄνωθεν,
αὐτὰρ ἀπ' οὐρανόθεν καταβήσεται ἐξ ἀγίων [σοι,
καὶ θυμὸς (σ' ἅμα σοῖς pulchre Rzach) τέκνοις αἰώνιος [ἐξολοθρεύσει.

Pessimus versus αὐτὰρ — σοι male abundat et vix genuinus videtur.

III 346 Εὐρώπης δὲ Τάναγρα Κλίτωρ Βασιλὶς Μερόπεια κτέ.

Sic librorum lectionem κλίτος (κλύτος A) audacter correxit Rzach. Sed Κλίτωρ pro Κλείτωρ dictum mihi quidem admodum dubium videtur, nisi forte editor correctionem suam titulo aliquo antiquo stabilire potest. Nec solent in nominibus propriis errare Sibyllistae.

III 397 ἐκ δέκα μὲν κεράτων, παρὰ δὴ φυτὸν ἄλλο φυτεύσει.

Propter mensuram vocalis praetulerim formam epicam κεράων.

III 429 καί τε θεοὺς τούτοισι παρίστασθαι γε ποιήσει
ψευδογραφῶν κατὰ πάντα τρόπον, μέροπας κενοκράνους.

Ex hac interpunctione μέροπας est appositio ad θεούς. Alexandre „sic vocitans *homines* fluxos *letoque sepultos*". Prima facie placet Friedliebi lectio delentis virgulam et interpretantis „Lügen erzählend auf jegliche Art den leichtgläubigen Menschen". At ita ψευδογραφεῖν significare debet τῇ γραφῇ ψευδόμενος, non ψευδῆ γράφων, quae notio verbo composito magis convenire videtur, et identidem Sibyllistae monent paganos ut deos colere homines olim mortuos.

III 456 σημεῖον Κύπρου· σεισμὸς φθίσειε φάλαγγας,
καὶ πολλὰς ψυχὰς Ἅιδης ὁμοθυμαδὸν ἕξει.

Digitized by Google

Quis umquam nisi in bello *Φάλαγγας* dixit hominum catervas? Una mutata literula scripserim *ΦάΡαγγας*, i. e. *rupes*.

In sequente versu *ὁμοθυμαδὸν* satis inepte dictum est pro *ὁμοῦ*. Ceterum amant Sibyllistae adverbia in *δόν*. Cf. *ψαμαθηδόν* V 97, *βαθρηδόν* V 119, *ποταμηδόν* V 335, *βροντηδόν* V 345, *πρηνηδόν* V 399.

III 463 *Καὶ Σάμος ἐν καιρῷ βασιλήια δώματα τεύξει.*

Versus obscurus de regia Polycratis aedificata permiram sedem nactus est post terrae motum in Cypro et Asiae ora praedictionem. Expectatur potius post rerum Samiarum mentionem 451—456. Alexandre affert Suetonii verba in vita Caligulae 21. „Destinaverat et Sami Polycratis regiam restituere". Sed *τεύξει* inepte dictum pro *ἐπισκευάσει*. Rem non expedio.

III 487 *καὶ Σικυὼν χάλκειος ὑλάγμασι καὶ σύ, Κόρινθε,*
αὐχήσει ἐπὶ πᾶσιν, ἴσον δὲ βοήσεται αὐλός.

Huius loci corruptissimi perincerta emendatio est. Rzach cum Alexandro *χαλκέοισιν ὑλάγμασι*, cum Volkmanno (qui *χαλκοῖο σελάγμασι* coniecit) *αὐχήσεις* dedit, ipse proponens *αὐδήσεις*. In re paene desperata deficiente praesertim historia ausus sum ariolari:

καὶ Σικυὼν χαλεποῖς ὁλολύγμασι καὶ σύ, Κόρινθε,
ἠχήσεις ἐπὶ πᾶσιν, ἴσον δὲ βοήσεται Αὖλις.

in ultimo vocabulo secutus Meinekium. Ad *ὁλόλυγμα* cf. I 163.

Paullo ante vs. 483 sq.

γένος βασιλήιον ἄφνω
τεύξεται.

Melius sane Alexandre coniecit *παύσεται* quam Volkmann *Φεύξεται*. Sed fortasse latet *θνήξεται*, forma saepe in Sibyllinis obvia.

III 492 *αἳ αἳ Φοινίκων γένει ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν*
καὶ παράλαις πολίεσσιν ἁπάσαις· οὐδὲ μί' ὑμῶν
πρὸς Φάος ἠελίοιο παρέσσεται ἐν φαεῖ κοινῷ,
οὐδέ τι τῆς ζωῆς ἀριθμὸς καὶ Φῦλον ἔτ' ἔσται.

Ita libri, nisi quod libri deteriores *οὐδ' ἐπὶ* exhibent. Rzach cum Castalione *οὐδ' ἔτι* scripsit et ex sua coniectura *ἔπεσται*. At aperte verba *ἀριθμὸς καὶ Φῦλον* mendosa sunt. Conieci:

οὐδέ τι τῆς ζωῆς ἄρ' ἴχνος καὶ Φαῦλον ἔτ' ἔσται,

servata in reliquis codicum scriptura. Cf. II 25 sq.

λεῖψις δ' ἀνθρώπων ἔσται κατὰ κόσμον ἅπαντα,

Digitized by Google

ὡς, ἴχνος εἴ κατίδοι τις ἐπὶ χθονί, θαυμάσσειεν.

Amant huiuscemodi exaggerationes Sibyllistae.

III 541 αὐτὰρ ἔπειτα βροτοὶ δεινῶς κλαύσουσιν ἅπαντες
ἀσπορίην καὶ ἀνηροσίην· καὶ πῦρ ἐπὶ γαίης
κατθήσει (codd. καὶ θήσει) πολὺν ἱστόν, ὃς οὐρανὸν
ἔκτισε καὶ γῆν.

Alexandre, cui debetur correctio κατθήσει (cf. XII 248. 66), πολὺν οἶκτον dedit, Rzach πολύμοχθον, insuper coniciens πολύκαυστον. Mihi in mentem venit

καὶ πῦρ ἐπὶ γαίης
κατθήσει πολὺ δῆον,

ut poeta usus sit noto epitheto Homerico.

III 570 οὐ γὰρ μὴ θύσητε θεῷ, μέχρι πάντα γένηται,
ὅσσα θεός γε μόνος βουλεύσεται οὐκ ἀτέλεστα
πάντα τελεσθῆναι· κρατερὴ δ' ἐπικείσετ' ἀνάγκη.

Propter Infinitivi formam passivam nescio fere an praestet βουλήσεται.

III 596 κοὐδὲ πρὸς ἀρσενικοὺς παῖδας μίγνυνται ἀνάγνως,
ὅσσα τε Φοίνικες Αἰγύπτιοι ἠδὲ Λατῖνοι
Ἑλλάς τ' εὐρύχορος καὶ ἄλλων ἔθνεα πολλὰ
Περσῶν καὶ Γαλατῶν πάσης τ' Ἀσίης παραβάντες
ἀθανάτοιο θεοῦ ἁγνὸν νόμον, ὃν περ ἔδωκεν.

Si ὅσσα sanum, breviloquentia est pro ὅσσα τε ἄλλα τοιαῦτα ποιοῦσι κτέ. Quae cum durissima videatur interpretatio, praestare puto οἷά τε.

III 660 καὶ ἄρξονται βασιλῆες
ἀλλήλοις κοτέειν ἐπαμύνοντες κακὰ θυμῷ.

Quid sit ἐπαμύνειν κακὰ θυμῷ non satis intellego. Intellegerem ἀπαμύνοντες κακά, ut θυμῷ Homerice (cf. Iliad. XIV 191) iungatur cum κοτέειν, licet fatear verborum ordinem displicere, quare si haec est vera lectio fortasse praestat θυμῷ explicare *cum ira*. Cogitavi etiam de corrigendo ἐπαμείβοντες, ut sit *vicissim mala animo molientes*. Videant alii.

III 665 σηκὸν γὰρ μεγάλοιο θεοῦ καὶ φῶτας ἀρίστους
πορθεῖν βουλήσονται. ὀπηνίκα γαῖαν ἵκωνται,
θήσουσιν κύκλῳ πόλεως μιαροὶ βασιλῆες
τὸν θρόνον αὐτοῦ ἕκαστος ἔχων καὶ λαὸν ἀπειθῆ.

Sine asyndeto malim ὀπηνίκα δ' αἶαν ἵκωνται. Deinde in ἀπειθῆ

Digitized by Google

haesit editor, cl. vs. 734 coniciens *ἄβουλον*, quod tamen haud facile tam graviter potuit corrumpi. Lenissime, si quid mutandum, correxerim *ἀπεχθῆ*. Sic VI 11, ubi recte editur ex Alexandri coniectura:

ἥξει ἐς τε δίκην καὶ πείσει λαὸν ἀπειθῆ,

inversa ratione omnes codices exhibent *ἀπεχθῆ*. Contra VII 141 *νὺξ — μακρὴ καὶ ἀπειθής*, ubi Volkmann *ἀφεγγής*, Meineke *ἀπευθής* coniecit, *ἀπεχθὴς* vix satis aptum. — Cf. tamen 670 *λαὸν ἀπαίδευτον*.

IV 8 *οὐδὲ γὰρ οἶκον ἔχει ναῷ λίθον ἐλκυσθέντα*
κωφότατον νωδόν τε, βρότῶν πολυαλγέα λώβην.
ἀλλ' ὃν ἰδεῖν οὐκ ἔστιν ἀπὸ χθονὸς οὐδὲ μετρῆσαι
ὄμμασιν ἐν θνητοῖς, οὐ πλασθέντα χερὶ θνητῇ.

Nusquam alibi in Sibyllinis haec reperitur licentia, ut pes quintus incipiat a brevi syllaba. Scribendum suspicor

οὐ πλασθέντ' ἐν χερὶ θνητῇ.

addita dativo instrumentali, quod saepe fit, praepositione *ἐν*. Etiam de praegressorum sanitate dubito. Expectabam fere:

οὐδὲ γὰρ οἶκον ἔχει ναὸν λίθου ἱδρυθέντα
κωφοτάτου νωδοῦ τε, βροτῶν πολυαλγέα λώβην.

Exhibent autem *ἱδρυθέντα* libri ΦΨ. De *νωδός*, *mutus*, cf. Thesaur. s.v.

IV 93 *Βάκτρα κατοικήσουσι Μακηδόνες· οἳ δ' ἀπὸ Βάκτρων*
καὶ Σούσων φεύξονται ἐς Ἑλλάδα γαῖαν ἅπαντες.

Absurde Bactriani et Susiani ad hostium suorum terram fugere dicuntur. Corrige:

ἐς ἄλλην γαῖαν ἅπαντες.

ut est III 525 *πολλὰ δὲ σώματα δοῦλα πρὸς ἄλλην γαῖαν ἀνάγκῃ ἥξουσιν κτέ.* et IV 111 *εἰς ἑτέρην εὔξῃ προφυγεῖν χθόνα.*

IV 112 *ἡνίκα δὴ Πατάρων ὅμαδόν ποτε δυσσεβίῃσιν*
βρονταῖς καὶ σεισμοῖσιν ἀλὸς παύσει μέλαν ὕδωρ.

Num forte *δυσσεβίην τε*, ut sit *strepitum impietatemque* per *ἓν διὰ δυοῖν* dictum pro *impium strepitum*, scil. vaticiniorum?

V 38 *τοῦ δέ, τριηκοσίης κεραίης ὅ τι πρῶτον ἐλέγχων,*
παῖς κράτος ἐξαφελεῖ.

Agitur de Tito imperatore, qui contra historiae fidem a malevolo Iudaeo narratur Vespasianum patrem regno privasse. Sed depravata videntur verba *τριηκοσίης — ἐλέγχων*, quae Alexandre

Digitized by Google

vertit *quem ter centesima signat litera*, quasi scriptum foret ὃν ἐλέγχει, neglecto πρῶτον, Friedlieb *der das erste des Zeichens von dreihundert enthält*, quod ne intellegi quidem potest. Aptum sensum praeberet velut τοῦ δέ, τριηκοσίη κεραίη ὃν πρώτη ἐλέγχει, sed nihil reperio quod satis probabiliter substituatur, nullus enim est in plurimorum similium numero locus, quo ad hunc emendandum utaris.

V 53 Ἴσιδος ἡ γνωστή. Legerim γνωτή, *soror*.

V 67 compellatur Memphis his verbis:

ποῦ σοι λῆμα κραταιὸν ἐν ἀνθρώποισι τέτυκται,
ἀνθ' ὧν ἐξεμάνης ἐς ἐμοὺς παῖδας θεοχρίστους
καὶ κακὴν ὤτρυνας ἐπ' ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖσιν;
ἔξεις ἀντὶ τόσων τοῖον τροφὸν εἵνεκα ποινῆς.

Ita codices, nisi quod tertia familia etiam peius contra metrum habet τροφήν. Rzach in ordinem recepit Harteli correctionem τρόπον, nec tamen sine dubitatione, ipse enim τρόμον legendum proposuit. Mihi φθόρον verius videtur.

V 86 Θμοῦις καὶ Ξοῦις θλίβεται ⟨καὶ⟩ κόπτεται αὐλὴ
Ἡρακλέους τε Διός τε καὶ Ἑρμείαο ⟨ἄνακτος⟩.

Voculam καὶ omissam in codd. supplevit Opsopoeus, quo facto verbi θλίβειν vocalis, quae semper et ubique longa est, pessime corripitur. Equidem non dubito deleta copula corrigere:

Θμοῦις καὶ Ξοῦις θλίβονται, κόπτεται αὐλὴ κτἑ.

quod asyndeton optime habet. Fortasse hoc loco fretus editor III 187 et alibi θλίψις male edidit pro θλῖψις. Sed non melius est V 166 al. μίξις pro μῖξις.

V 100 αὐτὸς δ' ὡς Περσῶν ἕλαχεν γαῖαν πολεμίξει.

Cur editor praetulerit hanc obscuram Excerptorum Parisiensium scripturam pro codicum lectione ὃς, quam recte reliqui editores secuntur, me latet.

V 105 ἀλλ' ὅτ' ἂν ὕψος ἔχῃ κρατερὸν καὶ τάρβος ἀηδές,
ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξει.

Qui fastigium tetigit, non solet ταρβεῖν, sed θαρσεῖν, itaque θάρσος corrigendum esse existimo.

V 193 Συήνην δ' ὀλέσειε μέγας Φῶς Αἰθιοπήων.

Permire Antichristus, qui vs. 189 audit ἄγριος ἀνήρ, hic subito audit *vir magnus*. Sed aut fallor, aut vera huius versus scriptura est

Digitized by Google

Συήνην δ' ὀλέσειε, μέγα Φῶς (s. Φάος) Αἰθιοπήων.

Ad productam brevem syllabam in μέγα cf. 140. 356. al. Φῶς est in codice P.

V 214 μύρεο καὶ σύ, Κόρινθε, τὸν ἐν σοὶ λυγρὸν ὄλεθρον.

Frustra Rzach temptat σὸν ὄψεαι, nam et μύρομαι cum Accusativo recte habet et ἐν σοί, i. e. *in tuis moenibus*. Cf. infra vs. 390—393.

V 269 ἐκ μικρῆς στενότητος ὅσοι καμάτους ὑπέμειναν,
πλείονα καὶ χαρίεντα καλὸν ἄρξουσι δίκαιοι.

Friedlieb κάλ' ἀνάξουσι coniecit infeliciter, melius καλὰ πρήξουσι Alexandre, καλῶς ἕξουσι editor, quod Alexandri coniecturae posthabeo. Sed vix sanum in vs. praegresso μικρῆς, pro quo potius πικρῆς expectatur.

V 293 Ἀρτέμιδος σηκὸς Ἐφέσου πηγνύμενος ....
χάσμασι καὶ σεισμοῖσί ποθ' ἵξεται εἰς ἅλα δεινήν.

Quia Dianae templum non in urbe sed extra moenia fuisse constat, haud male lacunam expleas voce ἀγρῷ.

V 308 Κύμη δ' ἡ μωρὴ σὺν νάμασιν οἷς θεοπνεύστοις κτέ.

Temere editor temptavit δ' αἰνόμορος. Notissima est et proverbialis apud sequiores Cymaeorum stoliditas.

Magis suspectum est προδώσει vs. 310:

οὐκέτι τόσσον ἐς αἰθέρα ῥῆμα προδώσει,

ubi expectes προήσει.

Vs. 312 καὶ τότ' ἀναιάξουσιν ὁμοῦ κακότητα μένοντες non recte Rzach requirit Φυγόντες, qui Aoristus ne aptus quidem, quia qui iam effugerunt mala non amplius eiulant. Μένοντες valet ὑπομένοντες, ut supra 75 ἀλλὰ ταλαιπωροῦσι κακοὶ κακότητα μένοντες.

V 316 παύεο κώμου. Ad sing. num. cf. 394 κῶμον ἔχουσα.

V 325 Μίλητον τρυφερὴν ἀπολεῖ πρηστήρ ποτ' ἄνωθεν,
ἀνθ' ὧν εἵλετο τὴν Φοίβου δολόεσσαν ἀοιδὴν
τήν τε σοφὴν ἀνδρῶν μελέτην καὶ σώφρονα βουλήν.

Σοφός saepe vidi sensu minus laudabili calliditatis usurpatum, σώφρονα numquam. Num forte δύσφρονα dixerat poeta?

V 353 Cf. Pars grammatica, pag. 350.

V 354 ἀρνῶν ἠδ' ὀΐων μόσχων τ' ἀγέλας ἐριμύκων
ἐκθυσιάζοντας μόσχων μεγάλων κεροχρύσων.

Sic libri, nisi quod tertia classis μεγάλω exhibet. Pro verbis

Digitized by Google

in altero versu turpiter interpolatis Struve substituit *ταύρων τ' ἀγέλας*, quo recepto Rzach in priore de suo dedit *τ' αἰγῶν τ'*, non reputans *αἰγῶν* male coire cum boum epitheto *ἐριμύκων*, itaque, si vere ita coniecit, simul recipiendam esse codicis Monacensis scripturam *ἐριμήκων*. Est tamen ea vox exiguae vel potius nullius auctoritatis, *μηκάδας* enim *αἶγας* audire solere nemo ignorat, quocirca aliud latere crediderim, velut *μόσχων τε βοῶν τ' ἐριμύκων*. Neque enim hic curandi apices literarum, quia *ἀγέλας* huc devenit ex altero versu nondum corrupto.

V 390 *ἐν σοὶ γὰρ μήτηρ τέκνῳ μίχθη ἀθεμίστως κτἑ.*

Hunc et sequentes versus Romam spectare apparet demum e vs. 394 sqq., sed tam abrupte hi versus praecedentes excipiunt, ut ante vs. 390 nonnulla, in quibus fuerit Romae allocutio, periisse probabile putem. Accedit quod vocula *γάρ*, ut nunc res habet, idoneo sensu destituta est.

V 476 *μυρία δ' οἰμώξει δεινὴ γενεὴ κατὰ τέρμα*
ἠελίου δύνοντος.

Aptius videtur *δειλὴ*, *misera* gens.

V 492 *δεῦτε, θεοῦ τέμενος καλὸν στήσωμεν ἀληθές.*

Nonne praestat *ἀληθοῦς*, *veri dei*, ut vs. 499, alibi?

V 500 *καὶ τότ' ἐν Αἰγύπτῳ ναὸς μέγας ἔσσεται ἁγνὸς*
κ' εἰς αὐτὸν θυσίας οἴσει λαὸς θεότευκτος.

Mire Iudaei vocantur *λαὸς θεότευκτος*, pro quo potius *θεόδεκτος* vel *θεόθρεπτος* vel *θεόσεπτος*, transitive usurpatum ut apud Manethonem IV 427, expectaveris. Num forte vera est codicum quorundam scriptura *θεόταικτος*, *populus a Deo ordinatus, constitutus?*

VI 28 Vid. supra pag. 354.

VII 25 *στήσει δ' ἀνθρώποισι μέγαν Φόβον ὑψόσ' ἰδέσθαι*
κίονα μετρήσας μεγάλῳ πυρί, οὗ ῥαθάμιγγες
ἀνθρώπων ὀλέσουσι γένη κακὰ τολμησάντων.

Facillima correctio foret:

κίον' ἀερτήσας μεγάλῳ πυρί, κτἑ.

modo *μεγάλῳ πυρί* satis commode ita dictum videatur pro *ἐν μεγάλῳ πυρί*. Sin minus, possis:

κίονά γ' ἐμπήξας μεγάλῳ πυρί, κτἑ.

cl. II 240, ubi de eadem re agitur, *μεγάλην δέ τε κιόνα πήξει* et 285 *κίονι προσπέλάσειεν* (scelestos), *ὅπου περὶ κύκλον ἅπαντα* || *ἀκάματος ποταμὸς ῥεύσει πυρός κτἑ.*

Digitized by Google

VII 43 ἕξει γὰρ μήτηρ ἐὸν υἱέα καὶ πόσιν· υἱὸς
μητέρα δηλήσει.

Pessimum hoc futurum pro δηλήσεται a reliquis, quae in parte grammatica recensui eo differt, quod ducitur a verbo medio δηλέομαι. Dixisse enim, ut hoc utar, seros hos Graeculos δείσω pro δείσομαι minus mirum est, quia Aoristus et Perfectum huius verbi formam habent Activam. Fieri sane potest ut hic sit vera scriptura μητέρ' (i. e. μητέρι) ὁμιλήσει, sed nihil tamen mutare audeo.

VII 76 θύσεις δ' ἀθανάτῳ μεγάλῳ τε θεῷ ἀγερώχῳ
οὐ χόνδρον τήξας λιβάνου πυρὶ οὐδὲ μαχαίρῃ
ἀρνειὸν κόψας λασιότριχα, ἀλλ' ἅμα πᾶσιν,
οἳ τεὸν αἷμα φέρουσι, λαβὼν ἀγριηνὰ πετεινὰ
εὐξάμενος πέμψεις εἰς οὐρανὸν ὄμματα πήξας·

Solent Sibyllistae uti forma epica πετεηνόν, et plane barbarum est ἀγριηνός pro ἄγριος. Praeterea mirus est numerus pluralis, quia mox vs. 82 est ὄρνιν ἀφῆκα. Omnia igitur ducunt ad suspicionem, veram lectionem esse ἄγριον πετεηνόν, unde fortasse terminationum confusione primum natum est ἀγριηνὸν πετεινόν, quod deinde corrector aliquis metricus mutavit in ἀγριηνὰ πετεινά.

VII 103 Κελτὶ γαίῃ, τόσσον κατ' ὄρος, παρὰ δύσβατον Ἄλπιν,
ψάμμος ὅλην χώσει σε βαθύς· κτέ.

Melius intellegam τόσσον παρ' ὄρος κτέ. Cf. XII 10 πολλοὺς δ' αὖ μετ' ἄνακτας, ἀρηιφίλους μετὰ φῶτας.

VII 108 Ῥώμη καρτερόθυμε, Μακηδονίην μετὰ λόγχην
ἀστράψεις ἐς Ὄλυμπον· θεὸς δέ σε πάμπαν ἄπυστον
ποιήσει, ὁπότ' ἂν δοκέῃς πολὺ κρεῖσσον ἐς ὄμμα
ἕδραιη μίμνειν.

Equidem longe praetulerim πολὺ κρεῖσσον ἐς οἶμα, ut sit sententia: *Deus te pessumdabit tunc ipsum cum firma stare tibi videberis ad* (faciendum) *multo etiam validiorem* (quam hucusque) *impetum.*

VIII 28 κοὐδὲ γάμος ἅμα χρυσῷ ὅλως ποτε τίμιος ἔσται.

Sic alterius classis codd., tertiae vero θ' ἅμα χρυσοῦ. Vertit Friedlieb „Auch keine Ehe wird mehr in Achtung sein *neben den Golde*". Num vero hoc dici potuit ἅμα χρυσῷ, an genuina lectio haec est:

κοὐδὲ γάμος δίχα χρυσοῦ ὅλως ποτε τίμιος ἔσται?

Digitized by Google

VIII 56. De Hadriano imperatore et Antinoo(?) dicitur:

καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα μεθέξει,
παῖδα θεὸν δεικνύσει, ἅπαντα σεβάσματα λύσει,
κεἶτ' ἀρχαῖα πλάνης μυστήρια πᾶσιν ἀνοίξει.

Suspectam me habere hanc plane barbaram futuri formam iam monui in parte grammatica. Tempto:

παῖδα θεὸν δεικνύς, καὶ ἅπαντα σεβάσματα λύσει.

vel lenius etiam δεικνύς, ἰδ' ἅπαντα κτἑ.

VIII 114 τύμπανον οὐκ ἠχεῖ, οὐ κύμβαλον ⟨αὔτε κροτεῖται⟩.

Non male Volkmann ita supplet, nisi quod praetulerim αὔθι κροτεῖται.

VIII 188 οὐδέ σφιν πλούτου κόρος ἔσσεται· ἀλλά τ' ἀναιδῶς
πλείονα συλήσουσι.

Lege ἀλλά γ', ut V 255, al. et passim apud sequiores. Idem mendum corrigatur XII 51.

VIII 279 de Christo dicitur:

καὶ καλέσει ψυχὰς μακάρων, οἰκτροὺς δ' ἀγαπήσει;
οἳ κακὸν ἀντὶ καλοῦ χλευαζόμενοι πράξουσιν.

Hoc minus proprium Christi, vocare animos beatorum, i. e. divitum quique sibi beati videntur. Etiam sequens oppositio suadere videtur:

καὶ κλάσσει ψυχὰς μακάρων.

Si tamen καλέσει sanum, μακάρων per prolepsin explicandum est, ut sit *hominum animos vocabit* ad vitam beatam (futuram sc.).

In sequenti vs. non intellego primae classis scripturam κακὸν ἀντὶ κακοῦ, praeferoque reliquorum codicum scripturam καλὸν ἀντὶ κακοῦ, quam ceteri editores amplexi sunt.

VIII 288 δώσουσιν δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις.

Pessime ῥάπισμα producit primam syllabam. Sed fortasse auctor dedit ῥαβδίσματα, aut post θεῷ excidit particula γε.

VIII 297 ἐκ καλάμων γὰρ σειομένων ὑπὸ πνεύματος ἄλλου
προσκλίματα ψυχῆς ἐτράφη, ὀργῆς καὶ ἀμοιβῆς.

Verba vix sana. Conieci:

ὡς καλάμων γὰρ σειομένων ὑπὸ πνεύματος ἄλλου,
προσκλίματα ψυχῆς ἐτράφη, ὀργὴ καὶ ἀμοιβή.

VIII 303 ἐς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν καὶ πιεῖν ὄξος ἔδωκαν.

Sic libri, corrigit editor πιέμεν, sed propter productum iota nonnihil dubito. Nec valde placet praesens πινέμεν, sed ex

Digitized by Google

gemino loco I 367 restituendum suspicor *καὶ ἐς ποτὸν ὄξος ἔδωκαν.*

VIII 382 *πάντενα Φῶτες ἔχοντες ἀχρήστοις δῶρα διδοῦσιν*
ὡς ἐς ἐμὰς τιμὰς τάδε χρήσιμα πάντα δοκοῦντες,
θοίνῃ κνισσοῦντες, ὡς τοῖς ἰδίοις νεκύεσσιν.

Haec est optimorum codicum lectio, cum reliqui *πάντες δ' (γὰρ) αὐτοῦ* et *ἀχρήσιμα* exhibeant. Temptavi:

πάγκενα Φῶτες ἔχοντες ἀχρήστως (?) δῶρα διδοῦσιν κτἐ.

VIII 407 *θλιβόμενον κτίσσαι καὶ τῷ κάμνοντι παράστα κτἐ.*

Optimi libri *κτίσαι*, deteriores *κτῆσαι*. Editoris quam recepit coniectura *κτίσσαι* neque genere verbi neque significatione commendabilis. Facilius feram veterem vulgatam *κτῆσαι*, dictum pro *ἀναλάμβανε*. Coniecturae si locus, venit in mentem: *θλιβόμενον ἀκέσαι*, sed nihil affirmo.

VIII 430 *αὐτογένητος ἄχραντος ἀληθινὸς ἀέναός τε*
οὐρανόθεν ἰσχυῖ μετρῶν πυρόεσσαν ἀυτμήν.

Certae corruptelae incerta medela est; Alexandre coniecit *κρατέων*, mihi magis placet *κραδάων* vel *ῥιπτῶν*, postulat enim *οὐρανόθεν iaculandi* verbum.

XI 6 *ἐξ οὗ γὰρ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ' ἄνδρας*
καὶ γενεὴν κείνην ἐξώλεσεν ὕδασι πολλοῖς
αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ, ἕτερον δὲ γένος πόρεν ἄλλο
ἀκαμάτων ἀνδρῶν· κτἐ.

Minus haereo in abundantia *ἕτερον — ἄλλο*, cuius alia sunt apud scriptores Graecos (nullum vero in his oraculis) exempla, quam in vocula *δέ* adeo inepte posita. Correcta praeterea interpunctione tempto:

— *πολλοῖς,*
αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ἐπὶ τῷδε γένος πόρεν ἄλλο
ἀκαμάτων ἀνδρῶν.

XI 90 de Severo dicitur:

οὔνομα δὲ σχήσειε δικοσίων ἀριθμοῖο,
[ὀκτωκαιδεκάτης γραμμῆς σημήια δείξει].

Alterum versum, misere abundantem et a Sibyllistarum consuetudine alienissimum, ut spurium deleo. Cf. XII 258, ubi prior versus sine altero repetitur.

XI 140. De Agamemnone post reditum a Troia ab uxore interfecto scribitur in codicibus:

Digitized by Google

τηλεκλυτὸς δὲ τύχῃσι βασιλεὺς μέγας ἐξ Διὸς ἀνὴρ
τηλεφανὴς ἀχαμάϊο ἐπὶ νόστοιο στοιχήσει.
ὅν ποτε καὶ πέσεται δολίης ἐν χειρὶ γυναικός.

τηλεκλυτὸς δὲ
τηλεφανὴς ἀχαμάϊο, ὃς ἐπὶ νόστοιο τύχῃσι,
ὅν ποτε καττέτεται δολίης ἐν χειρὶ γυναικός.

[illegible] corrupit Rzach transponendo καὶ τότε δή. Tam [illegible] quam prnep. ἐν addita dativo instrumenti aliis Si[illegible]rum locis et frequenti aliorum usu confirmatur.

XI 151. Inimia invito auctore aspergitur fortissimo bellatori [illegible] hac librorum scriptura:

καὶ ἐπειγόμενος δι' ὁμίλου
δε.λε.ναν πεφύσει γαῖαν Φοβερήν τε θάλασσαν.

Nam habeo persuasissimum Sibyllam voluisse:

δε.λεσεν πεφύσει γαῖαν Φοβερήν τε θάλασσαν.

sed [illegible] terroribus plenam, utpote occupatam ab hosti[illegible] — δειμαλέοισιν.

XI 156 sq.

ποτὲ δὲ καὶ δεκάτῳ ἔτει ἐν βένθεσιν ἅλμης
[illegible] τύχῃσι θανάτοιο τελευτήν.

[illegible] Contra historiam; fama enim erat [illegible] fluvius sed Numicio flumine submersum [illegible] an codicum lectio ἐπὶ revocanda sit, [illegible] Aeneas *prope mare*, i. e. in flumine [illegible].

[illegible] ἐν λιμνῃσι πολλοὶ Ῥώμης ἐριθήλου,
[illegible] προδεδειγμένοι, ἄλλα τύραννοι.
[illegible]. Sequitur:
[illegible] ἀρχὴ καὶ μυριάδων γεγαῶτες
[illegible] ἐπίσκοποι ἠδὲ μέγιστοι
[illegible] διζήμενοι ἤματα πάντα·
[illegible] ἄρξει δεκάτου ἀριθμοῖο
[illegible] ἐπὶ χθονὶ γυῖα τιταίνων,
[illegible] ὑπ' ἐχθροῦ κτέ.

[illegible] probabilem quidem Harteli con[illegible] ἄρξασι an ζηλήμονες?) recepit, recte [illegible] vs. 266. 265 manasse agnovit.

Digitized by Google

τούτων δ' ὑστάτιος ἄρξει δεκάτου ἀριθμοῖο
<οὔνομ' ἔχων, πέσεται δὲ> ἐπὶ χθονὶ γυῖα τιταίνων.

Cf. XII 121. 270.

XII 104 αἶ αἶ, Φοινίκη, ὅσα τλήσεαι ἡ βαρυπενθὴς
σφιγκτοῖσιν τροπαίοις, καὶ πᾶν ἔθνος σε πατήσει.

Quicumque mecum non intellegit quid sint σφιγκτὰ τρόπαια, corrigat:

φρικτοῖσιν τροπαίοις, *horrendis tropaeis.*

XII 110 ὀργὴ γάρ σε θεοῦ ἐπελεύσεται ἡ βαρυπενθής.

Vox βαρυπενθής, vix satis aptum irae epitheton, vereor ne errore repetita sit e vs. 104, dederitque Sibyllista βαρύμηνις.

XII 166 scribitur de Hadriano imperatore

οὗτος καὶ ναοὺς πόλεσιν πάσαις ἀναθήσει
κόσμον ἐποπτεύων ἰδίῳ ποδί, δῶρα κομίζων, κτέ.

Ridicula lectio. Quasi vero ἀλλοτρίῳ ποδί id facere potuerit. Quantocius corrigatur διερῷ ποδί, ut legitur in gemino loco VIII 53 sqq.

XII 180 αὐτοὶ δ' αὖτ' ὀλέσουσι πολυστίκτους ἀνθρώπους,
Βρεττανοὺς Μαύρους μεγάλους Δάκας Ἄραβάς τε.

Cur Mauri *magni* audiant, non exputo. Interpungendum et corrigendum suspicor:

αὐτοὶ δ' αὖτ' ὀλέσουσι πολυστίκτους ἀνθρώπους,
Βρεττανούς, Μαύρους μέλανας, Δάκας Ἄραβας τε.

Μέγας apud Sibyllistas Latinorum, i. e. Romanorum, constans est epitheton, ut mox vs. 190.

XIII 9 πολλοὶ γὰρ πόλεμοι τε μάχαι τ' ἀνδροκτασίαι τε
λιμοὶ καὶ λοιμοὶ σεισμοὶ μαλεροί τε κεραυνοὶ
Ἀσσυρίων τε πόροι πολλοὶ κατὰ κόσμον ἅπαντα
ἠδὲ λεηλασίη τε καὶ ἱεροσυλία ναῶν.

Nonne fuit potius:

ἀργυρίου τε πόροι κτέ.?

Neque enim qui esse potuerint unius gentis Assyriae per totum orbem terrarum impetus facile dixeris, neque πόρος sic usurpari solet.

XIII 64 νῦν κοσμεῖσθε, πόλεις Ἀράβων, ναοῖς σταδίοις τε
ἠδ' ἀγοραῖς πλατείαις τε καὶ ἀγλαοφεγγέι πλούτῳ
καὶ ξοάνοις χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἠδ' ἐλέφαντι·
ἐκ πάντων δὲ μάλιστά τε, ἵν' ἔλθῃς ἐς μέγα πένθος·

Digitized by Google

οὐδέ σ' ὀνήσειεν (-ε?) σφαιρώματα καγχαλόωντα
ζωδιακοῦ κύκλου, Κριὸς Ταῦρος Δίδυμοί τε
ἠδ' ὁπόσοι σὺν τοῖσιν ἐν οὐρανῷ ἰνδάλλονται
ἀστέρες ὡρονόμοι· τλήμων, πολλοῖσι πέποιθας
ὁππότ' ἀνὴρ ἄρ' ἐκεῖνος τὸ σὸν μετόπισθε πελάσσῃ.

In ultimo versu nihil melius reperio quam ἐκεῖνός σοί, quod iam proposuit Alexandre; sed gravi praeterea vitio, quod viros doctos fallere potuisse miror, premitur ineptum istud πολλοῖσι in paenultimo. Aeque tamen certa quam facilis succurrit medela. Nam procul dubio poeta scripsit:

τλήμων, τί πόλοισι πέποιθας,
ὁππότ' ἀνὴρ ἄρ' ἐκεῖνος — πελάσσῃ;

XIII 84 ἔσσεται ἐκ τετράδος κεραίης, πολλοὺς δ' ἀπο-
[λέσσει.

Κεραίης pro γενεῆς optima est Alexandri emendatio, sod praeterea malim:

ἔσται τετράδος ἐκ κεραίης, κτἑ.

qui est reliquis locis verborum ordo V 40. XII 125.

XIII 93 δή τότε σοι, Τύαν' ἰδὲ Μάζακα, ἔσσεθ' ἅλωσις.

sic sine metro edidit Rzach e coniectura scilicet sua pro Τύαννα καὶ, postquam Alexandre optime correxerat:

δή τότε σοι, Τύανα καὶ Μάζακα, ἔσσεθ' ἅλωσις,

legitime producta syllaba ultima vocis Τύανα ante caesuram semiquinariam.

XIII 111 Ῥωμαίους δ' ὀλέσουσι Σύροι Πέρσῃσι μιγέντες,
ἀλλ' οὐ νικήσουσι νόμους θεοκράντορι βουλῇ.

Alexandre elegantissime, ut solet, alterum versum reddit versu Latino

Sed non magna Dei dabitur convellere fata.

quasi sit in Graecis νόμους θεοκράντορι βουλῇ κειμένους, qualem interpretationem sermonis rationem permittere multum dubito. Vix enim dubium est, quin θεοκράντορι βουλῇ iungendum sit cum verbis οὐ νικήσουσι, quod si feceris, νόμους non amplius *fata* significare posse manifestum est. Quocirca conieci

ἀλλ' οὐ νικήσουσιν ὅλως θεοκράντορι βουλῇ.

Caedent quidem Syri Romanos, sed decreto divino *non prorsus vincent.*

XIII 144 de Aemiliano imperatore dicitur:

Digitized by Google

μετὰ δ' αὖτ' ἄρξει πάλιν ἄλλος
ἀρχὴν οὐνόματος προφέρων· κτέ.

In his προφέρων pro φέρων certa est Alexandri correctio, sed qui quaeso poeta scribens ἀρχὴν οὐνόματος προφέρων indicare potuit, quod significandum erat, imperatoris nomen incipere a littera A? Me si audis, οὐνόματος fluxit e perverso glossemate ad ἀρχὴν, superscripto genuinae voci, quam fuisse στοιχείου fidem faciet XII 165, ubi est de Adriano

Ἀρχὴν στοιχείου προφέρων τετρασύλλαβος Ἄρης.

XIV 58 τὸν μετὰ τρεῖς ἄρξουσιν ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντες,
ὃς μὲν ἔχων ἀριθμὸν μονάδος, δεκάδων δέ τε τρισσῶν
εἷς, ἕτερος δὲ ἄναξ τε τριηκοσίοισι μεθέξει.

Depravata videntur verba τριηκοσίοισι μεθέξει, quae, licet perspicua sit poetae mens, nullam idoneam admittunt interpretationem. Nulla tamen probabilis mihi succurrit coniectura, nihil iuvantibus locis V 38. 42. 157. XI 91. XII 258.

XIV 234 οὐράνόθεν σεισμοί τε κεραυνοί τε φλεγέθοντες
καὶ λάινοι ὑετοί τ' ἠδὲ ψεκάδες αὐχμηραί.

Imo vero αἱμηραί, qua forma Manetho quoque usus est. Agitur enim de notissimo prodigio, quod etiam commemoratur XII 56 ἔσται σῆμα μέγιστον· ἀπ' οὐρανοῦ αἱματόεσσαι
ῥεύσουσιν (-σι?) ψεκάδες

et IV 134

καὶ ψεκάδες πίπτωσιν ἀπ' οὐρανοῦ οἷά τε μίλτος.

et in hoc ipso libro vs. 89 sq.:

ψεκάδες ῥεύσουσ' ἐπὶ γαῖαν
πυκναὶ καὶ θαμίαι ἐξ οὐρανοῦ αἱματόεσσαι.

XIV 255 τοὺς γὰρ ἀφειδῶς
χαλκεοθώρηκες παλάμαις ἰδίῃσι λαβόντες
ἀπρήκτως τμηθέντας ἀνάλκιδας οἷα γυναῖκας
ἐξολέσουσιν ἄνακτας ἐπὶ σκήπτροισιν ἑοῖσιν.

Ita codices, pro qua lectione Rzach recepit lenissimam sane Meinekii coniecturam δμηθέντας, quae tamen gravissimo laborat incommodo, quod ita ἀπρήκτως, quod semper et ubique significat *frustra*, *irrito*, *sine profectu*, significare debebit ἀμαχεί aut aliquid eiusmodi. Quare aliud latere suspicor, velut θρηνοῦντας, aut lenius δεηθέντας = ἱκετεύσαντας, admissa synizesi, sed de emendatione mihi non liquet.

Digitized by Google

XIV 288 οἷς μέγας ἔσται
κεδνὸς ἄναξ βασιλεὺς παίδων καὶ φώτεσι πέμπων κτέ.

Locus perobscurus. Fortasse παῖδ' ὃν μέγα φῶς ἐπιπέμπων.

XIV 303 τρὶς τοίνυν ὕψιστος ἄγοι μοίρην τότε δεινήν,
ὅς γ' ἂν πενθαλέον μακρὸν δόρυ πᾶσι τινάσσῃ.

Cum aperte fulmen significetur, corrigendum arbitror

ὅς γ' ἂν τινθαλέον μακρὸν δόρυ πᾶσι τινάσσῃ.

Διατινθαλέος κερχνυός est apud Aristophanem Vesp. 329, sed simplex τινθαλέος occurrit apud Alexandrinos, ut Nicandrum Al. 445 et Nonnum Dion. II 499.

XIV 337 καὶ τότε δὴ χώρης πολλῆς ὁμοτέρμονες ἄνδρες
φεύξονται δειλοί, δειλοὺς δ' ἄξουσι τοκῆας.
καὶ πάλιν ἐγκύρσουσι πέδῳ μέγα νῖκος (νεῖκος ?) ἔχοντες,
Ἰουδαίους δ' ὀλέσουσι, μενεπτολέμους ἀνθρώπους,
ἄχρις ἁλὸς πολιῆς κεραΐζοντες πολέμοισιν,
342 ποιμένες ἀμφότεροι περὶ πατρίδος ἠδὲ τοκήων.
θήσει δὲ φθιμένοισι τροπαιοφόρων γένος ἀνδρῶν.
αἳ ὁπόσοι φῶτες περὶ κύματα νηχήσονται·
πολλοὶ γὰρ κείσονται ἐπὶ ψαμαθώδεας ἀκτάς·
ξανθὰ κάρηνα πέσονται ὑπ' Αἰγυπτίων πετεηνῶν.

Locus obscurissimus et corruptissimus, quem sine melioribus libris frustra certa ratione temptabis. Nimia autem temeritate nec facilem nec per se valde probabilem suam coniecturam ἀμφότερον, τρομάχους in textum recepit pro librorum quam revocavi lectione. Ariolationi si locus, potius coniecerim ποινὴν (s. τιμὴν) ἀρνύμενοι, ut dicantur Alexandrini primum victi a Iudaeis et cum parentibus patriam fugere coacti, nunc Iudaeos vincentes, patriam et genitores ulcisci. Cf. Alexandri annotatio. Deinde pro θήσει expectatur *illudendi* verbum, quod non reperio. Tandem aperte corrupta sunt verba πολλοὶ γὰρ κείσονται, quibus absurde redditur ratio, cur tot homines natent in fluctibus. Manifesto autem agitur de nova pugna navali, ut supra vs. 334 sqq. Intellegerem duos ultimos versus sic scriptos et distinctos:

πολλῶν δ', οἳ ἴξονται ἐπὶ ψαμαθώδεας ἀκτάς,
ξανθὰ κάρηνα πέσονται ὑπ' Αἰγυπτίων πετεηνῶν.

Αἰγύπτια πετεηνά dicuntur ipsi Aegyptii, qui Iudaeos e fluctibus sospitatos obtruncant.

Digitized by Google

AD VERGILII ECLOGAS III ET VII.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Tractabo duos locos in Eclogis iam pridem conclamatos varieque vexatos a philologis, sed qui hodie ita nonnumquam habentur a viris doctis, quasi iam omnis obscuritas sublata sit novorum interpretum luminibus. Etiamsi autem ego quoque in alta caligine non multum lucis attulerim, hoc tamen effecero ut non videamur nobis verum dispexisse, ubi vixdum cernimus aliquid certi.

Ecloga III vss. 108—111.

In musico certamine alternis versibus inito a pastoribus Menalca et Damoeta tertius ille Palaemon, cui palma pro arbitrio tribuenda est commissa, inops consilii ita concludit:

Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amaros.
Claudite iam rivos pueri: sat prata biberunt.

Quaeritur verba *et quisquis ... amaros* quid sibi velint et sintne iungenda cum superioribus, an per se habenda. Antiquos non dubitasse quin omnia uno tenore perlegenda essent, efficias ex Servio, qui ita interpretatur: „et tu et hic digni estis vitula „et quicumque similis vestri est .... namque hic Menalcas et „amabat et metuebat, ne umquam posset amor ille dissolvi; „contra Damoetas amaritudinem amoris expertus fuerat ex ami„cae Amaryllidis iracundia. „Metuet dulces" timebit pro dulci„bus, ne eos amittat."

Digitized by Google

Huic explicationi, quae fere placuit Glasero in editione a. 1876, praeter illud *dulces* pro *dulcibus*, obicitur quod ficta fabulatur de diversa pastorum experientia in amore, cum nullo discrimine suos quisque amores extulerit, adversarii detrectaverit; denique quod praeter aemulos nemo non vitula dignus praedicatur, qui nescio quid in amore aut metuerit aut expertus sit.

Hanc postremam reprehensionem qui vitare cupiunt, iis alia ratio relicta non videtur, nisi ut seiungant sententias alteramque earum, *et quisquis .... amaros*, habeant pro effato poetae, scribentis *quisquis* pro *quisque* et lectorem monentis „opus esse, ut quisque amori dulci diffidat, nisi amarum eum experiri velit". Nam sic olim Bothius, neque aliter nuper Naegelsbachius in notissimi libri editione a. 1881 p. 525: „dann ist „das ganze so viel als: *et quisque amores nisi metuet dulces, experietur amaros*", cui annuit Thilo in edit. Vergilii a. 1886 p. XXIII, cum iam antea Ladewig ita vertisset: „wer der Minne „Reiz nicht flieht, wird auch ihre Bitterkeit schmecken", et haesitabundus his adstipulatus esset etiam Kolsterus in l. de Vergilii Eclogis a. 1882 edito, p. 55 sq. Ita iam paene inveteravit opinio Vergilium edidisse h. l. *quisquis* pro *quisque*.

Sed quo fundamento haec nititur et quando nata est? Loci olim adhibiti ad hunc abusum stabiliendum a Manutio Forcellino aliis iam pridem repudiati sunt (cf. Forbigeri adnotatio ad h. l.), sed provocant nunc fere omnes ad Madvigii disputationem in ed. Ciceronis ll. de fin. p. 655. Verum ille quid ostendit? Temere latinos alterum pronomen posuisse pro altero? Nihil minus. Ansam quidem praebuit huic errori per formam disputationis, sed exempla nihil probant nisi hoc, quod longe diversum est, inveniri *quicquid* pro *quidque* in lege Thoria et apud Catonem, Lucretium, Ciceronem; atque Plautum et Terentium semel utrumque scripsisse *unum quicquid*. Neque haec disputatio fucum fecit Kolstero, qui prudenter statuit uni Vergilio hoc uno loco abusum fortasse imputandum esse, si saltem nulla nobis explicandi huius loci via relinquatur nisi haec.

Sed fac *quisquis* ferri posse pro *quisque*, nonne sic oritur clausula inter dulcissimos versus panni assuti simillima, quaeque referat Pythici praecepti gravitatem rigidam, a pastoricio lepore et simplicitate prorsus alienam? Non autem tollitur ineptus

Digitized by Google

ille loci rigor aut ingratissimus hiatus inter carmen ipsum et subsutam clausulam eorum coniecturis, qui aspernati illud *quisquis* pro *quisque*, locum varie tentarunt hunc in modum:

Et quisquis amores haut metuat, dulces aut experietur amaros (Wagner), quod quam fatuum sit, quis non sentit? *Et q. a. haut metuet d., haut e. a.* (Graser. Forbiger. alii), perobscurum. Denique Ribbeck: *Et q. a. haut temnet d., haut e. a.*, quod si tunc temporis verum fuisset, tacuissent Catullus, Tibullus, Propertius et lyricorum quis non.

Quid restat? Ut quaeramus emendationem, qua non infringitur natura pronominis et unde redundat sententia cum praegressis apte coniuncta et a lepida carminis rusticitate non aliena. Talem invenisse mihi videor, positam in unius litterae mutatione. Scribamus *Et vitula tu dignus et hic, et quisquis amores aut metuet dulces aut expedietur amaros.* Dicit igitur Palaemon: „uterque vestrum dignus est praemio (*vitula* universe = praemio, nam certarunt etiam de *poculis* v. 36) et omnes me iudice praeterea, qui dulces amores aut metuent vitabuntque, aut si forte implicati eorum amaritudinem experientur, quantocius iis se expedient."

Lepide sane *παρὰ προσδοκίαν* hoc addit Palaemon, adludens ad asperas rixas et infinita litigia cum horum pastorum, tum reliquorum omnium, quae numquam non derivabantur ex amoribus dulcibus sed amaritudine et invidia plenis (cf. v. 76 sqq. et 107 de Phillida), unde Damon in Ecloga 8.42 *nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum ... nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.*

Dixit autem *expedietur* ut in Aen. 2. 633 *flammam inter et hostes expedior*, et Horatius Ep. 11. 25 *Amor Lycisci me tenet, unde expedire non amicorum queant libera consilia nec contumeliae graves.*

Ecloga VII. vs. 18—20.

Refert Meliboeus certamen *ἀμοιβαῖον* iniri a Corydone cum Thyrside his verbis:

Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere; alternos Musae meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

Digitized by Google

Versus medius laborat obscura breviloquentia. Servius haec adnotavit: „si *volebant*, sensus est „Musae utriusque meminerant", „ut amant alterna Camenae" (3. 59). Sed multi *volebam* legunt, „ut sit sensus: „optabam, o Musae, meminisse alternos, i. e. „omnia quae dixerunt tenere; nam et in fine dicturus est *haec „memini* (v. 69)." In his quid significent illa: „Musae utriusque „meminerant", nemo facile dixerit, quamquam Joannes Henricus Voss putavit Servium hoc voluisse: die Musen begeisterten beide. Idem philologus elegantissimus praetulit lectionem *volebam*, ab uno Servio nobis servatam. Ille in vv. *alternos, Musae, meminisse volebam*, indicativum *volebam* pro optativo *vellem* dictum esse existimavit, et porro ita haec vertit quasi legeretur: „utinam, o Musae, omnia memoria tenere potuissem quae al„terni cecinerunt". Itaque cum Servio longissime aberravit a genuina verborum significatione. Observavit autem recte, tralaticia lectione *volebant* in incerto relinqui, voluerintne Musae se *meminisse*, eos *meminisse*, me *meminisse*. Concinunt tamen hodierni interpretes fere in eo ut omissam putent non reflexivum, quod nimis ineptum, non primam personam, quae grammatice hoc loco iuste non potuit omitti, sed tertiam personam *eos* (pastores), eodem iure supplendam, ut putant, atque in v. Aen. 2. 25 *nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas*. Intelligunt igitur locum sic: „*Musae volebant* pastores *meminisse alternos* versus". Sed haecine simpliciter ita vertunt ut oportet: „Musae volebant ut pastoribus in mentem venirent alterni versus quos olim composuerant vel excogitaverant?" Nihil minus. Verba *meminisse* alternis ita contorquent, ut indicent: „Musae hanc legem carminis dicebant, ut vss. alternis illi canerent" (Wagner et Forbiger), vel: „Die Musen wollten, dass sie sich „*der von den Musen gelehrten Kunst des Wechselsanges* erinnerten" (Ladewig et Schaper). Sed quid haec sunt nisi ambages interpretum in inopia versantium? Novam explicandi viam ingressus est Kolsterus l. l. p. 146, qui contendit *Musae* non esse nom. plur., sed genit. sing. = *carminis* ut in Ecl. I et VIII, et pastores habet pro subiecto verbi *volebant*; denique *meminisse* idem esse putat quod *callere*, coll. Homerico μνήσαντο δὲ θούριδος ἄλκης. Quamquam autem magna verbositate locum tractavit, nusquam tamen distincte structuram verborum aut versionem

Digitized by Google

exhibuit; divinamus eum hoc voluisse: „ambo *volebant* (se) *alternos* (= alternis vicibus) *meminisse Musae*", quorum sententiam pellucidam (einleuchtend) hanc esse ait: „der eine soll seine „Dichtung vortragen, der andere ihn begleiten, und zwar eines „um das andere". Credat Judaeus Apella!

Quid igitur? Nonne servata lectione *volebant* vel *volebam* undique sentes et spinae sunt?

Fortiter aliquid audendum videtur. Est autem in promptu simpliciter sic corrigere: *a. M. cecinisse volebant*, nam *amant alterna Camenae* 3. 59. Sed multis de causis id non commendo, tametsi in perfecto nulla est offensio, si comparas Aen. 3. 606. 6. 78 et Ecl. 10. 70 *haec sat erit vestrum cecinisse poetam*. Verum cum alia obstant, tum quod Musa in bucolicis nusquam est nomen ipsius numinis, sed carminis vel artis, cui praesident ea numina. Cf. I. 2 *silvestrem Musam meditaris*. III. 60 *a Jove principium Musae*. 84 *Pollio amat nostram Musam*. VI. 7 *agrestem meditabor Musam*. VIII 1 et 5 *Damonis Musam dicemus*. Ipsae deae nuncupantur *Pierides* VI 13, VIII 63, IX 33, X 72. *Camenae* III 59. *Divae* X 60, et semel *Sicelides Musae* IV 1. Puto igitur cum Kolstero *Musae* esse genitivum, et *meminisse Musae* sensu proprio significare: in memoriam revocare antea meditata carmina. Sic apud Catullum in certamine musico c. 62 iuvenes de virginibus hoc testantur: *aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt* i. e. antea cogitata exercent et in mentem retrahunt. Hucusque nihil in scriptura mutavi, sed levis menda est in *volebant*, nam Vergilius dedit *valebant*, ut est in v. 37 eclogae IX, qui hunc nostrum egregie illustrat: *tacitus mecum ipse voluto, si valeam meminisse*; denique si pro *alternos* correxeris *alternis*, nihil desiderabis in planissimo versu: *Alternis Musae meminisse valebant*, quo expressit poeta, utrumque tacente altero identidem in promptu habuisse quae occineret.

Digitized by Google

PHARSALICA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 353.)

Quod supra de nimia editoris in rebus criticis negligentia deque summa quam Weisio tribuit auctoritate dicebam, idem mihi posteriores Pharsaliae libros legenti observandum visum est.

In annotationibus quae vix in ulla Lucani editione absunt, sedulo Weisii nomen additur, ita ut primus ille ubi terrarum Nesis insula fuerit (VI. 90), primus urbis Zeugmatis situm (VIII. 237) explorasse videatur.

Sic ad VI. 96. 301. 337. 453. 543. VII. 658. VIII. 240. 400. 428. 621. 702. 711. 747. IX. 25. 115. 217. 447. 461. 568. 727. 729. 808. 847. 1100. X. 9. 65. 125. 378. 390. Weise res dixisse fertur, quae aut omni auctoris nomine melius carerent aut suis quaeque auctoribus reddi debuerant. Hoc vero opus difficile editori fuisset: nam Weise in fontibus indicandis parum sedulus fuisse videtur.

Hoc tamen mirum, editorem qui tam diligenter ubi Weisii verba describeret annotaverit, nunquam fere indicavisse ubi aliorum verba citaverit. Exempli gratia quae ad X. 523 scripsit, e Schrevelii editione sumpta sunt.

Si quis vero Weisii artem interpretandi cognoscere vult, legat quae ad IX. 730 et 905 scripsit; quibus exemplis optime illustrantur verba quae in Haskinsii editione lectori iterum iterumque occurrunt „not as Weise takes it."

Etiam in his quinque libris multae virorum doctorum emendationes quae citentur quamvis dignissimae, ne verbo quidem ab Haskinsio memorantur: VI. 30: *diffusus* Schrevelii, 85: *dum* Grotii, 382: *Bebrycio* Grotii, 757: *nictu* Bersmanni, VIII. 38:

Digitized by Google

investisque Scaligeri, 50: *morti* Rutgersii, 658: *fovitque* Heinsii, 764: *somnoque fruentes* Canteri, VIII. 300: *et pila timentur nostra minus Parthis* Burmanni, X. 324: *petra patens* Salmasii, et aliae multae.

Ubi discrepant codices mss. nonnisi raro de lectionum varietate fimus certiores: est ubi lectionem quam neglexit editor meliorem iudicem, ut est VI. 29: *hinc*, 139: *petebant*, 230: *ferrum*, 432: *moverat*, 437: *transierat*, 655: *operitur — soluto*, 434: *negatur*, 452: *abstulit*. VII. 139: *cotibus*, 165: *dispersa*, 208: *manebunt*, 771: *meritis*. VIII. 302: *pharetras*, 319: *orbe*, 405: *matres*, 462: *transfuso*, 511: *perdidit?* 537: *iubere — permittunt*, 582: *surda*, 817: *illis*. IX. 259: *moriensque*, 358: *spoliatis*, 462: *tantum*, 768: *rupta*.

Meos autem conatus ad Pharsaliam emendandam antequam lectori proponam, facere non possum quin C. M. Francken, Viro Clarissimo, gratias agam quam maximas qui, qua est comitate ac benevolentia, ultro mihi opem tulit de locis quorum scripturae suspiciones mihi movebant, codicum vetustissimorum quas possidet collationes perofficiose consulens.

VI. 1: Postquam castra duces pugnae iam mente propinqui
imposuere iugis admotaque comminus arma,

Haskins, *pugnae* genitivum esse ratus, melius ita interpretari sibi videtur: „nearing each other with intent to fight". At *pugnae* dativus est alteraque interpretatio vera: „now in their thoughts drawing nigh to battle". Sic enim neque idem dicunt versus ambo neque pugnat sententia cum Flori verbis (IV. 2) ubi dicit „eo belli civilis tempore Caesarem quidem ostentare aciem, provocare, lacessere, Pompeium adversus haec nectere moras, tergiversari". Est locus a viris doctis variis coniecturis tentatus, immerito, ut puto.

137: roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.

Haskins ad *roboris*: „i. e. timber used as a battering ram." Equidem ipsum arietem hic significari dicam. Eodem modo noster Lib. III. 494: et adusti roboris ictu percussae cedunt crates.

Parum aberat quin Caesaris castra a Pompeianis expugnaren-

Digitized by Google

tur, cum miles quidam gregarius, Scaeva nomine, unus contra omnes diu pugnans morte sua rem Caesaris servavit. Qui multis iam letalibus vulneribus acceptis

202: iam pectora non tegit armis,
ac veritus credi clipeo laevaque vacasse,
aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
solus obit, e. q. s.

versus 203, Burmanno quoque nimis acutus visus, ab Haskinsio sic explicatur: „that trust should be put in his shield, and his left hand be idle", ut vulgo. Qua interpretatione quamvis violenta contenti simus necesse est, nam est ea quae requiritur neque ulla adsunt corruptelae vestigia. Burmanno prorsus assentior, qui morosius: „Ineptiarum satis est in Lucano, ut non opus sit, ipsi novas adfingere intempestivis emendationibus". Vide tamen annon sic melior evadat locus confusus si pro *ac veritus*: *aut veritus* scribamus et post *sua* puncto distinguamus: tunc sententia haec est: Iam abiecit clipeum aut veritus ne ei credens sinistra non uteretur aut metuens ne eo mortem a se arceret cum mori pro Caesare statuisset.

Pompeius una castrorum parte repulsus non magis quievit
265: quam mare lassatur, cum se tollentibus Euris
frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
montis adest seramque sibi parat unda ruinam.

Ad *se tollentibus* Haskins annotat: „merely equivalent to *surgentibus*"; recte. Sed *fluctus* subiectum esse putat verbi *ferit*, cum dicat: „the cliff that breaks its force", ubi dictum oportuit: „the cliff that breaks the *waves*", nam verbi *ferit* subiectum est *mare*.

522: semina fecundae segetis calcata perussit,
et non letiferas spirando perdidit auras (sc. Thessala).

Quin pro *auras* scribendum sit *herbas* vix dubito.

550: et quodcumque iacet nuda tellure cadaver
ante feras volucresque sedet: (eadem saga sc.)

Est et alia lectio: et quacunque iacet nudum tellure cadaver, quae quanto melior sit non opus est ut demonstrem.

Digitized by Google

Ad 554 et 555 Haskins annotat versus eos Weisio auctore in multis codicibus mss. tamquam spurios signatos esse aliisque verbis idem exprimere quod versibus subsequentibus dicitur. Est autem Cortius qui eos spurios pronuntiavit et suspecti fuerunt Oudendorpio. Equidem Burmannum sequor qui contendit quatuor hos versus a Lucano profectos esse posse, ita ut primi duo privatas et domesticas miserias, reliqui duo publicas respiciant.

Thessalis quidquid est horrendi apud inferos invocat ut in vota ac preces adsit

710: si quis, cum vestris caput extaque lancibus, infans,
imposuit, victurus erat: parete precanti.

Unde *cum* petiverit Haskins non dat. Codices mss. praebent *si quis*, *qui*, *si quisquam* et *si quisquis*. Est editoris adnotatio: „if any infant would have lived at the time when etc." quae minime placet. Legendum censeo: *si qui nunc* vestris e. q. s.

Ut Pompeium noctem, quae Pharsalicam pugnam praecedit, laetis insomniis degentem fecit poëta, exclamat:

VII. 28: unde pares somnos populi noctemque beatam?

In quo versu Haskins nihil offendisse videtur, nam ad *pares* scribit: „*pares* is the present subjunctive of *parare*" et ad *somnos populi*: „sleep such as the people enjoy" neque quidquam dicit de crebris virorum doctorum coniecturis, quorum multis verba descripta merae tenebrae sunt. Neque video quomodo Haskinsii verborum interpretatione accepta sanus sensus elici possit.

Optimum mihi videtur, ad versum sequentem:

o felix, si te vel sic tua Roma videret.

respicienti, e magna coniecturarum copia pro *populi* scribere *populo*, atque cum multis aliis *pares* non verbi sed adiectivi loco habere. Tunc haec est verborum sententia: Quomodo similia laeta somnia et nox tam beata populo Romano parari possit?

Cf. Ov. Her. XII. 44: sed mihi tam faciles unde meosque deos?

214: miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu
descendens totos perfudit lumine colles
non temere immissus campis: stetit ordine certo
infelix acies.

Digitized by Google

Haskins ad *immissus:* „is best taken as a participle, not as a verb, although the three participles agreeing with *miles* make the sentence somewhat awkward".

Mihi quidem verba *non temere immissus campis* ut leguntur frigida, immo molesta videntur, cum parva adhibita mutatione sana sententia restitui possit:

miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu
descendens totos perfudit lumine colles,
non temere immissa est campis: stetit ordine certo
infelix acies.

Caesar milites ante proelium Pharsalicum adhortatur:

257: haec eadem est hodie quae pignora quaeque penates
reddat, et emerito faciat vos Marte colonos.

Haskins: „It is doubtful whether *eadem est dies hodie* would be an admissible expression". Pro *hodie* legendum esse *vobis* nemo non videbit atque iamdudum Burmannus monuit.

506: ut primum toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques bellique per ultima fudit,

Haskins ad *belli:* „of the warring host" compare the use of 'battle' in old English.

At *bellum* hic est campus ubi pugna committitur, ut et vs. 523:

inque latus belli, qua se vagus hostis agebat.

Caesar a Lucano describitur quacumque vagatur, sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum, ita ut nox ingens scelerum et caedes oriantur ubicumque incedit

565: obit latis proiecta cadavera campis:
volnera multorum totum fusura cruorem
opposita premit ipse manu.

Commentatores omnes hunc locum ita intellexisse videntur ut Caesarem militibus suis vulneratis opem tulisse poëta diceret. Haskins quoque ita sensit, qui ad *fusura:* „that would else let out all their blood" et ad *premit* conferri iubet Tac. Ann. XV. 64: obligare venas, premere sanguinem.

In Schrevelii editione tamen rogatum lego: „suorumne pie

Digitized by Google

an adversariorum crudeliter?" ad quod haud cunctanter respondendum puto: immo adversariorum. Tota enim ea pugnae descriptione sermo est de Caesaris crudelitate: rabies ille populis stimulusque furorum dicitur, ubique tamquam durus immotusque cruenta militum suorum caede depingitur. Qui igitur tale clementiae ac humanitatis signum hic in loco esse posset?

At sunt hostium vulnera quae Caesar apposita (sic enim cum Cortio legendum est) manu premit, totum fusura cruorem i. e. ut effundant totum cruorem.

Pugna iam finita magna vulturum vis corpora prostratorum devorant, sed

841: sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
inque feras discerptus abit: [non intima curant
viscera nec totas avidae sorbere medullas:
degustant artus. Latiae] pars maxima turbae
fastidita iacet:

Verba inclusa abessent vellem, eiicere non ausim.

VIII. 5: pavet ille fragorem (sc. Pompeius fugiens)
motorum ventis nemorum, comitumque suorum,
qui post terga ferit, trepidum laterique timentem
exanimat.

Haskins ad *ferit:* „sc. *eum:* so Weise. Oud. with some MSS. reads *redit* 'comes echoing behind his back'." Aut Oudendorpii coniectura *redit* vel *ruit* aut lectio nonnullorum codicum mss. *venit* recipienda est: est enim *qui p. t. v.* de quocumque Pompeiano comite intelligendum, qui post eius terga veniebat.

40: conscia curarum secreta in litora Lesbi
flectere vela iubes, qua tum tellure latebas e. q. s.

Haskins: „thou Cornelia, partaker in his sorrows, dost bid him, etc.". Cum omnibus fere libris scribendum est *iubet.* Qui enim Cornelia, quae in insula Lesbo erat, Pompeium iubere potuit? Est Pompeius qui iubet vela conscia curarum in secreta litora Lesbi flectere.

Digitized by Google

Lentulus Pompeii consilium de Parthis adeundis improbat
354: solatia tanti
perdit Roma mali, nullos admittere reges
sed civi servire suo.
Lentuli sermoni magis convenienter sic legitur:
solatia tanti
perdet Roma mali, nullos admittere reges
sed civi servire suo?

Pompeii filius ad patris mortem ulciscendam milites hortatur
IX. 150: ite, duces, mecum: numquam civilibus armis
tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Nimirum ita est distinguendum:
ite, duces, mecum (numquam civilibus armis
tanta fuit merces!) inhumatos condere manes, e. q. s.

436: natura deside torpet
orbis et immotis annum non sentit harenis.
Hask. ad *immotis:* 'and with its unvarying sands feels not the changes of the seasons'. In this passage *immotus* evidently cannot mean 'fixed' as the sands are described as shifting, but is equivalent to *constans.*
Significatio verbi *immotis* est eadem quae *inaratis.*

Sitientibus omnibus Cato militem aquae haustum sibi offerentem castigat
505: mene, inquit, degener unum
miles in hac turba vacuum virtute putasti?
usque adeo mollis primisque caloribus impar
sum visus? quanto poena tu dignior ista es
qui populo sitiente bibas. sic concitus ira e. q. s.
Hask. ad *poena — ista:* this punishment which I inflict on myself, viz. to go without drinking. Ergo Catonem ita loquentem facit: Quanto tu, qui populo sitiente bibas, poena ista (sc. sitiendi) dignior es quam ego sum. At Cato non fert sitim tamquam poenam: sitit agmen totum. Neque miles ipse bibere cupit populo sitiente sed haustum repertum duci porrexit. Quare pro *ista: isto* et pro *bibas: bibat* scribere velim. Tunc haec est

Digitized by Google

sententia: Quanto tu, qui me solum bibere eoque invidiae obnoxium esse voluisti, dignior es poena quam iste, qui bibat populo sitiente.

587: (Cato) ipse manu sua pila gerens praecedit anheli
militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
non iubet: et nulla vehitur cervice supinus
carpentoque sedens. somni parcissimus ipse est,
ultimus haustor aquae. cum tandem fonte reperto
indiga conatur laticis potare iuventus,
stat dum lixa bibat.

Verba *ultimus haustor aquae* sic satis inepte posita sunt: totus enim liber fere est de Libyae ariditate atque aquae sterilitate et sitis intolerabilis qua milites laborant multis verbis est descripta. Quomodo igitur inter Catonis virtutes etiam haec nominetur quod ultimus haustor aquae fuit, cum aqua quae hauriretur esset nulla? Nempe sic interpungendum est:

ultimus haustor aquae cum tandem fonte reperto
indiga conatur latices potare iuventus:
stat dum lixa bibat.

696: illa tamen sterilis tellus fecundaque nulli
arva bono virus stillantis tabe Medusae
concipiunt.

Hask. ad *fecundaque*: „I can find no other certain instance of *fecundus* with dative". Est altera lectio codicum mss. duo *nullo*, quam si editor in textum recepisset, melius fuisset, nam *fecundus* non regit neque reget dativum rei.

Psylli et excantando et exsugendo cum veneno serpentum luctantur

936: et cuius morsus superaverit anguis
iam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.

Haskins ut et Hortensius versum priorem ita intelligunt ut sit: cuius anguis morsus vicerit ac deiecerit virum. Nescio an sic potius locus accipiendus: sit cuius anguis morsus Psyllus vicerit ac irritos fecerit. Interpretationem a me damnatam procedere arbitror e versibus proximis male intellectis. Vs. 931—935 enim non sermo est de viro a serpentibus veneno interfecto, sed a Psyllo servato cum iam in eo esset ut moreretur.

Digitized by Google

980: o sacer et magnus vatum labor, omnia fato
eripis et populis donas mortalibus aevum.
invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:
nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores,
venturi me teque legent:

Legendum censeo:

invidia Graiae, Caesar, ne tangere famae:

Cf. III. 388:

iam satis hoc Graiae memorandum contigit urbi.

et III. 302. 464. V. 419. VIII. 272.

Scrib. Lugduni Bat. m. Apr. 1891.

CICERO.

Verr. II 4, 42, 90. *Dedit igitur tibi nunc fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, ut cuius ad statuam Siculi te praetore alligabantur* [*cp. ibid.* 39, 84 sqq.], *eius religione te isti devinctum adstrictumque dedamus.* Hic C. F. W. Müller in sua editione pronomini *isti* crucem praeposuit. Et patet quidem corruptela, de medela variae sententiae sunt prolatae, a Graevio, Zumptio, Madvigio, aliis, quas vide apud interpretes; quarum nulla Müllero satis probabilis visa est, ad quam textum constitueret. Recte autem vidit pronomen *isti* vel *istis* vel adv. *istic* — ex quibus illa lectio librorum mss. communis, aliae duae coniecturis debentur — a nostro loco maxime abhorrere. Desideratur autem alterum substantivum, quo comitante vox illa *religione* praeter morem Tullianum et contra praecepta artis sic nude posita, cum praesertim par adiectivorum sequatur *devinctum astrictumque*, ornetur atque eniteat. Si hoc tenemus, haud scio an manum scriptoris reducamus, in hunc modum legendo: *ut cuius ad statuam Siculi te praetore alligabantur, eius religioni te ipsum ac fide vinctum adstrictumque dedamus.* Dativus *fide* male intellectus erroris fons et origo esse potuit, ut syllaba finalis perperam insequenti voci adiungeretur, illud vero *fi* in *ti* abiret; quo facto vitium latius etiam videtur serpsisse in detrimentum eorum verborum quae nomen *fide* proxime praecedebant. Hoc enim Cicero dicere debet: ut te praetore innocentes homines provinciales ad statuam Marcelli alligabantur, ita tu nocentissimus reus eiusdem Marcelli religioni ac fidei a me alligaris.

J. S. Speijer.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANEM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Iis quae a. 1889 in Hermae vol. XXIV p. 605—635 de plurimis locis Aristophaneis commentatus sum, repetita poetae lectione, pauca addere lubet.

ACHARN. 834. Megarensis Athenarum forum relicturus ad filiolas, quas vendiderat:

ὦ χοιρίδια, πειρᾶσθε κἄνις τῶ πατρὸς
παλεῖν ἐφ' ἁλὶ τὰν μᾶδδαν, αἴκα τις διδῷ.

In hac codicum lectione neque infinitivi forma neque praepositio neque singularis numerus *ἁλί* suspicione caret. Coniecturis, quas multas ad h. l. enumerat suisque auget Blaydes, quia nulla earum mihi satisfacit, accedat haece:

παῖειν ἐπιπάστᾱν μᾶδδαν, αἴκα τις διδῷ.

De *ἐπίπαστος*, quod vocabulum e superscripto glossemate *ἁλί* sive *ἁλσί* labem traxisse suspicor, cf. Equit. 103 et 1087.

EQUIT. 344 sqq. Paphlago ad isiciarium:

καλῶς γ' ἂν οὖν τὸ πρᾶγμα προσπεσόν σοι
ὠμοσπάρακτον παραλαβὼν μεταχειρίσαιο χρηστῶς.
ἀλλ' οἶσθ' ὅ μοι πεπονθέναι δοκεῖς; ὅπερ τὸ πλῆθος.
εἴ που δικίδιον εἶπας εὖ κατὰ ξένου μετοίκου,
τὴν νύκτα θρυλῶν καὶ λαλῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ,
ὕδωρ τε πίνων κἀπιδεικνὺς τοὺς φίλους τ' ἀνιῶν,
ᾧου δυνατὸς εἶναι λέγειν. ὦ μῶρε τῆς ἀνοίας.

Digitized by Google

Cui ille:

τί δαὶ σὺ πίνων τὴν πόλιν πεποίηκας ὥστε νυνὶ
ὑπὸ σοῦ μονωτάτου κατεγλωττισμένην σιωπᾶν;

Tum Paphlago:

ἐμοὶ γὰρ ἀντέθηκας ἀνθρώπων τιν'; ὅστις εὐθὺς
θύννεια θερμὰ καταφαγών, κἄτ' ἐπιπιὼν ἀκράτου
οἴνου χόα κασαλβάσω τοὺς ἐν Πύλῳ στρατηγούς.

Quibus haec reponit isiciarius:

ἐγὼ δέ γ' ἤνυστρον βοὸς καὶ κοιλίαν ὑείαν
καταβροχθίσας κἄτ' ἐπιπιὼν τὸν ζωμὸν ἀναπόνιπτος
λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω.

Haec isiciarii verba sic diiudicat servus prior:

τὰ μὲν ἄλλα μ' ἥρεσας λέγων, ἓν δ' οὐ προσίεταί με,
τῶν πραγμάτων ὁτιὴ μόνος τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις.

Horum nihil intellexerunt veteres interpretes, falso versum sequentem ἀλλ' οὐ λάβρακας καταφαγὼν Μιλησίους κλονήσεις servo tribuentes, quem quin recte primus Enger Paphlagoni reddiderit nemo hodie dubitat. Attamen ne nunc quidem quid servus vituperet in isiciarii responso omnino clarum est. Nam si quid μόνος significabit, locus sane ita necessario intellegendus est ut intellexit cum aliis Ribbeck vertens:

Nur eins behagt mir wenig,
dass du der Staatsgeschäfte Suppe willst für dich behalten.

Sic vero obscurum est, quid sibi velint verba praegressa τὰ μὲν ἄλλα μ' ἥρεσας λέγων, si enim servo displicebat, quod homo iusculum solus absorpturus erat, multo etiam minus placere ei debebat omnium carnium, unde ius decoctum erat, ab uno consumptio. Quapropter aut fallor aut servus, cuius singularem vini amorem abunde novimus e loco praegresso vss. 85 sqq., cum indignatione audivit isiciarium Paphlagonis ἀκράτου οἴνου χοῖ opponentem suum τῶν πραγμάτων ζωμόν, nulla addita vini mentione, qua melius redarguere potuisset gravissimum ipso iudice crimen ὑδατοποσίας, quod vs. 349 in cum iecerat adversarius. Quae interpretatio si vera est, legendum:

ὁτιὴ μόνον (nihil praeter) τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις.

Ceterum rectius τῶν πραγμάτων cum τὸν ζωμόν quam cum ἓν iungi bene G. Hermann intellexit, sed optime eam vocem de carnibus accipi posse testatur ipse poeta in fabulae fine scribens:

Digitized by Google

ἐπὶ ταῖς πύλαις ἀλλαντοπωλήσει μόνος
τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασιν.

Equit. 807.

εἶθ' ἥξει σοι δριμὺς ἄγροικος κατὰ σοῦ τὴν ψῆφον ἰχνεύων.

Desinant aliquando editores afferre infelicissimam Reiskii coniecturam *ὀχμεύων*, quod neque Graecum est pro *ὀχμάζων*, neque, si esset, satis aptum. Sententia ferret *ἐποίσων*, sed poetae manum restituere nequeo.

PAC. 1169 sqq.

— τοῦ θύμου τρίβων κυκῶμαι,
κἄτα γίγνομαι παχὺς
τηνικαῦτα τοῦ θέρους
μᾶλλον ἢ θεοῖσιν ἐχθρὸν ταξίαρχον προσβλέπων
τρεῖς λόφους ἔχοντα καὶ φοινικίδ' ὀξεῖαν πάνυ,
ἣν ἐκεῖνός φησιν εἶναι βάμμα Σαρδιανικόν·
ἣν δέ που δέῃ μάχεσθ' ἔχοντα τὴν φοινικίδα,
τηνικαῦτ' αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνικόν·
κἄτα φεύγει πρῶτος, ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν
τοὺς λόφους σείων· ἐγὼ δ' ἕστηκα λινοπτώμενος.
ἡνίκα δ' ἂν οἶκοι γένωνται, δρῶσιν οὐκ ἀνασχετά κτέ.

Corruptum esse *λινοπτώμενος* arguente metro agnovit Meineke, cuius tamen leni sane correctione *ληνοπτώμενος* nihil omnino proficitur. Fac enim *ληνοπτᾶσθαι* esse verbum Graecum et significare posse quod voluit M. *torcularium prelum observare*, ne sic quidem eiusmodi vox huic loco convenit. Manifeste enim universa loci ratio et structura arguit, verba *ἐγὼ δ' ἕστηκα* non pertinere ad praegressam vs. 1127—1171 pacis descriptionem, sed ad verba ultima 1172 — *τοὺς λόφους σείων*, et significare debere quid belli tempore ipse choreuta faciat, quando taxiarchus primus omnium e proelio fugiat. Quod optime intellexit vetus scholiasta, qui tamen corruptam scripturam interpretando expedire frustra conatus est. Quid dederit Aristophanes, pro certo quidem affirmare non audeo, sed haud sane inepte scribere potuit, quod a tradita lectione non nimium distat:

ἐγὼ δ' ἕστηκα δὴ πνέων μένος.

Qua Homerica locutione uti poterat *ἀμφιβόλως*, quo simul eius qui loquitur fortitudinem simul eiusdem indignationem de ducis

Digitized by Google

ignavia significaret. In tradita scriptura etiam suspecta est ipsa verbi forma, cum analogia potius postulare videatur λινοπτάζειν (cf. οἰνοποτάζειν sim.), quod habet Hesychius s. v. λινοπτάζει, vel λινοπτεύειν aut λινοπτεῖν, quae non sunt tradita.

Pac. 1212. Cristarum fabricator a Trygaeo male habitus exclamat:

ἀπώλεσας μου τὴν τέχνην καὶ τὸν βίον
καὶ τουτουὶ καὶ τοῦ δορυξοῦ κεινουί.

Valde miror neminem, quod sciam, posteriorem versum in suspicionem vocasse, qui quin spurius sit nullus dubito. Minoris quidem fortasse momenti est, quod miramur hominis suarum rerum naufragio exagitati et despondentis in alios misericordiam, et leve videri potest, quod ad quem pertineat pronomen τουτουί propter sequens δορυξοῦ obscurum est (quod si non sequeretur, ad δρεπανουργόν pertinere certum esset), sed frustra expedire conamur, qui fieri potuerit, ut hic mentio fiat de hastarum fabro, qui diu post neque ante vs. 1250 in scena apparebit. Manifeste primum cum Trygaeo ibi adsunt δρεπανουργός et λοφοποιός, tum θωρακοπώλης et σαλπιγγοποιός, deinde κρανοποιός et δορυξός, tandem duo pueri, Lamachi et Cleonymi filii.

Av. 494.

ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπινον ἐν ἄστει,
κἄρτι καθηῦδον· καὶ πρὶν δειπνεῖν τοὺς ἄλλους οὗτός ἆρ' ᾖσε,
κἀγὼ νομίσας ὄρθρον ἐχώρουν Ἀλιμουντάδε, κἄρτι προκόπτω
ἔξω τείχους, καὶ λωποδύτης παίει ῥοπάλῳ με τὸ νῶτον.

Quia hic locus pro sano haberi solet, antequam medelam proponam, occumbit mihi demonstrandi negotium eum non recte esse traditum.

Obscurum esse vel inde apparet, quod duplex eius exstat interpretatio, altera Dobraei, altera Bothii, quam secuntur Kock et Blaydes. Iudice enim Dobraeo οἱ ἄλλοι sunt reliqui galli gallinacei, iocaturque poeta in ᾖσεν, quasi gallus fuisset ἄσωτος quidem, qui iam inter potandum caneret, antequam coenandi hora esset; Bothio contra si credimus, Euelpides ad epulas rure in urbem venit maturius [quod tamen dicere poeta neglexit],

Digitized by Google

statimque bibere coepit apud convivatorem [ne hoc quidem dicit Arist.] et priusquam coenandi tempus esset ebrius obdormivit, cum de improviso gallus cecinit ad vesperam, cett. Prior interpretatio nimis absurde gallo praeter convivium ebrietatem tribuit, quod horum animalium, quae non certis temporibus sed per totum diem cibum potumque capiunt, plane contrarium est, nec quidquam comici aut ridiculi in ea absurditate esse iure contendat quispiam, altera vero explicatio non modo in eo peccare videtur, quod e moribus Graecorum coenae potatio non potationi coena succedere assolet, itaque, si Euelpides tunc ab ea consuetudine discessisse credendus esset, poetae id fuisset significandum, sed etiam in eo, quod qui hanc rationem admittunt parum probabiliter solito seriorem τοῦ δείπνου horam — et ne hoc quidem neglegendum traditum esse. πρὶν δειπνεῖν, non πρὶν δειπνῆσαι — statuere coguntur, ut Euelpides in eiusmodi errorem incidere potuerit. His igitur de causis quin locus mendosus sit dubitari nequit. Quam rem qui solus, quod sciam, perspexit Madvig parum feliciter pro δειπνεῖν coniecit διυπνεῖν, quo verbo ne sequiores quidem (quibus διυπνίζειν in usu est pro ἐγείρειν ἐξ ὕπνου) usi sunt, nec suadere ausim διαρθεῖν, quo semel Homerus usus est, quia constanter Graeci adhibuerunt verbum compositum. Cum tamen universi loci ratio manifeste requirat noctis significationem, Aristophanem scripsisse suspicor:

κἄρτι καθηῦδον· καὶ πρὶν δύνειν τοὺς ἀστέρας, οὗτος ἀρ' ἦσε, κἀγὼ νομίσας ὄρθρον ἐχώρουν κτέ.

Cf. Eccl. 82. ἀλλ' ἄγεθ' ὅπως καὶ τἀπὶ τούτοις δράσομεν, ἕως ἔτ' ἐστὶν ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανόν. Ita, credo, facilius Euelpidis error intellegitur — est enim ὄρθρος ultima pars noctis ante solis ortum, qua parte ineunte regnant adhuc tenebrae — quam si, quod sumunt cl. Vesp. 100, tunc gallus ᾖσεν ἐφ' ἑσπέρας. Ne vero quis mihi obiciat remedii a me excogitati violentiam, reputet velim, si δειπνεῖν aut δὲ πιεῖν (ita pars codd.) facili errore e δύνειν natum esse sumimus, non alienum esse a correctorum Graeculorum quam novimus levitate et imperitia mutare ἀστέρας in ἄλλους, ut species saltem aliqua sententiae existeret.

PLUT. 208. Chremes ad Plutum, qui ab ignaviae crimine se

Digitized by Google

defendit dicendo, hanc esse parietum alicuius perfossoris calumniam, qui in domo quodam ipsius providentia omnia clausa reperiens, nihil furari potuisset;

μή νυν, inquit, μελέτω σοι μηδέν, ὡς ἐὰν γένῃ
ἀνὴρ πρόθυμος αὐτὸς ἐς τὰ πράγματα
βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως.

Pronomen αὐτός vi caret et vix sanum est, qua in re assentientem habeo Blaydesium. Nihil vero aliud latere videtur quam αὖθις, denuo (ut antehac), quae confusio quam sit frequens pauci ignorant.

Plut. 537 sqq.

φθειρῶν δ' ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ ψυλλῶν οὐδὲ λέγω σοι
ὑπὸ τοῦ πλήθους, αἳ βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν
ἐπεγείρουσαι καὶ φράζουσαι· „Πεινήσεις· ἀλλ' ἐπανίστω.

Ψύλλαι βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν tam egregie absurdae sunt, ut hic locus sanus esse nequeat. Cum vero saepissime observatum sit Graecos de animalibus, etiam ubi nulla sexus ratio habeatur, saepe adhibere genus femininum, nescio an non sit nimiae audaciae suspicari genuinam poetae manum esse:

φθειρῶν δ' ἀριθμὸν καὶ ψυλλῶν καὶ κωνώπων οὐδὲ λέγω
[σοι κτέ.

eumque verborum ordinem cum gravi sententiae damno mutatum esse ab aliquo qui κώνωψ alibi masculini generis esse meminisset. — In ἐπανίστω pro ἀνίστω haesit Blaydes coniciens ἀγ' ἀνίστω. Possis etiam collato Eq. 784 conicere ἐπανίστω natum esse ex ἐπαναίρου et superscripto glossemate ἀνίστω.

Plut. 858 sq. In sycophantae, qui omnia sua perdiderat, verbis

διὰ τὸν θεὸν τοῦτον, τὸν ἐσόμενον τυφλὸν
πάλιν αὖθις, ἥνπερ μὴ 'πιλίπωσιν αἱ δίκαι

verius mihi videtur 'πιλίπωσί μ', sed plus offendo in sequenti Iusti oratione:

ἐγὼ σχεδὸν τὸ πρᾶγμα γιγνώσκειν δοκῶ.
προσέρχεταί γάρ τις κακῶς πράττων ἀνήρ·
ἔοικε δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος,

in qua admodum languet versus secundus, quia respondetur Carioni dicenti:

Digitized by Google

Ἄπολλον ἀποτρόπαιε καὶ θεοὶ φίλοι,
τί ποτ' ἐστὶν ὅ τι πέπονθεν ἄνθρωπος κακόν;

neque aptum est *προσέρχεται* de eo qui iam vs. 850 in scena adsit. Quocirca fieri potest ut deleto isto versiculo scribendum sit

ἐγὼ σχεδὸν τὸ πρᾶγμα γιγνώσκειν δοκῶ·
ἔοιχ' ὅδ' (vel *ἔοικεν*) *εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.*

Nub. 541 sq.

οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ', ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα.

Hi duo versus, in quibus plura merito vituperata sunt, quique praeterea male interrumpunt praegressorum et insequentium, in quibus ipsa comoedia subiectum est, structuram, non ab ipso Aristophane sed a nescio quo poetastro profecti mihi videntur, qui e Vespis 1292—1323 similibusque locis in comoediis haec fieri noverat. Eorum auctor, nisi fallor, voluit: *ἀφανίζων τῷ τύπτειν τῇ βακτηρίᾳ τὴν τῶν σκωμμάτων πονηρίαν.*

Nub. 668.

ὥστ' ἀντὶ τούτου τοῦ διδάγματος μόνον
διαλφιτώσω σου κύκλῳ τὴν κάρδοπον.

Non magis quam Blaydes expedio *κύκλῳ*. Nihil reconditius latere suspicor quam *καλῶς*, *probe*.

Nub. 1038.

ἐγὼ γὰρ ἥττων μὲν λόγος δι' αὐτὸ τοῦτ' ἐκλήθην
ἐν τοῖσι Φροντισταῖσιν ὅτι πρώτιστος ἐπενόησα
τοῖσιν νόμοις καὶ ταῖς δίκαις τἀναντί' ἀντιλέξαι.

Suadet sententia *τοῖς ἐννόμοισι κἀνδίκοις κτέ.* (Cf. 1315 et 1339), quae lenior est correctio Blaydesiana *τοῖσιν δικαίοις κἀννόμοις*, quam hic fortasse praetulit quia *ἔνδικος* pro *δίκαιος* alibi non reperitur apud Aristophanem. Traditum est *ἐνδίκως* in omnibus libris Pac. 630, in parte codd. Nub. 1379, ubi tamen altera lectio *ἐν δίκῃ* verior videtur. Sed adiectivo *ἔνδικος* praeter tragicos saepe Plato usus est, et ne *ἔννομος* quidem, quod etiam Bl. hic admittit pro *νόμιμος*, alibi legitur apud comicum. Temere vero Bl. vs. 1333 pro *ἐν δίκῃ* coniecit *ἔνδικον*, noli enim iungere *γένοιτ' ἂν ἐν δίκῃ* sed *τύπτειν ἐν δίκῃ*. — Quidquid autem de

Digitized by Google

h. l. statuetur, vera esse nequit Meinekiana coniectura *ἐν ταῖς δίκαις*, quia non est *τοῦ ἥττονος λόγου* contraria dicere legibus sed iis quae lege et moribus pro iustis habeantur.

Nub. 1310.

οἶμαι γὰρ αὐτὸν αὐτίχ' εὑρήσειν ὅπερ
πάλαι ποτ' ἐζήτει.

Vitium metricum alii aliter tollere conati sunt. Mihi placeret *ἔχρηζεν*, modo persuasum haberem recte traditum esse praegressum *ποτέ*. Solet enim *πάλαι ποτέ* usurpari de tempore longe remoto, ut in illo *πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι*, et huius loci nudum *πάλαι* esse videtur. Quo nomine aptum foret *πάλαι γ' ἐπόθησεν* vel *πεπόθηκεν*, quorum prius coniecit Kayser.

Nub. 1406. *ὡς ἔμοιγε κρεῖττόν ἐστιν*
ἵππων τρέφειν τέθριππον ἢ τυπτόμενον ἐπιτριβῆναι.

Iure haerens in *ἵππων — τέθριππον* Blaydes *ἵππων* glossema esse putat, *πολλῷ* excidisse suspicatus. Alio tamen ducunt optimi codd. Nam in Ravennate vox *τέθριππον* desideratur et in Veneto legitur ante *τρέφειν*, unde apparet non *ἵππων* sed *τέθριππον* interpolatum esse, qua voce deleta, Aristophane dignum iudico:

ὡς ἔμοιγε κρεῖττόν ἐστιν
ἵππων τρέφειν ⟨ἀγέλην τιν'⟩ ἢ τυπτόμενον ἐπιτριβῆναι.

Traiecti ad Rhenum mense Martio a. 1891.

INSOLENS CONIUNCTIONIS ET IN SENTENTIA LOCUS.

V. D. Max C. P. Schmidt Berolinensis sagacissime observavit (Fleckeisens Jahrbücher 1890. p. 299) saepius ubi formis verbi *posse* iungantur vocabula *ne — quidem*, ita ut aliquid fieri posse negetur, non verbum *posse* medium inter *ne* et *quidem* collocari, sed infinitivum, quo id, quod fieri non possit, significetur, ut Cic. Phil. III. 14. *militibus exquirendi sunt honores novi propter eorum divinum atque immortale meritum, ducibus autem ne referri quidem potest gratia.* Idem addit se nondum compertum habere

Digitized by Google

utrum eadem insolita collocandi ratio etiam in aliis verbis auxiliaribus obtinere soleat necne. Equidem unum modo eiusmodi exemplum adferre possum, sc. Cic. Tusc. II. 42. *de exercitatione et consuetudine et commentatione dixi. age sis, nunc de ratione videamus, nisi quid vis ad haec.* A. *Egone ut te interpellem? ne hoc quidem vellem: ita me ad credendum tua inducit oratio.* Ceterum hac de re „amplius erit quaerendum". Res ipsa in memoriam revocat quendam loquendi usum, qui fortasse et apud alios scriptores, apud *Tertullianum* quidem saepius redit, quo scilicet *et = etiam* non praecedit vocabulum, cui vocis emphasi praecipuus in sententia locus tribuitur, sed coniunctio uno pluribusve vocabulis a voce, cui sensu adhaeret, separatur. Cuius usus exemplo sint: de Spect. 18. O. 49, 12. R. 19. 26. *quodsi et stadium contendas in scripturis nominari, sane obtinebis,* i. e. et in scripturis nominari, nam in iis, quae praecedunt, de circo et theatro agitur, quorum in libris sacris nulla fit mentio. Est autem Tertullianus memor Epistolae ad Cor. I. vs. 24. *nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut comprehendatis.* — de Orat. 6. O. 561. 11. R. 185. 4. (PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE *spiritaliter potius intellegamus, Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vitae panis.*). *sed et quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinae,* i. e. quia et carnaliter admittitur ista vox. — Pudic. 6. O. I. 801. 15. R. 228. 24. *sed et supra: legem ergo evacuamus per fidem? absit, sed legem sistimus, scilicet in his quae et nunc novo testamento interdicta etiam cumulatiore praecepto prohibentur,* i. e. quae iam antea vetus instrumentum vetuit, quorum vero interdictio nunc etiam novo testamento confirmatur. — de Anima 47. O. II. 632. 29. R. 378. 17. (quae somniant ethnici nonnumquam a vero deo inmissa sunt, malus contra interdum visionibus in somno conspectis Christianos temptat.) *Sicut ergo dignatio dei et in ethnicos, ita et temptatio mali in sanctos,* i. e. temptatio mali *et* in sanctos. *Agobardinus: ita et temptatio mali et in sanctos,* ubi scriba scribendi Tertulliani rationis non satis gnarus coniunctionem geminavit. *Oehlerum* quoque hic paulo insolentior verborum ordo fefellit, nam ad adv. Herm. 34. O. II. 369. 11. *caelum et terra*

Digitized by Google

praeteribunt, inquit, caelum primum et terra prima abierunt, et locus non est inventus illis, quia scilicet quod et finit locum amittit, i. e. quod finit *et* locum amittit, adnotavit: *finit et locum amittit*, malim ego. Corrupta vero libri *Leidensis* lectio: *et finitio cum amittit*, satis luculenter ostendit, nihil esse mutandum. — adv. Marcion. I. 18. O. II. 67. 3. *tractandum et hic de revelationis qualitate, an digne cognitus sit, ut constet, an vere, et ita credatur esse, quem digne constiterit revelatum*, i. e. tractandum hic et de revelationis qualitate. — Marc. II. 15. O. II. 102. 12. *Nolite reprehendere iudicem, sed revincite malum iudicem. nam et si patrum delicta de filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes legi divinae obedirent. quis enim non magis filiorum salutem quam suam curet? sed et si benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito eius, cur non et reatus patrum in filios quoque redundaret?* Alterum *et si* a priore prorsus differt, neque concessionem indicat, iungendum autem esse: *si et benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur*, evincit altera sententiae pars: *cur non et reatus patrum in filios quoque redundaret?* — adv. Marc. III. 2. O. II. 123. 16. *atquin nihil putem a deo subitum, quia nihil a deo non dispositum. si autem dispositum cur et non praedicatum* (= non et praedicatum), *ut probari posset et dispositum ex praedicatione et divinum ex dispositione?* In uno denique *Cypriani* loco eandem insolentiorem verborum dispositionem deprehendi. Quod idola dii non sint. 1. vol. I. p. 89. 8. Dei ethnici reges fuerunt, quibus post mortem divinus honor habitus est. Quod ubi universe posuit, addit: *et videamus, an sit et haec apud singulos veritas*, i. e. an hoc et singulorum deorum origine et natura considerata verum esse appareat. Apud Augustinum, *Confess.* I. 24. legimus: *didici enim in iis multa verba utilia, sed et quae in rebus non vanis disci* (dici?) *possunt*, = quae *et* in rebus non vanis cet. — Lactantius *de opificio dei* c. 20. *ego vero libentius vel sub hoc onere defecerim*, ubi *vel* ad *defecerim* referendum esse videtur.

J. VAN DER VLIET.

Digitized by Google

DE NOVO FRAGMENTO HYPERIDEO(?)

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Classical text from papyri in the British Museum, including the newly discovered poems of Herodas, edited by F. G. Kenyon, M. A. cett. With Autotype facsimiles of MSS. London 1891. *In IV to.*

In opere maximi pretii, quod in huius scriptiunculae fronte indicavi, pag. 42—55 vir de litteris Graecis optime meritus Kenyon primus e papyro, quem seculo alteri a. Chr. assignat, edidit partem posteriorem orationis, quam Hyperidis esse habitae, scriptae saltem, contra Philippidem auctoribus Athenaeo XII p. 552 D et Aeliano V. H. X 6, apte coniecit. — Quoniam vero eximium opus ob magnum eius pretium in paucorum manibus suspicor, gratum me facturum spero huius libri lectoribus, si illud fragmentum, summa diligentia curatum a Kenyone, hic denuo apponam, licet carenti praesertim papyro eiusve imagine paucissimis tantum locis textum corrigere mihi licuerit, reiectis ad annotationem coniecturis quae non ita certae sunt ut nulla restet dubitatio, et omissis quae verba nimis hiulca quam ut intellegi possint ex orationis parte priore supersunt. Quod ante quam faciam, e Kenyonis praefatione excerpam quae lectoris scire plurimum interest.

Papyrus (n° CXXXIV) ab utraque parte truncatus praeter Hyperidea continet tertiam epistolam pseudo-Demosthenicam, ex qua lectiones discrepantes pag. 56—62 collegit editor. Caput orationis plane deest, sed praeter pauca illa quae dixi verba,

Digitized by Google

novem supersunt columnae hic illic mutilatae, quibus ultima pars orationis (fere peroratio) continetur. Columnae sunt perangustae, quippe quae singulae 16—19 (plerumque 17) litteras capiant unciales bene exaratas, paullo minores et subtiliores iis, quibus perscriptae sunt Hyperidis orationes contra Demosthenem, pro Lycophrone, pro Euxenippo, quas ex pap. CVIII et CXV a. 1850 et 1853 primus publici iuris fecit Churchill Babington. Nullum est in papyro scripturae compendium, sed signum ⊃ (rarius =) usurpatur ad explendum hic illic supervacaneum versus spatium. Lineola recta aut circumflexa picta sub versus initio indicat sententiae in eo versu pausam minorem, unius vero duarumve litterarum spatium vacuum maiorem. Singulae columnae versus continent 26—28. Papyrus est optimae notae, correctiones paucissimae, quae duobus tantum locis produnt manum alienam. Addere de meo liceat, N paragogicum nusquam, sive consonans sive vocalis sequatur, a librario omissum esse.

E fragmento liquido constat Philippidem (vs. 92), de quo pluribus egit Koehler in Herme V 347 sqq., proposuisse populo in comitiis, ut coronam decerneret proedris ob munus bene gestum, *δικαιοσύνης τε τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ ὅτι κατὰ τοὺς νόμους προηδρεύκασιν*, ut est vss. 86—90, quod Philippidem fecisse suspicatur editor, quo facinus aliquod eorum legibus contrarium honore publico obtegeretur. Hoc autem decretum perlatum, sive potius eius latorem, Hyperides (?) aut suo aut alieno nomine persequitur *παρανόμων*, prorsus ut Demosthenes in oratione pro corona publico hoc iudicio usus est ut inveheretur in factionem Macedonicam, ad quam Philippides eiusque adiutor Democrates Aphidnaeus pertinebant. Cff. 3—12. 125—134. 139—143. 153—155.

Ad Philippidem quod attinet, iniuria mihi Kenyon contendere videtur, eum Philippidem, qui occurrit apud [Demosthenem] in or. contra Theocrinem et in Midiana §§ 208. 215 esse non posse eundem, quem Hyperides reum egerit, quoniam eius *εὐτέλεια* notata ab Athenaeo l.l. pugnet cum hominis opulentia quae ex Midiana appareat. Nempe Athenaeus scribens *ἦν δ' εὐτελὴς τὸ σῶμα διὰ λεπτότητα* aperte non cultus illius sed ipsius corporis vilitatem notavit. — Ceterum hanc orationem ab Hy-

Digitized by Google

peride scriptam prodere etiam videtur simplex eius et lucidum dicendi genus, licet in hoc fragmento haud ita multa reperiantur quae eius sermonis proprietatem e paucis orationibus superstitibus hucusque cognitam ita referant, ut ab alio nemine proficisci potuisse tuto contendere audeam. Quam rem ut demonstrarem, in adnotatione ope lexici Hyperidei, quod olim meum ipsius in usum confeci, identidem locos, qui plus minusve huc pertinerent, apponendos curavi. Ecce igitur novum fragmentum, cuius lectio non nisi in paucis a Kenyoniana discrepat. Spatio consulens versus feci longiores quam praebet papyrus, nec lineolis, quibus singulos papyri versiculos indicarem, lectori molestus esse volui. Quintum quemque horum in margine indicare sufficere visum est.

.... κατηγορίας ποιοῦνται, καὶ Φανερὸν ποιοῦσιν ὅτι οὐδὲ τότε
Φίλοι ὄντες Λακεδαιμονίων ὑπὲρ ἐκείνων ἔλεγον, ἀλλὰ τὴν
πόλιν μισοῦντες καὶ τοὺς ἰσχύοντας ἅ[μα] καθ' ὑμῶν θερα-
πεύοντες. ἐπεὶ δὲ νῦν ἡ [ἐκ]είνων δύναμις ε[ἰ]ς [μι]κρὸν μετ-
έστη, τό [τε κο]λακεύειν προεῖν[το καὶ δὴ] καὶ Δημοκράτη[ς
τού]τοις ὁ Ἀφιδναῖος [... συγ]καθήμενος ἢ ἀ[.... ...]ιστὰς
γελωτοπ[οιεῖν ἐπὶ] τοῖς τῆς πόλεω[ς ἀτυχ]ήμασιν καὶ λό[γους

---

1 sqq. Orator in genus hic loquitur de factione (cuius reus est assecla) oligarchica, olim ut nunc favente patriae adversariis. ‖ **3** *οὐδέ τότε*, scil. tempore belli Thebani (378—374), ut suspicatur Kenyon. ‖ **12** *προεῖν[το καὶ]*. Propter praegressum *νῦν* expectatur *προεῖν[ται καὶ]*. ‖ **13** *Δημοκράτης*. De hoc K. conferri iubet Aesch. de f. leg. p. 30, Isaeum VI 22, psephismata spuria ap. Dem. de cor. pp. 235 et 291, ubi tamen *Φλυεύς* dicitur, Arist. Rhet. III 4, 3. Plut. praec. r. g. cap. 7, 6. Stob. flor. 13, 20. 22, 43. Curt. VI 5, 9. ‖ **14** Facile esset supplere *[ἀεὶ] συγκαθήμενος*, modo sequentia restitui possent, sed quid lateat sub litteris *η α .....ιστασ* eo minus exputo, quod deest necessarium verbum unde pendeant infinitivi *γελωτοποιεῖν* et *πλάττειν*, quare non admisi Kenyonis supplementum *η α... [καθ]ιστάς*. Neque conicere audeo *εἴ ω[θεν μάλ]ιστα γελωτοποιεῖν*, quia non ut incertas Kenyon notavit litteras *η*, *α*, *σ*. ‖

Digitized by Google

πλάττ]ειν μεθ' ἡμέρ[αν ἐν ἀγο]ρᾷ, εἰς ἑσπέρα[ν δὲ] .....πων
Col. II. ὡς ὑμ.. ..... καίτοι, ὦ Δημ[όκρατες] ..νωι σοὶ οὐκ .....ο
τοῦ δήμου .....[ο]ὐδὲν δια τι ..... ὑμεῖς. οὐ πα[ρ' ἕ]τέρου σ' ἔδει μαθεῖν ὅτι ὁ δῆμος χάριτας ἀποδίδωσιν τοῖς εὐεργέταις, ἀλλὰ παρὰ σαυτοῦ· α[ὐ]τὸς γὰρ ὑπὲρ ὧν ἕτερο[ι] εὐεργέτησαν νῦν τὰς [τ]ιμὰς κομίζει[ς]· ἔπειθ' ὅτι ἐν νόμῳ γράψας [ὁ] δῆμος ἀπεῖπεν, μήτε [λέ]γειν ἐξεῖναι [μηδενὶ] κακῶς Ἁρμόδι[ον] καὶ Ἀ[ρισ]τογείτονα μήτε ἄ[σα[ι ἕ]πὶ τὰ κακίονα. ἢ κ[αὶ] δεινόν ἐστιν, [ε]ἰ το[ὺς] μὲν σοὺς προγόνους [ὁ] δῆμος οὐδὲ μεθυσθέν[τ]ι ᾤετο δεῖν ἐξεῖναι κα[κ]ῶς εἰπεῖν, σὺ δὲ νήΦω[ν τ]ὸν δῆμον κακ[ῶς] λέγεις.

[βρ]αχέα δ' ἔτι πρὸς [ὑ]μᾶς εἰ[π]ών, ὦ ἄνδρες δικ[α]στα[ί, καὶ] ἀναλογισάμενος, κα[ταβ]ήσομαι. γραΦὴ πα[ρα]νόμων
Col. III. ἐστὶν ὑπὲρ [ἧς τ]ὴν ψῆΦον μέλλετε [οἴσ]ειν, τὸ δὲ ψήΦισμα τὸ κρινόμενον ἔπαινος προέδρων. ὅτι δὲ προσήκει τοὺς προέδρους κατὰ τοὺς νόμους προεδρεύειν, οὗτοι δὲ παρὰ τοὺς νόμους

---

20 ἐν ἀγο]ρᾷ, quod repperit Sandys, recipere non dubitavi. ‖ **21** Sitne πων an σων K. dubitat. — ὡς ὑμ[ᾶς] dedit K. supplemento nimis incerto. Fortasse enim fuit: ὡς ὑμ[εῖς εὖ ἴστε]. καίτοι, quo pacto deficientes litterae omnes supplentur, sed sequens huius columnae pars Oedipum suum expectat. ‖ **38** ἄ̣σα[ι ἕ]πὶ suppletum a Sandye et Iebbio; K. dicit praestare fortasse ἄ̣σαι τἀπί propter hiatum, num vero spatium sit trium litterarum capax tacet. Quia vero verba legis, non oratoris, esse videntur, vana est haec de hiatu anxietas. Nusquam alibi hanc legem commemorari et Harmodium fuisse Aphidnaeum, ut erat Democrates, monet K., qui praeterea cum h. l. confert Aesch. Tim. 132—140. ‖ **39** ἤ. Sic scripsi, K. non recte ἢ. ‖ **43** ᾤετο δεῖν. Formula Hyperidi admodum familiaris. Cf. c. Dem. 4, 28. 9, 2. 40, 15. Lyc. 11, 26. Eux. 22, 14. 24, 15. 35, 3. 38, 14. 40, 15. ‖ **46** [βρ]αχέα κτἑ. Cf. or. p. Eux. 48, 29 βραχὺ ἔτι εἰπὼν καταβήσομαι. — Meo marte novum hic versum orsus sum, idem facturus vs. 205. ‖ **50** ὑπέρ frequentissime Hyperides ponit pro περί, ut c. Dem. 9, 8, 15, 10, 17 sq. p. Lyc. 10, 13. 16, 12 sq., p. Eux. 19, 7, 24. 22, 12. 25, 17. 36, 15. 39, 12. ‖ **57** παρὰ τοὺς νόμους, i. e. ἐναντία τοῖς νόμοις, ut dixit vs. 68. — οὗτοι δὲ teste

Digitized by Google

προηδρεύκασιν, αὐτῶν τῶν νόμων ἠκούετε ἀναγιγνωσκομένων. τὸ λοιπὸν ἤδη ἐστὶν παρ' ὑμῖν· δείξετε γὰρ πότερα τοὺς παράνομα γράφοντας τ[ιμω]ρήσεσθε, ἢ τὰς τοῖς εὐε[ργε]ταις ἀποδεδειγμένας [τι]μὰς ταύτας δώσετε [το]ῖς ἐναντία τοῖς νόμοις προεδρεύουσιν, καὶ ταῦτα ὁμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσ[θ]αι. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐξαπατηθῆναι ὑμῖν ἔνεσ[τι]ν ὑπὸ τοῦ λόγου αὐτῶν, ἐὰν φῶσιν ἀναγκαῖα ε[ἶ]ναι τῷ δήμῳ τὰ περὶ [τ]ῶν τ[ιμ]ῶν ψηφίζεσθα[ι]· το[ὺς γ]ὰρ προέδρους οὐκ
Col. IV. ἔνεστιν εἰπεῖν ὡς ἀνάγκη τις ἦν στεφανῶσαι. πρὸ[ς δ]ὲ τούτοις αὐτὸς ἡμῖν [οὗτ]ος ῥᾳδίαν πεποίηκ[εν] τὴν γνῶσιν· ἔγραψεν γ[ὰρ] ὧν ἕνεκα ἐστεφάνω[σε]ν τοὺς προέδρους, δι[κα]ιοσύνης τε εἰς τὸν δ[ῆμ]ον τὸν Ἀθηναίων κα[ὶ δι]ότι κατὰ τοὺς νόμο[υς π]ροηδρεύκασιν. ἐπὶ δ[ὲ τ]αῦτ' ἄγετ' αὐτὸν ἀπολογησόμενον, καὶ σύ, ὦ Φιλιππίδη, δείξας ἀληθῆ εἶ[να]ι τὰ περὶ τῶν προέδρ[ων], ἃ δ‹ὴ› ὑπέθου ἐν τῷ ψηφ[ίσ]ματι, ἀπόφευγε. εἰ δ' ο[ἶει] κορδακίζων καὶ γελ[ωτ]ο-
ποιῶν, ὅπερ ποι[εῖν] εἴωθας ἐπὶ τῶν δικαστηρίων, ἀποφεύξεσθαι,
Col. V. [μαίν]η‹ι›. σ[ὺ γὰρ] παρὰ τούτων συγγνώμην ἢ ἔ[λεόν τ]ινα παρὰ τὸ δίκαι[ον ε]ὑρήσηι; πολλοῦ γε δ[εῖ· οὐ γὰ]ρ ἀπέθου

K. pap. habet supra versum. || **60** pap. *αναγεινωσκομένων*, K. *ἀναγινωσκομένων*. Reposui formam Atticam, quam pap. servavit infra 215. || **67** *δώσετε* in ms. correctum ex *σώσετε* K. || **72** *ἀλλὰ μὴν*. Cf. or. fun. 8, 18. 13, 6. || **74** *λόγου* corr. ex *τοτου* K. || **75** *ἐὰν* dedi pro *ἄν*. Meliori formae alibi librarius pepercit. — *ἀναγκαῖα εἶναι*. Cf. Or. fun. 9, 28. 23, 3; mox *ἀνάγκη* c. Inf. ut p. Lyc. 4, 118 et fr. 197 (Bl.). || **79** pap. *ὠσ ειπειν ωσ* K. || **90** *ἐπὶ δὲ ταῦτ' ἄγετε αὐτὸν ἀπολογησόμενον* notabilis locutio. || **94** de meo dedi *δὴ* pro *δ'* et verba *ἃ — ψηφίσματι* posui inter duas virgulas. Infeliciter K. pro *δείξας* coniecit *δεῖξον*. || **99** *κορδακίζων*. Cf. Demosth. II 18. || **100** sqq. *μαίνῃ. σὺ γὰρ*. Sic explevi lacunam a Kenyone indicatam. In sequentibus recepi supplementum quod Sandys repperit *ἔλεόν τινα*, deinde *δίκαιον* supplevi et pro litteris, quas in papyro esse Kenyon testatur .. *τρ* .. *ειν*, suadente amico van Leeuwen scripsi quod sententia postulare videtur *εὑρήσῃ* (*-σει*). An *εὑρήσει*; *ἦ*? v. L. — Eidem obtemperans post *δεῖ* inserui *οὐ*, quae vocula licet in papyro omissa esse videatur, abesse tamen nequit. || **105** *ἀπέθου — εὔνοιαν*, ut *χάριν* apud Polyb. VI 2, 15. ||

Digitized by Google

σαυτῷ εὔνοιαν παρὰ τῷ δήμῳ, ἀλλ' ἐτέρωθι, οὐδὲ τοὺς σῶσαί
110 σε δυναμένους ᾧου δεῖν κολακεύειν ἀλλὰ τοὺς τῷ δήμῳ Φο-
βεροὺς ὄντας. καὶ ἓν μὲν σῶμα ἀθάνατον ὑπ[είλη]φας ἔσεσθαι,
115 πόλεως δὲ τηλικαύτης θάνατον κατέγνως· οὐδ' ἐκεῖνο συνιδών,
ὅτι τῶν μὲν τυράννων οὐδεὶς πώποτε τελευτήσας ἀνεβίωσεν,
120 πόλεις δὲ πολλαὶ ἄρδην ἀναιρεθεῖσαι πάλιν ἴσχυσαν. οὐδὲ τὰ
ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐλογίσασθε, οὐδ' ὡς ⟨ἡ πόλις⟩ καὶ τῶν
125 ἐπιστρατευσάντων καὶ τῶν ἔνδοθεν συνεπιθεμένων αὐτῇ περιε-
γένετο, ἀλλὰ Φανεροὶ ἐγένεσθε καιροΦυλακοῦντες τὴν πόλιν
130 εἴποτε δοθήσεται ἐξουσία λέγειν τι ἢ πράττειν κατὰ τοῦ
Col. VI. δήμου. εἶτα περὶ καιρῶν αὐτίκα δὴ τολμήσετε λέγειν, τοὺς
135 κατὰ τῆς πόλεως καιροὺς οὐ παραΦυλάξαντες; καὶ τὰ παιδία
ἥκεις ἔχων εἰς τὸ δικαστήριον καὶ ἀναβιβάσας αὐτίκα δὴ
140 ἀξιώσεις ὑπὸ τούτων ἐλεεῖσθαι; ἀλλ' οὐ δίκαιον· ὅτε γὰρ ἡ
πόλ[ι]ς ὑπὸ τῶν ἄλλων ᾠκ[τ]ίρετο διὰ τὰ συμβάν[τα], τόθ'
145 ὑΦ' ὑμῶν ἐξυβρίζ[ε]το. καίτοι οὗτοι μὲν τὴν Ἑλλάδα σῴζειν
προελόμενοι ἀνάξια τῶν Φρονημάτων ἔπασχον, σὺ δὲ τὴν

---

106 post δήμῳ K. posuit hypostigmen, ego virgulam. ‖ **111** σῶμα. An Philippi? Opponitur τὸ σῶμα τῆς πόλεως, ut Hyp. dixit Dem. 21, 23 ἀλλ' ἤδη ἐπ' αὐτῷ τῷ σώματι τῆς πόλεως δῶρα εἰλήφασιν. ‖ **117** ἀνεβίωσεν forma vix Attica pro ἀνεβίω, quod reponendum videtur. ‖ **121** ἐλογίσασθε. Verbo similiter utitur Hyperides Dem. 33, 6. Lyc. 16, 14. Or. fun. 13, 11. De meo inserui ἡ πόλις, cuius perdura est omissio. ‖ **127** εἴποτε iunctim dedit K.; pap. ἐὺ τηῖ πολεῖ. Recte K. comparat Dem. XXIII § 173. ‖ **128** δοθήσεται ἐξουσία c. Inf., ut Hyp. Lyc. 35, 3. ‖ **134** In παραΦυλάξαντες praepositionem alia manu superscriptam esse monet K.; genuina tamen esse videtur; verbo composito usus est Hyp. c. Dem. 21, 8. — Post hoc verbum interrogandi signum posui; Kenyon virgulam scripserat, non interpungens post λέγειν. ‖ **141** ᾠκ[τ]είρετο cum ms. K. Reposui formam antiquam. — τὰ συμβάντα ad pugnam apud Chaeroneam satis probabiliter refert K. Ex serioribus calamitatibus tantummodo in censum venire potest infelix belli Lamiaci exitus, qui si forte spectatur, vs. 111 ἓν σῶμα non ad Philippum respicere potest. ‖ **145** προελόμενοι. Cf. Hyp. Eux. 37, 9. Or. fun. 3, 2.

Digitized by Google

πόλιν εἰς τὰς ἐσχάτας αἰσχύνας ἀδίκως καθιστὰς νυνὶ δικαίως τιμωρίας τεύξῃ. διὰ τί γὰρ ⟨ἂν⟩ τούτου φείσαισθε; πότερα διότι δημοτικός ἐστιν; ἀλλ' ἴστ' αὐτὸν τοῖς μὲν τυ-
ράννοις δουλεύειν προελόμενον, τῷ δὲ δήμῳ προστάττειν ἀξιοῦντα.
Col. VII. ἀλλ' ὅτι χρηστός; ἀλλὰ δὶς αὐτοῦ ἀ[δικ]ίαν κατέγνωτε. ναί,
ἀλλὰ χρήσιμος· ἀλλ' εἰ χρήσ[εσ]θε τῷ ὑΦ' ὑμῶν ὁμολ[ογ]ου-
μένως πονηρῷ [κρι]θέντι, ἢ κρίνειν κακῶς δόξετε ἢ πονηρῶν
[ἀν]θρώπων ἐπιθυμ[εῖν. ο]ὐκοῦν οὐκ ἄξιον τὰ [τούτ]ου ἀδική-
ματα αὖ[θις ἀν]αδέχεσθαι, ἀλλὰ [τιμω]ρ[εῖσθαι] τὸν ἀδικοῦντα.
κ[αὶ ἐὰν] ἄρα λέγῃ τις ἀναβὰς ὡς δὶς ἥλωκεν [πρ]ότερον
παρανόμων, [κ]αὶ διὰ τοῦτο Φῇ δεῖν ὑμᾶς ἀ[π]οψηΦίσασθαι,

6, 39. 14, 38. || **147** εἰς — καθιστάς. Cf. id. Eux. 24, 18. 34, 18. 38, 24. 47, 4. || **150** τιμωρίας τεύξῃ. Cf. id. Dem. 22, 10. — τευξῃ pap., K. τεύξῃ, dubitans tamen an potius τεύξει legendum sit. Antiquiorem terminationem ῃ (= εαι) fuisse satis certum est, sed aetate Hyperidis fortasse iam cesserat iuniori ΕΙ. Cf. Meisterhans², 131. || **151** De meo inserui ἄν. Possis quidem conicere φείσεσθε, sed confusio diphthongi cum vocali seculo II a. Ch., quo K. papyrum exaratum esse putat, minus videtur probabilis, et innumeris locis voculam ἄν post γάρ periisse constat. — Verbo φείδομαι (cf. infra 181) Hyp. usus est Eux. 46, 21. || **152** διότι ex Hyperide non notavi, δημοτικῶς *adverbio* utitur in comp. et superl. Lyc. 9, 6. Eux. 25, 9. Dem. 8, 14. || **153** ἀλλὰ ἴστ' K., qui monet alterum α supra vs. correctum esse ex ε. Ego malui admittere elisionem. || **158** ἀ[δικί]αν κατέγνωτε. K. confert Andoc. de myst. § 3. Fortasse idem reponendum est [Arist.] Ἀθηναίων πολιτεία p. 115, 2 ed. nostrae in lege: ἐάν τινος ἀδικεῖν ἡ βουλὴ καταγνῷ. || **159** ναί.] Cf. Hyp. Eux. 31, 10; quem locum fortasse iniuria tentavit Cobet. || **161** ὁμολογουμένως] Hyp. Lyc. 5, 17. || **162** ἢ—ἢ] Hyp. Lyc. 12, 27. Eux. 43, 8. || **165** οὐκοῦν, *ergo*] Hyp. Lyc. 11, 2. || **166** ἄξιον (ἐστι) c. Inf.] Hyp. or. fun. 3, 1. 9, 1. Dem. 21, 16 al. || **167** αὖθις ex Hyperide non notavi, sed ἀναδέχεσθαι Dem. 11, 22 loco incerto. || **169** τὸν ἀδικοῦντα de reo convicto, ut Hyp. Dem. 8, 18, 24. 10, 20. 32, 22. || **170** ἀναβάς]. Cf. Hyp. Lyc. 8, 20. 16, 23. Eux. 25, 11, 25. || **171** ἥλωκεν]. Hoc augmento ἥλως παρανόμων Hyp. Eux. 29, 3. Cf. infra 198 ἡλωκόσι. || **173** ἀποψηΦίσασθαι] cf. Hyp. Dem. 11, 21.

Digitized by Google

τοὐναντίον ποιεῖτε κατ' ἀμφότερα. πρῶτον μὲν [γὰρ ε]ὐτύχημά ἐστιν τὸν ὁμολογουμένως τὰ παράνομα γράφοντα τὸ τρίτον κρινόμενον λαβεῖν· οὐ γὰρ ὥσπερ ἀγαθοῦ τινὸς φείδεσθαι
Col. VIII. προσήκει τούτου, ἀλλὰ τὴν ταχίστην ἀπηλλάχθαι, ὅς γ[ε το]ῦ τρόπου δὶς ἤδη ἐν ὑμῖν βάσανον δέδωκεν. ἔπειτα δὲ ὥσπερ τοῖς τῶν ψευδομαρτυρίων δὶς ἡλωκόσιν δεδώκατε ὑμεῖς τὸ τρίτον μὴ μαρτυρεῖν μηδ' οἷς ἂν παραγένωνται, ἵνα μηδενὶ τῶν πολιτῶν ᾖ τὸ ὑμέτερον πλῆθος αἴτιον [τ]οῦ ἠτιμῶσθαι, ἀλλ' αὐ[τὸς] α[ὐ]τῷ ἀλῷ ἢ παύηται τὰ ψευδῆ μαρτυρῶν, οὕτω καὶ τοῖς ἡλωκόσι παρανόμων ἔξεστιν μηκέτι γράφειν, εἰ δὲ μή, δῆλόν ἐστιν ὅτι ἰδίου τινὸς ἕνεκα τοῦτο ποιοῦσιν· ὥστε οὐκ οἴκτου οἱ τοιοῦτοι ἄξιοί εἰσιν ἀλλὰ τιμωρίας.

ἵνα δὲ μὴ προθέμενος πρὸς ἀμφορέα ὕδατος εἰπεῖν μακρολογῶ, ὁ μὲν γραμματεὺς ὑμῖν ἀναγνώσεται τὴν γραφὴν πάλιν,
Col. IX. ὑμεῖς δὲ τῶν τε κατηγορημένων μεμνημένοι καὶ τῶν νόμων ἀκούσαντες ἀναγιγνωσκομένων τά τε δίκαια καὶ τὰ συμφέροντα ὑμῖν αὐτοῖς ψηφίζεσθε.

Scripsi m. Augusto 1891.

---

fr. 33. ‖ **178** *παράνομα γράφοντα*] Hyp. Eux. 21, 27. 28, 18. ‖ **179** *κρινόμενον*]. Apud Hyp. *οἱ κρινόμενοι rei in causa publica.* Eux. 42, 21. Lyc. 7, 9, 23. 8, 15. 9, 1. 35, 4. al. ‖ **184** *ἀπηλλάχθαι*]. Sic in Hyp. Or. fun. (Stob.) *ἀπηλλαγμένοι εἰσὶ νόσων καὶ λύπης.* Absolute verbo utitur c. Dem. 11, 5 *ἀποδόντες ἃ ἔλαβον ἀπηλλάχθαι.* — *ὅς γε*]. Cf. Or. fun. 9, 37. ‖ **185** *τοῦ τρόπου*] Sing., ut Hyp. Or. fun. 9, 7 et Lyc. 12, 12. ‖ **187** *ἔπειτα δέ* pro nudo *ἔπειτα* post *πρῶτον μέν*, ut Hyperid. Lyc. 5, 1, qui tamen *δέ* plerumque omittit, ut Lyc. 10, 9. 14, 2, 3. Fr. 33, al. ‖ **194** *τὸ ὑμέτερον πλῆθος*]. Cf. Hyp. Dem. 5, 20. Lyc. 12, 5. — *αἴτιον* c. G., ut Or. fun. 5, 32. 7, 22. Lyc. 11, 2. fr, 79. ‖ **190** *αὐ[τὸς] α[ὐ]τῷ ἀλῷ*. Significare videtur: *suamet ipsius culpa miser sit.* ‖ **200** *γράφειν*]. Cf. Hyp. Lyc. 3, 10, 17. Eux. 40, 14, 20 fr. 31, 32. al. ‖ **201** *δῆλόν ἐστιν ὅτι*] *δῆλον ὅτι* Hyp. Lyc. 11, 19. ‖ **208** *μακρολογῶ*] Hyp. Or. fun. 3, 25. ‖ **209** *ὁ μὲν — γραφήν*]. Cf. Eux. 49, 1. 24, 28. ‖ **211** K. post *πάλιν* posuit punctum. ‖ **216** *τὰ συμφέροντα ὑμῖν*]. Fr. 79 *τὰ Φιλίππῳ συμφέροντα.* ‖ **217** *ψηφίζεσθε*] Eux. 49, 14. Dem. 27, 20.

Digitized by Google

DE INAUGURATIONIBUS ROMANIS CAERIMONIARUM ET SACERDOTUM.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

§ 1 DE RESPONSIS AUGURUM.

Inaugurationes proprie sunt observationes auspiciorum ab auguribus habitae. Verbum „inaugurare", absolute positum, si pertinet ad eos qui auspicia ipsi capiunt, numquam refertur ad magistratus aut reliquos sacerdotes, sed ad augures solos auspicia captantes, non secus atque „augurium agere" [1]); ad magistratus et sacerdotes tum solum illud verbum referri potest, cum hi dicantur consulere et ad auspicia capienda adhibere augures [2]). Eam ob causam autem, quod ab auguribus auspicia captabantur respondendi causa, verbum „inaugurare" absolute positum, si ad augures refertur, fere idem est quod „respondere ex auspiciis" [3]), si ad magistratus et sacerdotes, significat:

1) Ex. gr. Varr. l.l. § 47: „sacra via per quam augures ex arce profecti solent inaugurare". Romulus et Remus dicuntur „inaugurare" eodem sensu quo etiam „auspicia capere" dici potuerunt, quod hi ipsi augures fuisse credebantur; Liv. 1.6.4: „Palatium Romulus, Remus Aventinum *ad inaugurandum* templa capiunt"; ibid. 1.36.3: „id quia inaugurato Romulus fecerat"; 5.52.2: „urbem auspicato inauguratoque conditam habemus". — 2) Quod Imperatores nonnumquam dicuntur *augurare* pro *auspicari* (Suet. Oth. 7, cfr. Suet. Aug. 95), aut factum est quia Imperatores ipsi fuerunt augures (Dio 53.17.3), ut Romulus et Remus fuisse creduntur, aut significat eos ad auspicia sua adhibuisse augures, aut referendum est ad consuetudinem minus distincte loquendi quae sub imperatoribus praevaluerit. Magistratus liberae reipublicae neque dicuntur augurare neque augurium agere. — 3) Liv. 1.36.4: „divine tu, inaugura (i.e. responde ex auspiciis) fierine possit quod nunc ego mente concipio".

Digitized by Google

„petere responsum ab auguribus, adhibere augures". Verum huic verbo, quod raro absolute ponitur, plerumque tamquam obiectum adiungitur res de qua auspicia capienda sunt; itaque hic usus eius verbi, si transitive ponitur, etiam duplex est. Quod a viris doctis nonnumquam quaesitum est, uter in inaugurationibus agere putari deberet, et inaugurare dicendus esset, augur an magistratus sacerdosve [1]), facillime hoc modo solvitur; uterque enim inaugurare dici potest, quia vis huius verbi differt pro eo ad quem refertur; uterque agit, sed *suum* quisque, augur auspicia et responsum quod ab eo petitur, magistratus sacerdosve id quod augurato perficere vult. Augur utitur illa spectione quae respondendi causa ei data est (Mnemos. XVII p. 438 sq.); quatenus ipse solus auspiciorum impetrandorum est iudex atque aestimator, ipse quoque solus „inaugurare" (augurium agere) potest; sed tamen cum neque ex eius voluntate pendeat ut adhibeatur, neque vero praeterea ad eum pertineat res de qua respondere iubeatur, inferiores sunt partes eius, et plus valet is qui eum respondendi causa advocavit, qui ipse quoque dicitur „inaugurare" eam rem [2]); manifestum est, hoc sensu verbi augures nullo modo dici posse „inaugurare". Quis fuerit semper is qui inauguraret, id nobis infra quantum fieri poterit indagandum erit, cum de singulis inaugurationibus agamus. — Consuetudo inaugurandi satis late patuit apud Romanos; multa et varia fuerunt quae inauguratione sanciri posse aut debere praecipiebat doctrina sacra. Partim in actiones magistratuum id cadebat, ut inaugurari possent, veluti in proelium committendum aut legem ferendam; partim in caerimonias quasdam sollemnes ad sacra pertinentes; praeterea inaugurabantur ipsi homines aliquo munere publico vel sacerdotio functuri; denique inaugurabantur loca. Ratio inaugurandi in his omnibus eadem erat, neque ipsa diversa erat ab universa ratione auspiciorum; idem quod in ceteris observationibus auspiciorum exquirebant magistratus et sacerdotes quibus in ea re erat auspicium (spectio ex iure agendi),

1) cfr. H. Oldenberg, de inauguratione sacerdotum Romanorum, in Comment. Phil. in hon. Th. Mommsen, 1877, p. 159—162. — 2) cfr. Liv. 40. 42. 8: „religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellae".

Digitized by Google

num deis probata atque accepta esset ea actio futura de qua deos consulerent, id item in inaugurationibus exquirebatur ab auguribus de variis rebus illis de quibus deos consulere iussi erant; de actionibus et caerimoniis num fas esset eas peragi quemadmodum mente conceptae essent [1]); de hominibus, num fas esset „eos tamquam sacerdotes facere pro populo Romano" [2]); de locis, num essent publico usui apta et deis probata et mansura [3]). Praeterea vero, quae antea exposui de genere auspiciorum quae impetrabantur, de ritu et tempore observationis, de templo aërio, h. l. repetenda non sunt. Unam rem tantum, qua inprimis differunt inaugurationes a reliquis auspiciis, h. l. sedulo nos attendere oportet; inprimis tenendum est, cum ab auguribus auspicia captarentur, locum quo observaretur semper fuisse Arcem. In ea re autem iterum ratio habenda est significationis paullo diffusioris minusque concisae vocabuli „inaugurare". Nam cum saepe accideret ut auspicia auguribus observanda nequaquam per se starent, sed essent pars quaedam caerimoniae alicuius longioris, cumque ipsae hae caerimoniae comprehendi solerent nomine „inaugurationis" derivato a parte illa quae ad auspicia pertineret, etiam hae „inaugurationes" (ampliore sensu) dici poterant eo loco fieri, quo perageretur reliqua pars caerimoniae, quamvis nemo nesciret ipsa auspicia et inaugurationem proprio sensu dictam fieri in Arce. Sic inaugurationes flaminum, quae fiebant calatis comitiis, in comitio factas esse constat quatenus eo vocabulo indicantur suffragium curiarum et conventus populi [4]), sed tamen de flamine nonnisi in Arce, postquam eo eum deduxissent augures e comitio, auspicia esse capta haud minus constat [5]). Inprimis huius rei

1) cfr. Dio 37. 24. 1: *μαντείας τις τρόπος, πύστιν τινὰ ἔχων εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ θεός* .... — 2) cfr. Liv. 1. 18. 9: „Iupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romae esse, uti tu signa nobis certa acclarassis inter eos fines quos feci". Formula quam scripsi petita est e verbis Fabii Pictoris quae refert Gellius 1. 12. 14. — 3) cfr. Serv. Aen. 9. 448: „in urbe Roma Iovis templum non fuit; quod cum iam devotum a Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius aedificare, coepit *auguria captare, qui mons huic templo esset aptissimus.* Et cum in omnibus Tarpeius esset inventus (in quo erant multa diversorum numinum sacella), factum est ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere et sine piaculo templum Iovis exaedificari" e. q. s. — 4) Varr. l. l. 5. 155, cfr. Liv. 5. 52. 16. — 5) Liv. 1. 18. 6: „inde ab augure .... deductus in Arcem".

Digitized by Google

ratio habenda est in inaugurationibus locorum. Nam cum loca fere inaugurarentur tum cum templa terrestria constituerentur, cum vero constitutio templi terrestris etiam comprehenderet alia sollemnia (de quibus alio loco agemus), quae post auspicia in Arce ab auguribus capta in ipso loco illo peragenda erant eisdem auguribus, inauguratio loci alicuius (sensu ampliore) etiam dici poterat in eo loco fieri qui inaugurandus esset, neque tamen ullum dubium est quin etiam in inauguratione locorum auspicia de loco inaugurando capta sint in Arce. Eo sensu ampliore hoc vocabulum usurpavit Varro, cum diceret „augures per sacram viam ex Arce profectos solitos esse inaugurare" [1]); quamquam nescimus quae sit caerimonia quam respexerit Varro, tamen ipsa haec verba ostendunt, augures in hac caerimonia quoque, antequam sollemni pompa procederent ad eum locum ubi reliqua sollemnia peragenda essent, primum paulisper remoratos esse in Arce, quod cur factum esse potest nisi ad auspicia capienda? Locos autem qui probant, augures nusquam nisi in Arce augurium egisse [2]), in conspectu ponam:

1° Varr. l.l. 7. 8 sq.: „(templum) concipitur verbis non isdem usquequaque. *In Arce* sic: .... Ideo dicere, tum cum templum facit, *augurem:* ....

2° Fest. pag. 16: „genus sacrificii, quod *in Arce* fit ab *auguribus*".

3° Cic. Off. 3. 16. 66: „ut, cum *in Arce augurium augures acturi essent* iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedes in Caelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripsit insulam". Etiam ad prospectum ex Arce capiendum et ad auspicia Augurum pertinere crediderim locum Festi pag. 344: „summissiorem aliis aedem Honoris et Virtutis C. Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri cogerent". Situs huius aedis hodie ignotus est.

---

1) Varr. l.l. 5. 47. — 2) Paulo minus recte Marquardt v. cl. scripsit (Staatsverw. 3. p. 399) Arcem fuisse locum quo *convenirent* Augures. Nam quod fugit virum cl., Augures cum congregarentur Nonis commentandi causa (Cic. div. 1. 41. 90), non in Arcem conveniebant sed in hortos aut in domicilium auguris alicuius, ut dicit Cicero Lael. 2. 7.

Digitized by Google

4° Fest. pag 18: „Auguraculum appellabant antiqui, quam nos Arcem dicimus, *quod ibi augures publice auspicarentur*".

5° Liv. 10. 7. 10: „is (vir plebeius) non (scil.: augur factus) conspicietur cum capide ac lituo, capite velato victimam caedet *auguriumve ex Arce capiet?*"

6° Cum Numa rex inaugurandus esset, non ad eum in comitium arcessebantur augures, sed ipse „ab augure *deductus in Arcem*, in lapide consedit", Liv. 1. 18. 6.

7° Cum dictator Romanus a. 437 proelium inaugurari vellet, non iubebat propius accedere augures, sed „respectabat *Arcem Romanam*, ut *ex ea ab auguribus*, simul aves rite admisissent, ex composito tolleretur signum", Liv. 4. 18. 6.

Inprimis loci quos posui sub 4°, 5°, 6°, 7°, ostendunt Arcem fuisse solum locum quo augures auspicarentur. Praeterea, cum constet deum qui in auspiciis invocetur et signa dare credatur esse Iovem Patrem [1]), convenit quod testantur Auctores, hunc deum fuisse deum Arcis [2]).

Nos antequam singulas res quae tempore liberae reipublicae inaugurabantur quantum fieri possit percensere et quae praeterea ad caerimonias inaugurationum pertinebant tractare aggrediamur, paucis verbis agemus de potestate augurum quae sub regibus fuisse tradatur, et de eius reliquiis quae manserunt post reges exactos.

Actiones publicae, quae inaugurarentur, si fidem habemus auctoribus nostris, permultae fuerunt antiquissimis temporibus. Sed postea, ut videtur ab initio fere liberae reipublicae, multo rariores factae sunt inaugurationes huius generis, et ad ultimum plane evanuerunt; causa huius rei fuit quod actiones quae antea iussu regis per augures sanciri solebant, paullatim coeperunt *auspicato* tantum agi a magistratibus, qui suis auspiciis contenti augures non adhiberent. Exemplum antiquae rationis valde memorabile, quod ad inaugurandam actionem militarem pertinet, afferemus e primo saeculo liberae reipublicae. A. 437 dictator Romanus militibus ante urbem in acie collocatis signum proelii non dedisse fertur antequam augures in Arce signo sublato ex

1) Liv. 1. 12. 4; 1. 18. 9; Cic. leg. 2. 8. 20; div. 2. 34. 72; 2. 36. 78. — 2) Serv. Aen. 8. 20: „Iupiter qui Arcis deus est"; Ovid. fast. 2. 70: „in Iovis Arce"; ib. 4. 635.

Digitized by Google

composito certiorem eum fecissent „aves rite admisisse". Itaque hic dictator, sua spectione non usurpata, augures tum adhibere maluerat. Praeterea quidquam eiusmodi ad rem militarem pertinens non traditur e tempore liberae reipublicae; sed antea, sub regibus, hunc morem in bellis viguisse indicat Cicero, cum dicat Hostilium regem (quem lapsu memoriae perductus pro Tarquinio nominat cfr. Cic. div. 1. 17. 32) „augurio Atti Navii maxima bella gessisse" [1]). Quin etiam auctores significant, hanc inaugurandi consuetudinem praevaluisse in omnibus actionibus publicis regum, etiam in legibus ferendis. Romulus (quamquam, cum ipse augur fuisse putetur, non secus atque Remus, etiam ipse de urbe condenda auspicia cepisse et lituum, insigne augurale, adhibuisse fertur) [2]) a Cicerone traditur cooptavisse augures „qui sibi essent in auspiciis omnibus publicis rebus instituendis" [3]); Livius eum dicit „inaugurato centurias scripsisse", easque „sub certis nominibus inauguravisse" [4]). Numa, qui augur fuisse non traditur [5]), eo die quidem quo regnum iniit fortasse eodem modo quo Romulus ipse auspicatus esse putatur, quamquam de ea re nihil traditur; sed tamen cum paullo postea iam rex factus „de se quoque deos consuli vellet", non ipse de suo imperio et lege curiata auspicatus esse

---

1) Vid. Mnemos. XVIII p. 415, Cic. deor. nat. 2. 3. 9. — 2) Cic. divin. 1. 2. 3; 1. 17. 30; 1. 48. 107; 2. 38. 80. — 3) Mnemos. l.l., Cic rep. 2. 9. 16. — 4) Liv. 1. 36. 3 et 1. 43. 9. — 5) Non premendum esse videtur quod Cicero affirmat, divin. 1. 40. 89, omnes reges Romanos fuisse augures. Marquardt (Staatsverw. 3 p. 241 adn. 6), qui tenet quod Livius (10. 6. 7 sq.) affirmat, numerum augurum semper pependisse ex numero tribuum veterum, ex aliis dictis Ciceronis efficit Numam ipsum fuisse augurem, quia Cicero tradit Romulum cooptavisse tres augures ex singulis tribubus (rep. 2. 9. 16), et Numam ad pristinum numerum duo augures addidisse (rep. 2. 14. 26). Hoc si probaremus, statuere deberemus Romulum *non* fuisse augurem. Me iudice deserenda est auctoritas Livii; quamquam concedo collegia augurum et nonnullorum aliorum sacerdotum secundum veteres tribus esse ordinata *cum instituerentur*, fieri potest ut iam antiquitus ab ea norma discessum sit *cum plura loca adderentur;* certe numerus *quattuor* augurum patriciorum, qui fuit a. 300 et deinceps, nullo modo conciliari potest cum numero tribuum, et ineptum est quod Livius (10. 6. 7 sq.) suspicatur, collegium *sex* virorum potuisse redigi ad *quattuor* loca morte duorum, quasi duobus auguribus defunctis etiam eorum loca perirent; itaque, siquidem a. 300 nihil valuit ratio tribuum in numero augurum, fieri potest ut iam multo ante ab ea ratione discessum sit. Sed manifestum est nos in his quaestionibus id solum sequi posse quod verisimile sit et sibi constet et cum auctorum testimoniis quantum fieri possit conveniat; quod verum sit nemo se invenire posse affirmaverit.

Digitized by Google

fertur, ut postea faciebant consules, sed augure adhibito se inaugurandum curavisse; nam ad lationem legis curiatae pertinuisse eius inaugurationem infra ostendam. Cicero tradit, post Romulum „etiam reliquos reges auguribus usos esse", post reges exactos vero consules omnia *auspicato* egisse [1]). Quin etiam extat memoria legis cuiusdam, a rege Romano quondam factae, quae ab eo perferri non potuerit, cum dei non ab ipso solum, sed ab augure de ea consulti eam ferri passi non essent; Tarquinius Priscus cum mutare vellet tribus a Romulo institutas, ab Atto Navio *per augurium* deterritus a consilio destitisse fertur [2]). Sane postea consul vel dictator legem laturus non fuisset passurus se ab augure ita de consilio suo deici; is nemini praeter cives et Patres Auctores permissa potestate legis quam ferret, ipse solus de ea auspicia fuisset capturus [3]).

---

1) Cic. div. 1. 2. 3. — 2) Fest. p. 169. Alii auctores (Dionys. 3. 71, Zonar. 7. 8, Iul. Par. Epit. Val. Max. 1. 4. 1, Flor. 1. 1. 5) cum non addant, Navium provocasse ad augurium quod ipse quaesivisset, id ipsum omittunt sine quo res intellegi nequeat. Livius tradit (1. 36. 3) Navium negasse, centurias mutari posse *niri aves addixissent;* hoc male intellecto Nepotianus Epit. Val. Max. 1. 4 1 (non item Paris) scripsit, Tarquinium non esse passum auspicia consuli; Weissenborn quoque (ad Liv. ll.) erravit cum idem in verbis Livii inesse diceret; nam „nisi aves addixissent" non solum significat: „si aves consultae non essent", sed etiam: „si aves abdixissent". — 3) Auctores quidem non diserte affirmant, Tarquinium eam rem ad populum laturum fuisse, sed tamen non magis id negant; de institutis Servii regis, et de aliis rebus a regibus institutis, idem valet. Iamvero si quis coniecerit, Tarquinium hanc legem *daturum* fuisse sine suffragio populi, eumque id pro arbitrio facere potuisse, is nihil habebit e quo auguri ius intercedendi fuisse dicat. Sed accedit, quod auctores nostri saepe asseverant, imperium quo reges uterentur, quamvis liberam etiam esset a nonnullis vinculis quibus postea alligatum est tempore liberae reipublicae, tamen fuisse idem quod postea haberent consules et dictatores (Cic. leg. 3. 3. 8; rep. 2. 32. 56, Liv. 2. 1. 7, al. loc. vid ap. Mommsen Staatsr. 2 pag. 93 adn. 3). Hoc admodum verisimile est, nosque sinit etiam regulas quasdam iuris publici Romani transferre e libera republica ad regnum Romanum, et ad quasdam normas constitutas exigere ea quae ab auctoribus memoriae traduntur de rebus a regibus gestis et de ratione qua forma civitatis paullatim crevit, quae posteri magis deduxerunt ex rebus suis, quam cognoverunt ex memoria illius temporis et scriptis et monumentis iuris quae fere nulla fuerunt. Nobis autem, si id tenemus, imperium regum et consulum idem fuisse, non licet opinari (si a primis institutis primi regis discesserimus, de quibus nihil affirmare praestat, nisi libet etiam exquirere utrum prius fuerit rex et populus an lex, gallina an ovum) reges potuisse *leges dare* et *ius facere* sine suffragio populi. Nam in potestate consulari et dictatoria nihil inest quod ad reges translatum tantam vim habere potuerit; magistratus utique *subiecti* fuerunt iuri, quod non ab eis solis constitutum erat, neque quidquam praescribere potuerunt civibus quod maneret post-

Digitized by Google

Tamen quod in hac parte interfuit inter reges et magistratus, in moribus tantum consistebat, neque referendum est ad diversitatem iuris utrisque concessi. Reges certe non caruerunt spectione, qua magistratus liberae reipublicae usi sunt; id iam refellitur ipsa ratione, quia spectio seiungi non potest a iure agendi, et regem qui careret spectione, etiam omni potestate caruisse necesse est. Ratio nos cogit, opinor, statuere, reges etiam ipsos auspicia captare potuisse et plerumque captavisse; non quidem utique ex avibus, sed ex extis plerumque, ut videtur; quodsi praeterea etiam augures adhibebant ad suas actiones inaugurandas, his potestatem dabant sui auspicii vitiandi, superandique auspicii boni, quod ipsi impetrare possent, nuntiatione augurii prohibentis. Iamvero in nonnullis rebus, in legibus ferendis saltem, auspicia augurum etiam natura sua plus valebant quam auspicia regum et magistratuum, ut appareret ex ipso hoc augurio Atti Navii. Magistratus et reges, cum de nova lege auspicarentur, deos interrogabant, ipso die rogationis, num hoc die cum populo agi liceret (Vid. Mnem. XIX p. 85); augures vero interrogabant de ipsa rogatione, utrum bona an mala esset. Manifestum est, Attum Navium, cum Tarquinium novas tribus facere per augurium prohiberet, non dixisse diem idoneum non esse, sed ipsam rogationem deis non probari; augur qui inaugurabat Numam regem, non ex deis sciscitabatur num eo die, sed num omnino hunc hominem imperium accipere sinerent. Huic rei convenit, quod in adnotatione ostendam, cum de aliqua re auspicarentur augures, eis non ut magistratibus utique necesse fuisse, id facere eodem die quo res agenda esset [1]). Itaque in legibus ferendis cum rex tum augur simul spectionem suam usurpare potuerunt diversis temporibus et consiliis; postquam augur affirmaverat deos probare

---

quam ipsi abiissent; si omnino aliquam iuris normam e libera republica ad regnum transferri licet, haec certe valebit, ius neque a rege solo, neque a senatu, neque a rege cum senatu potuisse constitui civibus. Sin vero alicui videtur non tenendum esse id quod initio posui, huic confitendum est, si inepte hariolari noluerit de rebus ignotis, formam civitatis quae sub regibus fuerit nulla ex parte posse ab eo cognosci, neque quidquam ab eo affirmari posse de ratione qua eo tempore leges factae sint. — 1) Locus quo Gellius agit de feriis praecidaneis (4. 6. 10: „pontifici maximo feriae praecidaneae *in atrum diem* inauguratae sunt" e. q. s.) ostendit hoc augurium non eodem die actum esse, quo factum sit sacrificium, sed antea.

Digitized by Google

rogationem, rex ipse auspiciis indagare poterat num dies constitutus idoneus esset [1]). Eandem ob causam, etiamsi forte putamus Numam ceterosque reges, eodemmodo quo Romulus fecisse tradatur, regnum auspicato iniisse, tamen nihil obstat quominus credamus augures postea de eorum imperio auspicia cepisse; nequaquam se invicem excludunt prima auspicia, quae capiantur de die ineundi, et inauguratio, qua de rege dei consulantur. Causam autem cur reges ferrent hanc tutelam augurum, et ultro eis darent hanc potestatem sui auspicii vitiandi sine ulla necessitate iuris, hanc fuisse credo, quod Patres, qui leges ratas esse prohibere poterant si Auctores non fiebant, postulabant ut augures quoque de eis consulerentur, et ex eorum responsis pendere volebant suam Auctoritatem; hinc regibus leges ferentibus liberum quidem erat spernere auctoritatem augurum, sed magnum periculum erat ne sine illa non impetrarent Patrum Auctoritatem; in reliquis actionibus vero militaribus et domesticis, reges stimulo eiusdem generis adducebantur ut nobiles placarent auguribus consulendis, metu ne patricii in iram adducti nimis repugnarent eorum consiliis; quae sola ratio etiam erat cur de suis actionibus exquirere solerent sententiam senatus. Augures regibus appositi fuerunt ut custodirent morem antiquum et defenderent commoda veteris nobilitatis gentium patriciarum, e qua lecti erant [2]). Ut abunde docet cum ratio rei et similitudo rerum in aliis civitatibus antiquis gestarum, tum ipsa vestigia quae apud auctores nostros supersunt, nobiles et reges per multa saecula sibi invicem suspecti, et nonnumquam invisi, semper parati erant ad certamen de summa potentia gerendum, quod alias latuit sub specie concordiae, alias graviter exarsit, raro prorsus remissum est. Gentiles diu ausi non sunt abolere imperium regium quo careri non posse videretur ad bella gerenda, ad ius dicendum, quin

1) Hanc ob causam aliquid et auspicato et augurato factum esse dici potest, Liv. 5. 52. 2. — 2) Sic Cicero ait (divin. 1. 43. 95) Lacedaemonios regibus suis augurem assessorem dedisse, itemque gerousiae augurem interesse voluisse. Hi *Πύθιοι* quamquam ab ipsis regibus legebantur, tamen ephoris nondum institutis (cfr. Plat. leg. 3. 11 pag. 691 E) diu idonei habiti sunt, qui una cum auctoritate Senatus a rerum novarum studio deterrerent reges, cum nullum oraculum pro genuino haberetur quod eis notum non esset (Herod. 6. 57).

Digitized by Google

etiam sane ad pacem imponendam ipsis gentibus patriciis aemulantibus ipsarumque dignitati mutuo invidentibus; ne veriti quidem sunt hoc imperium interdum deferre ad viros quorum origo peregrina esset, quia malebant sibi imperare hominem novum peregre ortum quam ut una ex ipsis gentibus veteribus regio nomine ornata nimis praecelleret; sed magnum periculum ex potestate regia sibi imminere censebant, si ei permissum esset ut libere exsultaret freta favore populari aut gloria militari aut opibus bello quaesitis. Quod ne fieret caveri non poterat sine certis pignoribus; eo igitur pertinuerunt cum alia, veluti Auctoritas senatus, quae quantum pertinebat ad confirmanda comitia curiata et centuriata — hodie Auctoritas Patrum dicta — necessaria et legitima erat, in aliis rebus vero requirebatur moribus; tum vero etiam opera quam praestabant augures. Adversus reges novarum rerum nonnumquam cupidos, magnum praesidium petebatur ex eo quod augures *fas* aut *nefas* esse dicebant; nobilitas malebat suam voluntatem confirmare argumentis ex auspiciis petitis, quam argumentis quae petenda essent ex ipsa re de qua agebatur, cum in senatu sententiae dicerentur, quia illa firmiora erant et facilius pro libidine effingi poterant; neque solum eo provocabat nobilitas cum censeret stari debere antiquo iure, ut sub Prisco factum esse traditur, sed etiam in singulis actionibus domesticis et militaribus conabatur alligare licentiam regiam hoc vinculo quod tenebant eius procuratores e gentibus lecti, augures. Sed cum regnum, ab ultimo Tarquinio in dominatum versum, tandem seditione esset sublatum, et ipsi patricii, inventa potestate consulari annua quae bipartito distribueretur, imperium ita attenassent ut non amplius posset per se stans perpetuo consilio repugnare senatui, hoc vinculum quoque sine damno relaxari potuit a Patribus. Illud quidem diu retinuerunt augures, ut de partibus incertis et controversis iuris publici de quibus nihil erat in legibus praeceptum, si quae huiusmodi in disceptationem venirent, a Patribus consulti responderent, quod non utique ex auspiciis facere solebant, sed nonnumquam ex commentariis suis, interdum etiam ex suo arbitrio [1]); sed post reges exactos non amplius fuerunt summi omnis iuris publici inter-

1) cfr. Liv. 4. 31. 4 (a. 426); Cic. rep. 2. 31 54; Fest. pag. 289 s. v. referri.

Digitized by Google

pretes, quamquam retinuerunt aliquam potentiam. Sic auguribus mandatum manebat ut perpetuo operam darent certis prodigiis et portentis a se observatis aut ab aliis nuntiatis, non ut de eorum procuratione decernerent (haec cura enim ab auguribus prorsus aliena tota commissa erat pontificibus), sed ut perpenderent quatenus ea prodigia tamquam signa irae deorum referenda essent ad universum statum reipublicae [1]), vel (tamquam auspicia fortuito visa) ad certas actiones magistratuum quae tum ipsum inchoarentur [2]), utque ex eis cognoscerent numquid vitii irrepsisset in auspicia quae magistratibus a populo erant tradita; ad ea prodigia quorum ratio habenda erat auguribus, inprimis pertinebant signa caelestia, quae ab eis aestimari debebant secundum regiones caeli, prout erant sinistra antica dextra postica [3]), et secundum genus, veluti si sereno intonuerat [4]); etiam prodigia quaedam ex avibus (si avis incendiaria aut bubo in urbe conspectus erat) et ex quadrupedibus (si lupi in urbe erant visi), quae crebro in annalibus commemorantur [5]), videntur ab auguribus esse cognita, diiudicata, commentariis adnotata [6]), quamquam lustrationes urbis, quibus saepe procu-

---

1) Cic. leg. 2. 8. 21: „(augures) divorum iras providento"; deor. nat. 2. 65. 162: „multa augures provident"; leg. 2. 8. 20: „Interpretes Iovis O. M., publici augures, signis et auspiciis portenta vidento (leg. operam danto?); leg. 2. 13. 33: „scientia augurum ... ad reipublicae tempus nonnumquam ... pertinet". — 2) Cic. har. resp. 9. 18: „rerum bene gerendarum auctoritates contineri augurio"; leg. 2. 13. 33: „scientia augurum ... ad agendi consilium saepissime pertinet"; cfr. App. b. c. 1. 24: ἐπιστειλάντων τῶν ἐν Λιβύῃ τὴν πόλιν ὅτι διαγραφόντων ὅτι λύκοι τοὺς ὅρους ... διέρριψαν ἀναστάσαντες, καὶ τῶν μάντεων τὴν ἀποικίαν ἡγουμένων ἀπαίσιον. — 3) Cic. leg. 2. 8. 21: „(augures) divorum iras providento eisque apparento, caelique fulgura regionibus ratis temperanto"; leg. 3. 19 43: „est boni auguris meminisse ... caeli partes sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem reipublicae ferre possit"; div. 2. 18. 42: „valet in fulguribus observatio diuturna", Cfr. Mnemos. XIX pag. 86 adn. 1; Liv. 23. 31. 13, cfr. Mnemos. XIX pag. 77 adn. 2. — 4) cfr. Obseq. 24, a. 137; 47, a. 98; 61, a. 63. — 5) Avis incendiaria: Plin. n. h. 10. 36, Obseq. 40 a. 108, 51 a 94; Ael. Lamprid. Vit. Comm. 16. 2; bubo: Obseq. 26 a. 135; 27 a. 133; 30 a. 125; 32 a. 122; 40 a. 108; 46 a. 99 „bubone in urbe viso urbs lustrata", 47 a. 98; 49 a. 96; 53 a. 92; Dio 41. 14. 2 a. 49; milvus: Obseq. 12 a. 166, 52 a. 93; lupus: Obseq. 13 a. 165, 43 a. 104, 49 a. 96, 52 a. 93, 63 a. 57, Dio 41. 14. 2 a 49; Suet. Claud. 22: „dira avi in urbe aut in Capitolio visa, obsecratio habebatur". — 6) cfr. Plin. n. h. 10. 20: „sanqualem avem atque immusulum *augures Romani* magna in quaestione habent ... Quidam *post Mucium augurem* visos non esse Romae confirmavere, ego quod verisimilius, in desidia rerum omnium arbitror non agnitos".

Digitized by Google

rata sunt hominum prodigia, non ipsorum iussu, sed ex responsis pontificum aut haruspicum a senatu decretae sunt; praeterea etiam alia quaedam genera prodigiorum nominantur, quorum ratio habita est ab auguribus, ut pestilentiae et morbi et alia. Haec omnia copiam praebebant auguribus ut auctores esse possent senatui ut magistratus tamquam „vitio creati" abdicare cogerentur ad auspicia renovanda [1]). Denique providendum erat auguribus ne auspicia a magistratibus neglegerentur, neve quid ab eis inauspicato ageretur [2]: hoc magnum erat quia bi quoque quod sine non fieret, auspicato factum esse non posse sentiebant Romani, quo fiebat ut augures, si intererant actionibus magistratuum, etiam providere possent et deberent ut omnia rite fierent [3]: de auspiciis autem magistratus parere debebant auguribus [4]: actiones publicae contra auspicia susceptae dirimebantur iussu auguris et in alium diem differebantur [5]); post rem actam augures decernere poterant eam contra auspicia esse gestam, qua facta poena repeti poterat a magistratu [6]), et leges ita factae poterant a senatu tolli [7]). Augures igitur etiam tempore liberae reipublicae iueri potuerunt partes admodum graves in administratione reipublicae: has partes, per aliquot saecula qualicumque modo sustentas, sub finem secundi saeculi ante C. n. demum, ut videtur, propria socordia et neglegentia penitus fere deposuerunt [8]: quo tempore etiam omissi sunt conventus collegii qui antea ab eis haberi solebant Nonis „commentandi atque inter se colloquendi causa" [9]). Sed quamquam has ob causas etiam tempore liberae reipublicae aliqua custodia magistratuum penes augurum collegium fuisse dici potest, tamen post reges exactos non amplius potuerunt pro arbitrio moram afferre

1) (Vo. leg. 2. 12. 31: „(augures) posse decernere ut magistratu se abdicent consules". Vid. exempl. coll. Mnemos. XVIII pag. 234 sq. — 2) Plut. Aem. Paull. 8: (αὐ)γυρες) οὓς τῆς ἀπ' ὀρνίθων καὶ διοσημειῶν ἀποδεικνύουσι μαντικῆς ἐπισκόπους καὶ φύλακας. Plut. Marcell. 2: τοῦτο δ' ἐστὶν ἱερωσύνης εἶδος, ᾧ μάλιστα τὴν ἀπ' οἰωνῶν μαντικὴν ἐπιβλέπειν καὶ παραφυλάττειν νόμος δέδωκεν. — 3) cfr. ex. gr. Varr. ll. 6. 95. — 4) Vid. loc. coll. Mnemos. XVIII pag. 444 sq. — 5) Cic. leg. 2 12. 31, Liv. 1 36. 6. — 6) cfr. Schol. Cic. p. 337, Cic. div. 2. 33. 71, deor. nat. 2 3. 7, Liv. 41. 18, 45. 12. 10; Mnemos. XVIII pag. 423 adn. 1. — 7) Mnemos. XIX pag. 239 adn. 1 et 240 adn. 1 et 2. — 8) De neglegentia augurum saepe queritur Cicero, leg. 2. 13. 33; deor. nat. 2. 3. 9; div. 1. 15. 26 et 28; cfr. Plin. n. h 10 20 (supr. pag. 415 adn. 6). — 9) Cic. div. 1. 41. 90; de amic. 2. 7.

Digitized by Google

singulis actionibus domesticis aut militaribus quae suscipiebantur a magistratibus, cum non amplius adhiberi solerent ad eas inaugurandas neque amplius regerent auspicia impetrita magistratuum, ut saepe fecerant sub regibus. Quod iam a nonnullis regibus, ut Tarquinio Superbo, temptatum esse verisimile est, consules et dictatores a vetere consuetudine se liberos fecerunt, et in actionibus sacerdotum solis ratio inaugurandi integra servata est; tamen magistratus non statim ita eam deseruerunt, ut numquam eam usurparent; exemplum ex anno 437 supra allatum ostendit, copiam inaugurandi haud minus fuisse magistratibus qui vellent, quam antea regibus fuerat.

His peractis agemus de singulis inaugurationum generibus quae fuerunt tempore liberae reipublicae. Quattuor inaugurationes cognitae nobis sunt, quae ad caerimonias sacras pertineant: Augurium feriarum praecidanearum, Auguria Canarium, Salutis, Vinetorum Virgetorumque. Ad ferias praecidaneas (de quibus vid. Mnemos. XVII pag. 445 sq.) pertinet locus Gellii: *„verba Atei Capitonis ... scripsi: Tib. Coruncanio pontifici maximo feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. Collegium decrevit, non habendum religioni quin eo die feriae praecidaneae essent"*. Ex eo loco appâret, hoc sacrificium, uno vel pluribus diebus antequam fieret (supr. pag. 412 adn. 1), inauguratum esse iussu Pontificis Maximi, qui ei praefuturus erat. — Sacrificium Canarium (vid. Mnemos. ll.), quod recte a viris doctis ad Robigalia referri videtur [1]), a. d. VII kal. Maias fiebat a flamine Quirinali [2]), non sine pontificibus [3]), itaque horum iussu auspicia de eo ab auguribus captabantur. — Obsecratio Salutis fuit precatio sollemnis, qua semel anno, dummodo bellum nullum a Populo Romano gereretur, invocabatur Salus Populi [4]). Quid praeterea in hac caerimonia observaretur, memoriae traditum non est. Ne id quidem novimus, a quonam recitata sit precationis formula [5]); est cur suspicetur quispiam,

---

1) Marq. Staatsverw. 3 pag. 574; Preller—Iordan Röm. Myth. 2 pag. 44. — 2) Ovid. fast. 4. 910. — 3) Schol. Verg. Georg. 4. 425: „Romae omnibus annis sacrum Canarium fit per publicos sacerdotes". — 4) Τγίεια Dio 37. 24 sq.; Salus Populi Cic. leg. 2. 8. 21. — 5) „Precatio augurum", quam memorat Cic. nat. deor. 3. 20. 52, non videtur referenda esse ad hanc Obsecrationem, sed eam precationem significare videtur Cicero, qua in omnibus auspiciorum observationibus utebantur augures.

Digitized by Google

precationem dictam esse ab eo magistratu cui summum in urbe imperium esset [1]); hoc si verum esset, a. 63 Ciceroni consuli ea res quae ei peragenda esset, ab auguribus praerepta fuisset; sed quamquam novimus, eventum auspicii tum tamquam prodigium Ciceroni esse nuntiatum ab augure [2]), tamen ea res non ita a Cicerone narratur, ut ad ipsum tum pertinuisse videatur; praeterea quod ipsi consules et praetores in ea precatione nominabantur (voce: praetores maiores ac minores) [3]), ostendere videtur, eam non ab ipsis dictam esse; itaque verisimile videtur, eam habendam fuisse Pontifici Maximo, quem in aliis caerimoniis nonnumquam precationem populo praeiisse novimus [4]); quod si verum est, ea res a. 63 ad C. I. Caesarem recens Pontificem Maximum creatum pertinuit. Sed quamquam multa quae de hoc sollemni scire velimus posita sunt extra fines cognitionis nostrae, tamen pauca quae de eo traduntur inprimis utilia sunt ad illustrandam rationem inaugurationum. Hic diserte affirmatur, auspicia quae ab auguribus caperentur id valuisse, ut exquireretur num deis gratum esset ut fieret haec Obsecratio [5]), neque fas fuisse eam haberi si haec auspicia, quae ex avibus capiebantur [6]), adversa erant, ut fuerunt a. 63 [7]). Praeterea videmus, non solum auspicia, sed totam caerimoniam, dici: „Augurium Salutis" [8]), quamvis observatio auspiciorum pars tantum eius fuerit, neque ea pars maxima aut gravissima; eodem modo sacrum illud, de quo modo egi, quod vulgo dicitur Sacrificium aut Sacrum Canarium [9]), in commentariis Pontificum dicebatur Augurium Canarium, nullam aliam ob causam, quam quod inauguraretur [10]); cum ea re comparari potest quod antea animadverti (supr. pag. 407), etiam vocabulum

1) Pro ea sententia afferri possit Plin. n. h. 28. 11: „videmus certis precationibus obsecrasse summos magistratus, et ... de scripto praeire aliquem". — 2) Cic. divin. 1. 47. 105: „Tibi (Ciceroni) App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore ... Quem irridebant collegae tui, eumque tum Pisidam tum Soranum augurem esse dicebant". — 3) Fest. pag. 161. — 4) cfr. Suet. Claud 22. — 5) Dio 37. 24. 1: τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς Ὑγιείας μαντείας τις τρόπος ἐστί, πύστιν τινὰ ἔχων εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ θεὸς ὑγίειαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι. Supr. pag. 407 adn. 1. — 6) Dio 37. 25. 1. — 7) Cic. divin 1. 47. 105: „addubitato Salutis Augurio". — 8) Fest. pag. 161; Suet. Aug. 31; Dio 51. 20. 4; Tac. ann. 12. 23. — 9) Fest. pag. 285, Schol. Verg. Georg. 4. 425. — 10) Plin. n. h. 18. 14.

Digitized by Google

„inauguratio" ab auspiciis haud raro transferri ad ipsas caerimonias ad quas pertinerent. Denique memorabile etiam est, quod inprimis in hoc sollemni conspicitur, auspiciis augurum nonnumquam appositum esse nomen quod sumeretur, non ab ipsa caerimonia quae inauguraretur, sed (per attractionem) ab aliqua re quae in ea caerimonia maxime insignis esset; augures hic non dicuntur inaugurare Obsecrationem, sed ipsam Salutem [1]); augurium quod fit de Obsecratione dicitur Augurium non Obsecrationis sed Salutis [2]). — Hoc inprimis adhiberi potest ad explicandam quartam caerimoniam quam dixi, Augurium Vinetorum Virgetorumque. De ea Cicero haec scribit: *„augures ... sacerdotesque, Vineta Virgetaque, et Salutem Populi, auguranto, ... urbemque et agros templa liberata et effata habento"* [3]). Hoc loco clare distinguuntur tria genera inaugurationum; primum memorantur (vocabulo *sacerdotesque*) inaugurationes *hominum*; extremis vocabulis comprehenduntur inaugurationes *locorum*; quod inter utrumque interpositum est, pertinet ad *caerimonias* quasdam inauguratione sanciendas. Viri docti qui conati sunt, vocabula illa *„augurare Vineta Virgetaque"* referre ad inaugurationem *locorum* (quasi in omnibus vineis Romanis templa constituta fuissent ab auguribus) [4]), non satis reputavisse mihi videntur, loca inaugurata postea demum suo loco a Cicerone commemorari; praeterea ea vocabula a Cicerone ita coniunguntur cum illis „augurare Salutem Populi", ut utraque referamus necesse sit ad unum idemque genus inaugurationis. Quodsi tenemus, in hac formula quoque vocabulo „Augurium" appositum esse nomen non rei quae inauguraretur, sed (per attractionem) rei quae in ea caerimonia maxime insignis esset, apparet in hoc sollemni non ipsa Vineta Virgetaque esse inaugurata, sed caerimoniam aliquam ad ea pertinentem; neque aliam facile inveniemus quo id referre possimus, quam illam caerimoniam qua quotannis Vindemiam auspicabatur flamen dialis, quae antea a nobis descripta est (Mnemos. XVII pag. 451 sq.). Hanc Primae Uvae Lectionem, qua Vineta Vir-

1) Cic. leg. 2. 8. 21: „augures ... Salutem Populi auguranto". — 2) Dio 37. 24. 1, Cic. div. 1. 47. 105, cfr. pag. 418 adn. 8. — 3) Cic. leg. 2. 8. 20 sq. — 4) cfr. Marquardt Röm. Staatsverw. 3 p. 409.

Digitized by Google

getaque sollemni ritu a flamine diali vindemiatoribus permittebantur, non sine responso augurum susceptam esse admodum verisimile est, eodem modo quo „ante fruges novas captas" *inaugurato* habebantur feriae praecidaneae [1]). In ea formula autem cur iuxta Vineta etiam nominata sint Virgeta, intelleget qui reputaverit, Romanos vitem coluisse duobus modis, scil. in Vinetis sive Vineis ubi vites aut pedamentis alligatae sustinebantur aut se ipsae sustinebant sine adminiculo, et in Virgetis sive Arbustis [2]); hanc ob causam saepe coniuncta sunt haec vocabula *Vineta et Virgeta* sive *Vineta Virgultaque* [3]) sive *Vineae et Arbusta* [4]) ad significandas *omnes terras quibus vitis colitur*, quod idem in hac formula factum est. — Praeter has caerimonias non multa alia fuisse sollemnia stata et anniversaria, quae inaugurarentur, iam probari videtur silentio Ciceronis (pag. 419 adn. 3); sed non dubito quin Sacra quaedam imperativa, quae Cicero percensere non potuit, inprimis lustrationes Urbis et Arcis, non sine inauguratione facta sint.

Inaugurationes hominum tempore liberae reipublicae in sacerdotibus solis retentae sunt. Novimus Regem Sacrorum et flamines inauguratos esse comitiis calatis; sed praeterea multos alios sacerdotes inauguratos esse recte affirmavit Marquardt [5]) et confirmant auctores nostri. Quod Cicero scripsit (sup. pag. 419 adn. 3): *„augures ... sacerdotes ... auguranto"* vix ferri posset si in paucos tantum id caderet. Sacerdotes quorum inaugurationes apud Livium memorantur sunt praeter regem Sacrorum [6]) et flamines dialem [7]) et martialem [8]) augures [9]) et pontifices [10]). Itaque auspicia quae de pontificibus capta esse tradit Dionysius, non ab ipsis sed ab auguribus capta esse apparet [11]). Alio loco, de quo infra mihi agendum erit, Dionysius dicit augures, curiones, flamines curiarum,

---

1) Gell. 4. 6. 8. — 2) cfr. Plin. n. h. 7. 199 sqq („nobilia vina non nisi in Arbustis gigni"), Cato r. r. 7. 1. — 3) Cato r. r. 141. '— 4) Cic. Senect. 15. 54, cfr. Plin. n h. 18. 328, 17. 19. — 5) Marquardt Staatsverw. 3 pag. 280, cfr. Mommsen Staatsr. 2 pag. 33—36, 3 pag. 307. — 6) Liv. 27. 36, 40. 42. 8. — 7) Liv. 27. 8; 41. 28, cfr. Cai. 1. 130. — 8) Liv. 29. 38: „creatus inauguratusque"; cfr. Macr. Sat. 3. 13. 11. — 9) Liv. 27. 36: „creatus inauguratusque"; 30. 26; 33. 44: „lectus inauguratusque"; cfr. Suet. Calig. 12, Cic. Brut. 1. 1. — 10) Liv. 30. 26. — 11) Dionys. 2. 73.

Digitized by Google

tribunos celerum esse confirmatos ab auguribus, *ἐπικεκυρῶσθαι ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς* [1]). Virgines Vestales vero, quandoquidem sacerdotio abeuntes non solum dicebantur exaugurari, sed etiam capite damnatae non ante necarentur quam exauguratae essent, ut „in ea oratione quae de *auguribus* inscribitur" scripsit Cato, certe etiam inauguratae sunt [2]); Salii autem sub imperatoribus dicebantur ineuntes inaugurari et abeuntes exaugurari [3]), quae caerimoniae etiamsi tum fortassse non fiebant per augurem, tamen vix potuissent his nominibus designari, nisi antiquitus ab ipsis auguribus peractae fuissent. Sed scriptores iuris periti, cum de flaminibus dialibus et de viriginibus vestalibus mentionem facerent, repetiverunt initium sacerdotii in virginibus ab eo tempore cum caperentur, in flaminibus vero ab eo tempore demum cum inaugurarentur [4]). Inde fuerunt qui deducerent, virgines non esse inauguratas [5]). Verum scriptores illi minime negant, virgines vestales esse inauguratas, non magis quam negant aut negare potuerunt, flamines esse captos, quod factum esse certo scimus [6]); apparet igitur, sacerdotes, qui caperentur, nihilominus potuisse inaugurari. De Cai verbis infra (§ 4) diligentius agam.

§ 2 DE COMITIIS CALATIS.

Comitia calata fuerunt partim curiata, partim centuriata [7]). Memorantur in inaugurationibus [8]), in testamentis faciendis [9]), in sacrorum detestationibus [10]). Sententia quae hodie maxime vulgata est, quam defendit W. A. Becker et nuper probavit Mommsen, haec est, calata fuisse ea comitia quae haberentur a Pontifice Maximo [11]). Itaque qui hanc sententiam tenent, se-

1) Dionys. 2. 22. — 2) Gell. 7. 7. 4; Fest. pag. 241. — 3) Fast. Sal. Marquardt 3 p. 429 adn. 1; Capitol. Vit. M. Anton. 4. 4. — 4) Cai. 1. 130: „praeterea exeunt liberi virilis sexus de parentis potestate, si flamines diales inaugurentur, et feminini sexus, si virgines vestales capiantur". Ulpian, 10. 5. — 5) Mommsen 3 pag. 34 adn. 3, Marq. 3 p. 338 adn. 2. — 6) Gell. 1. 12. 15 et 16; Liv. 27. 8. — 7) Gell. 15. 27. 2. — 8) Gell. l.l. § 1. — 9) Cai. 2. 101; Ulpian. 10. 2; Gell. l.l. § 3. — 10) Gell. ll. § 3. — 11) Becker Handbuch 2. 1 pag. 365: „Zunächst ist darüber kein Zweifel, dass sie *pro collegio pontificum* gehalten wurden, d. h. dass die Pontifices kraft ihrer Würde und ihres Amts die Versammlung beriefen und als vorsitzende abhielten. Eben daher heissen sie auch *calata*, indem *calare*, wenn nicht eigenthümlicher, doch alterthümlich beibehaltener Ausdruck der priesterlichen Sprache ist, und *calatores* vorzugsweise die Diener der Pontifices genannt werden". Mommsen

Digitized by Google

cundum eam definiunt actiones quas his comitiis peractas esse censent. Sic Becker, ubi percenset actiones quae calatis comitiis tribuendae videantur, addidit ad eas quas dixi (pag. 421 adn. 8—10) caerimonias illas quibus primum kalendis in Capitolio in Curia Calabra calabantur cuiusque mensis nonae, deinde nonis in Arce a rege edicebantur feriae; sed Mommsen recte monuit, hos conventus populi omnino ad comitia non pertinere [1]). Deinde Becker ita distinxit inter comitia calata curiata et centuriata, ut ad curiata referret reliquas actiones, ad centuriata vero cum illas indictiones nonarum et feriarum, tum vero testamenta a viris plebeis facta. Multo plenius et accuratius illam sententiam praesumptam exsecutus est Mommsen. Is rettulit ad comitia calata curiata: *a* constitutionem gentis plebeiae sive stirpis, quam remansisse censet postquam sublata esset cooptatio inter patricios [2]); *b* arrogationem et detestationem sacrorum; *c* gentis enuptionem; *d* restitutionem eius qui gentem suam amisisset; *e* testamentum calatum [3]); *f* inaugurationem Regis sacrorum et flaminis dialis et flaminis Quirinalis [4]). Ad comitia calata centuriata vero (cum censeat centurias fuisse perantiquas, et comitia centuriata initio a patriciis solis inita esse et primum XXXIII, deinde XXXVI centuriarum, aliquanto post demum CXCIII centuriarum, fuisse, cumque statuat conventus populi antiquissimos qui a principio centuriatim haberentur fuisse ipsum censum, et censu peracto lustrum, et comitia in quibus de bello gerendo decerneretur) [5]) — ad centuriata calata igitur ab eo refertur: *g* inauguratio flaminis martialis [6]). Huic coniecturae, qua inaugurationem unius sacerdotis (flaminis martialis) a reliquis inaugurationibus seiunctam ad comitia *centuriata* calata rettulit, fundamento esse voluit locum Servii, qui ad Aen. 6. 859 adnotavit: „*Quirinus est Mars qui praeest paci et intra civitatem colitur, nam belli Mars extra civitatem templum habet*"; cum inde deduceret, flaminem Martis etiam inaugurandum fuisse extra pomerium, et

---

Staatsr. 3 pag. 39 adn. 1: »die unter Leitung des Pontifex abgehaltenen Comitien heissen technisch calata"; ibid. 3 pag. 318; 2 pag. 37. — 1) Mommsen 2 pag. 40 adn 2. — 2) Mommsen 3 pag. 32, 74, 132, 318. — 3) De his vid. Mommsen 3 pag. 318 sq. — 4) Mommsen 3 pag. 307. — Mommsen statuit, de rebus quas sub *a*—*e* posui, populum comitiis calatis suffragium tulisse; de rebus vero sub *f* et *g* positis comitia calata habita esse in quibus nullum suffragium ferretur. — 5) Mommsen 3 pag. 104, 306, 316, 244 sqq.; 307, 312, 317. — 6) Mommsen 3 pag. 307.

Digitized by Google

in Campo Martio quidem, statuit populum huic inaugurationi interfuisse secundum centurias ordinatum, quia non liceret curias extra pomerium vocari [1]). Hoc modo igitur Mommsen conatus est satisfacere duabus condicionibus quas ipse sibi tulerat, quarum una erat ut integram servaret illam opinionem praesumptam, comitia calata esse a pontifice habita, altera vero ut teneret, comitia centuriata calata nusquam referri posse nisi ad inaugurationem sacerdotis alicuius; utramque sententiam enim probari censet verbis Labeonis apud Gellium servatis, quae mox afferam. His duabus condicionibus prorsus nititur coniectura quam fecit de flamine martiali in comitiis *centuriatis* calatis inaugurando; nam per se haec coniectura, etsi facta est ea sagacitate quam admirari facilius quam imitari quis possit, non multum habet quo se commendet; ut iam silentio praetermittam illos conventus populi centuriatim habitos, perantiquos et Servio Tullio rege multo antiquiores, de quibus vehementer dubitari licet, id certe necessarium non esse videtur, flaminem Martis extra pomerium inauguratum esse etiamsi templum Martis fuerit extra pomerium, et vix opus est provocare ad Salios qui Martem coluerunt in urbe. Sed, ut dixi, grati certe acciperemus coniecturam qua careri non posset, si probaremus duas illas condiciones. Verum neutra harum satis firma videtur. Videamus quae vis cogens insit in verbis Labeonis. Gellius (15. 27. § 1 et 2) hoc tradit: *„in libro Laelii Felicis ... scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse quae pro collegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. Eorum autem alia esse curiata, alia centuriata. Curiata per lictorem curiatium calari i. e. advocari, centuriata per cornicinem"*. Manifestum est, verba *„calata comitia esse quae pro collegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa"* duobus modis intellegi posse. Nam aut existimare possumus, id quod de comitiis calatis in hac sententia praedicetur (ea esse comitia ad regem aut flaminem inaugurandum a pontifice habita) ita comprehendere totam proprietatem eorum comitiorum, ut ex his excludantur omnes reliquae actiones sacerdotum aut magistratuum, neque praeterea quidquam ad comitia calata perti-

1) Mommsen 3 pag. 307 adn. 1.

Digitized by Google

nere diserte affirmetur. Aut opinari possumus, illud quod de eis ibi praedicetur, exempli gratia tantum esse dictum, omissis aliis actionibus eo pertinentibus quas in ea sententia quam attuli nondum commemorare sed postea demum attingere voluisset Labeo. Si priorem interpretationem sequeremur, fieri non posset quin concederemus, hunc locum omnia probare quae ex eo hodie deducere solent viri docti, 1° calata comitia nulla fuisse quae non pro collegio pontificum haberentur; 2° omnia comitia, quae pro collegio pontificum haberentur, fuisse calata [1]); 3° comitia calata in quibus inaugurarentur rex et flamines non omnia fuisse curiata, sed inter ea fuisse quae centuriatim haberentur, neque comitia centuriata calata alio referri posse nisi ad inaugurationem aliquam [2]). Sed hanc priorem interpretationem huius sententiae nullo modo teneri posse, inquirentibus statim apparet; nam si vera esset, sequeretur Labeonem in ea sententia quam attuli negavisse, testamenta calata et detestationes sacrorum factas esse comitiis calatis, quod ab eo negatum esse non potest (supr. pag. 421 adn. 9 et 10). Iam ei qui suspicantur (quod verum esse videtur) etiam id quod proxima paragrapho (§ 3) a Gellio additur, fluxisse ex eodem fonte e quo hausta est sententia de qua agimus, i. e. e libro Labeonis, palam reiciunt hanc interpretationem. Etiam arrogationes, quas Gellius hoc loco non memoravit [3]), quae mihi ad comitia calata pertinere non videntur, tribui debent et tribuuntur comitiis calatis ab eis qui censent omnia comitia quae pro collegio pontificum haberentur fuisse calata; praeterea Mommsen etiam multas alias res, a Labeone et a Gellio h. l. non commemoratas, attulit, quas comitiis calatis actas esse censet, quae mihi quidem non satis exploratae esse videntur (eas supra posui pag. 422 sub *a*, *c*, *d*);

---

1) cfr. Mommsen 2 pag. 38 adn. 1: »alle *pro collegio pontificum* gehaltenen Comitien müssen deswegen als *calata* angesehen werden, weil theils Labeo dies ausdrücklich sagt, theils die Vergleichung des Gebrauches von *calare*, *calator*, *curia calabra* deutlich darauf hinweist, dass *calatus* eben nichts heisst als pontifical". — 2) cfr. Mommsen 2 pag. 37 adn. 4: »dass auch die *comitia centuriata*, soweit sie zur Inauguration, nicht zur Beschlussfassung, zusammentreten, *calata* sind und von den Pontifices berufen werden, sagt Labeo". — 3) Mommsen quidem nuper coniecit (Staatsr. 2 pag. 38 adn. 1) Gellium, cum nominaret (§ 3) *sacrorum detestationes* hoc vocabulo nihil aliud designare voluisse quam ipsas *arrogationes*; sed infra apparebit, cur id probare nequeam.

Digitized by Google

quod facere non posset, nisi ipse quoque reiceret priorem illam interpretationem sententiae Labeonis a Gellio servatae. Utique apparet, omnium consensu veram esse alteram interpretationem. Labeo (sive eius verba ad litteram a Gellio relata habemus, sive ea in novam deterioremque formam redegit Gellius) in hac sententia dicere voluit, calata comitia fuisse cum alia (quorum et ipse fortasse nonnulla in proximis sententiis suis allaturus erat, et nos nominatim afferre possumus comitia in quibus testamenta fiebant, et comitia in quibus fiebant detestationes sacrorum, quorum vero etiam multa alia fortasse fuerunt quae forte fortuna a nullo scriptore nobis servato ad ea referuntur), tum vero (nam haec sola exempli gratia ab eo nominantur in hac priore sententia) comitia quibus pro pontificum collegio inaugurarentur rex et flamines; itaque cum pergeret: *„eorum autem alia esse curiata, alia centuriata"*, vocabulum *eorum* non referri voluit ad comitia inaugurandi causa habita solum, sed omnino ad comitia calata. Atqui haec interpretatio, quam accipere debemus nisi credere volumus Labeonem turpissime erravisse, postulat ut agnoscamus nihil eorum quae modo dixi pro certo ex hac prima sententia Labeonis posse effici. Haud multum in ea nos docet Labeo de comitiis calatis. Quodsi argumentis aliunde petitis eo deducemur, licebit nobis credere salva auctoritate Labeonis 1° alia quaedam comitia, quae non pro collegio pontificum sed a magistratibus haberentur, tamen fuisse calata; 2° ex comitiis quae pro collegio pontificum haberentur alia fuisse calata, alia non fuisse; 3° comitia calata *centuriata* pertinuisse ad res ab inaugurationibus longe diversas, quin etiam a pontificibus alienas. — Repudiato igitur argumento quod e verbis Labeonis sumitur, non plus tribuere poterimus alteri argumento, *calatus* significare *pontificalis*, et ob eam causam omnia comitia calata habenda esse pro pontificalibus (supr. pag. 424 adn. 1, cfr. pag. 421 adn. 11). Nam etiamsi quis concederet, radicem verbi *calare* servatum esse in duobus vocabulis (*calator*, et *curia calabra*) quae ad sacerdotes pertinerent (quamquam vocabuli *calator* etiam est usus privatus satis frequens apud antiquiores auctores, et de curia calabra fere nihil nobis notum est), tamen tenendum ei esset, id casu quodam factum esse, et praeterea etiam hunc radicem servatum esse in

Digitized by Google

vocabulo (*comitia calata*) quod non minus ad magistratus quam ad pontifices pertineret. Nam Servius utitur hoc vocabulo cum de *senatu* sermo sit (p. 426 adn. 2). Et si verum esset, comitia quae iussu pontificis convocarentur calata dicta esse ut distinguerentur a comitiis magistratuum, certe etiam calata dicenda fuissent comitia quibus arrogationes fierent, quae pontificalia fuisse novimus. Sed apparet hoc factum non esse, nam scriptores iuris periti, qui cum de testamentis calatis agant diligenter addunt ea facta esse comitiis calatis, aeque diligenter eo vocabulo abstinent cum agant de arrogationibus, quarum mentio multo crebrior est [1]). Itaque postquam haec percensui, iam mihi licet brevi exponere quid de comitiis calatis sentiam.

Primum indagemus num in ipso vocabulo „calatus" aliquid insit quo definiri possit certum genus comitiorum. Constat, *calare* aliquando nihil aliud fuisse quam *advocare* [2]); quo tempore illud vocabulum in usu erat, vox *calatus* quae omnibus comitiis apta erat, aliquam ob causam apposita est uni generi comitiorum, et tamquam nomen proprium in nomine horum comitiorum servatum est, cum praeterea e sermone fere excideret. Fieri autem potest, ut ea causa quam dico fuerit eadem, quae in aliis quoque formulis et locutionibus valuit, haec scilicet: cum in genus aliquod rerum aut hominum, quod nomine quodam designatur, cadant duae proprietates, ita ut altera proprietas ad omnes res aut homines illius generis, altera vero ad partem maiorem tantum pertineat, hae duae species saepe ita distinguuntur apud Romanos, ut nomen illius proprietatis quae omnibus communis est, apponatur eis solis, quae careant altera; tum nomen appositum non solum significat, rem aut hominem de quo agatur habere illam proprietatem toti generi communem, sed inprimis significat, eam carere altera. Sic omnia Sen-Clta quidem fiunt per discessionem, sed cum alia fiant per

1) Cai. 1. 98—108; Ulp. 8. 2 et 3; Gell. 5. 19. 1—10 (§ 5: „comitia arbitris pontificibus praebentur quae *curiata* appellantur"). Etiam apud alios auctores qui crebro memorant comitia de arrogationibus habita, haec comitia numquam calata dicuntur. Cfr. Becker-Marquardt 2. 3. pag. 192: „die Arrogation geschah aber nicht in comitiis calatis". — 2) Lab. ap. Gell. 15. 27. 2: „curiata per lictorem curiatium calari, i. e. convocari, centuriata per cornicinem". Serv. Aen. 8. 654: „ut ibi patres vel populus calarentur, i. e. vocarentur". Macrob. Saturn. 1. 15. 9: „calata i. e. vocata in Capitolium plebe".

Digitized by Google

sententias rogatas *et* per discessionem, alia per discessionem *sine* sententiis rogatis, haec sola de quibus sententiae rogatae *non* sunt dicuntur facta esse per discessionem; nemo nescit Gellium hoc explanare non potuisse, cum ignoraret eam consuetudinem loquendi [1]). Hanc rationem, quam optime nuper exposuit et exemplis illustravit Mommsen [2]), nunc experiendi causa transferamus ad comitia, in quae certe duae cadunt proprietates, ut advocentur, et ut conveniant; tum sequitur ut ea comitia dici potuerint „advocata", quae cum vocata essent non convenirent. Atqui novimus, comitia quaedam fuisse quae a civibus non inirentur; talia fuerunt curiata illa et centuriata, quibus semper rogabantur leges curiatae et centuriatae *de imperio et potestate magistratuum*. Sed Cicero, qui solus de his comitiis aliquid nos docuit in oratione de domo sua (nam praeterea nusquam eorum mentio fit), ibi non negat quidem, sed non magis dicit, haec comitia dicta esse „calata"; itaque ea res non sufficit, cum quaeramus num illo signo quod in nomine ipso inesse videatur, revera contineatur id quod proprium fuerit comitiis calatis. Id tum demum demonstratum erit, si ostenderimus etiam in eo quod de comitiis calatis aut omnibus aut nonnullis nos docent auctores, aliquid inesse quod probet, haec non a civibus esse inita. Atqui id cadit primum in comitia quibus testamenta fiebant, de quibus Gellius: *„tria* ait *genera testamentorum fuisse accepimus: unum quod calatis comitiis in populi contione fieret, alterum in procinctu . . ., tertium per familiae mancipationem"* [3]). H. l. Gellius ipse indicavit quae esset vis vocabuli „calatus", cum id interpretaretur verbis „in populi contione". Non licet nobis credere, haec verba a Gellio addita esse ut explicaret totam formulam „calatis comitiis", quasi scribere voluisset, testamenta fieri *„calatis comitiis, i. e., in populi contione"*. Viri docti, qui hunc locum ita interpretati sunt [4]), vim attulerunt sententiae Gellii, non perducti obscuritate ipsius loci, quae nulla est, sed opinione praesumpta quae teneri non

1) Gell. 14. 7. 12. — 2) Mommsen Staatsr. 3 pag. 840: „nach der bekannten Römischen Redeweise, die allgemein gültige Kategorie terminologisch speciell für die geringere Rangklasse zu verwerthen. Vid. ibid. adn. 2. — 3) Gell. 15. 27. 3. — 4) cfr Rubino Untersuchungen pag. 244 adn. 2, Becker Handb. 2. 1 pag. 370 adn. 15; Mommsen Staatsr. 3. 1. p. 319 adn. 3.

Digitized by Google

posset si hic locus recte explicaretur. Itaque statuerunt, Gellium h. l. dixisse, comitia calata ipsa fuisse contionem; cum tamen nemo nesciat, comitia esse conventum in quo suffragia ferantur, contionem vero esse conventum in quo suffragium non fiat, ut ipse Gellius docuit [1]). Manifestum est, illam interpretationem ferri non posse, et id quod dixit Gellius, testamenta fieri *calatis comitiis in populi contione* idem valere ac si dixisset, testamenta fieri *„comitiis quae dicebantur calata, quae habebantur in populi contione"*. Atqui comitia in contione haberi non potuerunt, si fuerunt vera comitia populi. Pontifex qui praeerat actioni qua testamenta fiebant, non potuit populum in contione habere postquam comitia advocaverat, nisi moribus constitutum fuit ut ad vocationem comitiorum non ipse populus responderet, sed privati quidam, quibus id mandari posset ut in hac actione repraesentarent vicem populi; alioquin pontifex populum aut ex contione sua ad comitia sua, aut ex comitiis suis ad contionem suam avocaturus fuisset [2]). Hanc ob causam Gellius ad vocabulum „in contione" non temere addidit illud „populi", ut simul significaret cives qui adessent cum testamenta fierent non in comitiis sed in contione fuisse, et comitia illa facta esse sine populo. Videmus igitur, comitia calata in quibus testamenta fiebant, non esse inita a populo; in eis quoque suffragium ferebatur a XXX lictoribus; verum ea caerimonia non clam agebatur, sed advocabatur contio, et in contione ei intererat populus. Deinde vero locus, quo Livius describit inaugurationem Numae regis (1. 18), confirmare videtur, comitia, quae inaugurandi causa haberentur tempore liberae reipublicae, non a civibus esse inita, quia difficultas quaedam quam is locus praebet, quae alioquin vix solvi potest, facile solvetur si id ita se habuisse agnoverimus. Livius enim, nulla mentione facta comitiorum, hoc tantum dicit: „auspiciis missis *declaratus rex Numa* de templo descendit". Tamen statuamus necesse est, secundum

1) Gell. 13. 16. 3; 15. 27. 4. — 2) Contionem et vera comitia populi non potuisse simul ab eodem de eadem re haberi, recte agnovit Mommsen, cum ita describeret initium comitiorum (Staatsr. 3. 1 pag. 397): „es folgt die Abstimmung: die nicht gegliederte *contio* verwandelt sich in die gegliederten *comitia*". His verbis ipse refutare videtur quod antea de eodem re scripserat ut tueretur interpretationem illam vulgatam loci Gellii (3 pag. 319 adn. 3): „dass die *contio* ein integrirender Theil der comitia ist".

Digitized by Google

veteres annalium scriptores hanc caerimoniam non sine comitiis actam esse, nam Cicero diserte tradit (rep. 2. 13. 25): „*Numa, quamquam populus curiatis cum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit*"; praeterea constat, inaugurationes Regum Sacrorum, quarum ritus a Livio (vel eius auctore) ad Numam translatus est, factas non esse sine comitiis calatis. Itaque haec sola causa inveniri potest cur Livius silentio omiserit haec comitia, quod non dubitaverit quin etiam fuissent dicis causa tantum sine populo per verba et formulas quasdam habita; quod si verum est, apparet comitia, quae tempore liberae reipublicae habebantur inaugurandi causa, quae ipsa fuerunt calata, non a civibus esse inita. Itaque cum possimus de uno genere comitiorum calatorum (testamentis faciendis) pro certo affirmare, de secundo (inaugurationibus habendis) non sine certa ratione suspicari, ea a civibus inita non esse, iam licet nobis pro explorato habere quod supra posui, et affirmare comitia calata revera hoc nomen accepisse ex illa consuetudine qua saepe species una proprietate carens notatur nomine alterius proprietatis toti generi communis. Calata dicebantur ea comitia partim a magistratibus partim a pontificibus habita quae „ad speciem atque ad usurpationem vetustatis adumbrata" a Cicerone opponuntur „veris comitiis, hoc est, populi suffragiis" [1]); eorum alia fuerunt curiata, quae habebantur „per triginta lictores", alia centuriata, per aliquanto maiorem numerum privatorum qui singuli in singulas centurias distribuebantur. Possumus igitur ad eas res quas comitiis calatis actas esse supra dixi (pag. 421 adn. 8—10) addere leges illas quae ferebantur de imperio et potestate magistratuum, quae neque a Cicerone neque a Labeone e comitiis calatis excluduntur; deinde iam manifestum est illa comitia *centuriata* calata, quae commemoravit Labeo, fuisse comitia quibus a consulibus „centuriata lex censoribus ferebatur" de eorum potestate censoria, quae etiam a civibus inita non esse dicit Cicero [2]). Arrogationes vero, si recte supra monui eas referendas non esse ad comitia calata, quoniam auctores qui de eis agunt sedulo abstineant

1) Cic. leg. agr. 2. 12. 31. — 2) Cic. leg. agr. 2. 11. 26. sq. Cicero cum dicat: „nunc illa *prima* comitia tenetis", indicat *secunda* comitia, in quibus etiam erant centuriata illa, non esse inita a populo.

Digitized by Google

hoc vocabulo (supr. pag. 426 adn. 1), actae esse debent veris comitiis; revera loci quibus caerimonia arrogationis satis diligenter describitur, eiusmodi sunt ut nonnisi de veris comitiis et de populi suffragiis cogitasse videantur auctores [1]). Sed detestationes sacrorum fiebant comitiis calatis, ut docet Gellius. Itaque quod dixi teneri non poterit, nisi demonstravero detestationes sacrorum seiungendas esse ab arrogationibus (cfr. pag. 424 adn. 3). Atqui loci quos collegerunt viri docti non sinunt nos dubitare, me iudice, quin detestatio sacrorum quam dicit Gellius sit eadem quae apud auctores Graecos dicatur *ἐξωμοσία τῆς εὐγενείας* [2]), quod fuit genus quoddam transitionis ad plebem. Duobus modis enim ad plebem transire poterant patricii; aut per arrogationem, lege curiata, si a viro plebeio adoptabantur, ut Clodius a 59; haec actio quoque dici poterat transitio ad plebem [3]); aut vero etiam sine arrogatione, per detestationem sacrorum, quam ipsam quoque lege curiata comitiis curiatis (sed: calatis) fieri debuisse affirmat praeter Gellium Dio [4]); ea inprimis haud raro significari videtur cum de transitione ad plebem sermo sit [5]). A. 60 Clodius, cum ad plebem transire vellet, neutra ratione uti potuit; absente Pontifice Maximo, reliquis pontificibus morem ei non gerentibus, arrogari non potuit, neque vero comitia calata ei praebebantur ad sacra detestanda; itaque is tunc nova via ingredi conatus, pro comitiis curiatis calatis *concilium plebis*, pro lege curiata *plebiscitum*, pro pontifice *tribunum plebis* substitui posse perhibens, in concilio plebis sacra detestari instituit. Herennio tribuno plebis, de

1) Vid. inprimis Gell. 5. 19. 1—10, Cai. 1. 99, Cic. dom. 29. 77, Suet. Aug. 65; cfr. Becker-Marquardt 2.3 pag. 190 adn. 72. „dagegen scheinen für den Zweck der Arrogation wirkliche Curiatcomitien bis in den Anfang der Kaiserzeit fortgedauert zu haben". Verum quidem est, omnia quae ab auctoribus nostris scribuntur etiam recte se habitura fuisse si ea comitia per lictores habita essent, nam utrumque genus comitiorum non solum iure idem valebat, sed etiam verba et formulae in utroque eadem erant; sed tamen res satis disceptatur silentio auctorum, qui id indicare non fuissent omissuri si haec comitia specie tantum habita essent sine populo, neque, opinor, scriptores iurisperiti tam diligenter usurpaturi fuissent formulas: adoptare *per populum*, *populi* auctoritate, *populus* rogatur, quibus de testamento calato agentes consulto abstinent, vid. pag. 421 adn. 9. — 2) Zonar. 7. 15 pag. 342 B; Dio fr. 22. 2; Dio 37. 51. 1 (locos collegit Mommsen). — 3) cfr. Cic. prov. cons. 17. 42, Asc. pag. 25, Cic Att. 2. 7. 2, 2. 9. 1, Dio 39. 11. 2. — 4) Dio 37. 51. 2: *ἐν γὰρ τῇ ἐσφορᾷ τοῦ φρατριακοῦ νόμου μόνας ἐξῆν τοῦτο (τὸ τὴν εὐγένειαν ἐξομνύναι, ἢ ἐκποίησις) γίγνεσθαι.* — 5) Fortasse eo pertinent Cic. Brut. 16. 22, Dio 42. 29. 1, Liv. 4. 16. 3, Sueton. Aug. 2, vid. praeterea adn. 2.

Digitized by Google

ea re cum plebe agenti, frequenter intercessum est [1]); tamen plebiscitum qualecumque, et detestatio sacrorum novi exempli, perfecta esse videntur; sed deinde cum tribunatum peteret Clodius, consul Q. Metellus Celer eius rationem haberi passus non est, quod patricius esset neque rite esset sacra detestatus. Hoc tradit Dio [2]). Proximo anno vero, a. 59, Caesare comitia curiata praebente, Clodius a Fonteio arrogatus ad plebem transiit. Mirum non est, tum ab eo non esse adhibitam alteram rationem transeundi quae lege curiata comitiis curiatis sine arrogatione fiebat; nam ipse se iam superiore anno sacra detestatum esse dixerat in concilio plebis; quod si nunc iterum facere coepisset comitiis calatis, confessus esset se tum stultum fuisse. Haec cum ita se habeant, recte Mommsen mihi videtur antea iudicasse de transitione illa quae sine arrogatione fiebat [3]); quod nuper sententia mutata coniecit idem vir doctus [4]), hanc transitionem ad plebem sine arrogatione, quam non iure sed usu tantum valuisse censet, in concilio plebis tantum per plebiscitum fieri potuisse, eamque sedulo distinguendam esse a detestatione sacrorum calatis comitiis quam Gellius dicit, quae tota ad arrogationem pertineat, id mihi videtur non solum prorsus refutari auctoritate Dionis (pag. 430 adn. 4) et Q. Metelli consulis (cui etiam cum Clodium a tribunatu deiceret nullum tribunum plebis qui causam Clodii probaret, ne Herennium quidem, restitisse apparet), sed etiam sine ulla specie veri unice excogitatum esse ad tuendam opinionem recens susceptam, arrogationes factas esse comitiis calatis; nam quis hoc probabit, eam quam Graeci dicant *τὴν ἐξωμοσίαν τῆς εὐγενείας* separari a detestatione sacrorum quam Gellius dicat, et ad concilium plebis referri illam, hanc vero ad comitia calata, cum ipsa vocabula indicent, unam eandemque rem fuisse utramque? Rectius, opinor, tenebimus id quod verum esse antea visum est viro

1) Cic. Att. 1. 18. 4: „C. Herennius ... trib. pl. ... ad plebem P. Clodium traducit"; 1. 19. 5: „Herennium ... trib. pl. ... saepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse: huic frequenter intercoeditur". Rem a Clodio per plebiscitum, in concilio plebis, non in contione, actam esse, apparet quia Cicero utitur vocabulis *agere* et *intercedere*, et quia detestatio sacrorum quae rite fieret, indigebat legis curiatae. — 2) Dio 37. 51. 2. — 3) Röm. Forschungen 1 pag. 126; cfr. ibid. pag. 402 sq.: „Wahrscheinlich hat Metellus bei seiner Anfechtung sich ... berufen ... darauf dass die Erklärung nicht ... in comitiis calatis abgelegt war". — 4) Mommsen Staatsr. 3 pag. 186 sq.

Digitized by Google

clarissimo, transitionem ad plebem quae fieret sine arrogatione, quae fuit ipsa detestatio sacrorum, indiguisse legis curiatae, a pontifice factae, non secus atque ipsam arrogationem [1]); quamquam mirum non est, illam, cum non tangeret caput civis, existimatam esse recte fieri posse sine populo, modo auctores essent pontifices, suffragio XXX lictorum, comitiis calatis, hanc vero, qua de capite civis deminueretur, non fieri licuisse sine vero populi suffragio. — Sed haec res ad finem perducta non erit antequam quaesiverimus, utrum existimare debeamus detestationem sacrorum, quam per se stare potuisse ostendimus, praeterea etiam peragendam fuisse in omnibus arrogationibus, an vero eam omnino in arrogationibus locum non habuisse. Mommsen, qui statuit detestationem sacrorum fuisse partem necessariam arrogationis, sine qua fieri non posset, attulit ut id probaret verba Servii (Aen. 2. 156): *„consuetudo apud antiquos fuit, ut, qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicaret ab ea in qua fuerat, et sic ab alia acciperetur"*. Sed haec verba ad detestationem sacrorum non pertinere mihi videntur. Sane ei qui arrogabantur interrogabantur *„num in alienam sese potestatem traderent eiusque rei ipsi auctores fierent"* [2]); si *„aut negassent, aut tacuissent"*, lex curiata etiamsi forte ferretur et acciperetur, *„rata esse non posset"* [3]); vere igitur Servius dixit, *„eum qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicasse ab ea in qua fuerat"*; deinde is qui arrogabat interrogabatur eodem modo num auctor fieret, is igitur cum hoc affirmaret, *„in novam familiam accipiebat illum"*. Sed haec omnia, quorum praeter Servium etiam alios auctores idoneos habemus, longe diversa sunt a detestatione sacrorum. In arrogatione enim sacra amitte-

1) Comitiis quibus fierent arrogationes, non praefuisse magistratus (ut antea censebant viri docti, cfr. Becker-Marquardt 2. 3 pag. 192) sed pontifices maximos, satis me iudice probavit Mommsen; comitiis calatis vero, quibus fierent detestationes sacrorum, etiam praefuisse pontifices credo, non quod calata utique fuerint pontificalia, neque quod id affirmaverit Labeo, sed quod similitudo rerum utrisque comitiis actarum id exigere videtur; itaque de ea re consentio cum v. d. Herzog (Geschichte und System der Röm. Staatsverfassung) 1. pag. 1064 adn. 1. — Praeterea arbitror, comitia, quae a pontificibus praeberentur, rata fuisse quamvis Patres Auctores non fierent, et in eis suffecisse Auctoritatem Pontificum. Argumentum quod maxime in promptu est, peto ex arrogatione Clodii, a. 59 decreta, de qua agunt auctores sine ulla mentione Patrum Auctoritatis. — 2) Cai. 1. 99; Gell. 5. 19. 4. — 3) Cic. dom. 29. 77.

Digitized by Google

bantur quidem [1]), verum amittebantur non detestatione sed deminutione capitis eius qui arrogabatur, quae ex lege pendebat; dubium non est, si forte aliquando curiae rogatione antiquata vetuissent *„L. Valerium L. Titio tam iure legeque filium esse, quam si ex eo natus esset"*, quin sacra mansura fuissent L. Valerio, quamvis is antea frustra auctor factus „a familia sua se abdicare" conatus esset. In detestatione sacrorum contra, quae comitiis calatis fiebat, sacra amittebantur non lege, sed (ut ipsum nomen indicat) detestatione, quae facta sit necesse est postquam a lictoribus accepta esset lex curiata dicis causa lata, qua curiae permittebant ut detestatio fieret. Itaque nullus locus fuisse videtur detestationi sacrorum in arrogationibus, neque quidquam superest quo prohibeamur hanc caerimoniam totam relinquere comitiis illis quae fiebant per XXX lictores; quo facto nobis licet plene separare res quae absolvi poterant comitiis adumbratis sive calatis (quae sunt leges curiatae et centuriatae de imperio et potestate magistratuum, inaugurationes sacerdotum quorundam, testamentorum factiones, detestationes sacrorum), ab actionibus gravioribus quae indigebant veri suffragii civium, inter quas etiam erant arrogationes.

Sed percensis actionibus, quae fiebant his comitiis calatis sive imaginariis, etiam animum attendere debemus ad aliam rem, qua a veris comitiis populi diversa fuisse videantur comitia calata. Ea res non pertinet ad modum quo convocata sint. Novimus omnia comitia et concilia esse calata, i. e. advocata, eo die quo habenda essent [2]). Ritus vocandi non in omnibus idem erat; cum comitia centuriata habenda essent, Quirites, primum de muris „illicium" calatos per accensum aut praeconem et per cornicinem, deinde per accensum aut praeconem ad contionem vocatos esse tradit Varro [3]); sed in his comitiis caerimoniae vocationis paulatim omni veritate amissa abierunt in seriem formularum inanium dicis causa pronuntiatarum; ad ultimum res eo pervenit, cum cornicen qui solus semper retentus est [4]) circa

1) Cic. dom. 13. 35. — 2) De conciliis plebis cfr. Cic. Vat. 6. 15. — 3) Varr. 11. 6. 88—96. Vocabulum „calare" non alienum esse ab eo quod cornicen faciat, cum de muris classicum canat, ostendit Labeo (Gell. 15. 27. 2), cum dicat comitia centuriata calata „calari per cornicinem". — 4) Varr. 6. 92; Dionys. 2. 8; Plut. C. Gracch. 3; Tac. Ann. 2, 32.

Digitized by Google

moenia etiam dimitteretur, ut reliquae formulae, quibus accensus primum in moenia dimitti, deinde idem paullo post reversus contionem advocare iuberi antea solebat, sine ullo effectu a consule dicerentur non accenso sed auguri qui ipse eas praeibat, cum accensus non adesset, utque formulae quae circa muros et in templo pronuntiandae fuerant accenso, dicis causa ab eodem augure viam non ineunte cito decantarentur [1]). Id autem aeque pertinuit ad reliqua centuriata, aeque ad centuriata calata. Vocatio curiatorum ignota nobis est, item tributorum. Fortasse recte coniecit Mommsen v. cl., liticinem circa muros cecinisse cum habenda essent comitia curiata; sed non oportebat eum *pro certo* affirmare, comitia curiata esse convocata per *praeconem*, eaque hac re diversa esse a comitiis curiatis calatis, quae per lictorem curiatium convocata esse novimus; nam quod dicit, praeconem adhibitum esse ad comitia curiata, ex eius coniectura pendet [2]). Ne id quidem quod affirmavit Labeo, comitia curiata calata per lictorem curiatium esse advocata [3]), ita accipi potest ut his verbis lictorem curiatium a ceteris comitiis curiatis excludi putemus, nam tum etiam statuere deberemus, Labeonem exclusisse cornicinem a reliquis comitiis centuriatis, quod facere non potuit. Constat Labeonem, cum solum ostendere vellet quid id esset quod „calare" diceretur et quomodo ex eo agnosci possent diversa genera comitiorum imaginariorum, minime id negare voluisse de reliquis comitiis quod affirmabat de calatis; itaque salva eius auctoritate licet nobis suspicari, quandoquidem eo ducit similitudo, omnia comitia curiata advocata esse per lictorem curiatium, sicut omnia comitia centuriata advocabantur per cornicinem. — Sed discrimen, quod dixi, cernitur in alia re. Quod aliquando institutum est, ut de comitiis futuris longe antea cives certiores fierent edicto, ut rogationes promulgarentur, ut observaretur spatium trinum nundinum, id etiam applicatum esse novimus ad comitia curiata arrogandi causa habita,

---

1) Varr. 6. 95. — 2) Mommsen Staatsr. 3 pag. 386: „Wenn der Oberpontifex die curien zur Abstimmung lud, trat an die Stelle des bürgerlichen Herolds, des praeco, der sacrale lictor curiatius"; cfr. ibid. 1 199. Mommsen recte, ut mihi videtur, cavit provocare ad Dionys. 2. 8, de quo loco eum vere iudicare existimo 3 pag. 388 adn. 1. — 3) Gell. 15. 27. 2: „(calatorum) autem alia esse curiata alia centuriata; curiata per lictorem curiatium calari i.e. advocari, centuriata per cornicinem".

Digitized by Google

quae erant vera comitia populi [1]); sed quaerentibus nobis num etiam ad comitia illa quae calata dicebantur adhibita sit ratio edicendi et promulgandi trinum nondinum, multa esse videntur quae obstent quominus id affirmemus. Lex curiata de imperio et potestate magistratuum, sine qua neque rem militarem attingere consulibus et dictatoribus, neque ius dicere praetoribus licebat, ut trinum nundinum promulgaretur fieri sane non potuit sine magnis molestiis quin etiam nonnumquam sine periculo et detrimento civitatis quae diu futura fuisset sine imperatoribus et iudicibus. Dictatores recentissime creatos saepe ad res gerendas profectos esse novimus. Censores vero cur tam diu otiosos fuisse putemus quam esse debuerunt si trinum nundinum promulganda fuit lex centuriata quae eis ferri debebat, nulla probabilis causa inveniri potest. Maxime verisimile est, has leges latas esse sine promulgatione, quo fieret ut ferri possent omnibus magistratibus intra paucos dies quam inierant. Quaestoribus novis legem latam esse crediderim a vetere praetore mense Decembri, ceteris magistratibus minoribus vero et ipsis praetoribus a novo praetore initio mensis Januarii [2]), itemque consulibus a consule. Censoribus novis idem consul qui veris comitiis praefuerat legem centuriatam tulisse videtur eodem die quo creati erant, tum ipsum fortasse cum censores *„comitiis confectis in Campo ad aram Martis sellis curulibus consedissent, ut traditum antiquitus est"* [3]), cornicine iterum in muris canere iusso, paucis civibus adhibitis qui singularum centuriarum vicem repraesentarent, contione advocata; quo facto censores in Capitolium deduci poterant ut ibi victimam caederent et senatum adirent. Si haec caerimonia ita quasi appendicula quaedam fuit iustorum comitiorum, melius intelligitur qui factum sit ut nullam eius mentionem inveniamus apud auctores nostros in rerum narrationibus, ne apud Livium quidem 40 c. 45 et 46. — Ad comitia vero quibus bis anno testamentorum faciendi copia dabatur civibus, nihil erat cur admitteretur promulgatio trinum nundinum; ea enim

1) Cic. dom. 16. 41, Dio 39. 11. 2. — 2) Quod Ovidius (fast. 1. 165) dicit *„non sine litibus (fuisse) primam diem (anni)"*, ortum esse debet tempore quo iam evanuerant leges curiatae et centuriatae de potestate magistratuum; nam credibile non est magistratus solitos fuisse ferre leges curiatas kalendis Ianuariis, qui dies comitialis non erat et quo ipsi de caelo servaverant. — 3) Liv. 40. 45.

Digitized by Google

iam antiquitus, cum nulladum esset consuetudo indicendi, fixa erant certis diebus, et eis quidem, ut tam probabili coniectura assecutus est Mommsen, quos in fastis notatos videmus litteris Q. R. C. F., qui sunt a. d. IX kal. Apriles et a. d. IX kal. Junias. — Atqui siquidem nonnulla eorum comitiorum, quae a civibus non inibantur, fuerunt subitaria neque antea indicta, fortasse nobis licebit id transferre ad omnia comitia calata, et statuemus hoc alterum proprium eorum fuisse, quod neque promulgatione rogationis neque edicto de eis certiores fiebant cives. Nam ea coniectura accepta, primum facilius intellegemus, cur nomen quo haec comitia designari solerent repetitum sit e caerimonia vocationis, cum tamen ab eo tempore quo pervulgatus erat usus edicendi, ad comitia multo minus valebat vocatio quam edictum, neque illa voce lictoris aut cantu cornicinis, sed edicto potissimum, cives excitari et de comitiis certiores fieri solerent; denique in ea re rationem invenire poterimus quae aliquid valuisse existimanda sit ad constituendam naturam singularem comitiorum calatorum; nam etsi maximam causam cur cives ea comitia inire omiserint, hanc fuisse credo quod res de quibus suffragium ferendum esset, *iure* quidem paterentur, sed *facto non* paterentur esse ullam sententiarum et suffragiorum diversitatem, neque cuiusquam commoda in eis agerentur quibus alii suffragari alii repugnare studerent — nam etiam cum ferrentur leges de imperio et potestate, quamvis tum esset *reprehendendi potestas si populum beneficii sui poeniteret* [1]), tamen potestas non erat *adimendi* magistratus, neque quisquam propter ea comitia populum ambiturus et suffragia petiturus erat —, tamen huius rei quoque ratio haberi potest, quod cives, cum semel constaret consuetudo indicendi comitia, non amplius parati erant animos attendere ad vocationes subitarias, neque tum se ad suffragium ferendum vere requiri fortasse existimabant, cum nulla comitia indicta esse scirent. Itaque in re de qua parum certi nos affirmare sinit paucitas testimoniorum, haec sufficere videntur cum statuamus comitia, quae calata dicerentur quod a civibus non inirentur, etiam indicta non fuisse. Hoc modo autem praecipue factum esse arbitror ut comitia quibus arrogationes

1) Cic. leg. agr. 2. 11. 26.

Digitized by Google

fiebant manerent vera comitia neque ad calatorum genus delaberentur, cum tamen comitia quibus detestationes fiebant facta essent imaginaria, quod ad illa applicata esset ratio edicendi trinum nundinum, ad haec non item.

§ 3 DE CONFIRMATIONE REGNI.

Peracta quaestione de comitiis calatis, ostendere conabimur quid in inaugurationibus sacerdotum valuerint comitia et cur adhibita sint. Ea res deducenda esse videtur ab inaugurationibus regum, quae fiebant antequam instituta erat libera respublica. Auctores nostri, quamquam non prorsus idem sentiunt de ratione qua primum creabantur novi reges, tamen omnes copiam nobis dant distinguendi inter creationem regis quae fiebat ab interrege, et confirmationem eius regni quae fiebat postquam creatus erat. Hoc ut ostendam, brevi percensebo quae apud Ciceronem, Livium, Dionysium traduntur de creatione et confirmatione regum.

Secundum Ciceronem reges creati sunt a populo; is dicit, Numam (rep. 2. 13. 25), Tullum (2. 17. 31), Ancum (2. 18. 33), Priscum (2. 20. 35) ex Auct. Patrum a populo comitiis curiatis creatos esse, interrege comitia habente et rogante, ut de Tulli regno agens (2. 17. 31) diserte addit; Servium solum, cum iam antea rerum potitus esset, non ab interrege creatum esse, sed novo exemplo de se ipso rege creando populum consuluisse narrat (2. 21. 38). Ab his creationibus Cicero diligenter distinguit rogationes legum curiatarum, quas singulos reges, etiam Servium, paullo postea de suo imperio tulisse semper tradit. — Livius de creationibus regum fere cum Cicerone consentit; plerosque reges (Tullum 1. 22. 1, Ancum 1. 32. 1, Priscum 1. 35. 1 sq.) a populo creatos esse dicit comitiis, quibus interreges praefuisse et Patres Auctores factos esse affirmat (1. 32. 1); sed Servium iniussu populi, voluntate patrum, regnasse tradit (1. 41. 6), in errorem, ut videtur, inductus. Sed Livius, de Numae regno paullo diligentius agens (1. 17), dicit hunc non a populo esse electum, sed a patribus; interregem enim primum in contione cives certiores fecisse de eo quod patribus visum esset, regem creandum esse; deinde populum

Digitized by Google

in comitia vocatum suffragio suo ad patres detulisse potestatem eligendi novi regis. Sed actiones quibus confirmarentur reges recens creati, plerumque a Livio omittuntur, legis curiatae de imperio latae nullam mentionem fecit, inaugurationem semel tantum, in Numae regno, commemorat. — Secundum Dionysium vero reges non a populo creantur, sed ab interrege electi in contione pronuntiantur. Apud eum populus primum in comitia vocatus, suffragio suo ad patres defert potestatem decernendi ut novus rex creetur [1]); deinde interrex in contione regem pronuntiat quem aut ipse elegit aut patres elegerunt [2]); ita ab interrege rex pronuntiatur Numa 2. 58 fin., Tullius 3. 1, Ancus 3. 36, Priscus 3. 46; Servium Dionysius eodemmodo fere quo Cicero, de se ipso rege creando novo exemplo populum consuluisse et in suffragium vocasse dicit, 4. 8 et 12 et 34 et 40. Sed apud Dionysium quoque etiam aliae actiones memorantur quibus opus fuerit ad regnum constituendum. Apud eum primum populus comitiis suffragio suo regem esse iubet eum quem pronuntiavit interrex, deinde Patres Auctores fiunt (cfr. 2. 60 et 4. 40; aliis locis Patrum Auctoritas omittitur), denique augures (qui diserte nominantur 2. 60) de novo rege auspicia captant. De comitiis illis autem quibus populus regem esse iubeat, haud facile dictu est utrum ea ab interrege an ab ipso rege recens creato habita esse putet Dionysius. Quodsi ab interrege habita essent, referenda etiam essent ad creationem regis, et componenda essent cum illis comitiis, quibus reges ab interrege creatos esse tradunt Cicero et Livius; tum auctores de creatione regum eatenus tantum dissentirent, quod apud Ciceronem et Livium suffragium populi de rege creando liberum est, apud Dionysium vero alligatum esset *nominatione* unius candidati quam faceret interrex. Nonnumquam Dionysius ita rem sibi informavisse videtur ut hoc crederet, veluti 3. 46, ubi interrex συναγαγὼν εἰς ἀρχαιρεσίας τὸ πλῆθος regem creat neque quidquam praeterea memoratur praeter observationem auspiciorum, et 4. 80, ubi populum suffragium ferre dicit ἐν ἀρχαιρεσίαις,

1) Dionys. 2. 57; 3. 46; 4. 40; cfr. 3. 1 in. et 2. 4; hic iussus populi de regno constituendo omittitur 3. 35 et 4. 80. — 2) Dionys. 4. 8 pag. 654. 14.; 4. 31 pag. 720. 15; 4. 34 pag. 728 6; 4. 40 pag. 741 fin.; 4. 80 pag. 838 fin.

Digitized by Google

et 3. 1 ubi dicit a populo Τύλλον ἀποδειχθῆναι βασιλέα, et aliis locis, ubi narrat reges παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν *postquam* de eis populus suffragium tulisset, ut 3. 49 et 4. 40; haec omnia ostendunt, Dionysium eo inclinavisse ut putaret his comitiis reges esse *creatos*, non vero *confirmatos*, et omnia pro vitiosis habenda et errori Dionysii tribuenda sunt, si comitia illa referimus ad rogationem legis curiatae. Si nihilominus ea comitia seiungimus a creatione, et ad confirmationem regni referimus, putare debemus ea ab ipso rege habita esse; tum ea comitia eadem sunt quibus secundum Ciceronem rogabantur leges curiatae, quae a Livio omittuntur. Mihi autem maxime verisimile videtur, hanc fuisse sententiam auctoris quem Dionysius secutus est, quam non satis perspexerit Dionysius neque plene ita exsequi ausus sit ut etiam clare demonstraret, regem novum ipsum his comitiis praefuisse. Quod ut credam, adducor his rationibus: 1° quod non credo Dionysium omnia quae ad rogationem legis curiatae pertinerent, quae ex auctoribus suis cognoscere debuit, silentio praeterire ausum esse (ut Livius fecit, qui de his rebus multo brevius agit), sed potius credo eum paullum mutatas rettulisse res quas male intellexisset; — 2° quod vocabula quibus utitur Dionysius, τὸν δῆμον αὐτὸν ἄξιον κρίνειν 3. 49 (quamquam ea voce etiam utitur 4. 12 ubi sermo est de creatione Servii), τὰς φυλὰς κατὰ φράτρας ψήφους ὑπὲρ αὐτοῦ διαφέρειν 2. 60, τὴν ψηφηφορίαν ὑπὸ τῶν φυλῶν γίγνεσθαι 3. 35, τὸν δῆμον ἐπικυροῦν τὰ δόξαντα τῇ βουλῇ 3. 36, τὸν δῆμον ἐπιψηφίζειν 4. 40, magis mihi videntur referre latinum illud: „legem curiatam de imperio legis accipere", quam: „regem creare" [1]); quod si ita se habet, errori Dionysii reddemus, ut modo dixi, vocabulum quo semel utitur: Τύλλον ἀποδειχθῆναι βασιλέα ψήφῳ πολιτικῇ διενεχθείσῃ περὶ αὐτοῦ 3. 1, et vocabulum ἐν ἀρχαιρεσίαις 4. 80; — 3° quod apud Dionysium vulgo haec comitia longe separantur ab illa contione in qua rex pronuntiatus est ab interrege, inprimis 2. 60, ubi habentur postquam Numa, qui absens rex pronuntiatus erat, in urbem

1) Accedit quod interreges semper recte a Dionysio dicuntur regem *creare* (αἱρεῖσθαι, ἀποδεικνύναι, καθιστάναι cfr. 4. 40) non vero *proponere* (ὀνομάζειν, quam vocem adhibet ad aliam rem 4. 75 et 76). Sed vid. Dionys. 4. 40 pag. 742. 8.

Digitized by Google

venerat; praeterea vid. de Tullo Dionys. 3. 1, de Anco 3. 35 et 36, de Prisco (qui rex creatus esse narratur 3. 46) 3. 49 in.; cum tamen haec comitia, si ab interrege haberentur et ad creationem pertinerent, eodem die statim haberi necesse fuisset, ut primum interrex candidatum pronuntiasset; — 4° quod his comitiis a Dionysio plerumque fere continuo adiunguntur observationes auspiciorum ab auguribus habitae, quas ad confirmationem regni pertinere constat, quarum mentionem facit 2. 60, 3. 1, 3. 35 et 36, 3. 46, 4. 40, 4. 80. Has ob causas credo etiam apud Dionysium superesse vestigia rogationis legis curiatae ab ipso rege latae, quae in regno Servii solum ab eo omittitur ubi Cicero eam etiam memorat, et ea vestigia hanc ob causam tantum aegre a nobis agnosci posse, quod Dionysius ipse errore perductus ea perturbaverit.

Apparet igitur, ut dixi, auctores omnes copiam dare distinguendi inter creationem regis quae fiebat ab interrege, et confirmationem eius regni quae fiebat postquam creatus erat. Mihi autem, antequam attingam actiones quibus confirmabatur regnum, quae ad meam quaestionem magis pertinent, tamen antea verbo indicare liceat quid sentiam de creatione, quandoquidem de ea quoque aliquid ponere necesse mihi est quod verisimile esse videatur etiamsi minime certum sit, et quod sequi possim cum agam de rebus minus obscuris cum illa cohaerentibus. In ea re autem, quandoquidem conciliari non possunt sententiae auctorum et optio facienda est, facile adducor ut longe praeferam quod Dionysius tradidit, reges non esse electos a populo sed a Patribus electos ab interrege esse pronuntiatos. Primum, quamquam utraque sententia habet suos auctores, neque solum plures auctores habet sententia a me impugnata quam altera, sed etiam multo graviores (nam quod Cicero in libris de Rep. tradidit e Polybio sumptum esse satis constat), tamen non idem pondus habet utraque neque eandem firmitudinem; nam quod Polybius tradidit, cum certe temere fictum non sit, tamen sumi potuit, et sumptum esse sine ulla dubitatione affirmari potest, ex rebus liberae reipublicae et creatione consulum; quod vero tradidit auctor Dionysii, cum ne id quidem temere fictum esse verisimile sit, inventum esse debet ab aliquo qui non contentus tam facili coniectura qua reges eodem modo creati esse affirmarentur

Digitized by Google

quo postea consules, diligentius meditatus esset de eo quod regum temporibus proprium fuisse existimandum esset. Accedit quod novimus fuisse Romae scriptores quosdam populares, quibus placeret potestatem popularem creandi, et liberum suffragium civium, ab antiquissimis temporibus repetere [1]); quod etsi ad Polybium certe non pertinet, tamen testimonium auctoris Livii hanc ipsam ob causam, quia illi studio inani convenit, minoris aestimari debet; huic auctori ignotam non fuisse sententiam quam Dionysius secutus est, apparet ex eo quod de Numae regno tradidit, quod ipsum tamen ita ab eo inversum est, ut affirmaret interregem tum quoque non nisi a populo accepisse potestatem creandi. Quin etiam quod tradidit ipse auctor Dionysii, populum semper a Patribus consultum esse num regnum renovari placeret, antequam ad regem creandum aggrederetur interrex (vid. pag. 438 adn. 1), id quoque audacter a nobis reici potest, quia ex eodem illo studio ortum sit, cui hic auctor quoque aliquid concedendum esse putaret, et tantum quidem, ut ipsum Romulum non sine iussu populi regnum instituisse affirmaret [2]). Praeterea vero sententia quam sequuntur Cicero et Livius laborat gravi vitio, quod quamvis a Polybio ne animadversum quidem, a Livii auctore vero toleratum esse videatur, tamen a nobis ferri non possit; suffragium liberum populi enim in creationibus nullo modo esse potuit sine auxilio quodam quo dirigerentur suffragia, inprimis in comitiis curiatis ubi nulla fuit praerogativa; hanc ob causam institutum est cum creandi essent magistratus annui, ut essent qui se petere profiterentur; atqui cum prorsus absurdum sit credere, fuisse, cum rex creandus esset, qui candidati a populo regnum peterent, neque minus absurdum id esse ideo existimandum sit, quod Livius id a Tarquinio Prisco factum esse putet [3]), apparet

---

1) Dionys. 2. 12. 47 (cfr. Mommsen 3 pag. 857 adn. 2); Ulpian. Dig. 1. 13. 1 pr. (cfr. Mommsen 2 pag. 524 adn. 3); Dio 37. 27. 2 cllto Liv. 1. 26. 5. — 2) Dionys. 2. 3 sq. — 3) Liv. 1. 35. 2—6: „Tarquinius instare, ut quam primum comitia regi creando fierent; quibus indictis ... primus et petisse ambitiose regnum et orationem dicitur habuisse .... Ergo virum cetera egregium secuta quam in petendo habuerat etiam regnantem ambitio est". Competitores Tarquinii secundum Livium fuerunt Anci filii (c. 35 § 1); ne Livius quidem putavit, quemlibet profiteri potuisse se regnum petere.

Digitized by Google

iam hanc ob causam verisimile non esse reges a populo esse electos. Sed gravissimum argumentum, quod iam dudum attulit Mommsen, est in potestate creandi sine comitiis, qua etiam cum respublica libera esset usi sunt consules cum dictatores dicerent et pontifices cum regem sacrorum crearent; ea potestas non potuisset esse in libera republica, si antea sub regibus aut nulla omnino fuisset aut aliquando sublata esset quia comitia ad creationes regum adhiberi coepta essent [1]). Denique ratio habenda est legis curiatae quam de suo regno tulerunt reges postquam creati erant, qua obsequii promissionem a populo exigebant. Ea lex servata est cum regnum sublatum esset, quamvis tum certe magistratus a populo crearentur, et erat sane cur tum *„de singulis magistratibus bis sententiam a populo ferri"*, et *„iterum de eisdem iudicari"* necessarium videretur Patribus [2]), cum munus eligendi consulis concessum esset novis comitiis (centuriatis), longe diversis ab illis (curiatis) a quibus promitti solebat obsequium (vid. Mnemos. XVIII p. 223); etiam cur initio institutum sit ut de regibus recens creatis suffragium ferretur a populo, quod factum esse constat eo tempore cum nulladum esset diversitas comitiorum, id satis perpicuum est si tenemus, reges non a populo sed ab interregibus esse electos, quia tum aequum videri debebat ut populus copiam haberet de novo rege saltem voluntatis suae declarandae; sed nullo modo id explicari potest si sequimur Ciceronem et Livium, quia nihil attinebat populum, qui iam semel suffragiis suis declaraverat suam voluntatem, iterum eisdem comitiis de novo rege interrogari; Cicero etiam hoc sensit, cum diceret pro vero habendum esse quod verisimile non esset [3]). — Sed cum has ob causas praelata sententia Dionysii statuerimus, nulla comitia fuisse de regibus creandis, etiam eam Auctoritatem Patrum, quam Cicero et Livius in creationibus regum semel memoraverunt [4]), non eam fuisse apparet quae ad comitia confirmanda pertineret; interrex videtur quidem plerumque senatum consuluisse de rege creando (Dionys. 2. 58), sed, quemadmodum om-

1) cfr. Mommsen Staatsr. 2 pag. 6 sq, 1 pag. 213. — 2) Cic. leg. agr. 2. 11. 26. — 3) Cic. rep. 2. 13. 25: „(Numa), quamquam populus curiatis eum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit". — 4) Rep. 2. 13. 25: „Numam ... patribus auctoribus sibi ipse populus adscivit". Liv. 1. 17. 8.

Digitized by Google

nibus magistratibus semper liberum fuit in suis actionibus quae ad comitia curiata aut centuriata non pertinerent omittere aut relinquere Senatus Auctoritatem, sic interrex etiam sine ea vel contra eam regem creare potuit [1]). — Inde transeunti ad confirmationem regni, indicandum mihi est primum quatenus in ea fuerit initium regni; deinde in quibusnam rebus constiterit, denique quid valuerit. — Primum pro certo affirmari debet, initium regni fuisse ante confirmationem. Hoc enim pertinet ad ipsam naturam confirmationis, quae sub regibus alia fuisse non potest quam post reges exactos; confirmatio si ante initium regni facta esset, non per se stetisset, sed fuisset pars creationis. Magistratus liberae reipublicae autem primum iniisse, deinde confirmatos esse certo scimus [2]); sacerdotes tum demum confirmatos esse novimus, cum sacerdotes facti essent (vid. infr. § 4). Eam ipsam ob causam in hac re sequi debemus Ciceronem, qui reges *a se ipsis* confirmatos esse affirmavit postquam reges facti essent (pag. 442 adn. 3), quod eam rem ab eius auctore Polybio e rebus liberae reipublicae sumptam esse constat (supr. pag. 440), et eius auctoritate uti debemus ad corrigendum errorem quem Dionysius nonnumquam admisit (quem infra indicabo), cum de hac re minus diligenter agens initium regni non solum facto sed etiam iure repeteret a confirmatione perfecta. Sed a magistratibus etiam *auspicato* caerimonias quasdam peractas esse novimus, quibus primo die primum usurparent novam potestatem. Hos *bis* de se auspicia captavisse novimus, primum eo die quo magistratum inibant, de caelo (Mnemos. XVIII pag. 219 sq.), deinde eo die quo legem curiatam sibi ferebant (Mnemos. XVIII pag. 233). Ego id ad reges transferre nolim. Quod augures mox in confirmatione novi regis etiam de eo consulturi erant

---

1) *Auctoritatem Patrum* hodie dicimus Auctoritatem Senatus (patricii) qua confirmabantur comitia curiata et centuriata, sine qua ea comitia rata non esse iusserat lex specialis perantiqua, a. 509 ut videtur renovata; *Auctoritatem Senatus* vero dicimus totum genus reliquarum Auctoritatum quas de quibuslibet rebus dabat Senatus (patricius ad a. 400, postea partim patricius partim plebeius), quas reges et magistratus non lege coactos sed moribus obsecutos de suis actionibus facere oportebat, quas vero etiam suo iure omittere aut deserere poterant. — 2) Cic. fam. 1. 9. 25: „Appius ... dixit in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provincias". Alios locos afferre opus non est in re minime dubia.

Digitized by Google

auspicia, id quidem minime impedimento est quominus suspicemur reges quoque *auspicato* regnum iniisse, ut Romulus fecisse traditur, quia non eadem erat natura utriusque auspicii (vid. supr. pag. 412 sq.). Sed tamen necesse non est ut ceteros reges auspicato iniisse credamus, quia nihil de ea re affirmant auctores; neque crediderim, a regibus peractas esse caerimonias certas quibus potestatem primum usurparent, separatas a confirmatione. Huiusmodi caerimoniis ineundi (quae ad ius omnino non pertinent) supersedere non potuerunt magistratus annui quibus potestas data erat *in certum diem* (post a. 153 in Kal. Jan.), qui dies cadebat ante confirmationem. Hi magistratus Kal. Januariis non solum *facto* inibant, potestate primum usurpata, sed etiam *iure*, quia in eum diem potestas eis data erat. Sed reges, eodem modo quo postea dictatores et consules suffecti et sacerdotes, tum cum crearentur, accipiebant potestatem *extemplo*, sine ulla temporis condicione, itaque *iure* inibant statim post creationem. Hi nihil habebant cur ante confirmationem etiam auspicato peragerent caerimonias certas ad potestatem primum usurpandam, sed tum primum usurpasse videntur potestatem suam cum confirmarentur. Hoc Dionysius et Livius secuti sunt, cum regni initio in inauguratione posito, reges post confirmationem regnum iniisse scriberent [1]). Hoc recte se habet, neque negandum est reges *facto* tum iniisse, modo caveamus ne negemus, reges iam antea habuisse potestatem et *iure* iniisse statim post creationem, a quo errore non cavit Dionysius [2]). — De actionibus quibus reges confirmabantur, non tanta est sententiarum discrepantia apud auctores nostros, ut una accepta reliquas reicere cogamur. Primum constat inter

---

1) Dionys. 2. 60: ἐκκλησίας δὲ μετὰ τοῦτο συναχθείσης ... καὶ τῶν πατρικίων ἐπικυρωσάντων ... καὶ ... τῶν ὀρνιθοσκόπων αἴσια τὰ παρὰ τοῦ δαιμονίου σημεῖα ἀποφηνάντων παραλαμβάνει τὴν ἀρχήν. Id. 3. 46: βεβαιωσάντων τῶν δαιμονίου σημείων τὰ κριθέντα ... παραλαμβάνει τὴν βασιλείαν, cfr. 3. 49 init.; 4. 40: εἰ μὲν οὖν ἥ τε βουλὴ τὸν αἱρεθέντα ὑπ' αὐτῶν ἐδοκίμασε, καὶ ὁ δῆμος ἐπεψήφισε, καὶ τὰ μαντεύματα ἐπεκύρωσε, παρελάμβανεν οὗτος τὴν ἀρχήν. Non prorsus iusto vocabulo Livius usus est cum scriberet (1. 18. 9): „(auspiciis) missis *declaratus rex* Numa de templo descendit". — 2) Hunc errorem Dionysius tum patefecit, cum scriberet (4. 40), reges, si confirmatio non procederet, ad regnum non esse admissos, et pro eo quem auspicia abdicerent, statim alium esse nominatum, vid. infra pag. 448 adn. 2..

Digitized by Google

eas fuisse legem curiatam quam rex ipse rogaret, deinde eo pertinuerunt auspicia ab auguribus capta, denique Patres Auctores fiebant legi. Causam probabilem cur ipsius legis nullam mentionem faceret Livius, iam supra indicavi (pag. 428 sq.); Livius qui magis persequi solet gravitatem et speciem caerimoniarum quam subtilitatem iuris, eam partem actionis solam memoravit quae spectatoribus maxime insignis videretur, cum rex ab augure in Arcem deductus submitteret se arbitrio Iovis, et omnis multitudo in foro congregata intenta expectaret eius reditum, omissis comitiis quae in formulis a rege et lictoribus decantatis iam tum constitisse putabat, et omissa Patrum Auctoritate quae ad ea pertinebat. Actio auspicandi autem (quae est ipsa *inauguratio* proprie dicta, unde tota confirmatio nomen traxit, supr. pag. 405 et 407), quam ad ipsum regem rettulit Livius, non diversa esse potest ab inauguratione legis curiatae, quam rex auguribus imperare debuit, si recte supra posuimus, multas actiones publicas, etiam lationes legum, quae postea auspicato tantum fiebant, tempore regum factas esse inaugurato (pag. 410 sq.); nam in utraque interrogatio eadem fuerit necesse est, et haec quidem „num fas esset hunc hominem habere imperium regium"; quod qui quaerebat, aeque *regem* et *legem* inaugurare dici poterat. Causa vero cur Cicero omiserit inaugurationem et in rogatione legis omne momentum confirmationis posuerit, certe inde repetenda est quod totam rem sumpsit ex rebus liberae reipublicae, quo tempore auspicia de legibus curiatis non amplius ab auguribus captabantur; ex eius silentio argumentum peti non potest contra inaugurationem legis, nam Cicero cum de lege agens non diserte memoraret auspicia de ea capta, nihil fecit quam quod omnes auctores facere solent. Neque quominus inaugurationem ad ipsam legem referamus obstat quod diserte a Dionysio affirmatur (quamquam id pro explorato habere nolim), auspicia esse captata *postquam* de lege curiata suffragium factum esset [1]); nam cum lex rata esse non posset sine Auctoritate Patrum, quae penderet ex responso auguris, haud incredibile est hunc morem fuisse, ut primum rex in suffragium mitteret

1) Inprimis Dionys 3. 35: *μετὰ γὰρ τὴν ὑπὸ τῶν φυλῶν γενησομένην ψηφοφορίαν τοὺς θεοὺς ἤδει τὴν βασιλείαν αὐτῷ δι' οἰωνῶν αἰσίων ἐπιβεσπίσαι.* cfr. 4. 80.

Digitized by Google

curias, deinde e foro in Arcem deductus deos de se consuli sineret, neque eo minus ad ipsam legem pertinebat observatio auspiciorum. Convenit quod Tarquinius Superbus, qui a Livio traditur „neque populi iussu neque Auctoribus Patribus regnasse" [1]), etiam secundum Dionysium (4. 80) non fuit inauguratus. Itaque apparet, diversa testimonia auctorum revera eodem referri posse. — Sed nonnulli viri docti hodie negant, leges curiatas quae tempore regum ferebantur de imperio regum et postea de imperio et potestate magistratuum, indiguisse Patrum Auctoritatis [2]). Quod ego sequi nolim, primum quia nihil est cur has leges excipiamus ex communi iure, quo comitia curiata et centuriata rata esse non potuerunt sine Auctoritate Patrum [3]), quin etiam, si recte supra ex eo iure excepimus leges curiatas a Pontificibus factas (supr. pag. 432 adn. 1), nulla comitia curiata supersunt quibus libera republica Patres Auctores facti esse possint praeter ea quibus hae leges ferebantur. Praeterea, quia totam rationem inaugurandi eo pertinuisse supra ostendi (pag. 413 sq.), ut conciliaretur voluntas Patrum, omne pondus ademptum esse videtur responso auguris, si ab hac re removerimus Auctoritatem Patrum, neque esse videtur cur reges „de se auspicia ab auguribus consuli voluisse" (Liv. 1. 18. 6) dicas. Silentium Ciceronis autem non plus valet adversus hanc rem quam adversus auspicia illa; nam sexcenties leges factas esse auctores memorant sine ulla mentione Auctoritatis Patrum. Quod vero in tanta testimoniorum paucitate sufficere videtur, Dionysius saepe diserte dixit, legi curiatae de regum imperio Patres Auctores factos esse [4]). Revera quod libera republica factum sit necesse est, si his legibus Patres Auctores fieri debuerunt, ut binis comitiis de eisdem magistratibus habitis Patres Auctores fierent, primum comitiis centuriatis postquam creati essent magistratus (ante legem Maeniam latam), deinde comitiis curiatis

1) Liv. 1. 49. 8. Quae de eius regno Cicero tradidit in libr. de Rep. tempus non tulerunt. — 2) Mommsen Staatsr. 3 pag. 1039. — 3) Cic. dom. 14. 38, Liv. 6. 41. 10, cfr. Mnemos. XVIII pag. 224 adn. 1 et pag. 230 adn. 3; supr. pag. 443 adn. 1. — 4) Dionys. 2. 60: *ἐκκλησίας δὲ μετὰ τοῦτο συναχθείσης ... καὶ τῶν πατρικίων ἐπικυρωσάντων τὰ δόξαντα τῷ πλήθει ...*; 4. 40: *εἰ μὲν οὖν ἡ τε βουλὴ τὸν αἱρεθέντα ὑπ' αὐτῶν ἐδοκίμασε, καὶ ὁ δῆμος ἐψηφίσατο ... παρελάμβανεν οὗτος τὴν ἀρχήν*; 4. 8: *οὐκ ἀξιοῦντες αὐτὸν ἑαυτῷ μηχανήσασθαι βασιλικὴν ἐξουσίαν, μήτε βουλῆς ψηφισαμένης μήτε τῶν ἄλλων τῶν κατὰ νόμον ἐτιτελεσθέντων*, cfr. 4. 84.

Digitized by Google

cum lex curiata eisdem ferretur, quod certe ferri non posset si legem curiatam post reges exactos primum institutam esse crederemus, id minime offendit cum eam ex antiquissimis temporibus remansisse sciamus; ad regum tempus id non pertinet, neque tum binae fuerunt Auctoritates Patrum de eisdem, quia reges non a populo creabantur (vid. supr. pag. 442 adn. 4). Videmus igitur, tres fuisse partes caerimoniae illius qua confirmabantur novi reges, suffragium curiarum, auspicia augurum, Auctoritas Patrum; quae non solum temporis et iuris vinculo connexae erant, sed etiam communi nomine *inaugurationis* comprehendebantur. Sed post reges exactos omnes magistratus maiores et minores postquam creati erant et inierant confirmari debebant legibus curiatis aut centuriatis [1]); omnes hae leges, perlatae primum iustis comitiis, postea comitiis calatis sine populo quae quando in mores publicos recepta sint nescimus, ratae erant si Patres eis Auctores fiebant. Consules autem ab initio ad eam rem, ut ad alias actiones, augures adhibere omiserunt, quod certe non sine assensu senatus primo fieri potuit, cum auspicia, quae a magistratibus ipsis caperentur, sufficere viderentur Patribus, quod idem deinde, cum semel factum esset, non facile potuit retractari. Inde factum est ut confirmatio magistratuum dici non posset inauguratio. Sed ex antiqua consuetudine inaugurandae legis curiatae, orta esse videtur illa vis singularis, qua semper auspicia quae de hac lege curiata capiebantur a magistratibus excelluerunt ante auspicia quae de aliis rogationibus ab eis capiebantur; nam cum in his auspicia vix plus valerent, quam ut appareret diem vitiosum non esse legi ferendae, neque unius diei spatio amplius perseverare posse crederentur, multo longius pertinebat vis auspiciorum de lege curiata impetratorum, et ex eis etiam pendebant auspicia quae militiae habiturus erat is cui lata erat haec lex, quatenus ius ei erat militiae agendi, ita ut is tum solum diceretur „habere auspicia bellica" si haberet legem curiatam [2]). — Denique indicandum mihi est, quid valuisse censeam confirmationem. Eo

1) Cic. leg. agr. 2. 11. 27; Gell. 13. 15, 4: „minoribus creatis magistratibus, tributis comitiis magistratus, sed iustus (fort. leg.: sed potestas) curiata datur lege". — 2) Vid. Mnemos. XVIII pag. 249, pag. 221 sq., 228—233; XIX pag. 85.

Digitized by Google

tempore quo de imperio novi regis interrogabantur cives et augures et Patres, rex iam regnare coeperat; nihil pertinebat confirmatio ad eius creationem quae iam perfecta erat, neque ad potentiam quam inde adeptus erat; rex cum legem ferret non interrogabat cives num eis placeret regem se fieri, neque vero, num regnum sibi adimerent, sed hoc solum, num sibi parere vellent, et ab auguribus exquirebat idem, num deis quoque id gratum esset ut cives sibi obsequium promitterent [1]); itaque si lex non perferebatur, sive quod cives eam reiciebant, sive quod augures eam ratam non esse declarabant propter auspicia adversa, neque Patres ei Auctores fiebant, hoc tantum efficiebatur, ut appareret regem regnare contra voluntatem populi et contra auspicia, quod idem accidebat, si lex curiata omnino non rogabatur [2]). Sed etiamsi haec actio ita comparata fuit, ut iure nullum effectum haberet in regem, neque de eius iure deminueret, tamen negari non debet, libera fuisse suffragium civium et responsum augurum et sententiam Patrum, neque licet affirmari, regem civibus imperasse ut sibi obsequium promitterent; id excluditur primum eo quod actio fiebat in *comitiis* (quae nulla sunt sine libero suffragio civium), deinde eo quod dei consulebantur *ab auguribus*, quibus quod responderent praescribi non poterat quia sua spectione utebantur [3]); quatenus autem liberum erat civibus et auguribus et Patribus respondere quod vellent, haec actio *iure* nequaquam fuit caerimonia vana, etiamsi *facto* plerumque de eius eventu dubitari non poterat; magnum hoc erat, populum et Patres decernere posse *regem regnare contra voluntatem populi et deorum*,

---

1) Idem censet Mommsen 3 pag. 313: „da der Magistrat nur berechtigt, nicht genöthigt ist die Bürgerschaft zu befragen, und auch ohne das Treugelöbniss nicht weniger Magistrat ist, so bleibt er dies auch, wenn der Act unterbleibt oder versagt". — 2) Hac in re inprimis Dionysius patefecit errorem suum (vid. pag. 444 adn. 2), cum scriberet (4. 40): ἐλλείποντος δέ τινος τούτων ἕτερον ὀνόμαζον, καὶ τρίτον, εἰ μὴ συμβαίη μηδὲ τῷ δευτέρῳ τά τε παρ' ἀνθρώπων καὶ τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἀνεπίληπτα. His verbis Dionysius sustulit totam potestatem creandi interregibus concessam; neque casu factum est, ut hoc errore coactus etiam h. l. peccaret in vocabulo ὀνομάζειν usurpando, quo praeterea diligenter abstinuit, vid. supr. pag. 489 adn. 1. — 3) Suffragium liberum fuisse etiam concedit Mommsen Staatsr. 3 pag. 312 sq.: „es muss wenigstens als möglich gedacht werden, dass (der Bürger) diese Verpflichtung zu übernehmen sich verweigert".

Digitized by Google

et id ipsum tum ita se habere existimari, si potestatem decernendi eis non dederat rex. Lex curiata autem, si accepta erat, ita tenebat cives, ut eos regi palam non parere aut clam repugnare *fas non esset*. Sed quia cives, si accepta non erat, regi obsequium denegare aeque prohibebantur, vim huius suffragii *facto* nullam fuisse apparet, et eatenus inanis fuit caerimonia confirmationis [1]). Verum reiecta lege, vel omnino non peracta confirmatione, dubium non est quin regem abdicare se regno oportuerit, quamvis videamus magistratus liberae reipublicae non utique se magistratu abdicasse si legem curiatam non haberent. Nonnumquam enim hoc factum esse videtur ut consules, cum legi curiatae Patres Auctores facti non essent et ob eam causam tribuni eam ad curias ferri non paterentur (post legem Publiliam anni 339, Liv. 8. 12. 15, quae etiam ad leges curiatas pertinuisse videtur), tamen magistratum retinerent; quod si verum est [2]), hi consules, rem militarem attingere prohibiti [3]), reliquo munere suo perfuncti esse et comitia habuisse videntur. Ab a. 56 consules quotannis legem curiatam sibi ferre prohibiti sunt, et ob eam causam neque bella neque provincias imperio consulari administrare potuerunt [4]). A. 63 Rullus tulit ut decemviri quos creari iuberet, si lex curiata eis lata non esset, *eodem iure essent quo qui optima lege* [5]). Sed haec omnia pertinere videntur ad duo ultima saecula liberae reipublicae, cum iam parum valeret Auctoritas Patrum et attenuata esset vis legis curiatae. In sacerdotibus certe nihil eiusmodi umquam factum est; hi utique sacerdotium quod aegre usurpaverant deposuerunt si confirmatio deficiebat. Neque dubium est quin

1) cfr. Mommsen Staatsr. 3 pag. 318: „da indess der Act ... überhaupt nur bestärkender Art ist, so ist er rechtlich nicht mehr als eine Sollennität und nicht eigentlich eine Vereinbarung"; et ibid. 1 pag. 611: „als eigentlicher Volksbeschluss darf er nicht aufgefasst werden, sonder vielmehr als eine Verpflichtung, die die Bürgerschaft dem verfassungsmässig ins Ambt gelangten Beambten nicht verweigern kann". Mihi tamen dubitandum non esse videtur, quin ea fuerit iusta lex quam de suo imperio reges rogabant. — 2) Cic. leg. agr. 2. 12. 30: „consulibus legem curiatam ferentibus a tribunis plebis saepe est intercessum"; vid. Mnemos. XVIII pag. 230 adn. 3. Sed cum Cicero non dicat, his consulibus intercessum esse cum *sibi* legem rogarent, fieri potest ut significet aliquando accidisse ut consules frustra legem ferre conarentur magistratibus quibusdam extraordinariis. — 3) Mnemos. XVIII pag. 224 adn. 3. — 4) Mnemos. XVIII pag. 230 sqq. — 5) Cic. leg. agr. 2. 11. 29.

Digitized by Google

primis saeculis reipublicae liberae de consulibus et dictatoribus reliquisque magistratibus, si lex curiata eis perlata non esset, quamquam eius rei nullum certum exemplum memoriae traditum est, Sen Ctum factum sit „eos vitio creatos esse" eosque abdicare se debere. Quod primis saeculis liberae reipublicae saepe factum esse novimus, ut magistratus a senatu admoniti abdicarent se auspiciorum renovandorum causa (sup. pag. 416), id nititur hac eadem regula, eos abdicare se oportere quos contra deorum voluntatem magistratu fungi apparuerit, neque clarius certe id apparere potuit quam cum lex curiata perlata non esset; stimulus quo se abdicare cogebantur magistratus tum etiam idem esse debuit, metus ne postea cum magistratum deposuissent accusarentur quod contra auspicia res gessissent. Sic reges quoque se abdicare oportebat si deficiebat confirmatio; quod ipsum, etiamsi fortasse numquam factum est, tamen fieri oportuisse recte indicavit Dionysius, cum scriberet novum regem creandum fuisse si aut civibus aut deis aut Patribus acceptus non esset is quem creasset interrex, qua in re vocabulis magis quam re ipsa peccavit Dionysius (pag. 444 adn. 2). Sed in regibus quorum potestas perpetua erat non valebat metus accusationis; his igitur optio facta erat utrum vellent, regnare an regno se abdicare. Itaque si qui non adepti legem curiatam regnum retinere malebant, si aut suis opibus aut favore partis populi confisi regnare se posse sperabant, his videndum erat numquid imperiis et minis aut beneficiis impetrare possent a civibus, qui neque metu deorum neque lege a se accepta in obsequio retinebantur. Tale fuisse traditur (ut omittam quae de Servio non ab omnibus auctoribus narrantur) regnum Tarquinii Superbi (pag. 446 adn. 1), quod quia sine lege et auspiciis et Patrum Auctoritate susceptum etiam contra voluntatem populi gerebatur, dominatui quam iusto regno similius fuisse et ad ultimum seditione civium sublatum esse accepimus. Huic regno autem, si rem parvam cum magna componere licet, multis numeris convenit consulatus quem contra auspicia et Sen Ctum retinuit C. Flaminius consul a. 223 [1]).

1) Liv. 21. 63 7; Plut. Marcell. 4; Zon. 8. 20.

Digitized by Google

§ 4 DE INAUGURATIONE SACERDOTUM.

Redeuntes ad inauguraciones sacerdotum, iam dubitare non possumus quin hae quoque fuerint confirmationes sacerdotii nuper accepti. Itaque, etiamsi sacerdotes hac ipsa caerimonia sacerdotium *facto* inire videbantur et inire recte dicebantur, tamen factae esse debent postquam *iure* iam initum erat sacerdotium, neque referendae sunt ad creationem. Res minime dubia, quae inprimis confirmatur similitudine confirmationis regum et magistratuum (supr. pag. 443 sq.), etiam probatur verbis auctorum et rebus traditis. Primum Livius hoc observavit, cum creationem sacerdotum, quos „creatos inauguratosque" esse tradere solet (supr. pag. 420 adn. 8 et 9) diligenter separaret ab inauguratione. Deinde Cicero, cum scriberet (Phil. 2. 43. 110): *„est ergo flamen ... divo Iulio M. Antonius; quid igitur cessas, cur non inauguraris?"* ostendit Antonium flaminem fuisse antequam confirmaretur. Etiam quod Livius a. 180 factum esse narrat, pontificem iussisse magistratu se abdicare eum qui rex sacrorum captus erat, ut inauguraretur, probat eum hominem ut primum captus esset subiectum fuisse Pontifici et fuisse regem antequam inauguraretur, ut vidit Mommsen [1]). Dionysius igitur neglegentia peccavit cum scriberet regem sacrorum *creatum esse* a Pontifice Max. *et* ab auguribus, neque distingueret creationem ab inauguratione [2]). Idem efficiendum est ex alio loco, ubi Livius narrat Valerium quendam, qui flamen dialis captus esset, invitum inaugurari coactum esse a Pontifice Max. [3]). Recte etiam scriptores iuris periti, cum de virginibus vestalibus agant, initium harum sacerdotii repetunt ab eo tempore quo capiebantur, non vero ab inauguratione, quae utrum postea facta sit ut supra statui pag. 421, an forte facta non sit, ad hanc rem nihil pertinet [4]). Exempla quae attuli simul confirmant, quod initio dixi, sacerdotes tum demum *facto* iniisse sacerdotium cum inau-

---

1) Liv. 40. 42. 8; Mommsen Staatsr. 2 pag. 33 adn. 3. — 2) Dionys. 5. 1; cfr. Mommsen Staatsr. 2 pag. 7 adn. 4. — 3) Liv. 27. 8, cfr. Val. Max. 6. 9. 3. — 4) Gell. 1. 12. 9: „Virgo autem vestalis, simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita est, eo statim tempore ... e patris potestate exit"; Cai. 1. 130, Ulpian. 10. 5.

Digitized by Google

gurarentur. Antonium, quamvis flamen esset, tamen flamonium non inire cum non inauguraretur, et sacerdotium „relinquere", dicit Cicero [1]); eum quem a. 180 regem sacrorum captum esse narrat Livius (pag. 451 adn. 1), sacerdotium non iniisse apparet ante inaugurationem, quia tum magistratus etiam erat. Recte igitur se habet quod Dionysius de pontificibus scribit (2. 73): *παραλαμβάνει τὴν ἱερατείαν ὁ δοκιμασθείς, ἐὰν εὐόρνιθες αὐτῷ τύχωσιν οἰωνοὶ γενόμενοι*; quamquam non credo Dionysium clare perspexisse, id ad caerimonias ineundi tantum pertinere, quae ad ius nihil faciunt, et eam ob causam tantum sacerdotes tantisper abstinuisse sacris, quod id moribus receptum et a Pontifice Max. praescriptum erat, non quod iure sacerdotii carerent; nam in regno hoc non perspexit Dionysius (pag. 444 adn. 2). Quod sane mireris, ipsi scriptores iuris periti in hac re erraverunt, cum initium sacerdotii quo flamines diales e patria potestate exibant repeterent ab inauguratione, quia tum sacerdotium *specie* inibatur, non vero a tempore quo capiebantur et sacerdotes esse incipiebant [2]). Iam exemplum virginum vestalium (pag. 451 adn. 4), quarum causa prorsus eadem erat, eos admonere debuerat, etiam sacerdotium flaminum *iure* initium capere a creatione, et per eam dissolvi patriam potestatem; ad eam rem nihil refert, flamines inauguratos esse comitiis, virgines vero aut sine comitiis aut non esse inauguratas. Credibile certe non est, Pontificem capiendo potuisse sacerdotem *facere* virginem, *designare* vero tantum potuisse flaminem, et a Pontifice capiente virgini sacerdotium datum esse *extemplo*, flamini vero *in certum diem* et *sub condicione*, quod etiam excluditur similitudine regni. Quemadmodum vero virgines, cum semel captae essent, non redibant in patriam potestatem neque si postea exauguratae sacerdotio abibant, neque si propter auspicia adversa forte inaugurari non poterant, sic satis certum est flamines si forte inauguratio perfici non potuisset quod auspicia adversa essent, non fuisse redituros in patriam potestatem, sed mansuros fuisse sui iuris, quandoquidem flamines aliquando fuissent; hanc rem,

1) Cic. Phil. 13. 19. 41. — 2) Cal. 1. 130: „praeterea exeunt liberi virilis sexus de patria potestate, si flaminea diales inaugurentur, et feminini sexus, si virgines vestales capiantur". Ulpian. 10. 5.

Digitized by Google

quae sane facto neglegi poterat quia usui non veniebat, attenderunt scriptores illi in virginibus, non vero in flaminibus; secuti esse videntur aliquem loquendi usum popularem, quo sine certa causa creatio virginum vestalium soleret eo tempore designari vocabulo *capiendi*, creatio flaminum vero vocabulo *inaugurandi* laxius usurpato.

Iamvero si de ipsa actione quaerimus, quod a certissimo auctore, Labeone, traditur, nonnullas inaugurationes factas esse *comitiis*, quid aliud significare potest, quam hoc, in his inaugurationibus quoque habitum esse suffragium curiarum, et de nonnullis sacerdotibus quoque inaugurato factam esse legem curiatam cui Patres Auctores fieri debebant. Fuit igitur tempore liberae reipublicae (et ut videtur antea) *lex curiata de sacerdotio*, qua confirmari debuerunt nonnulli sacerdotes, non secus quam fuerunt *leges curiatae* (et centuriatae) *de imperio et potestate regum et magistratuum*. Rogatio huiusmodi fuisse videtur: „Velitis, iubeatis, uti (L. Valerium) ius siet (regem sacrorum) facere pro populo Romano Quiritibus" [1]). Huius legis curiatae de sacerdotio hodie rationem non habere solent viri docti, non quod eam fuisse negent, sed quod testimonia auctorum non satis diligenter persecuti, ad eam cognoscendam non pervenerint. Fuerunt autem, quibus magis placeret, has inaugurationes, quae „comitiis calatis" factae esse traduntur, factas esse in contione, sine suffragio; quorum alii contenderunt comitia calata, non omnia quidem sed ea sola quae inaugurandi causa haberentur, fuisse genus quoddam contionis „testandi causa" habitum, in quo suffragium non ferretur [2]); alii attulerunt formulam qua Gellius de testamentis agens utitur „comitiis calatis in contione populi" ut probarent in comitiis calatis suffragium latum non esse (ego hoc supra refutavi pag. 429 sq.). Has coniecturas, quibus nihil favet, prorsus profligat locus Gellii pueris notus: *„curiata comitia esse cum ex generibus hominum suffragium feratur"* [3]). Inauditum est, ulla comitia fuisse sine suffragio; suffragium autem quod non ad creationem

1) Formulam accommodavi ad verba Fabii apud Gell. 1. 12. 14. — 2) cfr. Mommsen Staatsr. 3 pag. 307. De testamentis suffragium habitum esse in comitiis calatis, affirmat Mommsen 3 pag. 319 adn. 3. — 3) Gell. 15. 27. 4, cfr. 13. 16. 3.

Digitized by Google

vel iudicium pertineat, nullum esse potest sine rogatione, eoque suffragio lex fiat necesse est. Lex autem quae in inauguratione sacerdotis recens creati fiat nulla esse potest nisi qua confirmetur sacerdotium, et eodem ducit similitudo legis curiatae de imperio et potestate magistratuum. Apparet igitur, tempore liberae reipublicae inter rationem qua magistratus recens creati confirmabantur et qua confirmabantur sacerdotes nonnulli, hoc interfuisse, quod ex illis remota erat opera augurum, quo fiebat ut solum remaneret suffragium curiarum cui Patres Auctores fiebant, utque eae caerimoniae totae continerentur rogatione legis curiatae, in his vero retentae sunt tres partes omnes quae antea sub regibus fuerant, suffragium curiarum, auspicia augurum, Patrum Auctoritas, quo fiebat ut eae caerimoniae etiam nomine non mutato dicerentur inaugurationes. Sed hoc commune fuit utrique generi caerimoniarum, quod aliquando in utroque, sublato vero suffragio populi, comitia, dicis causa vocata, peragi coeperunt per administros paucos; tum eae leges omnes fieri coeperunt *comitiis calatis*, *in contione populi*, quae quemadmodum in magistratibus confirmandis, ut Cicero dicit, „tantum auspiciorum causa remanserunt" [1]), sic in sacerdotibus quoque inaugurationis causa servata sunt.

Cum deinde quaeramus, quinam fuerint sacerdotes quibus ferretur lex curiata, i. e. qui inaugurarentur comitiis calatis, non solum statim excipiemus virgines vestales et salios, sed etiam efficiemus ex verbis Labeonis quae servavit Gellius 15. 17. 1 *„comitia quae pro collegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa"*, legem curiatam eis solis latam esse qui ibi nominantur, regi sacrorum et flaminibus, eo tempore scilicet, cum ea verba scriberentur, nam de rebus quae antea fuerunt nihil a Labeone affirmatur. Ad res vetustiores cognoscendas etiam aliorum auctorum testimonia evocare licet, si qua sunt quae eo pertineant. Dionysius autem, de tempore Romuli regis agens, dicit hunc regem iussisse omnes sacerdotes qui tum essent *ἀποδείκνυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν Φρατρῶν, ἐπικυροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς*; hi sacerdotes autem, quos ante Numam institutos esse paulo antea affirmavit

1) Cic. leg. agr. 2. 11. 27 et 2. 12. 31.

Digitized by Google

Dionysius, sunt curiones, flamines curiarum, tribuni celerum, augures [1]). De his igitur quod affirmavit Dionysius, non prorsus recte se habet; vocabulum *ἀποδείκνυσθαι* sane vitiosum est. Neque curiones, neque augures certe quos ante legem Domitiam a. 103 latam ab ipso collegio cooptatos esse novimus sine ullo suffragio civium [2]), tempore regum a curiis creatos esse verisimile est. Dionysius ipse, superiore capite (c. 21) ubi dicit curiones et flamines lectos esse *ex* singulis curiis, cavet affirmare eos a populo creatos esse; paulo post de pontificibus agens (2. 73) ostendit cooptationem sacerdotalem minime ignotam sibi esse. Sed totum vitium inest in vocabulo *ἀποδεικνύναι*; cum sciamus fuisse legem curiatam de sacerdotiis, non licet nobis opinari ipsum suffragium curiarum, quod eo vocabulo designetur, esse commenticium; Dionysius h. l. perperam ad lationem legis curiatae, cuius rationem universam non satis perspexerat, adhibuit vocabulum *ἀποδεικνύναι* (quod idem eum fecisse 3. 1 in regno Hostilii supra ostendi pag. 439); quia putabat vocabulum *ἐπικυροῦν*, quod ipsum huic rei quoque solum idoneum fuerat, reservandum esse alteri parti confirmationis, auspicio auguris; ita creationem pro confirmatione substitutam attribuit suffragio curiarum, quo errore correcto eius testimonium recte se habet. Itaque si primum quaerimus de auguribus, quoniam

---

1) Dionys. 2. 22 (de quo loco egit Mommsen St. 2 pag. 34 adn. 4): *ἅπαντας δὲ τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς λειτουργοὺς τῶν θεῶν ἐνομοθέτησε* (Romulus, non Numa) *ἀποδείκνυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν φρατρῶν, ἐπικυροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς*. Vocabulum *λειτουργοὺς* (quod significat *administros*, quocirca Plutarchus nonnumquam eo designavit *lictores*) ne referretur ad *lictores curiatios*, satis cavit Dionysius cum adderet: *τῶν θεῶν*, et cum eosdem viros diceret paullo post (c. 23) *τοὺς θρησκεύοντας τοὺς θεούς*, et paullo ante (c. 21) *ἱερέας τε καὶ θεραπευτὰς θεῶν*; eodemmodo 2 c. 73 hoc vocabulo *λειτουργοὶ τῶν θεῶν* usus est idem ad significandos *omnes sacerdotes*, eisque opposuit eodem capite *ὑπηρέτας τε καὶ λειτουργοὺς τῶν ἱερέων*, qui sunt administri sacerdotum. — Verba Dionysii autem referri non licet ad sacerdotes quorum nullamdum mentionem fecerat cum ea scriberet, sed ad eos solos referenda sunt quos a Romulo institutos esse modo tradiderat, scil. ad augures et ad LX viros illos quorum bini singulis curiis praefecti erant, qui erant triginta curiones et triginta flamines, fortasse etiam ad tribunos celerum (2 c. 13 cfr. c. 64). Hos triginta flamines curiarum probe distinguendos esse a lictoribus curiatiis, probat hic locus Dionysii. Recte Mommsen (3 pag. 101 adn. 5, 1. p. 890 adn. 3) monuit minime certum esse hos esse eosdem. — 2) Vell. 2. 12. 3: „quo anno Cn. Domitius tr. pl. legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet". Rel. loc. vid. apud Mommsen Staatsr. 2 pag. 29 sq.

Digitized by Google

a primo eorum initio comitiis inauguratos eos esse nos docet Dionysius, quoniam vero e verbis Labeonis apparet comitia calata de eis habita non esse sub finem reipublicae liberae, sequitur ut statuamus aliquando mutatam esse caerimoniam qua inaugurabantur, et sublatam esse legem curiatam cum patrum Auctoritate, retento tamen auspicio augurum. Tempus autem quo id factum esse putemus, vix aliud inveniemus magis aptum quam id quo lex Domitia a. 103 lata, mutata creatione augurum, eos creari iussit a parte populi, comitiis septendecim tribuum; ea lex, si, nulla mentione facta suffragii curiarum et Patrum Auctoritatis, iussit eos quos ex candidatis a collegio nominatis elegisset populus, augures esse ut qui essent optimo iure creati, simul existimari poterat hoc ipso silentio sustulisse legem curiatam et Auctoritatem Patrum. Huc pertinet fortasse error quem omnium consensu [1]) admisit Livius, cum ad a. 184 (quo tempore augures cooptatione adscitos esse constat) adnotaret: *„extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant . . .; creatus erat Postumius"*; scil. cum ab auctore Livii commemorata essent comitia auguris inaugurandi, haec fortasse ab ipso ad creationem translata sunt. Sed cum in plebiscito Domitio causam invenerimus, cur auguribus lex curiata non ferretur tempore Labeonis, in promptu est suspicari, inter ceteros sacerdotes quorum creatio aliquando ad comitia septendecim tribuum delata est, etiam alios fuisse qui antea habuissent legem curiatam, quamquam auctores eius rei memoriam non servaverunt. Itaque, quandoquidem vix credibile est pontifices caruisse lege curiata si eam habuerint curiones et rex sacrorum et augures et flamines, certe non a vero aberraverimus si hac copia usi his eam adscripserimus; fortasse idem cadit in VIIviros epulones; de decemviris sacrorum vero idem affirmare nolim, quos ne inauguratos quidem esse crediderim. De aliis sacerdotibus vero locus Dionysii quaestiones nonnullas excitat, quae hodie solvi non amplius possunt. Tribuni celerum, qui olim habuisse videntur legem curiatam, apud auctores nostros tam raro nominantur ut eorum sacerdotium permansisse vix sciamus [2]); curiones vero, in quos

1) Liv. 39. 45. 8; cfr. Mommsen 2 pag. 28 adn. 5. — 2) Vid. Marquardt Staatsverw. 3 pag. 222.

Digitized by Google

idem cadit, non multo magis noti sunt; legem Domitiam tam strictim attingunt auctores nostri, ut nesciamus num etiam pertinuerit ad curiones et tribunos celerum. Fieri potest, ut iam initio liberae reipublicae lex curiata adempta sit curionibus et tribunis celerum; hoc tenendum erit si secuti erimus sententiam hodie a multis acceptam, sacerdotes qui ultimo saeculo liberae reipublicae a populo crearentur nullos fuisse praeter pontifices augures epulones decemviros sacris faciundis; sin vero licet opinari leges quae potestatem creandi deferrent ad septendecim tribus etiam pertinuisse ad curiones et tribunos celerum, nihil obstat quominus putemus hos quoque habuisse legem curiatam quamdiu cooptatione adsciscerentur; curio maximus certe iam a. 209 a populo creatus esse videtur [1]). De his rebus igitur nihil pro certo affirmari potest. Hoc utique tenendum esse videtur, olim multos sacerdotes, ut pontifices, augures, flamines, regem sacrorum, alios fortasse, cum etiam caperentur, aut electi a Pontifice Maximo, aut cooptati a collegio (nam hi quoque *capi* dicebantur) [2]), indiguisse legis curiatae ad confirmandum sacerdotium; postea vero his omnibus praeter regem sacrorum et flamines, cum a populo creari coepissent, non amplius opus fuisse lege curiata; ab eo tempore de his, ut iam antea de virginibus vestalibus et de saliis, auspicia sola interrogabantur cum sacerdotium inituri essent, quo fiebat ut nihilominus eorum confirmationi manere posset nomen inaugurationis [3]).

Inaugurationes sacerdotum autem hoc valebant, ut, si recte perfectae essent, sacerdotium tenere liceret eis qui inaugurarentur, sin vero deficerent aut ad finem non perducerentur, ut statim eis deponendum esset sacerdotium. Hoc confirmatur non solum eis quae de regibus et magistratibus scripsi (pag. 449 sq.), sed etiam loco Livii quem supra attuli (pag. 451 adn. 1), et loco quo Dionysius dicit pontifices (non iure sed facto) iniisse post confirmationem perfectam (pag. 452). Sed hanc ipsam ob causam, quia sacerdotes recens creati necdum confirmati tantisper sacris abstinere solebant, inauguratio si recte perficiebatur

1) Liv. 27. 8, cfr. Mommsen St. 2 pag. 27 adn. 4. — 2) Gell. 1. 12. 15. — 3) Cic. leg. 2. 8. 21; Suet. Calig. 12; Cic. Brut. 1. 1; Macrob. Saturn. 3. 13. 11; Cic. Phil. 2. 43. 110. Vid. supr. pag. 420 adn. 9.

Digitized by Google

etiam efficiebat ut sacerdotio fungi tum incipere possent novi sacerdotes, et *facto* hoc quoque valebat, ut appareret deos hoc permittere, eodem modo quo exaugurationes fiebant de sacerdotibus qui a sacris removebantur, ut appareret deos hoc permittere ut sacerdotium deponerent.

Denique quaerentibus nobis, quis dicendus sit inauguravisse sacerdotes, primum facile apparet his inaugurationibus quae calatis comitiis fiebant neminem praeesse potuisse praeter Pontificem Max., quia is solus de sacerdotibus legem rogare poterat; is quoque igitur augures adesse iubebat ad auspicia capienda, et de Patrum Auctoritate facienda cum consule egisse videtur. Haec omnia autem faciebat *„pro collegio pontificum"* i. e. de sententia collegii, quod ab eo consulebatur (Gell. 15. 27. 1). Quodsi collegio videbatur, Pontifex Max. poterat recusare quominus inauguraret, si sacerdos recens creatus non parebat eis quae ei tamquam sacerdoti imperaverat Pontifex; in exemplo supra allato (Liv. 40. 42. 8) audimus „religionem fuisse *pontificibus*" inaugurandi regis sacrorum qui magistratu se non abdicabat. Hi sacerdotes quibus opus erat lege curiata, inaugurati esse dici possunt strictiore sensu quidem ab augure, sed ampliore sensu de quo nunc agimus a Pontifice aut pontificibus; nullo modo certe dici possunt a se ipsis inaugurati esse. Eorum causa comparanda est cum condicione censorum et magistratuum minorum qui legem sibi ferre non possunt et in ea re indigent operae consulis aut praetoris. — Eos autem quibus ut confirmarentur inirentque nihil opus erat praeter responsum augurum (quod ultimo saeculo in longe maiorem partem sacerdotum cadebat), tum ipsos eam rem peragere potuisse manifestum est, si augurem haberent qui eis morem gerere vellet; itaque eatenus hi sacerdotes dici possint *se ipsi inauguravisse*, sed tamen latine etiam sic non forma reflexiva sed forma medialis huius verbi adhiberi solet [1]). Non facile novo sacerdoti deerat augur qui ei praesto esset; ipsi auguri enim hoc simul honori erat si a viro illustri adhibebatur, simul tamquam beneficium ei im-

1) Cic. Phil. 2. 43. 110: „est ergo flamen ... divo Iulio M. Antonius. Quid igitur cessas? Cur non *inaugurari*?" Cfr. Plin. 16. 237: „ilices tres ... apud quas *inauguratus* traditur Tiburnus conditor Tiburtum". Sic Numa rex melius inauguratus esse quam se ipse inaugurasse dicitur.

Digitized by Google

putabatur si hoc officium amico praestabat; inprimis in ipso collegio augurum hoc diligenter observabatur, et novus augur in parentis loco colere debebat eum a quo inauguratus erat, a quo eodem etiam in nominatione praelatus erat, ut Cicero ab Hortensio [1]); ad coenam qua novus sacerdos recens inauguratus celebrabat diem natalem sui sacerdotii, etiam advocari solebat augur qui ei officium praestiterat [2]). Sed quamquam haec omnia non exigebant operam Pontificis Max., et fortasse recte peragi potuerunt sine eius iussu et sine decreto collegii, modo ne interpellaret Pontifex quod aliquid contra fas aut morem fieri videret, tamen ea peragi certe non decebat nisi censuisset Pontifex Max. certior factus, aut eo absente is qui collegio in tempus praeerat [3]). Quin etiam his caerimoniis quoque quas sine comitiis per augurem sibi amicum absolvere poterant novi sacerdotes, verbo tenus saltem et iure Pontificem praefuisse existimandum videtur, etiamsi nonnullis locis quibus de huiusmodi inaugurationibus ultimo saeculo factis sermo est nulla mentio fit Pontificis, et auctores significare videntur novos sacerdotes in eis suam rem solos egisse (pag. 458 adn. 1 et huius pag. adn. 1). Inprimis hoc apparere debuit, ubi forte novus sacerdos aut non habebat augurem cuius officium peteret aut nolebat experiri alienam benevolentiam; tum is Pontificem Max. adire debuit ut sibi augurem praeberet, nam is solus poterat augurem adesse et munere fungi iubere [4]); praeterea si sacerdos in aliqua re peccabat aut non parebat, Pontifex Max. etiam inauguratione quae per augures solos fieret ei interdicere potuerit necesse est, non minus quam si comitia adhibenda erant ut apud Liv. 40. 42. 8; denique si novus sacerdos ipse moram afferrebat quominus inauguraretur, Pontifici Max. providendum erat ne ex eius neglegentia vel contumacia detrimentum caperet religio, cuius summa cura et custodia ei tradita erant; neque minus quam si lex ferenda erat (ut apud Liv. 27. 8. 4), sacerdotes a Pontifice Max. *cogi* poterant inaugurari si res in auspiciis tantum consistebat, etiamsi forte tum non *ab eo inaugurari*

1) Cic. Brut. 1. 1. — 2) Macrob. Saturn. 3. 13. 11. — 3) cfr. de re haud absimili Cic. dom. 45. 117 et 55. 140. — 4) Eo pertinent verba mutilata Festi pag. 348, de quibus supplendis egit Mommsen Staatsr. 2 pag. 35 adn. 1.

Digitized by Google

dicebantur. Haec omnia ostendunt, summam inaugurationum potestatem fuisse penes Pontificem Max., de collegii sententia decernentem; sed ea potestas vulgo quiescebat, quia nihil erat cur se immisceret Pontifex; in extremis temporibus liberae reipublicae vero, cum inprimis sacra publica laborarent neglegentia et desidia sacerdotum et omnis cura sacrorum regeretur studiis ad rempublicam pertinentibus, ea potestas ibi quoque iacuit, ubi quam maxime desiderabatur; hoc inprimis cernitur in Antonio, cui flamini divi Iulii creato liberum fuit hoc sacerdotium relinquere neque inaugurari, quod non magis cordi erat Lepido Pontifici Max. in Hispaniam nuper profecto quam reliquis pontificibus (Cic. Phil. 2. 43. 110).

Sed ipsius caerimoniae inaugurandi stricto sensu, solus actor et arbiter erat augur; ibi neque agebat is cuius iussu augur consulebatur, quamvis is esset Pontifex Max., neque vero is de quo auspicia observanda erant, sed augur solus. Quin etiam regum tempore, cum de novo rege auspicia capienda essent, et is ipse inauguraretur cuius iussu augur ea observabat, actio erat auguris, cuius arbitrio se tradiderat rex. Duabus rebus quasi imagine quadam id significari solebat, in hoc sollemni *parere* regem qui cupiebat audire voluntatem deorum, *regere* Iovem eiusque administrum; primum loco, cum non ad regem se duci pateretur augur, sed rex e foro in Arcem deductus Iovem adire cogeretur; deinde ritu ipso, cum rex „in lapide ad meridiem versus considens", ita collocatus ut ne conspicere quidem posset templum aërium versus orientem ab augure descriptum, manum auguris capiti suo impositam sentiens, modeste expectaret dum ex responso auguris cognosceret utrum a deis admissus an reiectus esset, et ita in forum rediret (vid. Mnemos. XVII pag. 283 sq.).

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. FRANCKEN, J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, E. MEHLER, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON, J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN VICESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1892.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
De Horatii carminibus amatoriis praesertim interpretandis et ordinandis, disputavit H. T. KARSTEN	1— 40.
Ad Vergilii Eclogam III 110 (corrigitur error), scripsit H. T. K.	40.
Digamma Homericum, scripsit J. v. L. J.F.	40.
ΗΡΩΙΑΟΥ ΜΙΜΙΑΜΒΟΙ, edidit H. VAN HERWERDEN . . .	41— 97.
Excursus ad minum VI, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. .	97—100.
Observatiunculae de iure Romano (*continuantur ex Vol. XIX, pag.* 128), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . .	101—112.
Disputatio de aliquot locis Epistolarum Ciceronis ad Atticum, scripsit J. C. G. BOOT	113—126.
Epigramma correxit H. v. H.	126.
Homerica (*continuantur ex Vol.* XIX *pag.* 160), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	127—140.
Ad Sophoclem, scripsit E. B. KOSTER	141—143.
Ad Aeschinis orationem κατὰ Τιμάρχου, scripsit G. M. SAKORRAPHUS	144—146.
Ad Aristophanem, scripsit J. v. L. J.F.	146.
Emblemata apud Aristophanem, Xenophontem, Lucianum, indicavit P. H. DAMSTÉ	147—151.
Ad Homerum, scripsit J. v. L. J.F..	151.
Ad Platonis Phaedonem, scripsit J. J. HARTMAN . . .	152—167.
Ad Terentii Eunuchum (vss. 64 sqq.), scripsit J. J. H. .	167.
Ad Quintum Smyrnaeum, scripsit H. VAN HERWERDEN .	168—176.
Observatiunculae de iure Romano (*continuantur ex huius Vol. pag.* 112), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . .	177—196.
Ad Apollodori Bibliothecae partis ineditae fragmenta, scripsit H. VAN HERWERDEN.	197—200.
Ad Herodam, scripsit H. v. H.	200—201.

Digitized by Google

	Pag.
Quaestiones ad Historiam Scenicam pertinentes (*continuantur ex Vol.* XVIII *pag.* 75), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	202—223.
Ad Plutarchum: ἀρίστους — Ἀργείους, scripsit J. v. L. J.F.	223.
Ad Ciceronem, scripsit J. S. SPEIJER	224.
Ad Livium, scripsit H. W. VAN DER MEY.	224.
Ad Sophoclem, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	225—232.
Homerica, scripsit H. VAN HERWERDEN.	233—249.
De Aristeae ad Philocratem fratrem epistola, scripsit K. KUIPER.	250—272.
Ad Tertulliani: de pudicitia et de paenitentia, scripsit J. VAN DER VLIET	273—285.
Vox — Nox, scripsit J. v. D. V.	285
Callaeci — Gallaeci, scripsit U. PH. BOISSEVAIN	286—293.
Ad Bellum Iugurthinum, scripsit P. H. DAMSTÉ . . .	294—300
Ad Aristophanis Pac. vs. 18, scripsit J. v. L. J.F. . . .	300.
Spicilegium observationum criticarum ad scriptores Graecos, scripsit G. M. SAKORRAPHUS	301—310.
Observatiunculae de iure Romano (*continuantur ex huius Vol. pag.* 196), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . .	311—316.
Ad Tragicos, scripsit H. VAN HERWERDEN.	317—318.
Adnotationes criticae ad Theophrasti Characteres, scripsit S. A. NABER	319—337.
Parthen. Erotic. 14, scripsit S. A. N.	337.
De templis Romanis, scripsit I. M. J. VALETON. . . .	338—390
Ad Odysseam, scripsit H. VAN HERWERDEN	391—399.
Ad Diodori Siculi I 83, scripsit W. F. A. VAN DAM . .	399.
Spicilegium observationum criticarum ad scriptores Graecos (*contin. ex huius Vol. pag.* 310), scripsit G. M. SAKORRAPHUS	400—409.
Ad Plutarch. Moral. 347 c, scripsit G. M. SAKORRAPHUS .	409.
Fluctus in simpulo, scripsit S. A. NABER	410—413.
Varia ad varios, scripsit J. VAN DER VLIET	414—417.
ANOMOIOTHTEΣ, scripsit S. A. N.	417.
Ad Horatii Artem Poeticam vss. 251 sqq., scripsit J. J. H.	418.
Ad Vitruvii V. 8, scripsit K. DUMON	419—429.
Ad Tragicos, scripsit H. VAN HERWERDEN.	430—448.

Digitized by Google

DE HORATII CARMINIBUS AMATORIIS PRAESERTIM INTERPRETANDIS ET ORDINANDIS

DISPUTAVIT

H. T. KARSTEN.

Suscipit magnum hercle opus et laboriosum qui scripturus est de Horatio poeta. Cum enim in nullo qui carminibus pangendis inclaruit, poeta ab homine separari possit, nec poetae facultates et merita describi vere queant nisi simul ipsius vitae condicionis atque indolis ratio habeatur, haec omnium minime negligenda sunt in Horatio [1]). Ad huius enim ingenium conformandum quot et quanta maximum habuerunt momentum! Natalicia, origo ex patre libertino et locus natalis in regione Venusina, institutio in Urbe, educatio paterna, callidissima illa res hominesque observandi et ponderandi ratio a natura insita, a patre aucta et exculta, familiaritas cum nobili sui temporis iuventute, otium Atheniense, dura reipublicae tempora inde secuta, quae spectatissimum nuper tribunum militum et nobilium comitem mox urbi reddiderunt decisis humilem pennis,

1) Scripsit quidem Luc. Muellerus in libro Quintus Horatius Flaccus eine litterarhistor. biographie. Leipz. 1880 p. 3: „die erste Pflicht des Lit„terarhistorikers besteht darin ... soviel wie möglich Person und Charakter eines „Autors von seinen Werken zu scheiden", sed idem pag. 9 sic docuit: „Untersu„chungen über die Details seines Lebens (Horatii) ... waren wissenschaftlich in so „weit gerechtfertigt, als die meisten Gedichte des Horaz sich mit seinen persönlichen „Geschicken oder denen seiner Freunde und Feinde befassen", e. q. s. usque ad illa verba: „als ferner die Subjectivität ... sich bei keinen mehr geltend macht, als bei „Horaz". Omnisque libri tenor priori illi placito quodammodo repugnat.

Digitized by Google

inopem Laris et fundi, scribam unum e multis, eo acrius nunc ab invidis derisum, quo meliore antea fortuna fuerat usus (Sat. 1. 6. 47 sq.), audax paupertas, quae ad satiras iambosque edendos compulit, renata fortuna, partim ipsius ingenio debita et officio Vergilii Variique — quibus animos terra non tulit Horatio devinctiores (S. 1. 5. 41) — partim Maecenatis patrocinio et Caesaris amicitia principumque aetatis virorum; otium denique rurale dulcissimum sub principatu Augusti restituta pace et tranquillitate orbi terrarum religione moribusque renovatis.

His externis haud leviora accedunt momenta interna et ipsam hominis indolem spectantia, quae ab altera parte propensa erat in vitam meditabundam et inconcussam philosophi, dum sibi res non se rebus subiungere studebat et aurea mediocritate contentus sibi vivere volebat, — cum Iovis beneficio, quem satis est orare quod donat et aufert, vitam et opes, tum propria sapientia, qua aequum animum sibi ipse pararet (Ep. 1. 18 sub fin.) — ab altera parte a voluptate non aliena, irasci celeris, ambitione nequaquam vacua, poseeos fruendae denique et exercendae facultate non minus insignis quam sapientiae studio.

Si quis igitur Horatii carmina recte aestimare et interpretari velit, indagandum est quam vim haec omnia in poesin habuerint. Spectat autem haec ratio, quae nuper demum invaluit, id imprimis, ut scriptorum opera examinentur secundum normam et regulam non ex hodiernis opinionibus et praeiudiciis confictam, sed ex ipsorum temporibus desumtam. Nam olim hanc alteram sequebantur plerumque methodum, ut temporum discriminis minus curiosi singula opera per se spectarent, et damnarent ea laudarentve alii aliter, prouti cuiusque sensui, qui dicitur, poetico singula placerent aut displicerent; qua ratione fieri non potuit quin viri probe tamen docti et veterum lectione egregie imbuti in iisdem rebus aestimandis saepe toto caelo inter se discreparent.

Omnium acerrime hanc criticos rationem impugnavit Madvigius, qui in Adversariis Criticis (Vol. 1 p. 83) disputans de tragoediarum Graecarum emendatoribus haec inseruit: „Praeiverat in hoc criticae genere in Latinis Hofman-Peerlkamp, „qui cum suas Horatio poesis leges scripsisset et multos in

Digitized by Google

„sententiis et verbis intelligendis errores et prava ad Latinum „sermonem pertinentia iudicia adiecisset, Horatium laniavit. „Qui tamen ne solus in hac pravitate esset aut temeritate „summus, nuper (ne Gruppium commemorem) Lehrsius in Ovi„dii Epistolis ... in Iuvenale Ribbeckius effecerunt".

Iusto tamen acrius ille invectus est in Peerlkampium, cuius crisis Horatiana paene venerabilem habet originem positam in nimia poetae admiratione, quem cum perfecta tantum scribere potuisse sibi persuasisset, imperfecta omnia expunxit quippe tali auctore indigna. Nec tantum excusari quodammodo sic potest illius temeritas, sed habuit eiusdem et reliquorum criticorum morosa severitas in excutiendis Horatii carminibus et arte poetica hanc magnam utilitatem, ut multae in iis cicatrices denudarentur, quae adhuc quasi velamentis nimis benignae facilisque interpretationis occultatae manserant. Nam nihil non moverunt in his scriptis. Dubitarunt de verbis de sententiis de strophis de totis poematis, ita ut vix tertia pars ex illa strage incolumis evaserit. Qui igitur post illos sobrio iudicio usi Horatii carminibus suum honorem suamque formam restituere volebant, iis hoc primum incumbebat officium, ut in unaquaque re illorum reprehensiones examinarent et partim correctionibus (quamquam has non nisi paucas admittit textus Horatianus), partim accuratiore rerum et verborum interpretatione, partim saniore iudicio de Romanae poesis atque Horatii indole, quantum fieri poterat, redarguerent.

In hac autem criticae periodo nunc versamur. Non amplius certatim scriptor dilaniatur, non pro suo cuiusque arbitrio omnia ea, in quibus primo aspectu haeremus, inepta insulsa inficeta absurda declarantur, sed iteratis multorum curis nova luce collustrantur ex latini sermonis legibus, ex poetae vita et condicione temporum. Cumque hac via insistentibus multa iam successerint, de reliquis difficultatibus expediendis non erit desperandum.

Multa semper manebunt nimirum in Horatii carminibus, quae nobis non adrideant. Quid enim? Constat neque illum neque alium quemquam poetarum Latinorum praeter Lucretium ex summa illa Musarum esse prole, qua Graecia inclaruit, cum omnes aliquatenus illorum imitatores sint habendi, neque ingenii altitudine nec rerum quas canunt gravitate pares egregiis

Digitized by Google

illis artis magistris. Hac autem communi scriptorum Romanorum condicione praetermissa aestimandi sunt per se, quid pro re nata efficere potuerint et quid effecerint, atque abstinendum a reprehensionibus et conviciis, quorum ad iustam litterarum Latinarum cognitionem nulla amplius est utilitas. Fuerint haec non nimis vitio vertenda, cum olim stulta et inepta antiquorum operum admiratio impugnanda et radicitus evellenda videretur, sed nunc ea opera prorsus est otiosa, quin immo noxia.

Itaque miror virum doctissimum Hartmannum in relictas et relinquendas illas orbitas rediisse. Ille enim in libro nuper edito [1]) partim Peerlkampiana iudicia, quasi iam oblitterata esset eorum memoria, revocavit, partim de suo addidit verborum versuum stropharum damnationes vix minus temerarias. Qui si haud spernendum ingenium et peritiam adhibuisset ad inquirendum diligenter, qua ratione lapides et scrupuli, quibus identidem pedem offendit, possent removeri, eventus hanc operam non fefellisset, quin etiam vidisset aliorum laudabili industria non pauca obstacula iam esse remota, quod exemplis demonstrabo.

In vss. II 2. 9.

Latius regnes avidum domando
Spiritum quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni —

quae potest esse iusta offensio? Nam uterque Poenus quinam intelliguntur nisi coloni Africani et Gaditani ab utraque maris parte servientes in eiusdem domini praediis? Ita apertissima esset dictio uterque Batavus, si praecessisset mentio Neerlandiae et Transvaliae. Ceterum Ad. Kiessling recte comparavit Petronium 48 nunc coniungere agellis Siciliam volo e. q. s., ubi non magis cogitandum de ponte faciendo in freto Siculo quam h. l. in freto Gaditano (Hartm. p. 23).

In I 32. 4.

age, dic Latinum
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi

1) De Horatio poeta scripsit J. J. Hartman Lugd. Bat. 1891.

Digitized by Google

reprehenditur Horatius (ibid. p. 24) quod roget lyram Alcaei, ut sibi praesto sit in canendis modis Sapphicis. Sed invocaturne barbitus Alcaei an in genere barbitus, quo ille primus alii mox multi sunt usi? Et quid si ipse Alcaeus Sapphicos modos cecinit? Cf. in fragm. Bergk. Scolion 36 p. 479 et Hartung, die Griech. Lyriker VI p. 6 sq.

In II 7 poeta invitat Pompeium suum post multorum annorum absentiam ut longa fessum militia latus deponat sub lauru sua, iubetque puerum explere ciboria Massico oblivioso, quod scilicet exstinguat in breve tempus aerumnarum memoriam et defetigationem. Igitur epitheton obliviosum est aptissimum, nec de renovanda dulcissimi temporis ante acti memoria ullus in hoc carmine sermo est, ut putat Hartmannus p. 26.

In III 8 centum cyathos dixit poeta pro multis, ut alibi centum greges, claves, artes, Graecus poeta in epigrammate *κυάθους μυρίους*. Non minus recte omnes afore clamores et omnem iram ab instituendo convivio promittit Maecenati, abhorrenti nimirum circulos clamosos et turbulentos, quorum sine dubio experimentum fecerat apud communem aliquem familiarem. (Ibid. p. 26 sq.).

Carmen IV 7 nequaquam „invitationem" continet „ad hilare et iucundum cum amicis convivium" (ibid. p. 29), sed gravem admonitionem Torquati, qui generis et facundiae suae famae atque clientibus unice intentus (vs. 23 sq.) negotiorum turbine se cottidie circumagi patiebatur, negligens Horatianum illud sibi vivere, quo amicus eum revocat brevis aevi recordatione.

In II 2. 24 habes acervos sine epitheto vel genitivo (ibid. p. 29 sq.) ut in Sat. 1. 1. 44 et Verg. G. 1. 158.

Extrema oda libri II interpretum vires exercuit quantum nulla alia, nec nisi longiore disputatione rite tractari potest. Carmen „totum esse insulsum et inficetum" (ibid. p. 37), multum abest ut concedam. Strophae conclamatae de metamorphosi in cygnum subesse videtur recordatio Euripidea, cuius fragmentum citant interpretes. Sunt quidem hi versus eius modi, ut utilius sit diligenter inquirere unde nati sint et quid significent, quam per epitheta probrosa et inania iis defungi.

Digitized by Google

Idem valet de oda III 27. Quid enim attinet declarare post alios carmen ex variis pannis esse consutum, esse „insulsum, Musis iratis compositum, ut corrumpi ne ab ineptissimo quidem grammatico potuerit." (ibid. p. 40)? Nonne prudens lector aut inde concludet totum poema cum Peerlkampio ab Horatio esse abiudicandum, aut rationes quaeret, qui fieri potuerit ut poeta, alibi ab Hartmanno impense laudatus ob leporem ingenium artem, istiusmodi ineptias nullo cogente conflauerit et ediderit.

Sunt sane haud pauci quibus carmen non ex variis pannis videatur consutum, ut neque mihi, nec inelegans et inficetum aut Horatio indignum. Sed de hac quaestione longa est disputatio et ab hac inquisitione aliena.

In II 5 penultimam stropham Hartmannus interpretatus est sic (ibid. p. 41): Chloris albo sic humero nitens ut pura... luna Cnidiusve Gyges renidet. Sed iusta constructio haec est: Lalage... dilecta, quantum non Pholoe... non Chloris... Cnidiusve Gyges sc. dilectus est, qui puer cur multum dilectus et celebratus fuerit (cf. III, 7. 5 et Epod. 11. 4), non dedecet peculiari stropha indicare.

Carmen de vaticinio Nerei I 15 acriter idem exagitavit p. 45 sq. Vondelio nostro unum ex omnibus dignum visum est in quo vertendo vires suas exerceret, non dicam felici eventu. Ceterum et haec oda et gravissima de Lollio IV 9 (ibid. p. 51) ex iis sunt denuo, quae ut plene explicentur longiore disputatione indigeant.

In carmine quarto l. IV vs. 23 sqq. vere et eleganter de Nerone scripsit Horatius barbaros consiliis iuvenis — nam prudenti magis consilio quam magna virium intentione opus erat ad debellandos Rhaetos et Vindelicos [1]) — revictos sensisse quid mens rite quid indoles nutrita faustis sub penetralibus posset, Hartmannus autem iocose, opinor, finxit lectori magis placiturum fuisse „huiuscemodi aliquid: hostes terribili

1) Mommsen R. G. 5 p. 15: es waren sehr sichere und sehr dankbare Lorbeeren.

Digitized by Google

„eius (Drusi) impetu perculsi immo fulminea horrendi adversarii „vi obstupefacti sunt et prae metu vix se commovere possunt". Sed, o di boni, quantum derisisset vir acutus et poetam, si revera sesquipedalibus his verbis fuisset usus, et nos, si talia probassemus!

Non magis auscultandum est Hartmanno p. 150. Cum enim Horatius sic dixerit in Epodo 14 ad Maecenatem: Ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis accendit obsessam Ilion, gaude sorte tua, „hocine satis inep„tum, inquit, amoris ignem cum igne urbem exurente com„parare, non propter vim et vehementiam sed propter pul„chritudinem". Sed quis huic reprehensioni calculum dabit qui meminerit Helenam esse quae (non exussit, sed) accendit Ilion et flammam media ipsa tenebat ingentem, ut cecinit Vergilius VI 518. Cum huius igitur pulchritudine comparatur non „ignis amoris", sed ignis, i. e. puella, Maecenatis.

Ut autem in carminum censura multa sint quae improbem, laudo tamen Epilogum p. 194—202. Cum enim illic Hartmannus videri possit poetam et poemata acerbius tractasse, in epilogo paene παρὰ προσδοκίαν non eos tantum refutat, qui Horatium poetae nomine indignum censeant et tamquam versificatorem contemnant, sed ipse nullas non laudes in eum cumulat, maxime quidem propter Sermones et Epistolas (quae ad hunc usque locum in censum non vocaverat), sed etiam propter odas rusticas, politicas et alias quasdam quae ad epistolare genus proxime accedant. Celebrantur „sententiae aere perenniores, „quae dum sermonis elegantiae et venustati sua laus stabit „discentur et recitabuntur", tum „praeclara poetae in re metrica „merita" et „versus puri elegantes auditu suavissimi iucundis„simique", denique „dignissimus" „praedicatur quem poetam „vocemus propter hanc virtutem, quod egregie observare poterat „et libenter atque cum voluptate quadam observabat ... ho„mines illorumque vitam studia errores".

Cum autem hoc nomine Horatium poetae titulo dignum habuerit, alibi minus benignum tulit de eo iudicium contenditque p. 15, si interrogamus Horatium „quid de sua arte ipse censeat", eum respondere „nihil magnificum, nihil quod admi-

Digitized by Google

„rationis impleat, nihil denique quo ita commoveamur, ut sta-
„tim nos colloqui(?) sentiamus cum poëta, i. e. cum Musarum
„amico et sacerdote, quem deae ipsae in summas coeli plagas
„sustulerint, ubi ea aspexerit audieritque quibus relatis vita
„hominum illustrari exornarique posset".

Mitto hanc poetae definitionem, ex qua si ad amussim examinantur Heliconis incolae, timeo ne multi inde deturbandi sint, qui honestum ibi locum adhuc occupaverant. Sed cur Hartmannus rogationis illius — quid de arte sua censeat poeta — responsum petivit ex lepidissima narratiuncula de milite (non Pompeiano sed) Luculliano, quae inserta est in epistola plena dulcissimae ironiae et data extremo vitae tempore poetae, cum, ut queritur, singula de nobis anni praedantur euntes, eripuere iocos venerem convivia ludum, tendunt extorquere poemata. Equidem potius ex poematis flore aetatis et in poeticae facultatis vigore compositis haec citarem effata de arte Horatii:

I 1 Me doctarum hederae praemia frontium
dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
secernunt populo.

ad quem locum allusit ipse in Ep. II 2. 77 scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbis. Cf. Tacitus in Dialogo c. 9.

I 32 ad barbiton:

O decus Phoebi et dapibus supremi
grata testudo Iovis, o laborum
dulce lenimen!

II 20 Me Colchus ... et Dacus et ultimi
noscent Geloni; me peritus
discet Iber Rhodanique potor.
Absint inani funere neniae e. q. s.

quae Ennianum carmen sepulcrale in memoriam revocant, nec differunt a sententia notissimi carminis in fine tertii libri

Exegi monumentum aere perennius e. q. s.

Neque omittenda oda IV 3, in qua suavissimis versibus artis suae conscientiam Musarumque certum patrocinium testatur:

Digitized by Google

Quem tu Melpomene semel
nascentem placido lumine videris,
e. q. s. usque ad postrema illa
Totum muneris hoc tui est,
quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae.
quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Quibuscum conferatur I 17

Di me tuentur: dis pietas mea
et Musa cordi est

et primae pueritiae recordatio in III 4, cum Vulture in Appulo puerum fronde nova texere palumbae, mirum quod foret omnibus, ut tutus a feris dormiret non sine dis animosus infans.

Haec non sunt humiliter de arte sentientis, sed suae sibi altitudinis ingenii probe conscii.

Verum, si audimus Hartmannum, egregius certe poeta fuit Horatius in Epistolis et Sermonibus et in eis carminibus quae illis maxime cognata sunt, nec deest suus decor aliis poematis naturam, patriam, principem celebrantibus, sed ab amatoriis carminibus, quae maxime prodere solent poetici ingenii efficaciam et splendorem, abest omnis paene fervor atque veritas, quod tum praesertim appareat, cum iuxta ponuntur elegiis Propertianis. „Non enim ἔνθεος est Horatius; placida ei mens „est et, ut ita dicam, tepida; flammas ignesque numquam „sensit. Hoc est cur carmina eius amatoria nobis tam languida „videantur: lentus enim est amator. Quotiens autem summa „Pimplei montis cacumina adscendere conatur, verba quidem „inde refert magnum aliquid sonantia, sed inanis eorum strepitus „est, in mentem animumque lectoris non penetrant" (p. 195 sq.).

His verbis contraxit vir doctus iudicia quae de singulis odis eroticis tulit in cap. VIII p. 128—170, quas ceteris omnibus postponit quippe vero et sincero animi affectu omnino expertes et ideo carentes omni poetico ardore et fervore.

Hac autem de re alii aliter iudicant.

Luc. Muellerus in utilissimo libello supra citato, postquam negavit palmam tribuendam esse carminibus politicis et ethicis, sic pergit p. 121: „Dagegen strahlen frisch und hell,

Digitized by Google

„und werden Bewunderer finden solange man noch überhaupt „lateinische Bücher liest, die Gedichte leichten und heitern „Genres, vornehmlich die sympotischen und erotischen. „Während man bei den Oden höhern Stils oft ein Gefühl der „Beklemmung hat, und sich des Eindrucks nicht erwehren „kann, dass der Dichter selbst zuweilen bei ihrer Abfassung „sich unbehaglich gefühlt, ist mir solches nie passirt bei den „erotischen und sympotischen Lieder, obwohl ich sie hundertmal „gelesen".

Haec opinionis discrepantia eo magis est notabilis, quia Muellero in eo convenit cum Hartmanno, quod negat in maiore eroticorum parte veros affectus esse quaerendos (p. 122), cum potius liberam poetae inventionem referant (p. 112), careantque mortifero furore quo deperibat Propertius (p. 125). Addidit autem haec: „Deshalb hat der philologische Scharfsinn sich „umsonst bemüht, in diese Liebschaften und ihre verschiedenen „Phasen Plan und Einheit zu bringen, oder etwas genaueres „über die zahlreichen Schönen, die in den erotischen Gedich- „ten, oft unter gleicher Namen, auftreten, zu ermitteln".

Adolphus Kiessling, quantum ex praefatiunculis carminum efficio, plerisque veros amores et personas subesse putat [1]), verum aliquid certi de utrisque statuere supersedit. Minus anxie hac in re versatus est Schuetzius, qui tamen nominum similitudini aliquid tribuens iis difficultatibus sese implicuit, quas indicavit Muellerus.

Equidem facio cum his nuperrimis editoribus, atque credo non tantum vera cecinisse Horatium, sed ex Epodis et Odis etiam aliquanta probabilitate erui posse historiam amorum poetae, quos primo, cum ei spes esset animi credula mutui, serios et longiores exercuit, mox ea spe deiectus, leviores et breviores, meque ita rem acturum confido, ut nemo inde Horatium verum Priapum fuisse cum Muellero (p. 124) concludat.

Sed antequam hoc facere instituo, brevis praemittenda est disputatio de sermone Horatiano.

Verissime Muellerus p. 132 monuit solere poetam singula verba „aurificis lance pensitare", quod non tantum valet de

1) Eximit, ni fallor, I 11. 23. III 7. 11. 12. 27. IV 1. 10, et fortasse pauca alia.

Digitized by Google

externa vocabulorum elegantia, sed multo magis de significationis vi et scito quodam acumine. Huic sermonis proprietati post alios imprimis intentus fuit Kiesslingius, cuius accurata et sagaci vocabulorum explicatione permultorum carminum argumento et significationi aliquid novae lucis affulsit multaque sublata sunt obstacula, in quibus antea haeserant interpretes. Restat autem aliis etiam satis larga seges huius generis metenda, odas scilicet diligenter inspicientibus, ut pauca Epodorum exempla casu oblata magis quam studio quaesita docebunt.

In tertio Epodo narrat Horatius quantum mali contraxerit ex allio quod convivis praebuerat Maecenas, idque ut in posterum caveat monet his verbis:

at si quid olim tale concupiveris,
iocose Maecenas, precor
manum puella savio opponat tuo.

Dicat aliquis si concupiveris metri causa inepte adhibitum esse pro si convivis ministraveris v. 2. 9. Sed qui noverit poetae acumen in verbis seligendis, perspiciet aptissimo verbo tecte tangi Maecenatem, qui quo ipse cibo vesci concupiscit ne puncto quidem temporis convivis apponere dubitat, illorum cupidinis incuriosus, dum sibi satisfaciat. Quam hominis naturam, aliunde satis notam, aperte reprehendit in III 29.

In Epodo XI

ubi haec severus te palam laudaveram
iussus abire domum ferebar incerto pede

nonne incogitanter aut inhumane scribit Horatius se iussum esse domum abire ab amico Pettio? Nihil minus; lepidum verbum hoc in se habet, infelices amatores et incertos quid agant, cum mala vino lavantur ad amici foculum, nullum finem invenire lamentandi et lavandi, nisi tandem abire iubeantur ab amico. Cf. iussi in Epod. 1. 7.

Eadem cautio magno cum fructu adhibita est in Epod. 4. 9. sq. et 7. 13 sqq. (cf. Kiessl.). Et pertinet huc etiam quod supra observavimus de verbo consiliis in Od. IV 4. 24, ubi non minus scite, pro eo quod Peerlkampius volebat repressae vel reiectae, poeta scripsit revictae de barbaris antea victoribus nunc sua vice victis.

Quantum doctrinae acuminis leporis ironiae non singula tantum

Digitized by Google

verba, sed etiam ipsae strophae totaque carmina contineant, maxime agnoscitur cum aliorum poematum comparatione, tum eorum, quae de temporum ac personarum ipsiusque poetae historia tradiderunt antiqui.

Sic in hac ipsa Oda IV 4, quam non falsa sint (Hartm. p. 65 sqq.) quae tradit de cladis Metauricae effectu Hannibalisque desperatione tum exorta, docent praeter alia Livius 27. 51 et Polybius 11. 3.

Porro si cum Epodo II (Beatus ille e. q. s.) componimus quae in hero suo vituperat Davus Sat. II 7. 23 sqq., perpetuam voluntatis inconstantiam et mutationem cum in aliis tum in hoc: Romae rus optas, absentem rusticus urbem tollis ad astra levis, apparet in Epodo non tantum Alphium tangi, feneratorem nescio quem, et quotquot huic similes sunt ruris laudatores sed urbis constantissimi incolae, verum semet ipsum simul ludere poetam, ut sexcenties. Scripsit igitur hos iambos, cum post acceptam aliquamdiu villam Sabinam incertus diu haereret inter urbis rurisque illecebras.

Itidem ex comparatione Epodi IX cum Od. I 37 non tantum utriusque tempora accuratius cognoscuntur, sed evanescit quoque difficultas quam interpretibus peperit imperfectum erat in Odae v. 4. Apparet post epodum illum, scriptum sub finem anni 31, Horatium revera repostum Caecubum ad festas dapes bibisse cum Maecenate in honorem victoriae Actiacae, qua omnia iam pericula a civitate aversa esse credebantur. Sed correxit hunc errorem oda 37, scripta sub finem insequentis anni post obitum Antonii et Cleopatrae captamque Alexandriam Kal. Sext., quod, ut est in titulo, eo die imp. Caes. divi f. remp. tristissimo periculo liberat. Igitur tum demum tempus erat festis dapibus, antehac nefas depromere Caecubum. Et quantum lucis huic carmini ex poetarum et historicorum locis adfluat, vide apud Kiesslingium, qui titulum quoque citavit.

Addo Od. II 1

> Motum ex Metello consule civicum
> bellique causas et vitia et modos
> ludumque Fortunae, gravesque
> principum amicitias ....

Digitized by Google

periculosae plenum opus aleae
tractas et incedis per ignes
suppositos cineri doloso. e. q. s.

Carmen honoris causa Pollioni datum officiosae potius diligentiae quam divini afflatus characterem prae se ferre nemo mirabitur. Cecinerunt talia Messallae Tibullus, Maecenati Propertius; sed Horatius brevior est et acutior in hac oda, in qua multa, olim et nunc quoque reprehensa (Hartm. p. 56 sq.), si probe excutiuntur, magna cum cura et rerum veritate scripta apparebunt.

Asinius Pollio omissa aliquantisper tragoedia — nam noli iungere Musa tragoediae in v. 9, sed Musa Pollionis, cum plerumque Vergilius et Horatius Musam intelligant unius hominis numen et facultatem poeticam — quam tractabat dignam Sophocleo coturno (Verg. E. 8. 10. Hor. v. 12 Cecropio coturno), scribebat historias belli civilis per annos digestas, ut solebant Latini (hinc v. 11 ubi publicas res ordinaris coll. 4. 11. 20 ordinat annos), remque repetebat, ut par erat, a consule Metello, non a Rubiconis transitu (Hartm. l.l.), quod decebat Lucanum, qui ut poeta, nos rapit in medias res. Ceterum cum illo poeta communia quaedam habuit in expositione causarum belli variorumque modorum s. casuum (cf. Cic. de div. 2. 9), nam uti ille coarguebat vitia et errores ducum, Pompei, opinor, Caesaris victoriam tribuens cum Lucano Fortunae, favebatque non minus Bruto et Cassio (cf. Tac. A. 4. 34) etiam Catonis admirator (v. 24).

Haec omnia de amici opere iam acceperat Horatius adluditque ad singula et ad operis recitationem futuram (v. 17 iam nunc minaci murmure cornuum perstringis aures .... audire magnas iam videor duces e. q. s.), nam Pollio primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit (Seneca, praef. Controv. 4). Ita poeta in hoc amici encomio nullam amici laudem omisit, non forensem quoque aut bellicam, quas inserit vss. 13—16.

Denique in Carm. IV 4 vss. istos conclamatos: quibus mos unde deductus per omne tempus Amazonia securi dextras obarmet, quaerere distuli; nec scire fas est omnia, ineptam huic loco prae se ferre doctrinam et esse ex ambitiosis ornamentis, quae in Arte poetica

Digitized by Google

(v. 447) recidenda dicuntur, quis prius meliusve perspexisse putandus est quam ipse Horatius. Vere igitur censuit Goth. Hermannus hoc ipso exemplo in risum trahi poetas Latinos ambitiosae doctrinae vitio laborantes et docta inserentes emblemata, qualia ne desunt quidem in Propertii elegiis, veluti in 4. 12. 30 Lampeties Ithacis mugisse iuvencos (Paverat hos Phoebo filia Lampetie), et in 5. 6. 28 Cum Phoebus linquens stantem se vindice Delon (Nam tulit iratos mobilis una Notos), ubi pentametri quasi magistelli adnotatiunculae adduntur hexametris.

Si superessent nobis carmina Furii Bibaculi, Helvii Cinnae vel Maeviorum et Baviorum, appareret sine dubio quem hominem et fortasse quem locum hic ob oculos habuerit Horatius, qui in eo sane nonnumquam culpandus est, quod ironiae et callidi leporis etiam tum studiosus fuit, cum carminis natura vix admitteret. Ceterum ut hic ita alibi quoque in multa versamur caligine propter nostram rerum et personarum quae tanguntur ignorantiam. Veluti in Epodo IX non poeta putandus est ignorasse quid vellet (Hartm. p. 163), sed nos miserandi sumus, cum nesciamus, quis sit ille iambicus poeta, qui allatrabat immerentes hospites, sed fugiebat lupos, et qui proiecto cibo conduci poterat ut taceret. Quem hominem si novissemus omnia in his iambis vividissima esse videremus et significantia.

Quantum acuminis, leporis, tectae admonitionis, ironiae modo severae modo humanissimae subsit sermoni Horatiano imprimis apparet in iis carminibus, quae data sunt ad amicos ex historia nobis notos, ad Plancum 1. 17, ad Sallustium 2. 2, ad Murenam 2. 10, ad Lollium 4. 9, quin etiam ad Dellium 2. 3, Grosphum 2. 16, Vergilium 4. 12. Latent in his odis adhuc multa a poeta tecte significata, atque accurata nec nimis meticulosa interpretatione etiam nunc in lucem protrahenda.

Quae demonstravi de paucis carminibus, valent de omnibus, etiam de eroticis, idque eo magis, quia Horatius arcana sui amoris lippis et tonsoribus nota esse noluit, sed, cum animi sensus variosque casus hac in re omnino reticere ut poeta non posset, id egit ut propria fata generali colore indueret et fictis puellarum nominibus occultaret.

Digitized by Google

Itaque cum hac re maxime differt a Catullo, Tibullo et praesertim a Propertio, tum ea quoque quod amatoria scripsit non, ut illi, ante, sed post 30^{um} aetatis annum, priusque operam dedit, contra id quod expectamus ab adolescente, didactico generi Iamborum et Satirarum. Cuius rei causa cum, praeter indolem a natura datam, repetenda sit maxime a poetae origine atque institutione paterna et vitae casibus duris seriisque, haec paucis in memoriam revocabo.

Natus est libertino patre et primam pueritiam degit non fluctibus in mediis et tempestatibus urbis (E. 2. 2. 85), sed in montibus Venusinis, inter impigros Apulos, quibus pudica mulier solibus perusta in partem iuvabat domum dulcesque liberos. Hac morum simplicitate innutritus et imbutus magno naturae amore Romam venit incorruptus, ubi pater, ut Marcius ille Livianus [1]), animi et ingenii aliquanto maioris quam pro fortuna in qua erat natus, filii ingenium excolendum dedit optimis magistris, sed animum ipse curavit, cum custos incorruptissimus circum omnes doctores adesset, nusquam desistens a monendo et docendo Socratica ratione, vitiorum quaeque notans exemplis petitis ab aequalibus bona aut mala fama insignibus, quae paterna adsiduitas, ut puero mediocri molesta quin immo periculosa sine dubio fuisset et nativam indolem oppressisset, in fervido et ingenioso Flacco partim hoc effecit, ut pudicum servaret ab omni non solum facto verum opprobrio quoque turpi, partim hoc, ut filius inde a iuvenili aetate assuefactus sit hominum virtutibus et vitiis, laudibus et opprobriis observandis et denotandis, unde sensim nata est facultas illa eximia mores dignoscendi et pingendi, quae deinceps peperit Satiras Epistolas Odas ethicas, ab omnibus merito semper celebratas [2]).

Institutioni paternae et urbanae circa annum fere vicesimum adiecere bonae paulo plus artis Athenae, imprimis illud curvo dignoscere rectum et quaerere verum, nec non ibidem prima tentamina fecisse videtur Graece canendi, deinde Quirini monitu omissa [3]). Studio reipublicae ductus cum

---

1) Liv. 25. 37. 2.
2) Cf. de superioribus S. I 5. 77. C. III 16. 26. Ep. II 40. S. I 6. 81 sq.; 4. 106.
3) Ep. II 2. 43. S. I 10. 33.

Digitized by Google

sodalibus Brutum sequitur in Asiam, in cuius castra cum multi undecunque confluxissent fervidi patriae et libertatis amatores, et vix pauciores, qui sua quisque privata consilia suasque spes diversissimas ambitiose persequerentur, egregiam ibi occasionem habuit spectandi et iudicandi varias hominum mentes atque studia, et pretiosam collegit materiam, quae Satiris scribendis inserviret, ut docet septima primi libri.

Post cladem Philippensem annos fere natus 24 derepente reiectus in humilitatem pristinae condicionis, inops paterni et Laris et fundi, cum magna laetitia eorum qui omnes roserant libertino patre natum nobilium convictorem, in se expertus est quae postea cecinit:

Fortuna, saevo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax,
transmutat incertos honores,
nunc mihi, nunc alii benigna.

Quod autem confidenter addere poterat:

Laudo manentem: si celeres quatit
pennas, resigno quae dedit et mea
virtute me involvo probamque
pauperiem sine dote quaero,

hoc debebat eximio patri, qui educationis suae hunc fore fructum praedixerat: simul ac duraverit aetas membra animumque tuum, nabis sine cortice [1]). Itaque fortuna conflictatus sed nequaquam oppressus conatus est, quod didicerat, sibi res non se rebus subiungere et aequo animo scribae officiis fungens sibi vivere (E. I 1. 19, 18. 107). Audax paupertate novam fortunae viam aperire instituit edendis poematis, quae pro parte iam meditata et praeparata natura pigrior retinuerat.

Quid autem ab homine ita cordato, severa disciplina, optimis studiis, variis vitae casibus ita conformato et corroborato, ut maturum ingenium ac prorsus virilem sapientiam iam prima scripta prodant, quique vitam tum ageret ab ubertate et deliciis

1) Conferantur hi loci S. I 6. 45. C. III 29. 49 sqq., quocum cf. I 34. 13 Valet ima summis mutare et insignem attenuat deus, obscura promens e. q. s., atque S. I 4. 119.

Digitized by Google

longissime remotam, quid ab eo exspectari poterat in poesi, nisi ut effunderet ea, quae iam dudum pectus commoverant, ridiculas nimirum hominum ambitiones et inanes contentiones, exemplum usurpans Lucilium in multis sibi parem. Itaque tantum abest ut miremur prima Horatii poemata toto coelo distare a iuvenilibus Tibulli et Propertii, ut vix incongruum videretur, si numquam omnino erotica edidisset.

Quid tunc temporis sentiret de amore, aperuit sine involucris in Sat. I. 2, in qua perstringit moechos et adulteros et eos qui cum mimis et meretricibus, licitis ceteroquin amoribus, bonam famam deperderent et rem patris oblimarent, atque universe id suadet ut omnes amoris aestus curasque graves e pectore expellamus, post quae ita pergit vs. 111:

Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Tument tibi cum inguina, num, si
ancilla aut verna est praesto puer, impetus in
continuo fiat, malis tentigine rumpi? [quem
Non ego; namque parabilem amo Venerem faci-
[lemque.

His ne quis indignetur, beatissimam comparans nostram morum perfectionem cum antiquis, sciat eos distinxisse inter turpes licitosque amores et improbasse illos, hos concessisse iuvenibus; veluti pater ipse Horatii, qui tamen ante omnia pudicum servare studebat, deterrebat filium a turpi meretricis amore monebatque ne sequeretur moechas, concessa cum Venere uti posset (S. I 4. 113). Nec discrepat ab huius disciplina, quod de concessa iuventutis licentia palam praedicaverat paulo ante Marcus Tullius in orat. pro Caelio § 28: datur enim concessu omnium huic aliqui ludus aetati et ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates, quae si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles et to-

1) Satira scripta procul dubio in petulanti adolescentia. Sequitur in ea quam maxime patris morem, exemplis quaeque notare, nam citantur inde a Tigellio usque ad Fabium exemplorum nomina sedecim.

Digitized by Google

lerabiles haberi solent. Quorum verborum amplificationem continent §§ 39—43, in quibus antiqua virtutum genera Camillorum Fabriciorum Curiorum non solum, inquit, in moribus nostris, sed vix iam in libris inveniuntur; ac porro: illud unum directum iter ad laudem cum labore qui probaverunt (Stoici), prope soli iam in scholis sunt relicti. Haec autem non, ut multa in Ciceronis orationibus, ad tempus sunt conficta, sed referunt communem eruditorum opinionem, diversam sane a scholastica doctrina, quam profitentur libri philosophi, a vitae usu tum prorsus aliena.

Spirant autem Horatii versus, imprimis ii qui sequuntur quosque supra non rettuli, gravissimum feminarum contemptum, in quo socium habuit non modo Catullum, sed etiam amoris antistitem Propertium, cuius legatur elegia II 6 (Luc. Muell.) inde ab his vss:

Templa pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

Et elegia III 19, atque 30, ubi haec:

Tu prius et fluctus poteris siccare marinos
altaque mortali deripere astra manu,
quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae,

quod tamen excusat sic:

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum,
quae dea cum solo vivere sola deo?

Et in IV 13, ubi etiam matronae nymphaeque pudicae castigantur auri fame nihil negantes vs. 9 sqq., et 23 sq.:

Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella
Nec fida Euadne, nec pia Penelope,

quibus in sequenti elegia opponitur Spartanarum severitas et castitas [1]). Denique El. IV 18 de insatiabili feminarum libidine et proterva petulantia, ubi semel ruperunt contempti frena pudoris. His aliorum testimonia, Ciceronis de Clodia quadrantaria, Ovidii, Martialis, Iuvenalis, ut addam non necesse est.

Ab huiusmodi igitur mulierculis solacium petebant caelibes

1) Cum his elegiis compara Horatii C. III 6 et 24, quorum in altero virginum et matronarum corruptos mores perstrinxit, in altero barbararum mulierum, Scytharum, simplicitatem opposuit, sic concludens: Eradenda cupidinis pravi sunt elementa et tenerae nimis mentes asperioribus formandae studiis.

Digitized by Google

Romani. Uxorem autem ducebant tum et humilioris condicionis homines rei domesticae sustentandae causa, et nobiliores gentis ac familiae propagandae gratia, sed abhorrebant fere a matrimonio viri mediocris fortunae vel originis, uti Lucretius, Catullus, Tibullus, Propertius, Vergilius, Horatius, quibus, nisi forte ab amore abstinebant, restabat concubinatus, non certus ille et stabilis, sed cum puellis nusquam non infidis et venalibus.

Erant nihilominus, ut fit, animi candidi, qui etiam cum talibus mulierculis aliquamdiu mutuum fidumque amorem sperarent seque unos uni prae omnibus caros et acceptos semper fore confiderent, donec identidem decepti et multis vicibus turpiter exclusi blanditerque revocati (cf. Hor. S. II 3. 260 sqq.), tandem meliora docti ab indignissima puella se averterent, experti interea omnem amoris exultantem laetitiam et tristissimam aegritudinem. Ex hoc genere fuerunt Tibullus et Propertius, quorum fervido et ingenuo sane, sed caeco unius Deliae vel Cynthiae amori et inconcussae in maximis contumeliis fidei debentur celeberrimae elegiae, in quibus animi curas apertissime effuderunt. Huiusmodi autem flebilem humilemque amoris constantiam quis exspectaverit ab illo Flacco, quem supra cognovimus. Scripsit quidem erotica, sed videbimus qualia.

De Carminibus amatoriis ordinandis.

Cum Horatius satiram illam secundam componeret, circa annum 40 a. C. n., patris disciplina ac memoria suaque constantia se satis munitum credebat, quominus umquam meretricis amore sollicitus ploraret (S. II. 2. 382), et nondum in animo habebat amatoria meditari semet ipsum tangentia (licet fortasse iam experimenta quaedam fecisset celebrandi universe Liberum et Venerem Graecorum numeris et sermone). Sed risit hanc adolescentis arrogantiam, ut adsolet, Mater saeva Cupidinum atque ulta est, cogens poetam brevi post et colere et cantare spretum numen, et eo usque progredi, ut et ipse quereretur de molesto amore, qui me praeter omnes expetit mollibus in pueris et in puellis urere, et exprobrantem audiret Damasippum mille puellarum puerorum mille furores (Epod. 11. 4 S. II 3 extr.).

Digitized by Google

Carmina amatoria, quae edidit, sunt numero fere XXVIIII, nempe in Epodis 11. 14. 15 (addat aliquis etiam 12); in Odarum libro I. 5. 8. 11. 13. 16. 17. 19. 23. 25. 30; in II 4. 5. 8; in III 7. 9. 10. 11. 12. 15. 20. 27. 28; in IV 1. 10. 11. 13. In his cum poeta lyricus non narraverit sua unius fata, sed Veneris militiam in genere tractaverit, hausta materia tum ex suo tum ex amicorum usu et experientia, continentur partim carmina de suis amoribus, partim de aliorum. Quae ipsum igitur Horatium spectant, nam reliqua nunc mitto, sunt Epodi tres, Odae omnes libri I praeter 8 et 25; libri II nullum nisi fortasse 5; libri III 9. 10. 27. 28; IV 1. 10 et 11.

Differunt autem haec melica a Latinorum elegis non tantum brevitate carminum ac metro multiformi et vario [1]), sed eo quoque quod Horatius suos amicorumve casus in amore non nisi tecte significavit, occultans omnia fictis et incertis nominibus [2]), atque colore quodam generali, quasi non suas peculiares, sed omnium communes vicissitudines caneret, quodque servavit ethicam poesis suae indolem insertis praeceptis et sententiis modo seriis, modo ironicis et iocosis.

Quamquam autem haec definitio universe valet de cunctis eroticis, tamen insunt in Epodis et in Odis libri I, quae non minorem amoris vehementiam prodant et ardorem, quam Elegiae Propertii, etiamsi nusquam, ut ille, longis querellis

---

1) Canendo fuisse destinata et revera cantata ad fides vel tibiam, probant hi loci: Ep. 9. 5. Od. I 12. 1, 17. 17. III 4. 4. IV 1. 22, 3. 28.

2) Puellae nominantur hae:

Semel: Asterie III 7. Barine II 8. Chloris III 15. Damalis I 16. Galatea III 27. Leuconoe I 11. Licymnia II 12. Myrtale I 33. Neobule III 12. Pyrrha I 5. Phidyle III 28. Phryne Ep. 14. Rhode III 29. Tyndaris I 17.

Plus semel: Cinara IV 1 et 13. Epist. I 7. 28; 14. 33 una eademque. Chloe I 23. III 7 et 9 et 26: nomen generale, quo nusquam certa persona indicari videtur. Glycera I 19 et 30 Horatii, I 33 Tibulli, III 19 Horatii. Inachia. Epod. 11 et 12 eadem. Lalage I 22 II 5 diversae. Lyce III 10 mulier nupta, IV 10 puella Horatii. Lyde II 11. III 11 et 28 tres diversae. Lydia I 13 III 9 Horatii, I 8 et 25 diversae. Neaera Ep. 15. III 14 diversae. Pholoe I 33. II 5. III 15 duo vel tres diversae. Phyllis II 4. IV 11 diversae.

Pueri nominantur hi: Cyrus I 17 et 33 videntur diversi. Gyges II 5. III 7 diversi I 32. Ligurinus IV 1 et 10. Lycidas I 4. Lyciscus Ep. 11. Lycus I 32. Alcaei III 19 senex. Mystes II 9 Valgi. Sybaris I 31. Telephus I 13 III 19 IV 11, qui diversi videntur.

Digitized by Google

aut narratione copiosa aperuit, quid intimum pectus sollicitaret.

Una ex mulierculis illis, quas Horatius tumente inguine adire solebat circa secundae Satirae tempora, antequam ullam vere amasset aut amaret, fuit illa mulier nigris dignissima barris (Epod. 12), quae ut iuvenem infirmum retineret, mittebat ei munera et tabellas. Sed frustra fuit. Nam sub idem tempus (a. 40 vel 39) non leviter poetam, alto supercilio puellas despicientem, punivit, ut dixi, irata Cytherea. Captus est non amore, sed furore, uti ait, illius quam ibidem appellat Inachiam. Hanc autem cum, non aliter atque Tibullus Deliam suam et Propertius Cynthiam, semper vacuam semper amabilem sibique unice devinctam aliquamdiu speraret, is quoque misere expertus est, quid valerent perfida puellarum vota interveniente aemulo ob divitias potiore. Ecce igitur is, qui inter aequales princeps nimirum fuerat iocando et ridendo alios, si quis unius puellae legibus esset adstrictus, oderat nunc et fugiebat convivia in quis amantem languor et silentium arguit et latere petitus imo spiritus (Epod. 11. 9). Quantum tunc ureret, prodit hic Epodus ad Pettium, scriptus tertio anno ex quo destiterat furere Inachia (igitur fere a. 36), in quo tam multo post etiam se pudere ait, quanta fabula tunc fuerit per Urbem et in amicorum circulis, atque indignatur contra lucrum nil valere candidum pauperis ingenium. In nullo carmine tam sincere et cum tanto dolore professus est non modo flammam qua peribat, sed cladem et acceptam ignominiam, quam in hoc et in Epodo 15 ad Neaeram, quae cum lentis adhaerens bracchiis iurasset hunc amorem fore mutuum, adsiduas potiori dabat noctes, quod cum multis minis erga rivalem se non laturum affirmat, sed sibi quoque parem quaesiturum omissa Neaera.

Est autem haec Neaera me iudice non alia quam Inachia, solita in Horatio veri nominis dissimulatione sub diversis pseudonymis, atque scriptus hic epodus aliquanto post 12um, anno fere 39. Ita statuo primum, quia in utroque epodo eodem gravi amore deperit, quo nusquam postea arsit, nisi forte in Cinaram, tum quia utrobique sperasse se indicat, quod neque ante nec postea umquam, hunc amorem fore mutuum exclusis aliis, denique

Digitized by Google

quia ab utraque discessit propter ditiorem aemulum sibi praelatum (cf. 11. 11 sq. et 15. 19 sq.) [1]).

Fatetur autem poeta in Epodo 11 sibi accidisse quod Propertius narrat de Pontico (El. 1. 9), cui, cum in amorem necopinatus incidisset, nihil proderat grave (epicum) dicere carmen, sed qui iam eroticam poesin callere cupiebat adhuc spretam a se et irrisam. Similiter Horatius: Petti, nihil me sicut antea iuvat scribere versiculos amore percussum gravi, quibus non negat poemata qualiacumque facere se posse, sed evasisse animum et facultatem iambos pangendi, ut par est in amanti pectore; meditabatur erotica, non aliter ac postea cum declararet Maecenati (Epod. 14): Deus, deus (Amor) nam me vetat inceptos olim, promissum carmen, iambos ad umbilicum adducere, atque denuo in Od. I 19. 10 amor impedit dicere quae nihil attinent [2]).

Magnum ceteroquin discrimen animadvertitur, si attendimus qua ratione uterque poeta amicae perfidiam toleraverit. Alter in culpa manifesta deprehensam indignanter dimittit, Propertius contra in re simili, quam narrat Elegia 1. 9, Cynthiae cum rivali trans mare fugienti nihil duri imprecatur, immo obtestatur amoris sui inconcussam constantiam atque periurae veniam habet paratam si, quod deos orat, incolumis redierit:

Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae.

Ad eandem autem Inachiam vel Neaeram pertinere videtur Od. I 5 ad Pyrrham, ut postea ostendam, cum prius de Cinara disputavero, e cuius mentione certiora temporum indicia erui possunt de Horatii ignibus post Inachiam.

---

1) Iambi in Canidiam veneficam nihil pertinent ad Horatii amores. Erat mulier non ei amata, sed nautis multum et institoribus. Sunt eiusdem farinae et, ut opinor, eiusdem aetatis atque Epodus 12.

2) Iam Kiesslingius adnotaverat Horatium per versiculos indicasse iambos, immerito igitur poetam ridet Hartmannus p. 149, quod plenus amoris vss. amatorios facere nequiverit. Idem minus recte p. 148 verba in v. 7 sqq. ita interpretatur, quasi Horatius amoris sui se pudere dixerit, cum scribat se pudere quanta fabula fuerit per urbem et quod in conviviis flammam inepte prodidit. Denique non intelligo quid *ἀδιανοήτου* insit in v. 15 sqq. Iusto citius, opinor, vir acutus abstitit a loco interpretando non multo difficiliore quam centum alii in Latina poesi.

Digitized by Google

Una omnium certissima Horatii amica fuit ea, quam non ficto sed suo nomine insignivit Cinaram [1]), et satis certo definiri potest quo tempore eam amaverit.

Scribit in Epistola ad villicum Sabini sui (1. 14. 33): me quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci. Villicus igitur cognovit puellam cum herus adhuc in re angustiore versaretur, i. e. in recenti villulae possessione et fortasse iam paulo ante. Villam autem propter Satiram 3 et 6 secundi libri accepisse recte creditur a. 33 vel 32. Incidit igitur amor Cinarae in hoc fere tempus.

Post Cinaram, quae, ut mox videbimus, fugit poetam, eum consolata est Lyce, cui vetulae ita scripsit C. IV 13. 21: Quid habes illius ... quae me surpuerat mihi felix post Cinaram? Odae libri IV, quantum definiri possunt, compositae sunt intra a. 17 et 13. Ponamus hanc esse anni 15. Inter Lycen qualis nunc est, et qualis olim fuit cara Horatio, sat magnum intercedere temporis spatium, indicant verba quid habes illius quae e. q. s., et quod nunc eam turpant rugae et capitis nives (vs. 11 sq.). Igitur amavit eam, ut minimum ponam, quindecim vel amplius annis ante, quo pervenimus ad a. 30, i. e. in ipsa tempora post Cinaram, quam igitur tenuit intra annos 34 et 31. Qua ratione eam amiserit docet Epistola ad Maecenatem I 7. 28: reddes nigros capillos ... ridere decorum et inter vinum fugam Cinarae moerere protervae. Quamquam autem proterva fugit, tamen puellae memoria intemerata mansit poetae et imprimis cara, cum scribat etiam circa lustra decem (C. IV 1): non sum qualis eram bonae sub regno Cinarae. Obiit puella non multo post fugam (C. IV 13. 22): Cinarae breves annos fata dederunt.

Sed roget aliquis: Nonne puellam, tam sibi caram ut omnium una commemoretur proprio nomine in Epistolis, celebravit in Odis? Equidem non dubito quin fecerit; sed hanc quoque, dum vivebat, non vero nomine insignivit, verum ficto. Etenim loci supra citati conscripti sunt omnes post mortem Cinarae. Postea autem videbimus Horatium et Cinaram suam et Lycen

1) Ita etiam Kiessling ad C. IV 1: kein pseudonym.

Digitized by Google

illam, quam post hanc amavit, cantasse in Odis semel iterumque, nec uno cognomine sed variis, pariter atque primam flammam, quae latet sub nominibus Inachia, Neaera, Pyrrha.

Fuit autem magnum discrimen inter primum Inachiae amorem et illum, quo quinquennio fere post Cinaram aliasque deinceps prosecutus est. Cum illa vinculum speraverat fore nullius interventu interruptum, qua spe fraudatus non, ut Tibullus et Propertius atque ipse postea, altero loco post aemulum fuit contentus, sed nulla mora periuram repudiavit, quamquam ita ardens ut supra vidimus. Serio amore tunc abstinuit usque ad Cinaram, tametsi forte indulsit affectibus levioribus et brevioribus: amore, qui me praeter omnes expetit mollibus in pueris et in puellis urere Ep. 11. 1. Cuius rei tamen ergo ne quis Priapum eum nominet, reputandi sunt mores illius aetatis, qua ne Propertius quidem in ipso Cynthiae amore ab aliis abstinebat. El. III 17. IV 20. V 8 L. M.

Sed hoc iam didicerat Horatius, aut omnem Veneris militiam esse detrectandam, aut acquiescendum in formosarum perfidia. Cum illud nollet, hoc patienter fecit, ut statim apparet in Cinara, quae quamquam erat rapax et proterve fugax, non tantum toleravit, sed etiam post fugam sine ulla acrimonia et cum moerore commemoravit.

Non minus autem immutata animi persuasio hac in re apparet in Odis libri I eroticis, quarum prima (I 5) etiam antiquissima esse videtur.

Scripta est cum poeta e gravissimo in amore naufragio in littus eiectus uvida vestimenta suspendisset potenti maris deo. Expertus erat igitur haud levem dolorem per illam, quam vocat Pyrrham, cuius sub nitido simplicique cultu latebat indoles aequori similis nigris ventis agitato. Praemonet miseros, quibus intentata nitet, ut ab ea caveant; illum imprimis, qui nunc ea fruitur credulus et nescius aurae fallacis.

Ut autem haec non cadunt in bonam Cinaram, aut in unam ex illis quas obiter coluit, ita omni ex parte conveniunt in Inachiam. Sentitur in egregio carmine animi commotio illius, qui alta mente repostam habet iniuriam spreti et ludificati amoris. Acerbe sic rogat: quis nunc te urget, ut olim ego, grato sub antro? — Quam gratus ei fuit locus, tam acerba

Digitized by Google

est memoria — cui nunc flavam religas comam, ut tunc mihi, simplex munditiis? Heu! quoties flebit, ut ego flevi! Miseri, quibus intentata nites! At ego nunc in tuto.

Suspicatus est Kiesslingius, ad Epod. 11. 2 sq. Nihil me, Petti, sicut antea iuvat scribere versiculos amore percussum gravi, Horatium tunc se convertisse ab Iambis (= versiculis) ad Odas, nimirum amatorias. Prorsus ita sentio, eumque composuisse hanc odam iam ante epodon illum, quoniam in illa abdicat amorem, in hoc novum exspectat (vs. 27 sq.). Sic efficitur Horatium sub annum aetatis 30 ad iuvenile eroticorum genus se accinxisse.

Ceterum qui libenter comparant Horatium cum collegis in arte poetica, componant hanc odam cum carmine partim similis argumenti Catulliano 58 et Propertianis I 5, IV 7 videantque quibus verbis alter pingat inconstantem licentiam Lesbiae, alter iram asperam Cynthiae; ex I 5 simul apparebit quanta facilitate Propertius tulerit Cynthiae commercium cum amico suo Gallo, quem non suo nomine reprehendit, sed ipsius, ne scilicet experiatur asperrimum puellae furorem. Quid intersit inter nostri et illorum rationem agendi et scribendi sic facile agnoscetur.

In altero carmine amatorio huius libri I 11: Tu ne quaesieris, scire nefas cett., narratur puella candidi ingenii, Leuconoe, adiisse sortes Babylonias, ut scrutaretur quem finem sibi poetaeque suo di dedissent; veluti Delia, cum Tibullum mitteret ex urbe, dicitur ante omnes consuluisse deos (I 3). Albius et hic et alibi (I 2. 45; 5. 11; 8. 17) conspirat cum superstitionibus mulierculae. Horatius corrigit Leuconoen monitis non diversis a Satirarum et Epistolarum matura sapientia, hoc tamen loco mitigata praecepto illo desumto ab Alcaeo [1]) vina liques.

Tenor huius carminis atque res ipsae ostendunt fuisse intimam et dulcem caritatem inter puellam et poetam, et pervenisse iam Horatium ad placidam animi tranquillitatem longe remotam

---

1) Sic recte Kiesslingius, quem idcirco miror alibi (III 12) Leuconoen appellasse eine zechende liberte. Non magis erat vinosa, quam reliqui erant amici poetae, sobrii homines, quibus sexcenties idem placitum Alcaicum commendavit.

Digitized by Google

ab iamborum vehementia et Inachiae temporibus. Hinc dubitari vix potest, quin Leuconoe sit ipsa bona Cinara, illius nempe temporis, cum adhuc incorrupto amore flagraret erga poetam, circa annos 34—32.

Longe aliter animatus est poeta in oda, quae sequitur, 13 ad Lydiam. Uritur amore et invidia, cum sibi aemulari senserit Telephum: tumet iecur si laudatur a puella rixaeque immodicae vestigia a se deprehenduntur. Confirmat carmen nihilominus id, quod antea dixi, acquiescere didicisse Horatium in iis, quae necessario sunt in amore mala: bellum, pax rursum (S. II 3. 267), etenim nulla convicia iactat aut minas, ut olim, sed leniter conatur retrahere Lydiam ab aemulo, asserendo eius inconstantiam et mobile ingenium. Nondum tamen longe se remotum esse ab illo tempore, cum fidam et non interruptam societatem somniaret, ostendit carminis conclusione subtristi:

Felices ter et amplius
quos inrupta tenet copula nec malis
divolsus querimoniis
suprema citius solvet amor die.

Hinc non dubito quin Lydia quoque sit Cinara, quacum aliquamdiu sic coniunctus vixit, ut pristina spes animi in perpetuum mutui paene revocaretur. Telephus ille, quisquis fuit, evertit felix contubernium, in tempus saltem, ut mox videbimus.

Magis planum animi tranquillioris documentum exhibet sequens oda amatoria 16: O matre pulcra filia pulcrior e. q. s. Est palinodia, non ad Canidiam-Gratidiam eiusve filiam fabulosam Tyndaridem, uti scribunt antiqui commentatores — nam cum Canidia nullum poetae nisi conviciorum et odii fuit commercium, ut Tibullo cum lenis et sagis —, sed ad mulierem quam iambis antea laeserat. Quaenam illa fuit?

Habemus iambos in mulierem nigris dignissimam barris (Ep. 12), numquam amatam sed obiter olim visitatam et spretam pro Inachia (cf. p. 22), et in Neaeram (Ep. 15); nam carmina probrosa II 8, III 15, IV 13 posterioris sunt aetatis. Est autem planum, hanc odam unice convenire, idque egregie, in Neaeram-Inachiam. Haec enim revera fuit, quam super omnes amaverit in dulci iuventa (vs. 23), a qua tristi ira se avertit (vs. 9 et 26) et quacum deinceps

Digitized by Google

longam simultatem exercuit, cuius rei documentum habemus Od. I 5, in qua sub Pyrrhae nomine illa delitescit, ut vidimus. Et quid magis credibile est in poeta philosopho, quam ira et indignatione paulatim consopita rediisse non quidem amorem, sed benignam voluntatem reconciliandae gratiae studiosam? Porrigit igitur puellae manum obtestans, ut quemcumque finem ponat iambis et tollat effectum, iracundiam. Id autem illam non facturam fuisse nisi ea condicione, ut poeta iambos nondum editos et paucis adhuc notos deleret, consentaneum est: hinc nulli nobis supersunt praeter primum, epodum 15. Respicit autem in oda 16 illa tempora tanquam longissime remota: me quoque pectoris temptavit in dulci iuventa fervor, quocirca scripta est multo post iuventutem, ut puto circa a. 30 a. C. n. Non autem matrem insectatus erat iambis, ut sunt qui putaverint, sed filiam ipsam viventem cum matre, formositate non minus insigni, cuius gratam filiae memoriam comiter et exquisite nunc revocat.

Superest unum carmen quod etiam ad Cinaram pertinere opinor, III 9, de quo infra agam.

Disposui carmina quae trahenda sunt partim ad primum Horatii ignem non nominatum nisi fictis nominibus Inachia Neaera Pyrrha (Ep. 12. 15. 11. Od. I 5. 13. 16) inter a. fere 40 et 34, partim ad alterum amorem sincerum, quem proprio Cinarae nomine insignivit post obitum in Od. IV 1 et in Epistolis, sed ficto Leuconoes et Lydiae in I 11. 13. III 9 inter a. fere 34—31. Quamquam autem hi numeri non sunt certi, tamen a veritate multum discedere vix possunt, et etiam si mutari debeant, eo tamen non reapse concidit amorum series et dispositio carminum, quas proposui, quaeque ex ipsis odarum rebus inter se comparatis sunt petitae. Vidimus autem quomodo Horatius hoc annorum spatio, profectus a spe credula animi semper mutui, tandem experientia doctus devenerit ad illam aequanimitatem, quam spirant odae posteriores et imprimis illa ad Tibullum I 33, quem consolatur quod ei iunior laesa praeniteat fide. Etenim:

> Sic visum Veneri, cui placet imparis
> formas atque animos sub iuga aenea
> saevo mittere cum ioco,

quod se quoque in Myrtale expertum esse subiungit.

Digitized by Google

Meminimus Horatium post Cinaram, circa a. 30, eam amasse quam vetulam appellavit Lycen in IV 13. Haecine siletur in prioribus libris an alio nomine celebratur?

In primo libro praeter eas, quas vidimus, mentio fit Tyndaridis 17, Glycerae 19 et 30, Lalages 22, Chloes 23 et Myrtales 33, quibus addenda Phryne in Epodo 14. Sed cum nulla harum comparari potest Lyce exceptis Myrtale et Phryne.

Quidni?

Tyndaris est ex psaltriarum genere, quas animi magis quam amoris causa invitabat et adibat, uti Lyden III 28; docta erat psallere et cantare non minus quam ingenuae, quas laudat Ovidius A. II 4. 25 sqq. Abest etiam ab oda 17 omne amoris vel libidinis indicium, cum spiret vitae rusticae caritatem, pietatem erga deos, studium otiosae pacis et quietis exhilaratae dulci colloquio et cantu amatae vocis.

Glycerae nitore incensus est postquam aliquamdiu vacuus fuit: Mater saeva Cupidinum ... iubet me ... finitis animum reddere amoribus 19. 1. Itaque haec cecinit fortasse, cum post amissam Cinaram amorem abiurasset. In Glycera autem petenda frustra fuit nihilque profecit ὕμνῳ κλητικῷ quo Venerem advocavit, ut se transferret Glycerae decoram in aedem 30. 4. Ipse a se deprecari deam molestissimam conatur offerens verbenas et tus, pateram meri et hostiam 19. 13 sqq. Eadem fortasse Glycera intelligitur III 19. 23.

In oda 22 dulce loquentis Lalages vocabulum non indicat certam mulierculam, sed omnes quotquot animum poetae ad amandum et cantandum sollicitarunt [1]).

Denique oda 23 vitas hinnuleo me similis, Chloe cett. habenda est pro imitatione elegantissima Graeci alicuius exempli (citatur ab interpretibus consimile fragmentum Anacreonteum), nullaque ei subest certa res aut puella, quae e contrario revera subest extremo huius libri carmini erotico 33 ad Albium Tibullum, in quo post vss. supra citatos hi sequuntur:

---

1) De iocosa carminis natura, quae etiam peperit exaggeratam descriptionem lupi in quarta stropha, a multis immerito vexatam, recte iudicarunt Schützius et Kiesslingius.

Digitized by Google

Ipsum me melior cum peteret Venus,
grata detinuit compede Myrtale
libertina, fretis acrior Hadriae
curvantis Calabros sinus.

Hanc Myrtalen cur credam esse Lyces cognominem causae me adducunt hae. Primum convenit aetas; nam propter Tibulli tempora oda ad Albium [1]) vix potest esse scripta ante a. 25. Loquitur autem de Myrtale ut de amica nunc quidem amissa, sed cuius recens adhuc imago menti inhaereat, quod quadrat in Lycen amatam quinquennio ante. Tum utriusque puellae mentio eiusmodi est, ut sub eius imperio non obiter sed diutius fuisse poetam appareat, quem surpuerat sibi (VII 3. 20) detinueratque quamquam melior Venus eum peteret. Denique indoles Myrtalae in iuventute, fretis acrior Hadriae, iam talis erat, ut portenderet impudentem vetulam castigatam in IV 13.

Eandem autem mulierem tertio etiam vocabulo inditam esse puto in Epod. 14, qui cum non multo ante editum Epodorum libellum, brevi post a. 31, scriptus esse merito credatur, Phrynes illic nominatae amor incidit prorsus in aetatem Myrtalae; nec defuit, opinor, poetae certa causa, nobis recondita, cur ex omnibus amicis hanc unam utroque loco (I 33. 15, ep. 14. 15) libertinam appellaret, ex ea classe feminarum, de qua praedicavit in S. 1. 2. 47 tutior at quanto merx est in classe secunda libertinarum. Non denique disconvenit in Myrtales indolem supra descriptam et satis protervam, quod Phryne nec uno contenta perhibetur.

Sed iuvat hoc loco paucis disputare cum de hoc epodo, tum de toto epodorum libello. Incipit ita ep. 14:

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
oblivionem sensibus
. . . . . .
candide Maecenas, occidis saepe rogando;
deus, deus nam me vetat
inceptos olim, promissum carmen, iambos
ad umbilicum adducere.

---

2) Ut suos ignes sic amici quoque celavit ficto nomine, pudenter scribens Glyceram pro Nemesi nota ex Tibulli elegiis.

Digitized by Google

„Promissum carmen" non intelligi unum epodon sed libellum iamborum, recte omnes quantum video, censuerunt interpretes. Quid autem saepe rogavit Maecenas promiseratque poeta? Nostrumne libellum? Non sane, nam promisso se stetisse negat? Quid igitur? Meros iambos, eiusmodi nempe, quos compingere vetabat deus i. e. Amor, uti in Ep. 11: Petti, nihil me sicut antea iuvat scribere versiculos (i. e. iambos) amore percussum gravi; animus teneris affectibus delenitus et mollitus se averterat a genere invectivo inclinans ad mitiora carmina, cuiusmodi non desunt exempla in nostro epodorum libello, veluti 1, 2, 9, 11, 13, 14. Igitur res sic se habuit. Maecenas magnopere delectabatur iambis Archilochiis et Horatium saepe rogaverat ut peculiarem iamborum libellum, incohatum circa a. 40, ad umbilicum adduceret. Horatius promisit, sed hoc poematum genus sensim paulatimque aversatus missum fecit — quae vituperanda vel ridenda in aequalibus haberet satiris reservans —; tandem, saepe monitus, post decennium iambos iam factos edidit una cum aliis poematis consimili metro confectis, cum utraque species per se nimis parvum poematum corpusculum efficeret. Hac ratione declaratur cur libellus epodorum tam sero sit editus et cur carmina contineat odarum argumentis longe similiora quam iamborum.

Efficimus denique ex Epod. 14 has duas res: Iamborum genus, cuius insolens interdum mordacitas nobis nunc neque elegans videtur nec honesta, Horatii aequalibus Pettio, Maecenati aliisque sine dubio permultis, ita placuisse, ut identidem novos expeterent; porro: epodos non esse meras exercitationes metricas sine venis et sanguine, sed ex imo pectore profluxisse, quo tacente, quippe aliis affectibus occupato, poeta iambos facere supersedit.

Ex secundi libri carminibus eroticis nullum pertinere videtur ad ipsum Horatium.

In carmine quarto, ubi monet Xanthiam ne sit ancillae ei amor pudori, habemus temporis indicium quo haec oda sit composita, cum poetae aetas octavum trepidaret claudere lustrum, et quantum reliqua huius libri odae definiri possunt, incidunt omnes intra a. 30 et 24.

Digitized by Google

In carmine quinto „amantem Lalages", quem alloquitur poeta, ipsum Horatium esse suspicatur Kiesslingius. Hoc si verum est, quod affirmare non ausim, in paenultima stropha:

petet Lalage maritum,
dilecta quantum non Pholoe fugax,
non Chloris albo sic umero nitens
. . . . . Cnidiusve Gyges

per Pholoen fugacem indicari aliquis credat Cinaram eiusque fugam deploratam, per Chlorin umero nitentem Lycen, cuius color, candidus nimirum, etiam laudatur in IV 13. 17, et per Gygen, puellari formositate insignem, fortasse Lyciscum quamlibet mulierculam vincentem mollitia Epod. 11. 24. Sed haec prorsus sunt incerta.

In octavo denique carmine periura Barine, iuvenum publica cura, quam matres metuunt iuvencis et senes parci et virgines nuper nuptae, non ex iis erat, quas umquam serio amavit Horatius, etiam si illa quidem huic ut aliis clitellas imponere conata sit nullo non iureiurando interposito, cuius tamen vanitatem callide perspexit.

Ex eroticis tertii libri ad ipsum poetam non pertinent odae 7, 12, 15, 20, nec magis παραλαυσίθυρον eleganter confictum in matronam inexorabilem Lyces nomine inditam. Tangunt ipsius amores odae 9, 11, 26, 27, 28.

Incertus haereo in pulcherrimo carmine nono, cuius strophae alternis vicibus cantatae finguntur ab Horatio et Lydia.

Cum carmina huius libri, ea quae tuto definiri saltem possunt, contineantur annis 29 et 24, ratio chronologica suadet ut Lydiam dicamus esse novissimam amicam: Myrtalen-Phrynen-Lycen, quacum orta simultate ex mutua calumnia, ut fit, cum alter alteri exprobraret quod alieno magis quam sui arderet amore, post breve discidium Horatius gratiam reconciliare studet:

Quid, si prisca redit Venus
diductosque iugo cogit aeneo,
si flava excutitur Chloe
reiectaeque patet ianua Lydiae?

cui laeta ac lubens, id quod praesagiverat poeta, respondet:

Digitized by Google

Quamquam sidere pulcrior
ille est, tu levior cortice et improbo
iracundior Hadria,
tecum vivere amem, tecum obeam libens.

In vs. 9 Thressa Chloe dulcis docta modos et citharae sciens sic repraesentaret psaltriam aliquam cultam a poeta, qualem Tyndarida novimus et Lyden (I 17, III 28), et Thurinus Calais unum ex amatoribus Phrynes quae non uno erat contenta.

Attamen in aliam opinionem me ducit ipsum carminis argumentum et externa species nitidissime culta. Narratur eventus ille omnium amantium communis: bellum, pax rursum, ut est in Satira, idque ita tractatur ut nullo proprio colore referri possit ad unum Horatium unamque Lycen vel Cinaram. Utitur imaginibus comparationibus parallelis generalibus artificiose inventis et compositis, nullius certae rei aut personae ratione habita, veluti: Persarum vigui rege beatior — Romana vigui clarior Ilia; Thressa Chloe; Thurinus Calais (nomen gentilicium utriusque arte fictum); non metuam mori, si etc. — bis patiar mori, si etc.; tecum vivere amem, tecum obeam libens. Unum peculiare videtur Horatii epitheton, qui se ipso teste erat irasci celer, nempe hoc: improbo iracundior Hadria. Sed haec mera est formula usurpata de ipsa Myrtale, I 33. 15 fretis acrior Hadriae. Hinc concludo Horatium animi causa communem amantium casum elegantissimis et tersissimis versibus amoebaeis inclusisse, cum nulla certi litigii sui aut reconciliationis recordatione, sed memorem eorum, quae ipse post alios semel iterumque in amore esset expertus.

Eo libentius autem credo hanc odam non narrare rem praesentem sed pristinorum tantum casuum quasi imaginem referre, quia oda 26 huius libri declarat Horatium hoc tempore magis magisque se avertisse a nugis iocisque amoris factitandis et etiam canendis.

Vixi puellis nuper idoneus
et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,

Digitized by Google

laevum marinae qui Veneris latus
custodit. Hic, hic ponite lucida
funalia et vectis et arcus
oppositis foribus minacis.

Solent tamen teneri poetarum animi — nec tantum eorum qui sub tepidiore coelo sunt nati, sed etiam qui vivunt in nostris tractibus, quos nebulae malusque Iupiter urget — multo magis quam vulgus hominum obnoxii esse dulci amoris affectui. Amant frigescentem annis animum refovere atque recreare dulci formosae iuventutis admiratione et commercio, etiam si iuventus illa proterva non tantum eos allicit petulanter, sed saepe etiam impudenter repellit. Ad hanc rerum condicionem poeta quadragenarius adludit acuta brevitate in sequenti stropha:

O quae beatam, diva, tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
regina, sublimi flagello
tange Chloen semel arrogantem

iterumque quinquagenarius in primo carmine quarti libri, in quo, postquam vs. 29 sqq. declaravit:

Me nec femina nec puer
iam nec spes animi credula mutui
nec certare iuvat mero
nec vincire novis tempora floribus

derepente sic queritur:

Sed cur, heu, Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas?
. . . . . iam volucrem sequor
te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubilis.

Inest in his egregia ironia poetae fatentis simulque ridentis senilem stultitiam.

Ceterum consociatur hoc loco, ut Ep. 11. 4 et Sat. 2. 3. 325, amor puerorum cum feminarum amore ita, ut non dubitandum sit, quin haud aliter atque Iuventius a Catullo et Marathus a Tibullo, etiam Lyciscus Ep. 11. 24 et tener Lycidas, quo calet iuventas nunc omnis, I 4. 19, Cnidiusque Gyges II 5. 20 revera fuerint amati ab Horatio vel ab aliis, ut Mystes ille II 9, cuius obitum nimis flebat Valgius, vir unus in paucis

Digitized by Google

honoratus et egregius [1]). Itaque utrumque carmen non mera continet somnia et simulatos atque imaginarios animi affectus, sed exprimit id, quo circa finem octavi lustri et etiam decimi adhuc agitabatur animus poetae. Impetus tantum amoris et vehementia multum distabat ab illo tempore, quo scripsit carmen I 19, simile quodammodo odae III 26, cum iam finitis ut sperabat amoribus animum reddere coegit mater saeva Cupidinum, tota ruens in eum.

Reservavi hucusque carmen III 11, una tractandum cum c. 27 propter similitudinem structurae, quae inde a Peerlkampio multis reprehensionibus fuit obnoxia.

In III 11 invitat lyram ut dicat modos, Lyde quibus obstinatas adplicet auris, et narrat fabulam de scelere et poena Danaidum, quae impiae sponsos duro ferro perdiderunt praeter unam splendide mendacem et in omne aevum nobilem.

In III 27, multum diversus ab illo quem supra perfidam puellam obiurgantem audivimus, eadem aequanimitate qua Propertius in I 8 vale dicit Galateae per mare iter ingredienti, ut adeat nimirum amatorem sibi magis acceptum: Sis licet felix ubicumque mavis, subiungitque fabulam Europae patrem patriamque deserentis, postquam niveum doloso credidit tauro latus.

Kiesslingius putat in utroque carmine Horatio fuisse praecipuum, ut narraret fabulam eumque praemisisse fictas praefatiunculas, his de causis: „Da die Form des Liedes einen Hörer „und individuellen Anlass heischt, so erfindet der Dichter sich „die Figur des spröden noch unbändigen Mädchens (Lyde), dem „die Sage als warnendes Beispiel, wohin die Frevel gegen

---

1) Minus iuste igitur Kiesslingius ad IV 1: In der ersten Odensammlung hat H. die Knabenliebe nicht behandelt ... diese Lücke ... füllt er jetzt nachträglich aus. Nec ideo haec scripsit, ut expleret lacunam in sua lyricorum Graecorum imitatione, sed quia revera calebat aliquo puero; puerorum enim amor Romanis quoque tunc usitatus erat. Non tamen necesse est ut cogitemus de obscoeno semper amore. G. Gebhardi in elegantissimo libro: Ein aesthet. Kommentar zu den lyr. Gedichten des Horaz, 1885 edito, ad IV 10 scite adnotavit: „Um ein Verständniss für diese Neigung zu gewinnen, lese man den Schenkenbuch in Goethe's West-ostl. Divan"; quae poemata inspexisse lectorem iuverit.

Digitized by Google

„Aphroditens Satzungen führe, gesungen werden soll". Simili de causa fingitur iter Galateae, „welche (wie in III 11) den „mythischen Stoff an eine individuelle Situation an zu knüpfen „und ihn so als Erzeugniss lyrisch angeregter Stimmung glaub„haft zu machen sucht".

Sed roget aliquis: quid contra Venerem commisit Lyde, quae fingitur tenellula puella, nuptiarum expers et cruda adhuc protervo marito, quaeque obstinatas habuit aures erga modos eroticos, quid commisit illa, ut monenda sit narratione sceleris et poenae Danaidum impiarum? Harumne infelici casu aut misericordia Hypermnestrae impelli poterit, ut ludum puellarem in campis incidat minusque metuat tangi a marito? Quod si finxit Lyden, ut auditorem (einen Hörer) crearet, cui apte praeciperetur haec fabula, inepte finxit. Nec tamen tollitur haec repugnantia si certam aliquam puellam sub nomine Lydes docere voluit, quae poenae maneant culpam sub Orco: nam proponitur nobis innocentissima nullaque ex parte cum Danaidibus comparanda. In toto carmine nihil convenit in Lyden modos aversantem, nisi ea quae cecinit poeta de vi Mercurii et testudinis ad trahendos animatos et inanimata.

Cum igitur nulla ratio intercedat inter Lydes nescio quam culpam (Frevel) et fabulae characterem moralem, haec ideo tantum narratur a poeta, ut oblectet et detineat aures obstinatas quacunque narratiuncula auditu iucunda puellis, remque ita proponit quasi casu in eam devenerit: Tibi, lyra, blandienti cessit Cerberus, risit Ixion, stetit urna paulum sicca Danaidum, quarum res tua ope et Mercurii ita canere mihi detur, ut audiat Lyde (vs. 25). Hinc non mirandum aut improbandum quod in ipsa narratione desinit neque ad puellam denuo se convertit, nam nulla opus est conclusione ethica in fabella cuius res nihil pertinent ad Lyden, sed quae prae aliis ideo ei recitatur, quia versatur in amoris peripetiis, gratissimo iuventuti argumento.

Neque multo artior conexus est inter Galateae iter institutum et fabulam de Europae fuga. Nam quod cogitant vulgo de amatore, quem missis propinquis et amicis, in hisque poeta, sectaretur Galatea, uti Europa taurum suum, haec mera est suspicio. Contrarium potius ex ipso carmine efficias et dicas nul-

Digitized by Google

lum turpe commissum esse Galateae, immo piae puellae adprecari poetam bonum itineris exitum. Vult enim poeta ut impios viatores mala omina ducant, parra, canis praegnans cett., contra cui ego timebo, inquit, — nec sane impio sed pio timet — bona omina prece suscitabo solis ab ortu: Sis licet felix ... et memor nostri vivas ... nec te vetet ire picus nec cornix. Rectissime autem dein fabulam introducit per adversativam coniunctionem: Sed video, quanto trepidet tumultu, i. e. etiamsi ex propria aliqua culpa tibi nihil est timendum, tamen cogita pericula, omnibus viatoribus communia et mihi quoque cognita, siderum ventorum marium. Sic et Europa, i. e. sic temere propter puellarem incogitantiam nihil ea curans pericula („ein Wägniss ähnlicher Art unternehmend" Nauck), credidit tauro latus, sed mox mediis in undis palluit audax. Ac tum totus fabulae immergitur nullo Galateae respectu nec reversurus ad illam.

Igitur Peerlkampio quique cum eo faciunt, arguentibus nullam probabilem causam adhuc allatam esse cur fabula de Europa Galateae narretur, hoc quidem concedendum est, internum vinculum nullum esse inter itinera Europae et Galateae, quod altera insons altera culpanda suscepit, nec poenitentiam et questus alterius quicquam pertinere ad alteram. At non tamen deest fabellae opportunitas, posita in eo quod, cum dehortari vellet Galateam a ponti periculis obeundis, nulla aptior narratio promi poterat nisi de puella, quae, quacumque de causa, iter confidenter ingressa est, sed mox in maris solitudine et periculis eam misere poenituit audaciae deploravitque larem et focum.

Quodsi quis improbat laxam horum carminum structuram, non equidem obloquar. Melius cum odarum argumentis historicas concinnaverat narrationes in III 3 et 5, minus apte denuo in IV 4 et 9.

Veras autem sub nominibus Lydae et Galateae latere puellas nec negari neque affirmari certo potest. Ut fuerint non fictae sed verae Horatii amicae, nullum tamen est indicium dulcioris affectus inter ipsas et poetam. Non magis constat de odarum temporibus. Nam Kiesslingii conclusio ad II 13. 33,

Digitized by Google

illam odam post III 11 esse compositam, arbitraria est et nulla opera potest verti in contrarium.

Superest in l. III eroticum carmen 28 ad aliam Lyden, quod igitur denuo probat quam libere utatur iisdem nominibus ad indicandas diversissimas mulieres. Etenim ut illa Lyde, quam modo cognovimus, erat vix matura puellula, sic haec est mulier munitae sapientiae, cui eam rogat ut vim adhibeat secumque laute celebret Neptunalia per vinum et cantum amoebaeum. Oda est ex eo genere, quod descripsi ad I 17, nec refert amatorem sed poetam Epicureum, illum nempe qui in I 31 ita precatus est Apollinem:

Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones et, precor, integra
cum mente nec turpem senectam
degere nec cithara carentem.

Ex quarto libro iam supra tractavi carmen primum: Intermissa Venus, diu, et carmen decimum de Ligurino, et decimum tertium ad Lycen vetulam, quam suspicabar non diversam esse ab puella XV fere annis ante celebrata sub nomine Myrtalae vel Phrynae. Restat ut pauca addam de oda IV 11, comparanda cum III 28 et I 31. Invitat Phyllidem ut secum celebret diem natalem Maecenatis, cui solemni festo digne perpetrando cuncta festinat manus puerorum et puellarum in domo poetae. Ne rogationem abnuat subtristis puella, subiungit solaciolum. Premebatur enim Phyllis atra cura propter Telephum, quem ab alia lasciva muliere occupatum frustra sibi petebat Phyllis, iuvenem non suae sortis. Consolandi verba autem:

Semper ut te digna sequare et ultra
quam licet sperare nefas putando
disparem vites

non referunt amatorem, sed philosophum quinquagenarium, in epistolis moralibus scribendis tunc maxime occupatum [1]), cuius olim leniverat albescens animos capillus (III 14. 25). Cum igitur sic pergit:

age iam meorum

1) Confer cum citata stropha Ep. I 2. 56, 6. 15, alia.

Digitized by Google

finis amorum —
non enim posthac alia calebo
femina — condisce modos, amanda
voce quos reddas: minuentur atrae
carmine curae,

intelligimus extremum illum poetae calorem satis frigidum fuisse et eum hoc praesertim spectasse, ut carmina sua recitata audiret voce amica et canora, simul non dubitans quin sic quoque ipsi puellae aliqua curarum remissio pararetur. Quod testatur in hac oda non alia calebo cett., id confirmavit in huius libri prooemio non multo post composito vs. 30 me nec femina nec puer iam nec spes animi credula mutui ... iuvat [1]).

Ceterum et hic Telephus diversus est ab δμωνύμῳ I 13 amplius decem annis ante celebrato, et Phyllis ab ancilla, quam amabat Xanthias Phoceus II 4.

Quae igitur supra disputavi de Horatii carminibus eroticis paucis contracta huc redeunt.

Circa a. 40/39 abreptus est vehementi amore, quem mutuum et constantem fore aliquamdiu speravit, puellae quam modo appellavit Inachiam (Ep. 12 et 11) modo Neaeram (Ep. 15), modo Pyrrham (C. I 5). Hanc periuram dimisit circa a. 39 (Ep. 15). Ab eius amore dehortatus est inexpertos (C. I 5). Remanebant huius furoris vestigia triennio post (Ep. 11 ad Pettium). Dedit ad eandem sine nomine palinodiam pro iambis ineditis et deletis circa a. 30 (C. I 16).

Ab a. 38 ad a. 34 certis amoribus caruit.

Intra annos 34 et 31 amavit Cinaram, quam vivam celebravit nomine Leuconoae (I 11) et Lydiae (I 13, III 9?), post mortem proprio nomine Cinarae (IV 1 et 13. Ep. I 7. 28 et 14. 33).

---

1) Cum igitur Hartmannus p. 154 in his strophis desideraret illum ardorem quo flagrabat Catullus ad Ipsitillam 32, praetervidit discrimen amoris senilis et iuvenilis, negligensque fuit chronologiae Horatianae nec minus diversissimae indolis utriusque poetae. Etenim Horatius ne in iuvenilibus quidem epodis et odis adsecutus est nimium illum ardorem Catulli, novem continuas futuationes petentis ab Ipsitilla et quae porro ibi leguntur. Qualia nostrum vitasse quis dolebit aut vituperabit?

Digitized by Google

Post Cinaram circa a. 30 detinuit eum libertina, quam cecinit nomine Myrtalae (I 33) et Phrynae (Ep. 14); hanc anum factam laceravit nomine Lycae (IV 13).

Cum autem primae puellae periurii statim fuisset intolerans, experientia mitigatus patientior fuit erga Cinaram et Myrtalen-Lycen. Et ipse interea pro moribus illius aetatis aliis quoque vacavit mulieribus, partim poetico nomine generatim indicatis, Lalages, Chloes sim., partim psaltriis, primum Tyndaridi, postea Lydae, tandem Phyllidi, a provectiore tamen aetate magis aucupans dulce earum colloquium et cantum et convivale gaudium quam voluptatem.

Amores autem ita semper cecinit ut generali carminum colore et fictis ac variatis nominibus praeriperet lectoribus ignotis occasionem curiosius introspiciendi amores vel suos vel amicorum.

Quod ad singulorum carminum tempora attinet, id iam apparuit, ordinem chronologicum non multum differre a carminum dispositione in libris.

Eroticorum antiquissimum est Epodus 12 a. 40 vel 39. Sequitur Ep. 15 a. 39, dein Ep. 11 a. 36. Omnium postremus est 14 a. fere 30. Odarum antiquissima est I 5 circa a. 36. I 11 scripta est in florentissimo Cinarae amore, nulla adhuc suspicione turbato, circa a. 33. I 13 exorto aemulo a. 32 vel 31. Odae I 17, 19 et 30, 22, 23 (Tyndaris, Glycera, Lalage, Chloe), quamquam certis annis destinari nequeunt, apte tamen iis adscribuntur, quibus erat liber a Cinara necdum deditus Myrtalae (= Phrynae = Lycae), igitur a. fere 31, aut quibus hac spreta aut iam dimissa subsecivis amoribus se dabat a. 29 vel 28. I 33 cantatum est a. fere 25, satis diu post dimissam Myrtalen.

Non magis certis temporibus adsignari possunt singula amatoria libri III; nihilominus, ut pleraque huius libri carmina de quibus aliquid adfirmare licet, incidere videntur in a. 29—24, i. e. in illud tempus, cum iam parcius et frigidius poesin et praxin eroticam exerceret.

In l. IV carmina 11 et 13 composita videntur paulo ante quinquagesimum poetae annum, quem diserte indicavit in IV 1.

Probe mihi conscius sum, omnia ea quae posui non niti disertis testimoniis, sed indiciis et positionibus nonnumquam

Digitized by Google

satis incertis. Erunt igitur obnoxia multorum dubitationibus et correctionibus, quas qui humaniter protulerint facilem discipulum me habebunt. Modo ne provocent, quaeso, ad incertam testimoniorum naturam eo consilio, ut totam huius rei indagationem opprimant et omittant, quae quin indefessa doctorum industria ad bonum aliquem finem perduci possit, nullus equidem dubito.

Scribebam m. Augusto 1891.

AD VERGILII ECLOGAM III 110.
(corrigitur error).

In coniectura, quam nuperrime ad hunc versum protuli (cf. Mnemosynes fasc. postremus a. 1891 p. 375 media), putidissima remansit menda. Ut enim satis apparet ex interpretatione a me addita, non corrigere volui monstruose aut expedietur amaros sed amaris. H. T. K.

DIGAMMA HOMERICUM.

Quod saepe observatum est, quo antiquiores sint codices Homerici, eo plura servare digammi vestigia (cf. Mnemos. 1891 p. 160), id nuper denuo luculenter apparuit, cum papyrorum aliquot, qui in Museo Britannico asservantur, lectiones edidit v. d. Kenyon (*Classical Texts from papyri in the British Museum* p. 80 sqq.). Nempe in libro, qui ex Harrisii hereditate provenit (Mus. Brit. CXXVI), recte Γ 103 legitur ΟΙϹΘΤΘΑΡΝ, id quod antehac e coniectura edi solebat pro *οἵσετε δ' ἄρν'*, Β 213 autem pro vulgato *ὅς ῥ' ἔπεα* scriptum est ΟϹϹΘΠΘΑ, ubi duplicata litera C librarius indicare voluit syllabam produci; denique, quod multo maioris est momenti, Β 316 ΤΗΝΔΕΛΙΞΑΜΘΝΟϹ extat: pro elisa particula δ' substitue integram, et habes id ipsum quod dudum poposcerunt Bentlei Dawesii Cobeti: *τὴν δὲ ἑλιξάμενος*. Nunc igitur credi poterit fortasse non nimiae fuisse audaciae hoc substituisse lectioni vulgatae *τὴν δ' ἐλελιξάμενος*, neque Pindaro antiquius esse hoc vitium sed diu post Christum natum Homero illatum. J. v. L. J. F.

Digitized by Google

ΗΡΩΙΔΟΥ MIMIAMBOI

EDIDIT

H. VAN HERWERDEN.

PRAEFATIO.

Adfecta iam prope aestate anni 1891 F. G. Kenyon in opere *Classical texts from the British Museum* Londinii haec carmina, quae Herodae mimiambos esse pauca fragmenta collecta a Bergkio in *poetis Lyricis* (IV = I 15 sq., VI = I 67 sq., VIII = V 32, II = VI 37—39) docuerant, primus edidit e papyro Musei Britannici CXXXV, quem papyrum priusquam in paginas dissecaretur volumen longum 14 pedes et 6 digitos (Angl.) latum digitos 6 fuisse dicit. Voluminis initium servatum sed partem ultimam truncatam esse, finitam hodie tribus primis versibus mimi octavi, idem auctor est, nec quantum perierit definiri posse, partis tamen perditae superesse exigua quaedam frustula, in quorum uno extare novi alicuius mimi titulum, quem quidni commemorarit cum reliquis vocabulis in illis frustis exaratis, monere lectorem supersedet. Pars servata eodem teste continet 41 columnas, singulaeque columnae 15—19 (plerumque 18) versus — quaeque autem linea integrum versum habet —. Litterae sunt unciales satis minutae sed, ubi incolumes sunt, lectu faciles, ut docet autotypum in tabula I. Saepe ipse librarius, raro alius scripta correxit plerumque bene, interdum secus; quorum ille paucissimis locis addidit spiritum vel accentum vel signum quantitatis (– et ⏑), quibus longe plerisque vocabula carent, nusquam autem apparet interpunctio aut interlocutorum nomina. Personarum tamen divisio saepe, non semper et est ubi falso, indicata est in margine transversa lineola supra eum versum, ubi alia persona loqui incipit. Hanc notavi: I 7, 13, 19, 82. II 45, 79. III 71, 77, 82, 87, 89. IV 35, 39, 52, 54, 72, 79, 89. V 10, 19, 20, 26, 29, 35, 39, 40, 57, 61, 74,

Digitized by Google

80, 81. VI 12, 20, 21, 22, 23, 24, 26, 27, 48, 57, 74, 79, 80, 86, 89, 93, 98. VII 64, 77, 79, 83, 93. Nullum est in hoc MS. scripturae compendium, iota subscriptum saepe omissum saepe male additum, vocabula aut arte coniuncta sunt aut parvo intervallo separata sed saepe male divisa. Pro diphthongo ϵI plerumque apparet vocalis I, raro inversa ratione diphthongus pro longa vocali, nusquam vero ubi brevis est, raro autem I cum H aut HI confusum est, rarius etiam cum OI, nec saepius ϵI pro H sive IH aut H pro ϵI positum videbis. Paucissima quoque exempla vidi confusae diphthongi AI et E, ut III 45, ubi ημαιθα ex ημεθα correctum est, et VII 58, ubi ψιντακαια legitur pro ψιττακεα. Vitiosae pronuntiationi fortasse etiam tribuendum est κνυσα pro κνισα VII 95. Alias litterarum confusiones notavi has: Λ cum H, O, T; B cum T et P; Γ cum I; Δ cum Λ, ϵ cum C, O, I (hinc C ante ϵ excidit VI 88, VII 41), Θ cum O, C, Φ, K cum IC, C, Π, N, P; Λ cum N et T; N cum C et T; O cum Ω, T cum C, quarum confusionum pars difficilis est ad explicandum, nisi papyrum ex antiquiore libro cursive scripto et lectu difficili fluxisse putamus. Inde fortasse factum ut loci quidam omnes sanandi conatus fugere videantur. De papyri nostri aetate nihil certi affirmare ausus editor universam tamen scribendi rationem seculum secundum aut tertium p. Chr. indicare putat. Ipse Kenyon fere ut in MS. leguntur cum plurimis lacunis, quarum ubi paucae tantum litterae deficiunt bonam partem recte explevit, sine interpunctione aliisque legendi adminiculis quam diligentissime potuit haec carmina edidit, sed eodem fere tempore huius plagulis usus Herodam (Herondam appellat) separatim volgavit Rutherford, qui primus personas distinxit, accentus spiritusque et interpunctionem apposuit, maiorum lacunarum partem aliquam explevit, dialectum Ionicam restituit, verba corrupta sanavit aut sanare conatus est et hic illic, ut fit, sana mutando corrupit [1]). Sed viro docto sagaci modesto, ubi nimia festinatione in difficillimo labore labitur, gravis esse nolo, cum praesertim meliorem se parare editionem artis ope antiquae imaginibus illustratam in praefatione sua professus

1) Ea res fraudi mihi fuit festinantius scribenti animadversiones ad Herodam in „Berliner Philologische Wochenschrift N°. 39 et 40", in quibus haud paucae sunt quas scriptas esse nollem. Ea tantum quae post diligens textus Kenyoniani examen hodieque probabilia mihi videntur in hac editione repetam.

Digitized by Google

sit, quae quin auctore suo digna futura sit nullus dubito. Praeter Rutherfordii editionem, quae bonas quasdam habet notas exegeticas, in hac mea celerrime conficienda Anglorum criticorum quorundam egregiae emendationes et Buecheleri editio mimi primi (in Museo Rhenano) praesto mihi fuerunt, deerat vero tempus plura si forte scripta sunt conquirendi, ita ut saepissime rem meo marte gerere coactus sim.

In dialecto restituenda longe plerisque locis secutus sum Rutherfordium, qui formas Atticas saepius a librariis illatas iure expulit, iusto autem longius progressus eo videtur quod contra constantem papyri traditionem *οὐχὶ* in *οὐκὶ* et *δείξω*, *ἔδειξα* (pap. *δίξω εδιξα*) sim. in *δέξω*, *ἔδεξα* sim. refinxit, quales formas nusquam apparere mirandum non est, quoniam in aliis quoque Herodae sermo a dialecto Herodotea discrepat; velut in eo quod ille nusquam huius more in praepositionibus ante spiritum asperum servavit tenues, contra saepe psilosin admisit ubi non reperitur apud historicum, si saltem quid tribuendum est his quae notavi exemplis *κἠμὶ πίσσῃ* = *καὶ ἡ ἐν πίσσῃ* II 62; *κοἱ* = *καὶ οἱ* III 13; *κἠ* = *καὶ ἡ* III 14; *τ' ἡ* VII 91 et 92; *κὠ* = *καὶ ὁ* III 36 et IV 67; *κὥνπερ* = *καὶ ὥνπερ* IV 5, *εἶπατ' ὡς* VII 62. Similiter *κἠτέρῳ* III 13; *κἤτερον* VII 30; *κἠτέρων* VII 24; *κὑποδημάτων* VII 87. Constanter autem scriptum est *ὀτεύνεκα* et paene constanter psilosis apparet in vocabulo *ἠμέρη*, nam *κἠμέρην* est V 7 et VII 10, *τἠμέρῃ* V 22, *τριτἠμέρῃ* VI 21, *ἔσσετ' ἠμὲρη* IV 67, quare cum spiritu leni scripsi (cf. *ἦμαρ*) et III 24 ubi in papyro est *τριθημεραι* reponere non dubitavi *τριτἠμέρῃ* nec I 39 *κἠμέρας* pro *χἠμέρας* aut I 58 *ἐπ' ἠμέρην* pro *ἐΦ' ἠμέρην*. Quia eodem fortasse pertinet *βάκιν* pro *βάχιν* scriptum III 50, non sine dubitatione illud retinui. Reliqua, quibus longe longeque plura aspirationis exempla in iisdem vocabulis opponi possunt, aequalitatis causa ad volgarem normam cum Rutherfordio mutavi quantumvis invitus, quia multo probabilius mihi videtur volgarem scribendi consuetudinem a librariis invectam esse quam insolitam illam rationem horum erroribus debere originem. *Crases* in MS. hasce repperi: *κἀποτάκτους* III 69; *τἄλλα* IV 92; *τἀρχαῖα* V 51, *τἀπίδορπα* IV 13, sed male *κἀΦ'* pro *κἠΦ'* II 26, *χἠ* I 16, III 34, *κἠ* III 14, *κἠς* II 88, IV 34, *κἠν* III 17, VI 6, *κἠπὶ* IV 66, *κἠστί* III 35, *κἠγώ* V 13, *κἤδωκα* VI 32, *κἠπίδοις*

Digitized by Google

V 70, *κἠπήν* III 45, *κἠπίδαυρον* IV 2, *χηρωτες* (l. *κἤρωτες*) VII 94, *κἠπορνοβόσκευν* II 77, *κἀμαυτὸν* (l. *κἠμεωυτόν*) II 88, *χἠτέρην* VI 29, *κἤτερον* VII 30, *χητέρους* I 18, *κἠμέρην* V 7, VII 10, *τριτἠμέρῃ* VI 21 (cf. III 24), *χἠ* I 16, III 34, *κἠ* III 14, *κἠμ* II 62, *τἠμέρῃ* V 22, *χἰλαρή* I 40, *χἠρακλῆς* II 96, *κἠπιώ τε κἰησώ* IV 6, *ὤναγης* sic P (*οὐναγής* recte R) II 70, *κοὐκ* IV 16, VII 77, *τοὔργον* IV 32, *κοὐχὶ* II 49, *χὠ* II 75, 76, *κὠ* III 36, IV 67 (66 *χὀ*), *κὥνπερ* IV 5, *χὧδε* IV 42, *χὠπόλλων* IV 2, *κὥμμασιν* III 32, *τἀκείνου* IV 76, *ὥνθρωπος* IV 74, *τὠληθές* VII 70, *τοὔρνιθος* IV 90, *κὐποδημάτων* VII 87, *χὐγίη* IV 86. Ad haec exempla corrigenda erant *καὶ ὕδωρ* I 81, *καὶ ἀσκέρας* et *ἡ ἀλεωρή* II 23, 25, *ἐπέαν* III 30, *καὶ ἦν* III 91, *καὶ ἐς* IV 80, *καὶ ἐπὶ* IV 93, *τὰ ἐκείνου* IV 76, *τοῦ ἀλέκτορος* (cf. AC) IV 12, *χὀ ἀγών* IV 66, *τὸ ἐπίγραμμα* V 79, al., sed papyri lectio retinenda in *μευ οὔτε* I 58, *μὴ ἱκετεύω* III 71, *παῦσαι ἱκαναί* III 81, *καὶ Εὐθίης* IV 26, *τὰ ἱρά* IV 79, *χρῶ ὅ,τι* V 6, *μευ αἷμα* V 7, *ἐγὼ αἰτίη* et *ἐγώ εἰμι* V 14 sq., *τῇ ἰδίῃ* (P. *ιδιαι*) V 37, *καὶ ἔχε* V 81, *τῇ οἰκίῃ* VI 5, *εὖ ἥλιος* VIII 3, *ἡ αὐτὴ* VI 29, similibus, ubi crasis non potest apte litteris significari. Crasin an aphaeresin voluerit librarius scribens *τωιτερωι* III 73 incertum est, quamquam pro illa pugnant formae *κἤτερον* et *κἠτέρων*. Similis dubitatio VII 86, ubi est *η κατη* = *ἡ Ἑκάτη*. Elisio passim non observata ut I 1 *θρεισσα αρχσσι* IV 31 *χηναλωπεκα ως*, V 15 *θεισα εν*, V 26 *Βιτιννα αΦες*, ib. 79 *επιγραμμα εχων*, cett. In mediis vocabulis saepe est vocalium *ε*, *ο*, *ω* synizesis, sed *ἐόντες* II 53 *εὖντες* scribere malui, ut *εὖντων* est II 58 et VI 35, *εὖσαν* V 16 et similia alibi, ad eandemque normam *ὁρμεῦσαν* I 42 pro forma Attica papyri *ὁρμοῦσαν*, et si quid aliud neglectum a Rutherfordio eodem pertinet. Epicum *ὅσσος*, quod paucis locis MS. habet pro *ὅσος* librarii esse, non poetae, arguit III 84 sine mendo repetitus V 8, quare alibi quoque volgarem formam restitui. Formas Ionicas *ἐμεωυτοῦ* sim. paucis locis servatas ubique Herodae pro Atticis (neglecto V 78) restituit Rutherford. Notabilis est contractio inusitata *δοῦμαι* (l. *δεῦμαι*) pro *δέομαι* V 19. De contractione Dorica verborum in *άω*, ut *ὁρῇς* sim. et de forma Dorica *γλᾶσσα* vid. Kenyon pag. 4. Scribendum esse *γλᾶσσαν* non *γλάσσαν*, ut fecit Rutherford, arguit *πρᾶτος* = *πρῶτος*, al. Passim legitur *μᾶ*, de qua interiectione cf. Fritsche ad Theocr. XV 89.

Digitized by Google

Plura de his et reliqua Herodae dictione disserendi alia fortasse dabitur occasio, quae nunc spatio excluditur.

De ipso poeta quam pauca antehac nota fuerint apparebit consulenti novissimum Susemihlii opus, *Geschichte der Griechische Litteratur in der Alexandrinerzeit*, Lipsiae 1891, Vol. I, p. 229—231. Nunc praeter ipsorum mimiamborum rationem ex primo et quarto mimo discimus eum floruisse iam extremo seculo quarto et regnante etiam Ptolemaeo Euergete carmina composuisse, e quibus secundum et quartum in insula Co (cuius civem eum esse suspicantur), tertium et septimum Cyzici in scena acta esse probabiliter statuit Rutherford; si vero septimum, idem de sexto, quod arte cum illo cohaeret, statuamus necesse est. Spectatoribus potius quam lectoribus haec carmina destinata fuisse efficias e locis bene multis, qui nisi quis vultum gestusque et uniuersam actionem interlocutorum informaverit, intellegi nequeunt. Theocriti Adoniazusas, ut hoc utar, etiam sine hoc auxilio facile interpretaberis, Herodae vero Zelotypus ea ope destituto manebit obscurus. Herodas potius quam Herondas, ut solus vocat Athenaeus III 86 b, poetae nomen fuisse videtur. Fortasse autem ΗΡΩΝΔΑC originem debet verae nominis scripturae ΗΡΩΙΔΑC, ut in titulis vetustis solet exarari, unde iota titulo inserere visum est.

Hanc qualemcumque mimiamborum editionem seorsum venumdare bibliopolam iusseram, sed quia crevit in dies coniecturarum a plurimis viris doctis propositarum copia, quas urgente tempore undique corradendi et rite diiudicandi deest mihi otium et facultas, illud consilium abieci, cum praesertim certior factus sim, brevi plures eorundem carminum recensiones proditurus esse in lucem.

Restat ut gratias agam Leeuwenio meo, collegae aestimatissimo, qui non tantum typographica vitia, quae scripta mea cum magno meo detrimento [1]) corrumpere solent, summa diligentia sustulit, sed etiam tam interpretanti quam emendanti textum difficillimum egregiam opem mihi praestitit.

1) Haec causa fuit praecipua scilicet cur *Studia mea critica in Epigrammata Graeca*. Leiden, E. J. Brill 1890, quae (licet invidiosum sit dicere) plurimas optimas emendationes continere mihi affirmarunt bene multi, quorum iudicio aliquid tribuere soleo, nescio qui censor ita exagitarit, ut longe pauciores emptores inveniat quam liber meretur et ipse cum editore meo, cuius vicem imprimis doleo, fore speraveram.

Digitized by Google

I

ΠΡΟΚΤΚΛΙΣ Η ΜΑΣΤΡΟΠΟΣ

ΜΗΤΡΙΧΗ

I Θρῇσσ(α), ἀράσσει τὴν θύρην τις· οὐκ ὄψῃ
εἴ τις παρ' ἡμέων ἐξ ἀγροικίης ἥκει;

ΘΡΕΙΣΣΑ

τίς τὴν θύρην; ἔσω δέ· τίς σύ; δειμαίνεις
ἄσσον προσελθεῖν;

ΓΥΛΛΙΣ

ἦν, ἰδού, πάρειμ' ἄσσον.

ΘΡ. τίς δ' εἶς σύ; — ΓΥ. Γυλλίς, ἡ Φιλαινίου μήτηρ· 5
ἄγγελον ἔνδον Μητρίχῃ παροῦσάν με.

ΘΡ. καλεῖ . . . — ΜΗ. τίς ἐστιν; — ΘΡ. Γυλλίς. — ΜΗ. ἀμμίη
στρέψον τι, δούλη. τίς σὲ μοῖρ' ἔπεισ' ἐλθεῖν, [Γυλλίς.

P = papyrus, B = Buecheler, K = Kenyon, R = Rutherford.
Correctiunculas meas minoris momenti cruce † signavi.

AC. 1 θ . . . . . α P. Suppl. R. — οψι = ὄψει P †. ‖ 2 . . . . . παρ P. Suppl. R. ‖ 3 τ (vel π) . . . . . θυρην P. Suppl. B. ‖ 4 προσελθιν — παριμ P, qui passim ι habet pro ει, quare talia non amplius notabo. ‖ 5 ει P. Corr. R. ‖ 6 Μητριχηι. Cf. 61, 76. Expectes ubique Μητίχη, notum nomen. ‖ 7 κάλει B, qui videtur intellegere *me nomina*. Dedi καλεῖ . . ., ut Metriche accurrens quaestionem suam interposuerit. An ancilla Gyllidi respondit κάλεω? ‖ 8 Fort. τερπνόν τι, *rem gratam!* ‖

AE. 2 Pro ἡμέων R coniecit ἡμέας. Equidem papyri lectionem ita interpretor ut Metriche expectet consanguineum aut servum aliquem suum in villa rustica habitantem. ἐξ ἀγροικίης = ἐξ ἀγρῶν. Nova sunt in hoc mimo nomina *Metriche* (? cf. AC. ad 6), *Gyllis* (5, 9, 18, 67, 78, 82, 84, 87, 90) et *Mandris* (23, 68, 77), cui cf. Μάνδρων al. ‖ 3 nova vox ἀμμίη. Hesych. s. v. ἀμμία exponit μήτηρ, τροφός. Cf. μαμμία Arist. Lys. 879. ‖ 8 στρέψον τι quid sibi velit ambigitur: σεωυτὴν audiens R *abi*. Manere tamen in proximo Threissam docet vs. 79, itaque malim certe *alio te converte*, sc. ad opus denuo te applica. Richards coll. VI 1 et Theocr. XV init. intellegit „turn round a seat", Nicholson νῆσόν

Digitized by Google

Ι Γυλλίς, πρὸς ἡμέας; τί σὺ θεὸς πρὸς ἀνθρώπους;
ἤδη γάρ εἰσι πέντε κου, δοκέω, μῆνες
ἐξ οὗ σε, Γυλλίς, οὐδ' ὄναρ μὰ τὰς Μοίρας
πρὸς τὴν θύρην ἐλθοῦσαν εἶδέ τις ταύτην.
ΓΤ. μακρὴν ἀποικέω, τέκνον, ἐν δὲ τῇς λαύρῃς
ὁ πηλὸς ἄχρις ἰγνυῶν προσέστηκεν,
ἐγὼ δὲ δραίνω μυῖ' ὅσον· τὸ γὰρ γῆρας
ἡμέας καθέλκει χἠ σκιὴ παρέστηκεν.
ΜΗ. θάρσει τε καὶ μὴ τοῦ χρόνου καταψεύδεο·
..... γάρ, Γύλλι, χἠτέρους ἄγχειν.

9 προς corr. e παρα, quod verum esse potest, P. Cf. ad vs. 48 et VII 104 AC. θε.....ς P. Corr. R. ‖ **10** δοκε[ω μηνες] K. ‖ **11** τα[ς] K. ‖ **12** ταυτην corr. e ταυτης P. ‖ **13** ταις λαυραις P. Corr. R. ‖ **15** μ[υῖ'] R expl. ope Stob. Fl. 116, 18, qui vss. 15 sqq. affert. μ[υς] K. ‖ **16** [ημεα]ς K. ‖ **17** .....ε P. θάρσυνε R. σίγη τε B. θάρσει τε †. Incertum supplementum. — καταψευδου, superscripto terminationi σο P. Corr. B. καταψεύσῃ R. ‖ **18** δυνήσεαι suppl. B, sed epica forma H. non utitur (cf. ad V 60), γῆρας φιλεῖ R, quod neque aptum videtur neque spatio convenit. An οἵη τ' ἴσῃ — καὶ ταύρους ἄγχειν? Lenius sane

---

τι intellexit. Nihil horum probo. Cf. AC. ‖ **9** „ita raro venis ut adventus tuus cum dei ἐπιΦανείᾳ comparari possit". *Quid di ad homines?* Senec. apoc. 13 (B). Cum hoc loco compone Theocriti carminum XIV et XV initia. ‖ **11** Cf. infra 66, IV 30, Theocr. II 160. Vid. et Aesch. Ch. 304, Ar. Thesm. 707. ‖ **15** δραίνω = δύναμαι, ἰσχύω ut II 97. Cf. ἀδρανής, ἀδρανέω, ἀδρανίη. — *minoris quam muscae sumus* Petron. 42 (B). ‖ **16** σκιή = θάνατος. ‖ **18** doleo quod primae litterae perierunt. B intellegere videtur ἄγχειν sensu proprio, ut dicatur anus admodum robusta esse, sed ita permirum est obiectum χἠτέρους, pro quo expectes καὶ ταύρους ad exemplum Aristophanis Lys. 80 sq. aut saltem χἠτέρας, quod tamen mihi quidem parum satisfacit. R translato sensu accipit dictum de senectute, ideoque vs. 20 aliter edidit, quam rationem partim amplexus aliquando putabam χρόνος ambigue dictum esse de senectute, quae anum, deque mariti absentia, quae iuvenem mulierem premebat, nunc vero ut nimis artificiosam repudio. Fac autem veram lectionem esse οἵη τ' ἴσῃ γάρ, Γύλλι, καὶ ταύρους ἄγχειν, Gyllis respondere potuit: „Ita iocare! Iuvenibus vobis adest (tale robur), sed hoc

Digitized by Google

I ΓΥ. σίλλαινε ταῦτα· τῆς νεωτέρης ὑμῖν
πρόσεστιν, ἀλλ' οὐ τοῦτο μή σε θερμήνῃ.
ἀλλ', ὦ τέκνον, κόσον τιν' ἤδη χηραίνεις
χρόνον, μόνη τρύχουσα τὴν μίαν κοίτην;
ἐξ οὗ γὰρ εἰς Αἴγυπτον ἐστάλη Μάνδρις,
δέκ' εἰσὶ μῆνες, κοὐδὲ γράμμα σοι πέμπει,
ἀλλ' ἐκλέλησται καὶ πέπωκεν ἐκ καινῆς.
κεῖθ' ἑστὶν οἶκος τῆς θεοῦ· τὰ γὰρ πάντα
ὅσ' ἔστι κου καὶ γίνετ' ἔστ' ἐν Αἰγύπτῳ·
πλοῦτος, παλαίστρη, δύναμις, εὐδίη, δόξα,
θέαι, Φιλόσοφοι, χρυσίον, νεηνίσκοι,
θεῶν ἀδελφῶν τέμενος, ὁ βασιλεὺς χρηστός,
μουσῆον, οἶνος, ἀγαθὰ πάνθ' ὅσ' ἂν χρῄζῃ,
γυναῖκες ὀκόσους οὐ μὰ τὴν Ἀΐδεω κούρην
ἀστέρας ἐνεγκεῖν οὐρανὸς κεκαύχηται,
τὴν δ' ὄψιν οἷαι πρὸς Πάριν κοθ' ὥρμησαν
θεαὶ κριθῆναι καλλονήν. — ΜΗ. λάθοιμ' αὐτὰς
ἰδοῦσα. — ΓΥ. κοίην οὖν τάλαινα σὺ ψυχὴν
ἔχουσα θάλπεις τὸν δίφρον; κατ' οὖν λήσεις
τακεῖσα καί σευ τὸ ὥριμον τέφρη κάψει;

χἠτέρας Richards. ‖ **19** σιλ[λ]αι[ν]ε K. ‖ **20** ἄλλ', οὐ τοῦτο. μή σε (= σεαυτὴν P) θερμήνῃς R. μή με Richards. ‖ **26** κῖ δ (sic cum accentu) P. Dedi κεῖθ', nam κεῖ pro ἐκεῖ aut κεῖθι inauditum. ‖ **27** οσσ P, quod hic illic correxi. ‖ **28** συδ[ιη δ]οξα K. ‖ **31** μουσήιον RB. — χρηζη P; librarius semper χρηζω pro χρῄζω, quod ubique reposui; χρῄζῃς malit B. ‖ **32** ο[κ]οσους et [Αι]δεω K. ‖ **33** [αστε]ρας et συραν[ο]ς K. ‖ **34** [την] K. ‖ **35** .....ναι P. Suppl. B. ‖ **36** ..... κοιην P. Suppl. B. ‖ **37** ..... θαλπεις P. Suppl. R. ‖ **38** ..... και P. Suppl. B. ‖ **39** .....νον

---

te non calefaciet! (Viro opus est scil.)". ‖ **22** i. e. μονοκοιτοῦσα. Cf. Arist. Lys. 592. ‖ **25** καινῆς, sc. κύλικος, i. e. novo flagrat amore. De alia ellipsi cf. IV 14. Teste K in mg. adscriptum κυσης, cui voci superscriptum αικος, quod Headlam Λικος esse intellegens ex utroque fecit κύλικος. ‖ **26** sqq. De Aegypti laudibus cf. [Theocr.] 17, 79 sqq. ‖ **30** Ptolemaei II eiusque sororis ac coniugis Arsinoae (cf. [Theocr.] 17, 128 sqq.) templum et Euergeten significari monuit R. Hoc poema primo loco positum fuisse tanquam Euergetae dedicatum putat B. Mimus IV est longe antiquior et fortasse huius collectionis (imperfectae tamen) antiquissimus. ‖ **36** pro ψυχήν minus usitate νῶν in

Digitized by Google

I σύντεινον ἄλλῃ κἠμέρας μετάλλαξον
τὸν νοῦν δύ' ἢ τρεῖς χἰλαρὴ κατάστηθι
Φίλιν πρὸς ἄλλον· νηῦς μιῆς ἐπ' ἀγκύρης
οὐκ ἀσφαλὴς ὁρμεῦσα. κεῖνος ἦν ἔλθῃ
..... μηδὲ εἷς ἀναστήσῃ
με .... αι ... τοδ ... δε ἄγριος χειμὼν
..... κοὐδὲ εἷς οἶδεν
τὸ μέλλον ἡμέων· ἄστατος γὰρ ἀνθρώποις
.....η. ἀλλὰ μή τις ἕστηκε
σύνεγγυς ἡμῖν; — ΜΗ. οὐδὲ εἷς. — ΓΤ. ἄκουσον δή
ἅ σοι χρονίζουσ' ὧδ' ἔβην ἀπαγγεῖλαι·
ὁ Ματακίνης τῆς Παταικίου Γρύλλος,
ὁ πέντε νικέων ἄθλα παῖς μὲν ἐν Πυθοῖ,
δὶς δ' ἐν Κορίνθῳ τοὺς ἴουλον ἀνθεῦντας,
ἄνδρας δ' ἐπ' ἶσον δὶς καθεῖλε πυκτεύσας,
πλουτέων τὸ καλόν, οὐδὲ κάρφος ἐκ τῆς γῆς

P. Suppl. B. χημερ[α]ς K. κἠμέρας? Vid. Praef. ‖ **40** .....ουν P, [ἐς γ'] οὖν R, [τὸν ν]οῦν B, quo spatium melius nec tamen accurate expletur. ‖ **41** .....ς P. Suppl. B. ‖ **42** [οὐκ ἀσφ]αλὴς K. — ορμουσα P †. ‖ **43** .....μηδὲ P. Suppl. B χειμών σ' ἂν ἴσχοι, sed displicet κεῖνος — χειμών, quod proxime repetitum et expectatur οὐ] μηδὲ εἷς ἀναστήσῃ. Num forte δεινὸς ἦν ἔλθῃ | [κλύδων, τάλαιν', οὐ] μηδὲ εἷς ἀναστήσῃ (-ει?)? Sed cf. ad 45. ‖ **45** [κάτεισι σείσων αὐτί]κ' οὐδὲ B, recte dubitans. Simili sententia σείσων ἄφνω κάτεισι scribi possit. οἷα δ' ἄγριος χειμὼν — ἐπέρχετ' ἄνδρας μοῖρα Headlam. Sed tumida haec oratio anum vix decet. Fortasse non iniuria R verba κεῖνος ἦν ἔλθῃ per aposiopesin dicta tribuit Metrichae, Gyllis autem de sequentibus aliquid dixit de hieme, qua Mandris sive proficiscens sive rediens obrutus perire potuerit. Cf. 68 et 77. Quare nihil supplevi. ‖ **46** .....ημες... P. Suppl. B, item Headlam. ‖ **47** Lacuna vix capit βίος καθ' ὥρη[ν], quod apte suppl. B. Fuit saltem βίος aut τύχη in lacuna. — εστηκες, i. e. ἕστηκε, P. ‖ **48** συνε[σ]τ υ[φ] ημων (corr. ex ημιν) K. Corr. B. ‖ **49** χρ[ονί]ζουσ' R, probante K. Longe equidem malim χρ[εί]ζουσ' cum B, modo spatio conveniat. Cf. VII 64. ‖ **50** ματακ.νης P. Cur R Ματαχήνης et B Ματαχίνης corrigant me latet. ‖ **54** το κ..ον. Suppl. B. Cf. Theocr. III 8 al. θ' ἁκοῖον

---

hac locutione dixit Theocr. 14, 21. ‖ **38** τὸ ὥριμον = τὸ ὡραῖον s. τὴν ὥραν. — τέφρη *rogi favilla*. Sententia „et iuvenis morieris". ‖ **41** ad proverbium cf. Dem. 56, 44. ‖ **50** Ματακίνη et Παταίκιος nova nomina, sed novimus Πατάικος, Πάταικος, Παταικίων, et infra IV 63 est Παταικίσκος. ‖ **52** = τοὺς ἀγενείους. ‖ **53** H. in ἴσος et καλός, prout metro commodum, paenultimam aut producit aut corripit. ‖ **54** οὐδὲ κάρφος. Cf. III 66 sq. et Ar.

Digitized by Google

I κινέων, ἄθικτος ᾧ Κυθηρίη σφρηγίς,
ἰδών σε καθόδῳ τῆς Μίσης ἐκύμηνε
τὰ σπλάγχν' ἔρωτι καρδίην ἀνοιστρηθείς.
καί μευ οὔτε νυκτὸς οὔτ' ἐπ' ἠμέρην λείπει
τὸ δῶμα, τέκνον, ἀλλά μευ καταπλαίει
κἄτ' ἀγκαλίζει καὶ ποθέων ἀποθνήσκει.
ἀλλ' ὦ τέκνον μοι Μητρίχῃ μίαν ταύτην
ἁμαρτίην δός· τῇ θεῷ κατάρτησον
σεωυτήν, τὸ γῆρας μὴ λάθῃ σε προσβλέψαν·
κἄθ' οἷα πρήξεις ηδ.....
δοθήσεταί τι μέζον ἢ δοκεῖς· σκέψαι,
πείσθητί μοι· φιλέω σε. — ΜΗ. ναὶ μὰ τὰς Μοίρας,

R. ‖ **55** *αθικτ... κυθηριην σφρηγις* P. *ἄθικτ[ος ἐὼν]* R, quod spatium non capit, *ἄθικτ[ον, ἦ]* B, sed languet *ἄθικτον*, nec placet articulus et *κυθηρίη σφρηγίς*, *gemma Veneris*, parum arridet nec praestare videtur R inventum *ἦν, σφρηγίς*. Dedi quod vides, ambigens tamen scribamne *Κυθηρίην* an *Κυθηρίων*. ‖ **56** *καθοδω της* P, quod recte tuentur Nicholson et B. *καθ' ὁδὸν τὴν* R. ‖ **57** sic postea legit K, qui edidit *τας γρα.. χιερας..* ‖ **58** *ἐπ' ἠμέρην*? Cf. Praef. ‖ **59** *δωμ[α τε]κνον* K. ‖ **60** *καιτ* (= *κἄτ'*) *ἀγκαλιζει καα* P. *καί σ'* R, *ἀγκαλίζειν* interpretans *ἀνακαλεῖν*. Verbum suspectum; num forte *κἄτ' ἀγκαλεῖ σε*? ‖ **63** *σαυτην το [γ]ηρας* K. ‖ **64** *και οια* (prius fuit *και δια*) P. Correxit Headlam, etiam *καὶ θεῖα* coniciens, sed *ὅσια* sermo poposcerat. — *ηδ*..... *ἤδε σοι χάρις κεῖται* supplevit R, *ἡδέως, πάλιν πρήξεις* B. ‖ **66** *μοι* pro *μευ* R. — *να[ι]* — *Μοιρας* cum praegressis

---

Lys. 474; *ἐπὶ τῶν ἡσυχίων* proverbium dici scribit Diogenianus VI 64. ‖ **55** *Κυθηρίη σφρηγίς* gemma Veneris esse putat B, sed *σφραγίς* aut sigillum est, aut anulus sigillo munitus, aut res cui sigillum impressum est; R scribens *en, sigillum* voluisse videtur *arcana fideliter servans*, qui non iactabundus amores tuos evulgabit. Ex mea coniectura interpretor, *cui intactum* (hucusque) *Veneris sigillum*, i. e. qui nondum Veneris arcana reseruit, sed purus est a re venerea, optima sane adolescentis mulieri commendatio. ‖ **56** *Μίση*, dea mystica. Cf. Orph. hymn. 42 (B). — *καθόδῳ* (dat. temp.) pompa, qua deae imago e templo nescio quo deducebatur, aut dies festus quo eius reditus celebrabatur, interprete Nicholsono. — *ἐκύμηνε* nove dictum pro *ἐκυμάνθη*, ut VI 68. ‖ **59** *μευ καταπλαίει* = *ἐναντίον μου κλάει*. Aliter infra vs. 68. ‖ **60** *semper te in ore habet* R, sed cf. AC. ‖ **62** *Veneri te addicas*. ‖ **63** Gyllidem Metrichae nutricem fuisse

Digitized by Google

I Γυλλίς, τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει
τὸν νοῦν· μάτην γὰρ Μάνδριος καταπλαίεις
ναὶ τὴν φίλην Δήμητρα· ταῦτ' ἔγωγ' ἄλλης
γυναικὸς οὐκ ἂν ἡδέως ἐπήκουσα,
χωλὴν δ' ἀεὶ δεῖν χωλὸν ἐξεπαίδευσα
καὶ τῆς θύρης τὸν οὐδὸν ἐχθρὸν ἡγεῖσθαι.
σὺ δ' αὖτις ἔς με μηδὲ ἕν, φίλη, τοῖον
φέρουσα χώρει· μῦθον, ὃς μιτρήφσι
πρέπει γυναιξί, παισὶ νέης ἀπάγγελλε,
τὴν Πύθεω δὲ Μητρίχην ἔα θάλπειν
τὸν δίφρον· οὐ γὰρ ἐγγελᾷ τις ἐς Μάνδριν.
ἀλλ' οὐχὶ τούτων, φασί, τῶν λόγων Γυλλίς

iungit B. Vid. VII 4. — *φιλεῖ* R, sed non opus. Cf. VII 4. ‖ **67** sq. citat Stob. 116, 24 sed pro Γυλλι (P) hab. *γύναι*. ‖ **68** *καταπλαισις* P. Corr. K, dubitante Leeuwenio. Expectatur sane quod significet *contra Mandrin me excitas* aut *ab eius amore me detorques* simileve quid. ‖ **69** *και* P. Corr. B. *μὰ* K. ‖ **71** nec sententia clara nec certa lectio, nam in P est *χωλοῦ*, unde conieci *χωλὴν δ' ἀμείβειν κἄλ' ἂν ἐξεπαίδευσα*. Vid. AE. ‖ **74** *μετρηιαις* P. *τῆς μετρηίης* R. *μιτρηίαισι* B coll. Servii ad Aen. IV 216. Dedi *μιτρήφσι*. ‖ **75** *ταις νεαις* P. *τῆς νέης* R. Sententia postulat *παισὶ νέης*, puellis, non matronae, qualis ego sum. *ἀπάγγελλε* incertum dicit K. ‖ **76** *Πύθεω* (corr e *διυθεω*) a *Πύθης* aut *Πυθέω* a *Πυθέως* (sic B) scribendum. Male *Πυθίω* R. ‖ **77** *τον διφρον* corr. e *μητριχην* P. *ενγελαι* P. ‖ **78** *ουχι* constanter P

---

docet *ἀμμία* vs. 7; propterea turpes vetulae sermones haec quamvis invita tolerat. ‖ **71** sq. B sic artificiosissime interpretatur: „etiam ianuae meae limen per me novit, claudam (= mulierem sine marito) inimicum existimare debere claudum (= procum lente adrepentem)", quod vereor ut spectatores Graeci, hac ope destituti, intellecturi fuerint. Mea coniectura hoc volui „aliam ego mulierem tale quid locutam *claudicantem alternare pedes* (fusti scilicet caesam abire) *et limen meum odisse* (i. e. numquam domum meam redire) *probe docuissem*". Cf. Homericum *ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων*. ‖ **74** *μιτρήφσι multa lectio mitras proprie meretricum esse docet* Servius Aen. IV 216. ‖ **76** *θάλπειν τὸν δίφρον* ait respiciens Gyllidis verba vs. 37. R comparat Paroem. Gr. I p. 392. *γυναικὸς πυγή: ἐπὶ τῶν ἀργῶν ἢ ὅτι οἴκοι γυναῖκας μένειν χρή*. Hic dicitur de muliere sine oblectamentis et amoribus servanti domum. ‖ **78** *Φασὶ* R interpretatur „the world tells me". Solet autem *Φασί* sic posi-

Digitized by Google

I δεῖται. Θρέϊσσα, τὴν μελαινίδ' ἕκτριψον
χήκτημόρους τρεῖς Ἰταλικοῦ χέ' ἀκρήτου
χύδωρ ἐπιστάξασα δὸς πιεῖν ἀδρῶς.
τῇ, Γυλλί, πῖθι· δεῖξον ου .....
ΓΤ. πεισουσά σ' ἦλθον, ἀλλὰ ....ων ..ν
ΜΗ. ὧν οὕνεκέν μοι, Γυλλί, ων α .....
ΓΤ. ὅς σοῦ γένοιτο· μᾶ, τέκνον, π .....
ἡδύς γε ναὶ Δήμητρα .....
ΜΗ. ἡδίον' οἶνον, Γυλλίς, οὐ πε .....
ΓΤ. σὺ δ' εὐτύχει μοι, τέκνον, α .....
ταύτην, ἐμοὶ δὲ Μυρτάλη τε καὶ Σίμη
νέαι μένοιεν ἕστ' ἂν ἐμπνέῃ Γυλλίς.

(corr. ex ουδε), ουκι ubique R. — φυσειτων P. Corr. R. ‖ 80 ..κτ...ρους . ρεισ . τα.....[α]κρητου K. Expl. Nicholson, quod B dedit [κα]τα[μέτρησον] spatio non convenit, licet expectassem aoristi imperativum. — 'γχέ' malim cum Leeuwenio. ‖ 81 και υδωρ P †. πισ[ιν] . δ . ωι Corr. B. ἡδέως Nicholson. ‖ 82—88 lacunarum supplementa nimis incerta. ‖ 82 οὖν φίλοινόν σε B. οὔ σ' ὀργισθεῖσαν R. οὐκ ἴχουσ' ὀργήν ego. ‖ 83 ἀλλὰ μὴ πλέω· νῶσον B. ἀλλὰ βαιὸν ὠνήθην s. ὠνήμην Nich. ‖ 84 Γύλλις, ὕναο ζωροῦ B. ‖ 85 ος σοῦ (sic) P. ὅσοι R. Correctio incerta. — προπίνω σοι R. πολὺς βίκοις B. ‖ 86 μοι ῥοφεῖν οὗτος. ‖ 87 οὐ πέπωκ' οὔπω B. οὐ πέπωκ' οὐδείς ego. ‖ 88 αἰνέοις δ' αἰεί B. Sed micamus in tenebris. Personas distinxi ut R, B ἀλλὰ (83) — finem vs. 84 Metrichae tribuit, reliqua Gyllidi. ‖ 89 κ...ιμη P. Corr. Nich. καὶ Ἐντίμη R. Ἔντιμος nomen notum, non Ἐντίμη. ‖ 90 ενπνε[ηι] K. In talibus sequor rationem hodie probatam.

---

tum notare proverbium, quod si hic obtinet Leeuwenius meus Γυλλίς habet pro vocativo et ad δεῖται intellegit τοὔργον. Ceterum cf. VII 49. ‖ 79 μελαινίς, vas (vinarium) *nigrum*, nova vox. In mg. P habet κυη, cui superscr. λευ, i. e. κύλικος εἶδος, ut vidit vLeeuwen. ‖ 82 ἑκτημόρους, si recte expletum, = ἑκτέας, novo sane usu. ‖ 85 μᾶ frequens apud H. interiectio = ἰδού, de qua cf. Fritsche ad Theocr. XV 39. ‖ 89 Μυρτάλη et Σίμη (?) non sunt (ut monui Phil. Woch. 39) Metrichae filiae sed scorta, quorum quaestu et aetatis flore Gyllis vitam sustentat. Nam ita tantum sanam sententiam praebent verba νέαι μένοιεν — Γυλλίς, et res confirmatur nomine Myrtale, quod tam II 65 quam apud Aristaenetum I 3 est hetaerae. Non esse Metrichae filiolas apparet ex oppositione σὺ — ἐμοὶ δέ.

Digitized by Google

II

ΠΟΡΝΟΒΟΣΚΟΣ

ΒΑΤΤΑΡΟΣ

II *Ἄνδρες δικασταί, τῆς γενῆς μὲν οὐκ ἐστὲ*
ἡμέων κριταὶ δήκουθεν οὐδὲ τῆς δόξης,
οὐδ' εἰ Θαλῆς μὲν οὗτος ἀξίην τὴν νηῦν

AC. 3 τ..ηνυν P, τ[ὴν] νῦν R. Dedi τὴν νηῦν, qua forma pro νῆα etiam Apollonius

---

AE. Βάτταρος (5, 49, 75, 82) novum nomen. Cf. Βάτταλος. 1 Forma γενή, quam e Callimacho affert Etym. M., constanter H. usus est, ut infra vs. 32. IV 84. al. || 2 Ad δήκουθεν cf. δήκου V 24. || 3 semel intellecto ultimam vocem non νῦν esse sed νηῦν locus non eget interprete. Tantam summam ponit, quia navis frumento onusta fuisse videtur. Cf. vs. 18 et 80, si ibi recte πύρων correctum est. E verbis sqq. efficias lenonem simul cauponem fuisse. Cf. vs. 18. Propterea fortasse πυρῶν ἐραστήν se profitetur infra vs. 80. Nihilominus propter permiram illam inter talenta et panes, praesertim addito pronomine possessivo, oppositionem nonnihil dubito num Kenyon, qui in hac vexatissima parte non omnes litteras superstites recte agnovisse videtur, ut est cur existimes eum litterarum deficientium numerum non ubique bene notasse, dubito, inquam, num αρΓους bene legerit. Fac non sic sed αρΓους scriptum extare, non sine aliqua probabilitate conieceris veram lectionem esse:

οὐδ' εἰ Θαλῆς μὲν οὗτος ἀξίην τὴν νηῦν
ἔχει ταλάντων πέντ' ἐγὼ δὲ μνέας ἀργούς,
ἀλλ' εἰ παρέξει, Βάτταρόν τι πημήνας,
τὰ δίκαια .....

Ita sic fere loquitur Battarus „Nec de utriusque nostrum genere, iudices, nec de dignitate nec de fortunis sententia vobis ferenda est, sed an Thales, pro gravi damno, quod Battaro fecit, quam hic multam poscit reddere debeat". Thaletis navem cum fru-

Digitized by Google

II ἔχει ταλάντων πέντ', ἐγὼ δ' ἐμοὺς ἄρτους
....περ ἕξει Βάτταρόν τι πημήνας
....και.ω αὐτὸν γάρ .... κλαῦσαι
....ις ο μαστος ηιασ...ν χώρη
.....μεν .... τι τῆς πόλιος κἠγώ
.....κως βουλόμεθα κἄλλως ἡμέας
.....ος ἔλκει προστάτην ...μεννην
.....ων τὰ πὺξ νενίκηκεν
....νης ...οφων δε κ..νυν αγχι
....ης .....εα ταῦτα τἠλίου δύντος
....θε ....ων, ἄνδρες, ...χε χλαῖναν
....νως ...ιωι προστάτ..ἔθ' ὥρισμαι
..... ἐξ Ἄκης ἐλθόντα..
....ουσα π..νκή τηστατιν κακὴν λι.ον
.....νας ἐκ Τυροῦ τι τῷ δήμῳ
.....δωρεὴν γὰρ οὔθ' οὕτος πυρούς
.....θιν οὔτ' ἐγὼ πάλιν κείνην.
εἰ δ', οὕνεκεν πλεῖ τὴν θάλασσαν ἢ χλαῖναν

Rhodius usus est. ‖ 4 εμ[ου]ς K. ‖ 5—20 misere habitos (VII columnae enim pars sinistra avulsa), omissos a R, dedi ut leguntur in ms. cum paucis Kenyonis aliorumque supplementis. ‖ 5 Nicholson et Headlam [ἀλλ' εἴ]περ vix recte, nam post ἄρτους (si bene traditum aut lectum est?) imperfecta est oratio, nec tamen οὐς, εἴπερ aut ἐπείπερ proponere audeo. — ...ημ..ας P. Expl. Nicholson. ‖ 6 αυτον an λυτον legatur ambigit K. Versus vix recte lectus videtur. ‖ 10 ...μεννην fortasse celat patroni nomen. In mg. P est μενσιν. ‖ 11 τα relativum videtur. ‖ 12 οφων nominisne proprii terminatio? ‖ 13 τ...ου supplevi, item alii. ‖ 14 ἄνευ]θε μ[όχθ]ων, ἄνδρες, [εἵλη]χε χλαῖναν Headlam coll. vs. 21. ‖ 15 προστά-τ[ην] an προστάτ[ης]? ‖ 16 εξακης ελ....α.. P. Scripsi quod vides, ultima vox fortasse fuit α[ι] i. e. αἰεί. Convenit ἐκ Τυροῦ vs. 18 (sic recte Nich. pro τυρου). Utrumque dictum de Thalete. Cf. 57 sqq. ‖ 17 [στέγ]ουσα Headlam. — λιμόν R², sed omnia hic incerta sunt. ‖ 19 ωρε ην P. Corr. vLeeuwen. ‖ 20 [δυνατὸς ἀλή]θειν Headlam. Lacunam sic fere suppleverim δοκέω, δίδωσιν, ut ms. habeat C non Θ. —

---

mento quo onusta est quinque talentis (iisque ob grave fenus nauticum fructuosissimis) aestimans aptissime opponit totidem (πέντε enim mente repeti sinit structurae ratio) suas minas nullam, si ipsi credimus, reddentes usuram. Brevi papyri imaginem phototypicam editum iri affirmant, qua adiuti de his aliisque multis fortasse certius aliquid statuere poterimus, itaque reliquas meas de ipsis sequentibus suspiciones silentio

Digitized by Google

II ἔχει τριῶν μνέων Ἀττικῶν ἐγὼ δ' οἰκέω
ἐν γῇ, τρίβωνα κἀσκέρας σαπρὰς ἕλκων,
βίῳ τιν' ἄξει τῶν ἐμῶν ἔμ' οὐ πείσας,
καὶ ταῦτα νυκτός, οἴχεθ' ἡμὶν ἀλεωρὴ
τῆς πόλιος, ἄνδρες, κἠΦ' ὁτέῳ σεμνύνεσθε,
τὴν αὐτονομίην ὑμέων Θαλῆς λύσει·
ὃν χρῆν ἑωυτόν ὅστις ἐστὶ κἠξ οἵου
πηλοῦ πεΦύρητ' εἰδόθ', ὡς ἐγώ, ζώειν
τῶν δημοτέων Φρίσσοντα καὶ τὸν ἥκιστον·
νῦν δ' οἱ μὲν εὖντες τῆς πόλιος καλυπτῆρες
καὶ τῇ γενῇ Φυσῶντες οὐκ ἴσον τούτῳ,
πρὸς τοὺς νόμους βλέπουσι, κἠμὲ τὸν ξεῖνον
οὐδεὶς πολίτης ἠλόησεν οὐδ' ἦλθεν
πρὸς τὰς θύρας μευ νυκτὸς οὐδ' ἔχων δᾷδας
τὴν οἰκίην ὑΦῆψεν οὐδὲ τῶν πορνέων
βίῳ λαβὼν οἴχωκεν· ἀλλ' ὁ Φρὺξ οὗτος,
ὁ νῦν Θαλῆς ἐών, πρόσθε δ', ἄνδρες, Ἀρτίμμης.
ἦ πάντα ταῦτ' ἔπρηξε κοὐκ ἐπῳδέσθη
οὔτε νόμον οὔτε προστάτην οὔτ' ἄρχοντα.

κε . νῆν P. [πε]νῆν Headlam. Corr. vLeeuwen. ‖ **28** ον εχρην αὐτον P. Corr. Richards, Headlam, Buecheler, ego. — τὸν R. ‖ **29** ζωιην P. ‖ **31** εοντες P. Praetuli diphthongum, ut 85. IV 44. V 16. al. ‖ **34—41** ου[δει]ς, [ο]ικιην (corr. ex οικιαν) νΦ[ηψ]εν, [βι]ωι, [κ]αυτοι expl. K. ‖ **34** πολιήτης R non male, si admiseris synizesin. Cf. vs. 8. ‖ **39** ηπαντα P. τὰ πάντα R non recte. ‖ **40** habeatne P προστατην an προστατηην ambigit K. Hoc iniuria praetulit R. Cf. 10 et 15. ‖

---

premere malui. ‖ **23** Zeugma pro τρίβωνα Φορῶν καὶ ἀσκέρας ἕλκων. Nam τρίβωνα breviorem vestem nemo ἕλκει. De calceis hic usurpatum ut VII 125. Est autem ἀσκέρα teste Polluce VII 85 ὑπόδημα λάσιον χειμῶνι χρήσιμον. Cf. Lycophr. 855 et 1322. Hipponax ἀσκερίσκος dixerat. ‖ **24** Cf. 36 sq. 65 sqq. ‖ **25** ἀλεωρή translate pro ἀσΦάλεια. ‖ **28** sq. „quam vili sit origine". Notabilis locutio. ‖ **30** τὸν ἥκιστον pro τὸν κάκιστον. Antiquior lingua novit solum ἥκιστα. ‖ **31** καλυπτῆρες proprie sunt *imbrices*, hic *patroni* metaphorice sic vocantur (R). ‖ **37** Φρύξ audiebat vilissimum quodque mancipium. Cf. Arist. Av. 1244 sq. et infra 100, III 36, V 14. ‖ **38** Ἀρτίμμης novum nomen. Cf. Ἀρτίμας Xen. Anab. VII 8, 25 et

Digitized by Google

II καίτοι λαβών μοι, γραμματεῦ, τῆς αἰκείης
τὸν νόμον ἄνειπε, καὶ σὺ τὴν ὀπὴν βῦσον
τῆς κλεψύδρης, βέλτιστε, μέχρις οὗ 'νείπῃ,
μὴ πρός τε κυσὸς φησι χὠ τάπης ἡμῖν,
τὸ τοῦ λόγου δὴ τοῦτο, λῃΐης κύρσῃ.

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ

„ἐπὴν δ' ἐλεύθερός τις αἰκίσῃ δούλην
ἢ ἐκὼν ἐπίσπῃ, τῆς δίκης τὸ τίμημα
διπλοῦν τελείτω". — ΒΑ. ταῦτ' ἔγραψε Χαιρώνδης,
ἄνδρες δικασταί, κοὐχὶ Βάτταρος χρήζων
Θαλῆν μετελθεῖν. — ΓΡ. „ἢν θύρην δέ τις κόψῃ
μνῆν τινέτω", φήσ', „ἢν δὲ πὺξ ἀλοιήσῃ
ἄλλην πάλι μνῆν". ἢν δέ γ' οἰκί' ἐμπρήσῃ
ἢ οὔρους ὑπερβῇ, χιλίας τὸ τίμημα
ἔνειμε, κἢν βλάψῃ τι, διπλόον τίνειν.
ΒΑ. ᾧκει πόλιν γάρ, ὦ Θαλῆ, σὺ δ' οὐκ οἶσθας
οὔτε πόλιν οὔτε κῶς πόλις διοικεῖται·
οἰκεῖς δὲ σήμερον μὲν ἐν Βρικινδήροις,

43 *ειπηι* P †. Hiatum vix tuetur *ὦ ἄναξ* IV 18. Ceterum ambigebam utrum *'γείπῃ* an *ἂν εἴπῃ* poeta maluerit. Sed *μέχρι οὗ* c. Coni. Thucydides semper usurpavit sine particula. Cf. III 3 sq. ‖ **44** *μη προς τε κυσος φησι* P. *μὴ πρός τ' ἄκυρον φῇ τι* R, qui deinde *Θαλῆς* scripsit pro *τάπης*. Interpretando nihilquidquam proficitur itaque verba graviter depravata videntur. Multa expertus nihil reperio quod probabile sit. ‖ **45** virgulis inclusi *τὸ — τοῦτο*. ‖ **47** *ἑ<λ>κων* R. *ἑκὼν* tuetur Richards. ‖ **51** *φησιν ην* P. ‖ **52** *πάλιν*? — *τα οικι* P †. articulum del. vLeeuwen, ut obtinuerit digamma. Cf. ms. lectio *ου ειπη* supra 43. ‖ **53** *ορους* P. ‖ **54—60** [*εν*]*ιμε*, [*ωκ*]*ι*, *ου*[*τε*], *σ*[*ικι*]*ς*, *ε*[*γ*]*ω* expl. K. ‖ **55** *οἶσθα* R. Num

---

Arr. II 14, 3⁰. ‖ **44** sq. Praegressa faciunt, ut hanc fere expectes sententiam: *ne aquae aliqua pars* (dum scriba recitat) *effluat itaque Thales nobis* (quippe quibus non satis aquae restet ad causam plene exponendam), *ut est in proverbio, praeda potiatur,* sed nihil eiusmodi e litteris traditis eruere potui satis probabiliter. Nimis enim violenter conieceris *μὴ πρόσθ' ὕδωρ ἐκρέῃ τι χὠ Θάλης ἡμῖν κτἑ.* ‖ **46** *αἰκίσῃ* ut infra *καταικίσαντα* V 12 pro verbo medio. Cf. Soph. Ant. 415. Ai. 396. Trach. 328. ‖ **54** *διπλόον* sed vs. 48 *διπλοῦν*. — *τίνειν* ut apud Homerum semper producit vocalem. Cf. 51, III 46 al. ‖ **57** *Βρικινδήροις*,

Digitized by Google

II ἐχθὲς δ' ἐν Ἀβδήροισιν, αὔριον δ', ἢν σοι
ναῦλον διδῷ τις, ἐς Φασηλίδα πλώσῃ.
ἐγὼ δ' ὅκως ἂν μὴ μακρηγορέων ὑμέας,
ὦνδρες δικασταί, τῇ παροιμίῃ τρύχω,
πέπονθα πρὸς Θαλῆτος ὅσσα χἢ 'ν πίσσῃ
μῦς· πὺξ ἐπλήγην, ἡ θύρη κατήρακται
τῆς οἰκίης μευ, τῆς τελέω τρίτην μισθόν.
τὰ ὑπέρθυρ' ὀπτά. δεῦρο, Μυρτάλη, καὶ σύ
δείξον σεωυτὴν πᾶσι· μηδὲν αἰσχύνευ·
νόμιζε τούτους οὓς ὁρῇς δικάζοντας
πατέρας, ἀδελφοὺς ἐμβλέπειν. ὁρῆτ', ἄνδρες,
τὰ τίλματ' αὐτῆς καὶ κάτωθε κἄνωθε,
ὡς λεῖα ταῦτ' ἔτιλλεν οὐναγὴς οὗτος
ὅθ' εἵλκεν αὐτὴν κἠβιάζετ'; ὦ Γῆρας,
σοὶ θυέτω, ἐπεὶ τόλμαν ἐξεφύσησεν

opus? ‖ **56** πως P. ‖ **62** κημπισσηι corr. ex καπισσηι P. ‖ **64** μισθον corr. e μοιραν (aperto glossemate) P. μισθοῦ vix recte R. ‖ **67** το[υτ]ον[ς] ους K. τοὺς R. ‖ **69** κατωθεν κανωθεν P, sed librarius prius ν delere voluisse videtur K. ‖ **70** ὐναγης (sic) P. Corr. R. ‖ **71** καβιαζετ P. ‖ **72** επ..τονμαν P. Corr. R. ‖

---

ignotum hucusque oppidum. ‖ **61** παροιμίῃ hic sign. orationem, quae rem ipsam non tangit. Phot. s. v. παροιμία — καταχρηστικῶς πᾶν τὸ παροδικὸν διήγημα. ‖ **62** notum proverbium. Cf. Zenob. V 46. Theocr. XIV 51 μῦς, Φαντί, Θυώνιχε γεύμεθα πίσσας. Vid. et [Dem.] 50, 26 ac Diog. II 64. ‖ **64** τρίτην sc. μοῖραν. Habitare συνοικίαν lenonem putat R, recte negante Nicholsonio, qui tuens μισθόν, tertiam partem eorum quae redirent e lupanari intellegit. ‖ **65** „All that lies inside the door is open to view" R. At ὑπέρθυρα s. ὑπέρθυρον est *ianuae trabs superior* et ὀπτά valet καυτά, tosta scil. incendio. Cf. 36. Quod vidit etiam Nicholson. ‖ **71** ὦ Γῆρας — Βρέγκος non intellego. Historiolam aliquam Samiam fuisse de Brenco nescio quo barbaro, qui similiter amatam sibi puellam vi abreptam vexaverit, credideris; sed nihil in his video. Neque enim supplendo Φιλήσας = ἐρασθείς multum proficitur. Miror etiam vs. 69 sq. locutionem τίλματα λεῖα ἔτιλλεν pro ὥστε λεῖον γενέσθαι τὸ σῶμα, nec τίλματα τὰ κάτωθεν ostendi poterant iudicibus, nisi nudata

Digitized by Google

II ὥσπερ Φιλ.... ἐν Σάμῳ ποθ' ὁ Βρέγκος.
γελᾷς; κίναιδός εἰμι κοὐκ ἀπαρνεῦμαι,
καὶ Βάτταρός μοι τοὔνομ' ἐστὶ χὠ πάππος
ἦν μοι Σισύμβρας χὠ πατὴρ Σισυμβρίσκος,
κἠπορνοβόσκευν πάντες· ἀλλ' ἔκητ' ἀλκῆς
θαρσέων λεηλατέοιμ' ἄν, εἰ θαλῆς εἶην.
ἐρᾷς σὺ μὲν ἴσως Μυρτάλης· οὐδὲν δεινόν,
ἐγὼ δὲ πυρῶν· ταῦτα δοὺς ἐκεῖν' ἕξεις.
ἦ νὴ Δί' εἴ σοι θάλπεταί τι τῶν ἔνδον,
ἔμβυσον ἐς τὴν χεῖρα Βαττάρῳ τιμήν,
παὐτὸς τὰ σεωυτοῦ θλῇ λαβὼν ὅκως χρῄζεις.
ἓν δ' ἔστ' ἔτ', ἄνδρες· ταῦτα μὲν γὰρ εἴρηται
πρὸς τοῦτον· ὑμεῖς ὡς ἁμαρτύρων ἐόντων
γνώμῃ δικαίῃ τὴν κρίσιν διαιτᾶτε·
ἢν δ' οἷον ἐς τὰ δοῦλα σώματα σπεύδῃ
κἠς βάσανον αἰτῇ, προσδίδωμι κἠμεωυτόν·

73 κοτο P. — Βράγχος coll. Lactant. ad Stat. Theb. VIII 198 sqq. Headlam. ‖ **76** Σίσυμβρος nescio cur R. ‖ **78** θαρσεων λε..[λεγ]οιμ αν K, λεων aut λεοι coniciens; ἐγὼ λέγοιμ' ἄν contra fidem ms. R; θαρσέω 'ν λεῷ. λέγοιμ' ἄν contra sermonis proprietatem Nicholson. Hanc plagulam corrigenti ex altera Rutherfordii editione, quam nunc ipsum ab editore mihi missam accipio, veram lectionem restituere mihi licuit. Eandem repperit vLeeuwen. — ιηι (i. e. ειηι) P. ‖ **79** συ supra vs. P, quod sane abesse numeri sinunt. — ουδεν δεινον, inserta littera quae agnosci nequit post alterum δ P. Μυρτάλῃ τῶν σῶν ἔνδον R, quod non capio. ‖ **80** επυρεον P. ἐπύρουν R. πυρῶν B. ‖ **81** σευ P. σοι R. ‖ **84** εν δ εστιν corr. ex εν δε τις P †. ‖ **85** post ὑμεῖς expunxi δ'. ‖ **87** κἢν pro ἢν nescio cur R. ‖ **88** καμαυτον P, ut 88 σαυτου. In talibus sequor R, neque amplius has aliasque

---

coram iis puella. Nota tamen est fabula de Phryne et Hyperide. ‖ **79** sq. Buecheleri recepta coniectura hanc habemus sententiam „*Tu quidem forte amas Myrtalen* (*res haud ita gravis*), *sed ego triticum* (quo onusta est tua navis): *da mihi illud et haec tua erit*". Cf. supra vs. 19. Ad generis neutrius usum vid. in ipsis sequentibus τὰ σεωυτοῦ. ‖ **81** *si quid in praecordiis tuis calet*, si *pectus tibi fervet* (liberalitate, an libidine?). ‖ **83** θλῇ *tunde*. Cf. V 41. ‖ **84** *unum dicendum mihi restat*. ‖ **86** passim apud oratores legitur γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, ubi aut leges aut testimonia deficiunt. Cf. 99 sq. ‖ **87** sq. „sin facere studet quale quid in servos lex ei permittit". ‖ **89** sq. commentarii instar est Arist.

Digitized by Google

II λαβών, Θαλῆ, στρέβλου με· μοῦνον ἡ τιμὴ
ἐν τῷ μέσῳ ἕστω. ταῦτα τρυτάνη Μίνως
οὐκ ἂν δικάζων βέλτιον διήτησε.
τὸ λοιπόν, ἄνδρες, μὴ δοκεῖτε τὴν ψῆφον
τῷ πορνοβοσκῷ Βαττάρῳ φέρειν, ἀλλά
ἅπασι τοῖς οἰκεῦσι τὴν πόλιν ξείνοις.
νῦν δείξεθ' ἡ Κῶς χὠ Μέροψ κόσον δραίνει
χὠ Θεσσαλὸς τίν' εἶχε χήρακλῆς δόξαν,
χὠσκλήπιος κῶς ἦλθεν ἐνθάδ' ἐκ Τρίκκης,
κἠτίκτε Λητοῦν ὧδε τεῦ χάριν Φοίβη.
ταῦτα σκοπεῦντες πάντα τὴν δίκην ὀρθῇ
γνώμῃ κυβερνᾶθ', ὡς ὁ Φρὺξ τανῦν ὑμῖν
πλαγεὶς ἀμείνων ἔσσετ', εἴ τι μὴ ψεῦδος
ἐκ τῶν παλαιῶν ἡ παροιμία βάζει.

formas Atticas, quas passim librarius posuit, commemorabo, non tamen mutaturus eas quae tam constanter apparent, ut ipsius poetae esse videantur. ‖ **97** *κῶς* (sic cum accentu) P. *κοτ'* R, puncto posito post *δόξαν*, non recte. ‖ **98** *ωδετεῦχαριν* P, quod quid sit vel accentus docet. *ὧδ' ἴτ' εὔχαριν* male R. Passim voces male distinguit librarius (si culpae immunis est Kenyon, quod propter autotypum dubitaveris) velut supra vs. 29 *πεφυρηται δοτ.* ‖ **100** *κυβερνατ ως* P, ut vs. 29 *εἰδοτ ως*. Saepe, praesertim ante articulum et relativa, apparet psilosis, non tamen ita crebro ut in textum admittere audeam. Vid. Praefatio.

Ran. 623 sq. ‖ **95** Mimum in Co insula doctum hinc perspexit R. Revera autem scenae destinatos fuisse mimiambos, quod Nicholson dubitare videtur, efficitur locis quales sunt III 64 VI 23 al. — Strabonem p. 653 [XIV 2, 6] cft. R. ‖ **97** Triccae in urbe Thessalica celeberrimum erat Aesculapii templum. Cf. IV 1 et Hom. B 729. ‖ **98** *ὧδε* hic more Alexandrino pro *ἐνθάδε hic*, alibi rectius pro *δεῦρο*, *huc*. ‖ **100** sq. *Φρὺξ ἀνὴρ πλαγεὶς ἀμείνων καὶ διηκονέστερος* Apost. XVII 100. ‖ **102** *ἐκ τῶν παλαιῶν a priscis inde temporibus*, nisi forte praestat interpretari *traditum a veteribus proverbium*, ut apud Theocritum XVI 33 *ἐκ πατέρων πενίην ἀκτήμονα κλαίων*.

Digitized by Google

III

ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ

ΜΗΤΡΟΤΙΜΗ

III Οὕτω τί σοι δοίησαν αἱ Φίλαι Μοῦσαι,
Λαμπρίσκε, τερπνὸν τῆς ζόης τ' ἐπαυρέσθαι,
τοῦτον κατ' ὦμου δεῖρον ἄχρις ἡ ψυχή
αὐτοῦ 'πὶ χειλέων μοῦνον ἡ κακὴ λειφθῇ.
ἔκ μευ ταλαίνης τὴν στέγην πεπόρθηκεν
χαλκίνδα παίζων (καὶ γὰρ οὐδ' ἀπαρκεῦσιν
αἱ δορκάδες, Λαμπρίσκε) συμφορῆς δ' ἤδη
ὁρμᾷ 'πὶ μέζον· κοῦ μὲν ἡ θύρη κεῖται
τοῦ γραμματίστεω (καὶ τριηκὰς ἡ πικρὴ
τὸν μισθὸν αἰτεῖ, κἢν τὰ Ναννάκου κλαύσω),
οὐκ ἂν ταχέως λέξειε· τήν γε μὴν παίστρην,
ὅκουπερ οἰκιζουσιν οἵ τε προύνικοι

AC. **3** *κάτω μοι* pueri nates intellegens vLeeuwen. Cf. II 69. Si *κατ' ὄμου* sanum, valet *ἐς τὸ νῶτον*. Vid. V 33, sed ita expectes *κατ' ὤμων*. ‖ **2** *τ'* abesse malim. ‖ **4** et **8** *επι* P. ‖ **7** *αι αστραγάλαι* P, glossema vocis *δορκάδες*, quam restituit R. ‖ **9** sq. *καὶ — κλαύσω* posui in parenthesi. ‖ **10** sq. *κἢν — παίστρην* Cottalo tributa ab R Metrotimae, correcto *λέξειε* pro *λήξιε* et revocato e ms. *γε μὴν* (*γ' ἐμὴν* R), reddidit Richards, quo facto omnia plana praeter *οἰκίζουσιν* vs. 12, quod pro *οἰκοῦσι* dici non potuit; nec tamen *οἰκέουσι* valde placet, nisi forte ita dixit hyperbolice de commorantibus ibi perpetuo. Expectatur aliquod ludendi verbum, quod tamen non reperio, nam *οἰνίζουσι* verum esse

---

AE. Hic mimus illustrat vetus dictum *ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται*. **6** adverbium *χαλκίνδα* solus habet Hesychius, qui *χαλκίνδα παίζειν* (= *χαλκίζειν*. Cf. vs. 65) explicat *εἰς χαλκὸν κυβεύειν*. Bekk. An. 116, 10 *χαλκίζειν ἀντὶ τοῦ χαλκῷ κυβεύειν*. Cf. Steph. thes. VIII, 1267 A. ‖ **9** ultimo cuiusque mensis die minerval solvendum erat. ‖ **10** De hoc proverbio cf. Zenob. VI 10. ‖ **11** *παίστρη*, nova vox, locus ubi luditur, ut *ὀρχήστρα* ubi saltatur. ‖ **12** *προύνικοι*, *baiuli*, quibuscum

Digitized by Google

III χοὶ δρηπέται, σάφ' οἶδε χἠτέρῳ δεῖξαι.
χἠ μὲν τάλαινα δέλτος, ἣν ἐγὼ κάμνω
κηροῦσ' ἑκάστου μηνός, ὀρφανὴ κεῖται
πρὸ τῆς χαμεύνης τοῦ 'πὶ τοῖχον ἑρμῖνος.
κἦν μηκέτ' αὐτὴν οἷον 'Αΐδην βλέψῃ,
γράψει μὲν οὐδὲν καλόν, ἐκ δ' ὅλην ξύσει.
αἱ δορκάδες δ' ἔτι λιπαρώτεραι πολλὸν
ἐν τῇσι Φύσῃς τοῖς τε δικτύοις κεῖνται
τῆς ληκύθου ἡμέων, τῇ 'πὶ πάντα χρώμεσθα.
ἐπίσταται δ' ἀλλ' οὐδὲ συλλαβὴν γνῶναι,
ἢν μή τις αὐτῷ τὠυτὰ πεντάκις βώσῃ.
τριτημέρῳ Μάρωνα γραμματίζοντος

nequit. Num forte ὀκλάζουσιν? ‖ **13** sq. κοι — κητεραι — κη, ut saepius in articulo et relativis apparet psilosis, P. ‖ **16** του επι P. ‖ **17** μηκοτ P, μηκέτ' R. βλέψῃ Richards pro βλεψας, vs. 18 γραψηι — ξυσηι in γράψει — ξύσει refingens. Locus fortasse nondum sanatus. Malim certe βλέψας γράφῃ τι, οὐδὲν καλόν, ἐκ δ' ὅλην ξύσει, aut βλέψῃ, γράφσει μὲν — ξύσει. R dederat βλέψας γράψῃ μέν, — ὅλον (ολην P) ξύσει. ‖ **19** δορκαλιδες contra metrum P. Corr. R. Cf. 68. δᾶι παρωτεραι P. Correxit B. ‖ **21** της corr. e τηι P. πάντα dedi pro παντι. ‖ **22** δουδ αλφα P. ἄλφ' οὐδὲ non sufficit. Dedi ἀλλ' οὐδὲ. Cf. Diphilus ap. Ath. VI 236 C. ‖ **23** ταυτα P. τὠυτὸ R. ‖ **24** τριθημεραι P. τριτήμέρῳ reliqui loci suadent. ‖

---

puer χαλκίνδα ἔπαιζε (vid. 66). Cf. Pollux VII 132. — ὀκλάζουσιν, si recte ita conieci, apte dictum de ludentibus, *conquiniscunt*. ‖ **16** verborum ordo πρὸ τοὐπὶ τοῖχον ἑρμῖνος τῆς χαμεύνης, itaque *ante lectuli fulcrum adversum parieti*, i. e. inter lectum et parietem. ‖ **17** „et si quando puer superarit letale pugillarium odium, nihil tamen pulchri scribet sed omnem ceram inde eradet". ‖ **19** sq. Talorum lusum vilipendens Cottalus, nunc τῷ χαλκίζειν deditus illos abiecerat, ita ut intra folles et retia iacentes offenderentur. Pater igitur piscator esse videtur, sed mira follium (idque plur. num.) commemoratio, miraque matris querela, quae si semel illos collegisset non amplius repperisset. Verba vix sana videntur. ‖ **21** ἐπὶ πάντα. Omne liquorum genus praeter oleum, cui proprie destinatum erat, in pauperis supellectile illud vas continebat. ‖ **22** Qui ex Marone Simonem facit peccat in syllaba. Leeuwenius putat Doricam formam litterae Σ (M) puerum induxisse in errorem, quod si ita est, in pervetusto Odysseae exemplari aliusve operis, ubi Maronis nomen non ita

Digitized by Google

III τοῦ πατρὸς αὐτῷ τὸν Μάρων' ἐποίησεν
οὗτος Σίμων' ὁ χρηστός, ὥστ' ἔγωγ' εἶπα
ἄνουν ἐμεωυτήν, ἥτις οὐκ ὄνους βόσκειν
αὐτὸν διδάσκω γραμμάτων δὲ παιδείην,
δοκεῦσ' ἀρωγὸν τῆς ἀωρίης ἔξειν.
ἐπὴν δὲ δὴ καὶ ῥῆσιν οἷα παιδίσκον
ἢ ἐγώ μιν εἰπεῖν ἢ ὁ πατὴρ ἀνώγωμεν,
γέρων ἀνὴρ ὡσίν τε κἄμμασιν κάμνων,
ἐνταῦθ' ὅκως νιν ἐκ τετρημενης ηθι
* * * *
„Ἄπολλον ἀγρεῦ, τοῦτο, Φημι, χὴ μάμμη,
τάλας, ἐρεῖ σοι — κἠστὶ γραμμάτων χήρη —
χὠ προστυχὼν Φρύξ." ἢν δὲ δή τι καὶ μέζον
γρῦξαι θέλωμεν, ἢ τριταῖος οὐκ οἶδεν
τῆς οἰκίης τὸν οὐδόν, ἀλλὰ τὴν μάμμην
γρηῦν γυναῖκα κὠρφανὴν βίου κείρει,
ἢ τοῦ τέγευς ὕπερθε τὰ σκέλεα τείνας
κάθηθ' ὅκως τις καλλίης κάτω κύπτων.
τί μευ δοκεῖς τὰ σπλάγχνα τῆς κακῆς πάσχειν
ἐπὴν ἴδω μιν; κοὐ τόσος λόγος τοῦδε,

30 επεαν P, ut saepius dedit librarius. ‖ **33** ηθι (corr. ex ιθι) P. *ενθαῦτα κοσκίνου 'κ τετρημένου σήθει* in utraque editione R, cuius coniecturae explicationem vide apud ipsum. Qua optimo iure improbata, vLeeuwen intellexit sententiam fere poscere *ὅκως ὃς ἀμπεπρημένη* [cf. Vesp. 36], ut ultimum verbum significaverit idem quod *βοᾶν*. Metro convenit *κράζει* (Cf. Arist. Eq. 287) vel *βωστρεῖ*, sed leniorem expecto medelam. Verba *γέρων — κάμνων* addita sunt, quo odiosior videretur pueri eiusmodi patrem non miserantis insolentia (cf. 39). Eodem auctore posui signa lacunae, ut exciderit, quo pertineat matris, quam R magistro tribuit, exclamatio. ‖ **34** *αγρευ* corr. ex *αυρευ* P. *ἀργεῦ* „feriarum deus", vult Crawley. Melius certe „pigrorum deus" dixisset. Sed cf. Aesch. fr. 379 et Plut. Amat. 14. Alludere videtur magister ad *ἄγριος, ferus, agrestis*. ‖ **35** *ταλης* P. Corr. R. ‖ **37** *γρύξαι* R. ‖ **43** *ἴδωμι* P.

---

rarum occurrebat, pater filiolum in legendo exercebat. Cf. Od. ι, 197. ‖ **29** i. e. *γηροτρόφον* s. *γηροβοσκόν*. Nusquam alibi *ἀωρίη* usurpatum vidi pro *γῆρας*. Inepte tamen Crawley interpretatur „carelessness". ‖ **30** *ῥῆσιν* e poeta aliquo aut scriptore. Cf. Ar. Nub. 1371, Vesp. 580. ‖ **37** *γρῦξαι* longam vocalem habere videtur, quare non *γρύξαι* dedi cum R. — i. e. *ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας λείπει τῆν οἰκίαν*. ‖ **42** i. e. *τίνα οἴει 'μὲ τὴν δειλαίαν ψυχὴν ἔχειν*; ‖

Digitized by Google

III ἀλλ' ὁ κέραμος πᾶς ὥσπερ ἵτρια θλῆται,
κἠπὴν ὁ χειμὼν ἐγγὺς ᾖ, τρὶ' ἥμαιθα
κλαίουσ' ἑκάστου τοῦ πλατύσματος τίνω.
ἓν γὰρ στόμ' ἐστὶ τῆς συνοικίης πάσης
„τοῦ Μητροτίμης ἔργα Κοττάλου ταῦτα
ἀληθίν'", ὥστε μηδ' ὀδόντα κινῆσαι.
ὄρη δ' ὁκοίως τὴν βάκιν λελέπρηκε
πᾶσαν καθ' ὕλην, οἷα Δήλιος κυρτεύς
ἐν τῇ θαλάσσῃ τὠμβλὺ τῆς ζόης τρίβων.
τὰς ἑβδόμας τ' ἄμεινον εἰκάδας τ' οἵδε
τῶν ἀστροδιΦέων, κοὐδ' ὕπνος μιν αἱρεῖται
νοεῦνθ' ὅθ' ὑμεῖς παιγνίην ἀγινεῖτε.
ἀλλ' εὖ τι σοί, Λαμπρίσκε, καὶ βίου πρῆξιν

Corr. R. — Verba *κοῦ — τοῦδε* (;) Lamprisco non recte tribuit R †. ‖ **44** *ἵτ<ρ>ια* R. ‖ **45** *ημαιθα* corr. ex *ημεθα* P. ‖ **49** *καληθιν* P. Corr. R, qui deinde pro *οδοντα ἰδόντα* vel *ἰδόντας*. — *κινῆσαι*. An *μηνῦσαι*? ‖ **50** *δοκοιως* corr. ex *δε κοιως* P. ‖ **53** *εβδομας*$^{\alpha\iota\varsigma}$ P. ‖ **55** *οτημος — αγινητε* P. Corr. R. ‖ **56** sq. *θεοί* pro *σοι* et *εἰ δὲ* pro *αι δε* temere R. Cf. vs. 71. Sed vs. 56 *εὖ* pro *ει* (P) correxit vLeeuwen, ego autem punctum (, R) posui post *κύρσαις*. Sequentia enim *μὴ — μεῖον* (quae *μὴ ἥλασσον*

---

45 *ἥμαιθα*. Hes. s. v. explicat *ἡμιωβόλιον. διώβολον παρὰ Κυζικηνοῖς*, unde hunc mimum Cyzici doctum esse, ut putat R, effici neutiquam potest. ‖ **46** *πλάτυσμα* = *πλάξ*, hic *tegula*. ‖ **49** *ὥστε μηδ' ὀδόντα κινῆσαι* (sc. *ἡ συνοικίη πᾶσα*, aedes pro iis qui eas habitant), *ut ne dentem quidem moveat*, i. e. *ut ne hiscat quidem*, si sana lectio; sin minus, coniectura mea utar ad vertendum, *ut ne si viderint* (deprenderint puerum) *quidem, faciant indicium*. ‖ **50** *βάκιν* (sc. *τῆς ῥινός*) fortasse est forma Ionica pro *βάχιν*, ut edidit R. „Nasum ita pelle nudavit, ut leprosi similis sit". Piscatoribus in mari ardenti soli expositis talem faciem fuisse nemo mirabitur. ‖ **52** *τὠμβλὺ τῆς ζόης hebetem* (i. e. tristem?) *vitam*. Mire dictum, nec tamen *τῶμισυ ζοῆς*, quod coniecit vLeeuwen, ob omissum articulum placet. Fort. *τὸ πολὺ τ. ζ.* Kenyon cft. nostri fr. ap. Stob. Flor. 116, 21 *ἤδη γὰρ αὐγὴ τῆς ζόης ἀπήμβλυνται*. ‖ **53** Septimo et vicesimo diebus cuiusque mensis, utpote Apollini sacris, schola vacabat. Cf. V 80. ‖ **54** nova vox *ἀστροδιΦέων* pro *ἀστρολόγων* s. *ἀστρονόμων*. — *αἱρεῖται* poetice pro *αἱρεῖ*. ‖ **55** *παιγνίη* hic ferias significat. ‖ **57** *αἵδε* Musae, qua-

Digitized by Google

ΙΙΙ ἐσθλὴν τελοῖεν αἵδε, κἀγαθῶν κύρσαις.
ΛΑ. μὴ μᾶσσον αὐτῷ, Μητροτίμη, ἐπεύχεσθαι,
ἔξει γὰρ οὐδὲν μεῖον. — Εὐθίης ποῦ μοι;
ποῦ Κόκκαλος; ποῦ Φίλλις; ὐ ταχέως τοῦτον
ἀρεῖτ' ἐπ' ὤμους; τῇ 'Ακέσεω σεληναίῃ;
δεῖξόν τε, σ' αἰνέω, τἄργα, Κότταλ', ἃ πρήσσεις·
οὔ σοι ἔτ' ἀπαρκεῖ τῇσι δορκάσιν παίζειν
ἄστραβδ' ὅκωσπερ οἵδε, πρὸς δὲ τὴν παίστρην
ἐν τοῖσι προυνίκοισι χαλκίζεις φοιτέων;
ἐγώ σε θήσω κοσμιώτερον κούρης,

αὐτὰ — μέζον scripta R Metrotimae continuavit) sunt Lamprisci. ‖ **58** *αυτωι* rectissime P, sed sine sensu *μηλασσον*, quod corr. Headlam. Tum metri causa scripsi *ἐπεύχεσθαι* pro eius glossemate *επευχεο*. ‖ **60** *φιλλος* P. nomen vix Graecum †. ‖ **61** *επ ωμου* †? Conicere *ἴσω μοι* ita tantum licet, si simul sumimus scenam mutari et puerum intus, non ante fores scholae vapulare, quod parum probabile puto. ‖ **63** *παιζειν* corr. e *πεμπειν* P. ‖ **64** *άστράβδ* (sic) *οκωσπερ οιδε* P. Dedit ACTPABΔ *ὅκωσπερ οἵδα* (sic scripta) Cottalo R. *Οἵδε* sunt alii pueri, qui ludentes digito monstrantur. Sed quis monstrat? Si Cottalus, *αστραβδ* fortasse corruptum ex *ἀστραγάλοις*, quod ut supra vs. 7 occupaverit locum genuinae vocis *δορκάσιν*, ut puer cum contemptu exclamaverit *δορκάσιν ὅκωσπερ οἵδε*; sin vero, cui continuavi, ludimagister, aut aliud latet aut *ἄστραβδ'* (cf. *ἀστρεπτί*) significat pueros ludo intentos nihil aliud curare. ‖ **65** *προνικοισι* P. Cf. 12. ‖ **67** *καρφοσι το γ ηδιστον* P. *καρφίου* (voluit certe *καρφίον*)

---

rum imagines in fronte scholae effictae aut pictae fuisse videntur. Cf. infra vs. 97. ‖ **58** Lampriscus quid mulier velit satis intellegens respondet ei: *Noli amplius puero imprecari, planissime enim ei satisfiet* (hij zal volstrekt niet te kort komen). ‖ **59** sq. Servorum nomina putat esse R, at non servilia sed ingenuorum videntur Εὐθίης et Φίλλις, de illo cf. IV 24. Κόκκαλος quidem servo convenire credas ob Κοκκάλη IV 19 et Κοκκαλίνην in or. c. Neaeram § 35, sed ingenui tamen nomen hic esse puto ob similitudinem cum Κόττα̣λος, quod iuxta cum illo hucusque ignorabamus. Addo parum verisimile esse pauperi magistro tres servos fuisse. Aut igitur fallor aut hic agitur de tribus Cottali condiscipulis maioribus natu aut robustioribus, quos prehendere puerum magister iusserit. ‖ **61** proverbium idem significat quod Latinum *ad Kalendas Graecas*. Explicarunt Diogen. VI 30 et Photius s. v. ‖ **62** *αἰνέω iubeo*, ut interdum in tragoedia. ‖

Digitized by Google

III κινεῦντα μηδὲ κάρφος, ἢ τόγ' ἥδιστον.
κοῦ μοι τὸ δριμὺ σχῦτος, ἡ βοὸς κέρκος,
ᾧ τοὺς πεδήτας κἀποτάκτους λωβεῦμαι;
δότω τις ἐς τὴν χεῖρα πρὶν χολὴν βῆξαι.
ΚΟ. μή, μή, ἱκετεύω, πρός σε Μουσέων, Λαμπρίσκε,
καὶ τοῦ γενείου τῆς τε Κοττίδος ψυχῆς,
μὴ τῷ με δριμεῖ, τῷ 'τέρῳ δὲ λώβησαι.
ΛΑ. ἀλλ' εἷς πονηρός, Κότταλ', ὥστε κἂν περνὰς
οὐδείς σ' ἐπαινέσειεν οὐδ' ὅκως χωρῇς.
οἱ μῦς ὁμοίως τὸν σίδηρον τρώγουσιν.
ΚΟ. κόσας, κόσας, Λαμπρίσκε, λίσσομαι, μέλλεις
ἐς μ' ἐμΦορῆσαι; — ΛΑ. μὴ 'μέ, τήνδε δ' εἰρώτα.
ΚΟ. ταταῖ, κόσας μοι δώσετ', εἴ τί σοι ζώην;
ΜΗ. Φέρειν ὅσας ἂν ἡ κακὴ σθένῃ βύρσα.
ΚΟ. παῦσαι· ἱκαναί, Λαμπρίσκε. — ΛΑ. καὶ σὺ δὴ παῦσαι
κάκ' ἔργα πρήσσων. — ΚΟ. οὐκέτ', οὐκέτι πρήξω,

τό γ' ἥκιστον, quod misere languet, R. Dedi ᾗ (confusa η et ι ut 83) τό γ' ἥδιστον, qua id quidem iucundissime fieri possit, ut cum acerba ironia addit puerum verberaturus Lampriscus. ‖ 68 σκυλος P †. Cf. var. lect. Theocr. 25, 142. ‖ 70 χολη βηξαι P. λῆξαι R. ῥῆξαι Richards, quod praetuli. ‖ 71 λαμπρισκε corr. e προσπρισκε P. Πρίσκε R, qui puerum magistri nomen et suum blandientem decurtare putat. Headlam πρός σε Μουσέων (των μ. P) Λαμπρίσκε transposuit multo rectius, nam mutilando Lamprisci nomine puer eius iram accensurus potius erat quam mitigaturus. ‖ 72 των γενειων et κοττιδος, sed utrumque correctum, P. ‖ 74 κἂν dedi pro καί, et sic Richards. ‖ 75 οκως ab alia manu in οκου mutatum P; malim χωροῖς. ‖ 78 μεν Φορησαι P. Corr. R. ‖ 79 ταται (sic P) i. e. ἀτταταῖ. Dedi ταταῖ. — ζωὴν P. ἔτι — ζώω male R. ‖ 80 Φερ$^{\text{ειν}}$ οσας et σθενηι βυρσαι sed correctum P. ‖ 82 πρηξων P. — ουκετ ουχι πρηξω corr. e παιξω P. Corr. R. ‖ 84 οσσην P †.

---

67 proverbium ἐπὶ τῶν ἡσυχίων (Diog. VI 67). Cf. supra I 54 et Arist. Lys. 474. ‖ 69 Cf. vs. 95. — Ἀπόστακτοι nove dicti sunt pueri a reliquis separati et in vincula coniecti a magistro. ‖ 71 πρός σε Μουσέων. Cf. V 9 τῶν σε γουνάτων. Nota in obsecrando structura, ut apud Horatium *per te deos oro*. ‖ 75 „ne eo quidem consilio ut abeas (veneas et sic a te liberetur)," si sana lectio. ‖ 76 *Aeque frustra mures ferrum rodunt* (ac tu animum meum precibus et blanditiis mulcere conaris). ‖ 78 ἐμΦορῆσαι dictum de verberibus ut Plut. Ant. 34, Diod. Sic. 19, 70 al. ‖ 79 ταται(ῖ) nova interiectio. ‖ 84 γλᾶσσα pro γλῶσσα constan-

Digitized by Google

ΙΙΙ ὕμνυμί σοι, Λαμπρίσκε, τὰς Φίλας Μούσας.
ΛΑ. ὅσην δὲ καὶ τὴν γλᾶσσαν, οὗτος, ἔσχηκας.
πρός σοι βαλέω τὸν μῦν τάχ', ἢν πλέω γρύξῃς.
ΚΟ. ἰδού, σιωπῶ· μή με, λίσσομαι, κτείνῃς.
ΛΑ. μέθεσθε, Κόκκαλ', αὐτόν. — ΜΗ. οὐ δέει λῆξαι,
Λαμπρίσκε, δεῖρον δ' ἄχρις ἥλιος δύνῃ.
ΛΑ. ἀλλ' ἔστιν ὕδρης ποικιλώτερος πολλῷ.
ΜΗ. καὶ δεῖ λαβεῖν μιν κἠπὶ βυβλίῳ δήκου
τὸ μηδὲν ἄλλας εἰκοσίν γε· κἢν μέλλῃ
αὐτῆς ἄμεινον τῆς Κλεοῦς ἀναγνῶναι,
ἴσθ', ἂν λάθοις τὴν γλᾶσσαν ἐς μέλι πλύνας.
ἐρέω 'πιμηθέως τῷ γέροντι, Λαμπρίσκε,
ἐλθοῦσ' ἐς οἶκον ταῦτα, καὶ πέδας ἥξω
φέρουσ', ὅκως μιν σύμποδ' ὧδε πηδεῦντα
αἱ πότνιαι βλέπωσιν ἃς ἐμίσησεν.

Cf. V 8. — ἐσχηκας corr. ex ἐσχηκε P. ‖ 85 μυν P, βοῦν coni. vLeeuwen. Utut est, intellegendus κέρκος βοός. Cf. 68. ‖ 87 ουδ εκληξαι P. οὐκ ἂν ἐκλήξαις R. Corr. Buecheler. ‖ 88 post δειρον supra vs. δ add. P. — δυσηι P †, δύῃ invito metro R. ‖ 90 καὶ — μιν Lamprisco continuat R scripto δεῖρον pro δήκου non recte. ‖ 91 το μηδεν (mutatum in μηθεν), si sanum, appositio videtur ad μιν et significare nequam istum. — και ην P. ‖ 93 ισσαι (sic) λαθοις P. Correxi ἴσθ', ἂν λάθοις. An σύγ' ἂν λ.? — ιλασσαν P. Corr. K. ‖ 97 αι..... αι βλεπωσιν ας P. Corr. Richards. Cf. R². Ego conieceram αὐ[ται θε]αὶ βλ. Male R¹ αἱ [θεαὶ παρα]βλέπωσιν, nam παραβλέπειν alienum est ab hoc loco. βλέπωσι τὰς idem, sed cf. supra vs. 62, III 4.

---

ter noster, ut 93, V 8. VIII 77, 110 al., forma Dorica (cf. πρᾶτος) hucusque incognita. — Vs. repetitus V 8. ‖ 89 Proverbium ἐπὶ τῶν δολερῶν explicatum a Paroemiographis hic sensu proprio accipiendum est, cf. V 67. ‖ 90 sq. ut stupidus puer litteras discat, quas superstitiosa mater putat scilicet caput eius intraturas esse si in libro iacens vapulaverit. — τὸ μηδὲν = τὸν οὐδενὸς ἄξιον, nequam istum. ‖ 93 nova locutio proverbialis. Videtur mulier magistro munusculum aliquod, fortasse epulas polliceri. Ad rarissimam hanc particulae conditionalis sedem cf. τί οὖν; ἂν τις εἴποι Dem. I § 19. Plut. Mor. p. 8 E, al. ‖ 94 ἐπιμηθέως. Adverbio hucusque carebamus. Significat *sero* (post factum) *consilio*. Opponitur προμηθῶς. Nos: *al is het ook wat laat*. ‖ 96 „thus all athrob (rectius „jumping" Nicholson) with feet fastbound" R. σύμπους nova vox = συνδεδεμένος τὼ πόδε.

Digitized by Google

IV

ΑΣΚΛΗΠΙΩΙ ΑΝΑΤΙΘΕΙΣΑΙ ΚΑΙ ΘΥΣΙΑΖΟΥΣΑΙ

ΓΥΝΗ Α

IV Χαίροις, ἄναξ Παίηον, ὃς μέδεις Τρίκκης
καὶ Κῶν γλυκεῖαν κἠπίδαυρον ᾤκηκας·
σὺν καὶ Κορωνὶς ἥ σ' ἔτικτε χὠπόλλων
χαίροιεν, ἧς τε χειρὶ δεξιᾷ ψαύεις
Ὑγίεια χὥνπερ οἵδε τίμιοι βωμοί,
Πανακῆ τε χαίροι κἠπιώ τε κἠησώ·
χοὶ Λεωμέδοντος οἰκίην τε καὶ τείχη
πέρσαντες, ἰητῆρες ἀγρίων νούσων,
Ποδαλείριός τε καὶ Μαχάων χαιρόντων·
χῶσοι θεοὶ σὴν ἑστίην κατοικεῦσιν
καὶ θεαί, πάτερ Παίηον, ἵλεῳ δεῦτε·
τὼλέκτορος τοῦδ', ὄντιν' οἰκίης τοῖον
κήρυκα θύω, τἀπίδορπα δέξαισθε.
οὐ γάρ τι πολλὴν οὐδ' ἕτοιμον ἀντλεῦμεν·
ἐπεὶ τάχ' ἂν βοῦν ἢ νενημένην χοῖρον
πολλῆς Φορίνης, κοὐκ ἀλέκτορ', ἰητρά

AC. **2** γλυκηαν P. ‖ **5** υγιια τε κ' ωντερ P. ‖ **6** χαίροι transposui ante κἠπιώ, ne suspectus sit verbi numerus singularis. In P leg. post κἠησώ. ‖ **11** ιλεω corr. ex ιδεω P. ‖ **12** του (corr. in τω) αλεκτορος — τοιχων P. Dedi τοῖον. ‖ **14** an πολλὸν, sc. ὕδωρ? ‖ **15** πεπλημένην? ‖ **16** πολλῇ Φορίνῃ R. — ἰητρία

AE. **1** cf. ad II 97. ‖ **2** Κῶν. Ibi in Aesculapii templo, quod in suburbio erat, haec agi intellexit R. ‖ **5** Ms. lectio Τγιια = Ὑγίεια. Cf. 20. Sed 86 et 94 sq. usurpatur altera forma Ὑγιῆ, ut vidit vLeeuwen. ‖ **6** Πανακῆ nova forma pro Πανάκεια et Ἠπιώ pro Ἠπιόνη. ‖ **12** οἰκίης τοίχων, quod habet ms., inepta foret periphrasis. Quod dedi significat *tam egregium praeconem.* ‖ **14** proverbium, sed ellipsis obscura; οὐσίην suppleri vetat ἀντλεῦμεν, cf. I 25. Vid. AC. Sententia postulatur „non enim divites sumus". ‖ **15** sq. νενημένην, si sanum, hic *plenam* s. *refertam* significans assumsit genetivum. ‖ **16** Φορίνη h. l. manifeste non, ut volgo, *cutem* sed *carnem* s. *adipem* suillam significat, und

Digitized by Google

IV νούσων ἐποιεύμεσθα, τὰς ἀπέψησας
ἐπ' ἠπίας σὺ χεῖρας, ὦ ἄναξ, τείνας.
ἐκ δεξιῆς τὸν πίνακα, Κοκκάλη, στῆσον
τῆς Ὑγιείης. — μᾶ· καλῶν, Φίλη Κυννοῖ,
ἀγαλμάτων· τίς ἦρα τὴν λίθον ταύτην
τέκτων ἐποίει καὶ τίς ἐστιν ὁ στήσας;

ΚΤΝΝΩ

οἱ Πρηξιτέλεω παῖδες· οὐχ ὁρᾷς κεῖνα
ἐν τῇ βάσει τὰ γράμματ'; Εὐθίης δ' αὐτὰ
ἔστησεν ὁ Πρήξωνος. — ΓΤ. Α'. ἵλεως εἴη
καὶ τοῖσδ' ὁ Παιὼν καὶ Εὐθίῃ καλῶν ἔργων.
ὅρη, Φίλη, τὴν παῖδα τὴν ἄνω κείνην
βλέπουσαν ἐς τὸ μῆλον· οὐκ ἐρεῖς αὐτήν,
ἢν μὴ λάβῃ τὸ μῆλον, ἐκ τάχα ψύξειν;
κεῖνον δὲ, Κυννοῖ, τὸν γέροντα; — ΚΤ. πρὸς Μοιρέων,
τὴν χηναλώπεχ' ὡς τὸ παιδίον πνίγει.
πρὸ τῶν ποδῶν γοῦν εἴ τι μὴ λίθος, τοὔργον
ἐρεῖς λαλῆσαι· μᾶ· χρόνῳ ποθ' ὤνθρωποι
κἠς τοὺς λίθους ἔξουσι τὴν ζόην θεῖναι.
ΓΤ. Α'. τὸν Βατάλης γὰρ τοῦτον οὐχ ὁρᾷς, Κυννοῖ,

(sic) P. ‖ **18** ὦ ἄναξ cum hiatu ex antiqua formula. Sine idoneo sensu ὦδ' ἄναξ R. ‖ **20** μᾶ duplicavit R, retinens Ὑγιήης. ‖ **22** ἐποει P. ‖ **26** ευθιης P. Corr. R. ‖ **29** ψυξει P. Corr. R. ‖ **33** λαλησι P. Corr. R. ‖ **36** β.β..... P. Explevi et

coniectura apud Bekk. Anecd. p. 314, 31 (*Φόρεινα σημαίνει τῶν κρεῶν τὰ ἐσθιόμενα*) post *τὰ* negationem periisse falsa esse arguitur. Vid. Steph. Thes. VIII, 1012 B. — *ἴητρα sanationis pretium*, cf. *θρέπτρα*, *λύτρα* etc.; nova vox = *ἰατρεῖα*. Miro errore R *ἰήτρ'*, *ἄν* rescripsit, sed retractavit errorem in ed. II. ‖ **17** *ἀπέψησας* proprie *detersisti* = *ἰήσω*. ‖ **18** iunge *ἐπιτείνας*. Tmesi saepius usus est H. Cf. infra 29 et 93. ‖ **19** tabula votiva, si fides titulo ΑΝΑΤΙΘΕΙCΑΙ; sin minus, patina cum offa et farinis. Cf. 91 sq. — Κοκκάλη (cf. ad III 60) novum nomen; ut Κυννώ vs. 20, cui cf. Κύννα. ‖ **21** ἦρα i. e. ἄρα = ἄρα. Cf. V 20 al. Non utitur Herodotus, sed saepius occurrit apud scriptores Hippocrateos. ‖ **23** Praxitelis filios statuarios fuisse nondum noveramus. ‖ **28** *οὐκ ἐρεῖς*; = *οὐκ ἂν εἴποις*; Mox vs. 33 *ἐρεῖς*, ubi Attice diceres *εἴπας ἄν*. Cf. etiam vs. 57 et Theocr. XV 79, 126. ‖ **31** Murray

Digitized by Google

IV ὅπως βέβηκεν ἀνδριάντα τῆς Μύστεω;
εἰ μή τις αὐτὴν εἶδε Βατάλην, βλέψας
ἐς τοῦτο τὸ εἰκόνισμα μὴ 'τέρης δείσθω.
ΚΤ. ἔπευ φίλη μοι, καὶ καλόν τί σοι δείξω
πρῆγμ', οἷον οὐχ ὥρηκας ἐξ ὅτευ ζώεις. —
Κύδιλλ', ἰοῦσα τὸν νεωκόρον βῶσον·
οὐ σοὶ λέγω αὐτῇ τῇ ὧδε χὧδε χασκούσῃ;
μᾶ, μή τιν' ὥρην ὧν λέγω πεπολῆται,
ἕστηκε δ' ἐς μ' ὀρεῦσα καρκίνου μέζον;
ἰοῦσα, Φημί, τὸν νεωκόρον βῶσον.
λαίμαστρον, οὔτ' ὀργεών σε κρηγύην οὔτε
βέβηλος αἰνεῖ, πανταχῇ δ' ἀεὶ κεῖσαι.
μαρτύρομαι, Κύδιλλα, τὸν θεὸν τοῦτον
(ὡς ἔκ με καίετ' οὐ θέλουσαν οἰδῆσαι)
μαρτύρομαι, Φήμ'. ἔσσετ' ἠμέρη κείνη,

me auctore R². — Μυττεω P †. Cf. Μύστα et Μύστις. ‖ 38 μη...ης P. Expl. vLeeuwen et Richards. μη [φαν]ῆς non apte R. ‖ 42 τηι ... χωδε χασκουσηι (sic) P. Expl. R. Cf. V 48 sq. ‖ 46 οργη σ[ε] K. ὀργεών σε Headlam, ut sensus sit *nec sacer nec profanus*, et ὀργεών sit = μύστης, quam coniecturam recepi. Cf. Hesych. ‖ 47 βεβηλος αινι P. βέβαιον εἶναι iniuria R. — δ...κισαι P. Supplevit vLeeuwen. R δ' ἀτακτῆσαι. ‖ 48 θ[εον] K. ‖ 49 καιτ ου P. καίτερ ου K, quod si verum, legendum οἴδησας. Buecheler καίετ' οὐ scil. tu et conservae tuae, nec καίεις οὐ necessarium videtur. ‖ 50 φιμι ες σε τημ[ερ]ηι κειννηι K. φημ', ἥς σε.

---

apud Kenyonem comparat Plin. N. H. XXXIV 84. Eiusmodi opera antiqua hodieque in museis asservantur. ‖ 36 *βέβηκεν*. Gradientem mulierem statua referebat. ‖ 44 *καρκίνου μέζον* cancro intentius significare videtur. Quippe oculis admodum convexis ac prominentibus hoc animal praeditum tali comparationi ansam dare potuisse videtur. Germanice *anglotzen* dixeris. Nisi forte haec verba iungenda cum sequenti *ἰοῦσα*, ut domina dicat „cancro celerius gradiens arcesse aedituum". Proverbialis enim cancri tarditas. Cf. Diog. I 56, V 96, App. III 45. Ita vero expectes *καρκίν', οὐ μέζω | ἰοῦσα — βώσῃ*; Ad *μέζω ἰοῦσα* cf. *ἴσα βαίνειν* sim. ‖ 46 *λαίμαστρον*, nova vox a λαιμάσσω, significat puellam *voracem* (eandemque segnem). — *κρηγύην probam* ut infra VI 39 *γυναικὸς — κρηγύης*. De hoc adiectivo cf. Cobet Mnem. nov. VII 30 sqq.' ‖ 50 sq. *veniet dies, quo miserum istud caput scalpes*. Minas his verbis contineri certum est,

Digitized by Google

IV ἐν ᾗ τὸ βρέγμα τοῦτο τῷζυρὸν κνήσῃ.
ΓΤ. Α'. μὴ πάνθ' ἑτοίμως καρδίᾳ 'κβάλοι, Κυννοῖ.
δούλη 'στί, δούλης δ' ὦτα νωθρίη θλίβει.
ΚΤ. ἀλλ' ἡμερη τε κἠπὶ μέζον ὠθεῖται.
ΓΤ. Α'. αὕτη σύ, μεῖνον· ἡ θύρη γὰρ ὄϊκται
κἀνεῖθ' ὁ παστός. οὐχ ὁρᾷς, Φίλη Κυννοῖ,
οἵ' ἔργα κεῖν'; — ΚΤ. ἦν· ταῦτ' ἐρεῖς Ἀθηναίην
γλύψαι τὰ καλά.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ

χαίρεθ' ὧδε, δέσποιναι.
ΓΤ. Α'. τὸν παῖδα δὴ τὸν γυμνὸν ἦν κνίσω τοῦτον,
οὐχ ἕλκος ἕξει, Κύννα, πρὸς γὰρ οἷ κεῖνται
αἱ σάρκες οἷα θερμὰ θερμὰ πηδῶσαι
ἐν τῇ σανίσκῃ, τὼργυρεῦν πύραγρον δὲ

τῇ μ.. ηι R. Correxi. ‖ 51 τωυσυρος P (litterae ος dubiae). Corr. vLeeuwen. — κνήσῃς R. ‖ 52 ετοιμως — βαλοι P. Ἕτοιμ' ὡς θέλει, ut sit interrogatio, R. Dedi 'κβάλοι. ‖ 54 ημερη τε P. ἡμέρη γε R, quod non intellego. Locum satis probabiliter emendare nequeo. ‖ 56 κἄνεῖθ (sic) P. κἄνεισ' R. ‖ 57 κεινην P. Corr. R. ‖ 58 an γράψαι? — χαιρετω δε δεσποινα P. Correxi tribuens cum R (qui in ed. II dedit χαιρέτω δέσποινα δή) aeditui. Cf. 45. ‖ 59 τὸν ante γυμνὸν om. P, add. K. — κνιγω P. κνίσω aut κνήσω (sic dedit) R. ‖ 60 Κυννί R. ‖ 61 αις αρκεσοι P. Corr. R. — θερμα alterum om. P, add. manus alia. ‖ 62 δε πὺρἄγρον (sic) P

---

sed quid domina servae minatur? Num notas fronti inurendas? Si hoc, fortasse verba intellegenda sunt de obducta vulneri nondum plane sanato cicatrice, cuius uredo faciat ut digito partes laesas scalpamus. ‖ 52 *Noli omnia prompte corde tuo effundere*, i. e. noli omnia quae ira percita cogitas statim promere et invehi in ancillam. Cf. Aesch. Agam. 1028 προφθάσασα καρδία γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει. Vid. VI 37 sq. ‖ 54 Expectatur fere haec sententia: „at vero socors est, et semper crescit eius socordia" ἐπὶ μέζον sc. τῆς ἀμελείας, tum ὠθεῖται (praecipitatur, ruit) si sanum est, usurpatum ut solet = ἐλαύνει, sed ᾗ 'μελής, quode cogitavi, vix sufficit, nec ἀνειμένη, quod Leeuwenio in mentem venit, placet ob omissum ἀλλά. ‖ 56 „et solutum est sacellum". Fortasse parvum sacellum, quod foras portabatur a pastophoris, in aedis sacrae loco secreto et bene clauso condi solebat. Quare sanum habeo verbum ἀνεῖται. E verbo γλύψαι (non γράψαι, 58)

Digitized by Google

IV οὐκ, ἦν ἴδῃ Μύελλος ἢ Παταικίσκος
ὁ Λαμπρίωνος, ἐκβαλεῦσι τὰς κούρας
δοκεῦντες ὄντως ἀργυρεῦν πεποιῆσθαι;
ὁ βοῦς δὲ χἄγων αὐτὸν ἦ θ' ὁμαρτεῦσα
χὠ γρυπὸς οὗτος χὠ ἀνάσιμος ἄνθρωπος
οὐχὶ ζόην βλέπουσι νημερτέα πάντες;
εἰ μὴ ἐδόκευν τι μέζον ἢ γυνὴ πρήσσειν,
ἀνηλάλαξ' ἄν. μή μ' ὁ βοῦς τι πημήνῃ·
οὕτω ἐπιλοξοῖ, Κυννί, τῇ 'τέρῃ κούρῃ.
ΚΤ. ἀληθίναι, Φίλη, γὰρ αἱ 'Εφεσίου χεῖρες
ἐς πάντ' 'Απέλλεω γράμματ', οὐδ' ἐρεῖς „κεῖνος

Metri causa transposui. et me auctore R². ‖ 65 ἀργύρου R, quod sane consuetius. Sed cf. Herod. II 78 in., quem locum ipse mutare non debueram. Similiter Simonides Amorg. in carmine de mulieribus vs. 21 τὴν δὲ πλάσαντες γηΐνην κτέ. ‖ 66 χο ἀγων P. ‖ 67 [αν]ασιλλος K, probum quidem vocabulum (Cf. Plut. Crass. 24), hic tamen ob γρυπός expectatur ἀνάσιμος, quod coniecit Thadwell; fortasse id voluit P¹. ‖ 68 βλέπουσιν ημερην corruptum. De coni. sanavi = ἀληθίνην. ‖ 69 ἐδοκουν P. ‖

---

videmus sacelli ornamenta (ἔργα, 57), quae describuntur 59—71, sculpta esse non picta, quod permirum ob vs. 72 sqq., ubi aperte de pictura, non de sculptura sermo est. Num igitur γράψαι illic rescribendum et σανίσκῃ (62 novum deminutivum vocis σανίς) pro tabula picta habenda est? ‖ 63 novum utrumque nomen, sed Παταικίσκος = Παταικίων ap. Bekk. An. 193, 5 et 298, 5 ὁ ἐπὶ συκοφαντίᾳ καὶ κλοπῇ καὶ τοιχωρυχίᾳ ‹περιβόητος?›. Similiter Myellum furem fuisse famosum ex h. l. discimus. ‖ 64 *cicient* (ex orbibus) *oculos* s. *pupillas*, sc. prae cupiditate. Sic vs. 71 τῇ ἑτέρῃ κούρῃ = θατέρῳ ὀφθαλμῷ. ‖ 69 Cf. VI 34. ‖ 70 i. e. ἐβόησ' ἂν ἰού, ἰού. Punctum ante μή omissum a R addidit vLeeuwen. ‖ 72 Ordo verborum ἀληθίναι γάρ, Φίλη, αἱ 'Εφεσίου 'Απέλλεω χεῖρες ἐς πάντα γράμματα. Civem igitur Ephesium Apellem vocat poeta, θέσει, ut narrant Strabo 14, 642 et Lucianus de cal. non tem. cred. c. 2, natura enim Colophonium fuisse tradit Suidas s. v. Vid. Brunn. Gesch. d. Gr. Künstler II p. 202 sqq. ‖ 73 sqq. „ille vir unum quidem novit, alterum vero ei (a dis sive a natura) denegatum est". Consummatae artis pictorem Cynno dicit, qui non tantum figuras bene delineare et pulchris coloribus ornare didicisset, sed ipsam naturae

Digitized by Google

IV ὦνθρωπος ἓν μὲν οἶδεν ἓν δ' ἀπηρνήθη''.
ἀλλ' εἰ 'πὶ νοῦν γένοιτο, καὶ θεῶν ψαύειν
ἠπείγεθ', ὃς δ' ἐκεῖνον ἢ ἔργα τἀκείνου
μὴ παμφαλήσας ἐκ δίκης ὀρώρηκεν,
ποδὸς κρέμαιτ' ἐκεῖνος ἐν γναφέως οἴκῳ.
ΝΘ. κάλ' ὑμῖν, ὦ γυναῖκες, ἐντελέως τὰ ἱρά
κὴς λῷον ἐμβλέποντα, μέζον ὡς οὔτις
ἠρέσατο τὸν Παιήον' ἤπερ οὖν ὑμεῖς.

74 ἰδεν P. εἶδεν R, qui depravatum iniuria putat ἀπηρνήθη. Correxi οἶδεν. Vid. AE. ‖ 75 ωι P, οἱ R^1, εἰ R^2 recte. Idem in proecdosi vs. 75 tribuerat alteri mulieri, nunc recte cum ms. 74—78 uni personae continuans. ‖ 76 ^{τα}εκεινου P. ‖ 77 ὀρώρηκεν R hic et V 4. VI 19, 44. Ubique dedi spiritum lenem, ut ab αἴρω fit ἀραίρηκα. ‖ 78 an ποδῶν? ‖ 80 και ες P. — μεζονα P. ‖ 83 τιν' ἐκ

---

veritatem imitatus vitam spiritumque operibus suis inflare soleret. „Qui sicubi ad eam rem se applicaret, ipsos deos tangere, i. e. deos aequiperare studebat. Quicumque vero illum aut illius opera, ait, non summa cum admiratione, qua digna sunt, aspexerit — ille pede suspendatur in fullonis officina". Verbum παμφαλᾶν lectum apud Lycophronem et citatum ex Hipponacte atque Anacreonte a scholiasta Ap. Rh. II 127 explicatur μετὰ πτοιήσεως καὶ ἐνθουσιασμοῦ ἐπιβλέπειν, formula autem nova ἐκ δίκης = δικαίως *merito*, comparanda cum ἐκ δόλου, ἐκ βίας, ἐξ ἀνάγκης sim., vix quidquam differt ab notis illis ἐν δίκῃ, σὺν δίκῃ, μετὰ δίκης. Cur addantur verba *in fullonis officina* nescio; num forte voluit poeta „suspendatur quemadmodum vestimenta in fullonica"? Sic tamen ratio suspendendi mihi quidem obscura manet. — Loco sic nunc a Rutherfordio bene constituto gravi liberamur errore, in quem necessario me induxit prioris editionis lectio ἀλλ' οἱ ἐπὶ νοῦν γένοιτο καὶ θεῶν ψαύειν. Nempe hinc concludebam etiamtum cum haec scriberentur in vivis fuisse Apellem et nondum celebratam illam Coae Veneris Anadyomenes imaginem aliosque deos deasque pinxisse, unde sequebatur Herodem hunc mimum scripsisse ante finem seculi quarti. Nunc videmus non amplius vixisse summum pictorem, nec quidquam de Herodae aetate ex hoc loco effici posse, quare quae de hoc argumento scripsi in Praefatione p. 45 adhibita nova luce corrigenda sunt. ‖ 77 Nova forma ὀρώρηκεν stabilitur locis V 4. VI 19. 44. ‖

Digitized by Google

IV ἰή, ἰὴ Παίηον, εὐμενὴς εἶης
καλοῖς ἐΦ' Ἱροῖς ταῖσδε, κεἴ τινες τῶνδε
ἔασ' ὀπυιηταί τε καὶ γενῆς ἄσσον.
ἰή, ἰὴ Παίηον, ὧδε ταῦτ' εἴη.
ΓΤ. Α'. εἴη γάρ, ὦ μέγιστε, χὐγιῇ πολλῇ
ἔλθοιμεν αὖτις, μέζον' ἴρ' ἀγινεῦσαι
σὺν ἀνδράσιν καὶ παισί. Κοκκάλη, καλῶς
τεμοῦσα μέμνεο τὸ σκελύδριον δοῦναι
τῷ νεωκόρῳ τοὔρνιθος, ἕς τε τὴν τρώγλην
τὸν πέλανον ἔνθες τοῦ δράκοντος εὐΦήμως,
καὶ ψαιστὰ δεῦσον, τἄλλα δ' οἰκίης ἔδρῃ
δαισόμεθα· κἠπὶ μὴ λάθῃ Φέρειν αὐτή.
† της υγιης λωι προσδος η γαρ ιροισιν
με . ων αμαρτιης η υγιη στι της μοιρης †.

in utraque editione R, qui **84** aeque vitiose dedit *ἐᾷς, ὀπυίηταί τε καὶ γενῇ σάσσε*. Vid AE. || **86** Si *μέγιστε* recte habet, mulier continuat preces deum compellans. Compellari aedituum ratus vLeeuwen coniecit *βέλτιστε*. — *χυγιιηι* P. || **88** *κοτταλη* P. || **89** *τεμεσσα* P et R †. || **90** *νεοκορωι* P. || **92** [ψ]*αιστὰ* R. || **93** *και επι* P. || **94** *λωι* corr. e *δωι* P. Hic et sequens vs. corrupti. Verba *αὐτή* (*αὖτη*?) — *λωι* Coccalae, sqq. mulieri primae assignat R. || **95** *με*[ζ]*ων* K, sed *με*[ſ]*ων* aequo iure suspiceris. Ita omnia in his caligant.

82—84 Verte „propitius sis — hisce mulieribus et si qui sunt harum mariti et propiores consanguinei (et illis scil.)". Ut *ἐών* et *ἐοῦσα* (*εὖσα*) et *ἔσσεται* H. usurpat, sic h. l. *ἔασι* dixit pro *εἰσί*, novum vero (nobis saltem incognitum) substantivum *ὀπυιητής* a verbo *ὀπυίειν* formatum adhibuit = *ἀνήρ*, *πόσις*. Ex Hesychio noveramus eo sensu *ὀπυιόλαι· γεγαμηκότες*. Cf. Homericum *ἐεδνωταί* N 382. || **89** *σκελύδριον* apud seriores tantum reperitur; Aristoph. Eccl. 1203 *σκελίσκος*. || **90** In Aesculapii templis sacrum serpentem ali satis notum vel e Pluto Aristophaneo. Sequentia quoque usque ad *Φέρειν* (93) perfacilia, sed reliqua aliis explicanda et emendanda relinquo.

Digitized by Google

ΙΙΙ ὄμνυμί σοι, Λαμπρίσκε, τὰς Φίλας Μούσας.
ΛΑ. ὅσην δὲ καὶ τὴν γλᾶσσαν, οὗτος, ἔσχηκας.
πρός σοι βαλέω τὸν μῦν τάχ', ἢν πλέω γρύξῃς.
ΚΟ. ἰδού, σιωπῶ· μή με, λίσσομαι, κτείνῃς.
ΛΑ. μέθεσθε, Κόκκαλ', αὐτόν. — ΜΗ. οὐ δέει λῆξαι,
Λαμπρίσκε, δεῖρον δ' ἄχρις ἥλιος δύνῃ.
ΛΑ. ἀλλ' ἔστιν ὕδρης ποικιλώτερος πολλῷ.
ΜΗ. καὶ δεῖ λαβεῖν μιν κἠπὶ βυβλίῳ δήκου
τὸ μηδὲν ἄλλας εἴκοσίν γε· κἢν μέλλῃ
αὐτῆς ἄμεινον τῆς Κλεοῦς ἀναγνῶναι,
ἴσθ', ἂν λάθοις τὴν γλᾶσσαν ἐς μέλι πλύνας.
ἐρέω 'πιμηθέως τῷ γέροντι, Λαμπρίσκε,
ἐλθοῦσ' ἐς οἶκον ταῦτα, καὶ πέδας ἥξω
φέρουσ', ὅκως μιν σύμποδ' ὧδε πηδεῦντα
αἱ πότνιαι βλέπωσιν ἃς ἐμίσησεν.

Cf. V 8. — *εσχηκας* corr. ex *εσχηκε* P. ‖ **85** *μυν* P, *βοῦν* coni. vLeeuwen. Utut est, intellegendus *κέρκος βοός*. Cf. 68. ‖ **87** *συδ εκλῆξαι* P. *οὐκ ἂν ἐκλήξαις* R. Corr. Buecheler. ‖ **88** post *δειρον* supra vs. *δ* add. P. — *δυσηι* P †, *δύῃ* invito metro R. ‖ **90** *καὶ — μιν* Lamprisco continuat R scripto *δεῖρον* pro *δηκου* non recte. ‖ **91** *το μηδεν* (mutatum in *μηθεν*), si sanum, appositio videtur ad *μιν* et significare *nequam istum*. — *και ην* P. ‖ **93** *ισσᾶι* (sic) *λαθοις* P. Correxi *ἴσθ', ἂν λάθοις*. An *σύγ' ἂν λ.*? — *ιλασσαν* P. Corr. K. ‖ **97** *αι.....αι βλεπωσιν ας* P. Corr. Richards. Cf. R². Ego conieceram *αὐ[ταὶ θε]αὶ βλ.* Male R¹ *αἱ [θεαὶ παρα]βλέπωσιν*, nam *παραβλέπειν* alienum est ab hoc loco. *βλέπωσι τὰς* idem, sed cf. supra vs. 62, III 4.

---

ter noster, ut 93, V 8. VIII 77, 110 al., forma Dorica (cf. *πρᾶτος*) hucusque incognita. — Vs. repetitus V 8. ‖ **89** Proverbium *ἐπὶ τῶν δολερῶν* explicatum a Paroemiographis hic sensu proprio accipiendum est, cf. V 67. ‖ **90** sq. ut stupidus puer litteras discat, quas superstitiosa mater putat scilicet caput eius intraturas esse si in libro iacens vapulaverit. — *τὸ μηδὲν = τὸν οὐδενὸς ἄξιον, nequam istum.* ‖ **93** nova locutio proverbialis. Videtur mulier magistro munusculum aliquod, fortasse epulas polliceri. Ad rarissimam hanc particulae conditionalis sedem cf. *τί οὖν; ἂν τις εἴποι* Dem. I § 19. Plut. Mor. p. 8 E, al. ‖ **94** *ἐπιμηθέως*. Adverbio hucusque carebamus. Significat *sero* (post factum) *consilio*. Opponitur *προμηθῶς*. Nos: *al is het ook wat laat.* ‖ **96** „thus all athrob (rectius „jumping" Nicholson) with feet fastbound" R. *σύμπους* nova vox = *συνδεδεμένος τὼ πόδε*.

Digitized by Google

IV

ΑΣΚΛΗΠΙΩΙ ΑΝΑΤΙΘΕΙΣΑΙ ΚΑΙ ΘΥΣΙΑΖΟΥΣΑΙ

ΓΥΝΗ Α

IV Χαίροις, ἄναξ Παίηον, ὃς μέδεις Τρίκκης
καὶ Κῶν γλυκεῖαν κἠπίδαυρον ᾤκησας·
σὺν καὶ Κορωνὶς ἥ σ' ἔτικτε χὠπόλλων
χαίροιεν, ἧς τε χειρὶ δεξιῇ ψαύεις
Ὑγίεια χὥνπερ οἵδε τίμιοι βωμοί,
Πανακῇ τε χαίροι κἠπιώ τε κἠησώ·
χοὶ Λεωμέδοντος οἰκίην τε καὶ τείχη
πέρσαντες, ἰητῆρες ἀγρίων νούσων,
Ποδαλείριός τε καὶ Μαχάων χαιρόντων·
χῶσοι θεοὶ σὴν ἑστίην κατοικεῦσιν
καὶ θεαί, πάτερ Παίηον, ἵλεῳ δεῦτε·
τὼλέκτορος τοῦδ', ὄντιν' οἰκίης τοῖον
κήρυκα θύω, τἀπίδορπα δέξαισθε.
οὐ γάρ τι πολλὴν οὐδ' ἕτοιμον ἀντλεῦμεν·
ἐπεὶ τάχ' ἂν βοῦν ἢ νενημένην χοῖρον
πολλῆς Φορίνης, κοὐκ ἀλέκτορ', ἰητρά

AC. **2** γλυκηαν P. ‖ **5** υγιια τε κ' ωνπερ P. ‖ **6** χαίροι transposui ante κἠπιώ, ne suspectus sit verbi numerus singularis. In P leg. post κἠησώ. ‖ **11** ιλεω corr. ex ιδεω P. ‖ **12** του (corr. in τω) αλεκτορος — τοιχων P. Dedi τοῖον. ‖ **14** an πολλὸν, sc. ὕδωρ? ‖ **15** πεπλημένην? ‖ **16** πολλῇ φορίνῃ R. — ἰητρία

AE. **1** cf. ad II 97. ‖ **2** Κῶν. Ibi in Aesculapii templo, quod in suburbio erat, haec agi intellexit R. ‖ **5** Ms. lectio Τγιια = Ὑγίεια. Cf. 20. Sed 86 et 94 sq. usurpatur altera forma Ὑγιῇ, ut vidit vLeeuwen. ‖ **6** Πανακῇ nova forma pro Πανάκεια et Ἠπιώ pro Ἠπιόνη. ‖ **12** οἰκίης τοίχων, quod habet ms., inepta foret periphrasis. Quod dedi significat *tam egregium praeconem.* ‖ **14** proverbium, sed ellipsis obscura; οὐσίην suppleri vetat ἀντλεῦμεν, cf. I 25. Vid. AC. Sententia postulatur „non enim divites sumus". ‖ **15** sq. νενημένην, si sanum, hic *plenam* s. *refertam* significans assumsit genetivum. ‖ **16** Φορίνῃ h. l. manifeste non, ut volgo, *cutem* sed *carnem* s. *adipem* suillam significat, unde

Digitized by Google

IV νούσων ἐποιεύμεσθα, τὰς ἀπέψησας
ἐπ' ἠπίας σὺ χεῖρας, ὦ ἄναξ, τείνας.
ἐκ δεξιῆς τὸν πίνακα, Κοκκάλη, στῆσον
τῆς Ὑγιείης. — μᾶ· καλῶν, Φίλη Κυννοῖ,
ἀγαλμάτων· τίς ἦρα τὴν λίθον ταύτην
τέκτων ἐποίει καὶ τίς ἐστιν ὁ στήσας;

ΚΤΝΝΩ

οἱ Πραξιτέλεω παῖδες· οὐχ ὁρᾷς κεῖνα
ἐν τῇ βάσει τὰ γράμματ'; Εὐθίης δ' αὐτὰ
ἔστησεν ὁ Πρήξωνος. — ΓΤ. Α'. ἴλεως εἴη
καὶ τοῖσδ' ὁ Παιὼν καὶ Εὐθίῃ καλῶν ἔργων.
ὄρη, Φίλη, τὴν παῖδα τὴν ἄνω κείνην
βλέπουσαν ἐς τὸ μῆλον· οὐκ ἐρεῖς αὐτήν,
ἢν μὴ λάβῃ τὸ μῆλον, ἐκ τάχα ψύξειν;
κεῖνον δὲ, Κυννοῖ, τὸν γέροντα; — ΚΤ. πρὸς Μοιρέων,
τὴν χηναλώπεχ' ὡς τὸ παιδίον πνίγει.
πρὸ τῶν ποδῶν γοῦν εἴ τι μὴ λίθος, τοὔργον
ἐρεῖς λαλῆσαι· μᾶ· χρόνῳ κοθ' ὥνθρωποι
κἠς τοὺς λίθους ἔξουσι τὴν ζόην θεῖναι.
ΓΤ. Α'. τὸν Βατάλης γὰρ τοῦτον οὐχ ὁρᾷς, Κυννοῖ,

(sic) P. ‖ **18** ὦ ἄναξ cum hiatu ex antiqua formula. Sine idoneo sensu ὦδ' ἄναξ R. ‖ **20** μᾶ duplicavit R, retinens Ὑγιείης. ‖ **22** ἔποει P. ‖ **26** εὐθιης P. Corr. R. ‖ **29** ψυξι P. Corr. R. ‖ **33** λαλησι P. Corr. R. ‖ **36** β.β..... P. Explevi et

---

coniectura apud Bekk. Anecd. p. 314, 31 (*Φόρεινα σημαίνει τῶν κρεῶν τὰ ἐσθιόμενα*) post *τὰ* negationem periisse falsa esse arguitur. Vid. Steph. Thes. VIII, 1012 B. — *ἴητρα sanationis pretium*, cf. *θρέπτρα*, *λύτρα* etc.; nova vox = *ἰατρεῖα*. Miro errore R *ἰήτρ'*, *ἄν* rescripsit, sed retractavit errorem in ed. II. ‖ **17** *ἀπέψησας* proprie *detersisti* = *ἰήσω*. ‖ **18** iunge *ἐπιτείνας*. Tmesi saepius usus est H. Cf. infra 29 et 93. ‖ **19** tabula votiva, si fides titulo ΑΝΑΤΙΘΕΙCΑΙ; sin minus, patina cum offa et farinis. Cf. 91 sq. — Κοκκάλη (cf. ad III 60) novum nomen; ut Κυννώ vs. 20, cui cf. Κύννα. ‖ **21** ἦρα i. e. ἄρα = ἄρα. Cf. V 20 al. Non utitur Herodotus, sed saepius occurrit apud scriptores Hippocrateos. ‖ **23** Praxitelis filios statuarios fuisse nondum noveramus. ‖ **28** *οὐκ ἐρεῖς*; = *οὐκ ἂν εἴποις*; Mox vs. 33 *ἐρεῖς*, ubi Attice diceres *εἴπας ἄν*. Cf. etiam vs. 57 et Theocr. XV 79, 126. ‖ **31** Murray

Digitized by Google

IV ὅκως βέβηκεν ἀνδριάντα τῆς Μύστεω;
εἰ μή τις αὐτὴν εἶδε Βατάλην, βλέψας
ἐς τοῦτο τὸ εἰκόνισμα μὴ 'τέρης δείσθω.
ΚΤ. ἔπευ φίλη μοι, καὶ καλόν τί σοι δείξω
πρῆγμ', οἷον οὐχ ὥρηκας ἐξ ὅτευ ζώεις. —
Κύδιλλ', ἰοῦσα τὸν νεωκόρον βῶσον·
οὐ σοὶ λέγω αὐτῇ τῇ ὧδε χὦδε χασκούσῃ;
μᾶ, μή τιν' ὥρην ὧν λέγω πεποίηται,
ἕστηκε δ' ἧς μ' ὀρεῦσα καρκίνου μέζον;
ἰοῦσα, φημί, τὸν νεωκόρον βῶσον.
λαίμαστρον, οὔτ' ὀργεών σε κρηγύην οὔτε
βέβηλος αἰνεῖ, πανταχῇ δ' ἀεὶ κεῖσαι.
μαρτύρομαι, Κύδιλλα, τὸν θεὸν τοῦτον
(ὡς ἔκ με καίετ' οὐ θέλουσαν οἰδῆσαι)
μαρτύρομαι, φήμ'. ἔσσετ' ἠμέρη κείνη,

me auctore R^2. — Μυττεω P †. Cf. Μύστα et Μύστις. ‖ **38** μη...ης P. Expl. vLeeuwen et Richards. μη [φων]ῆς non apte R. ‖ **42** τηι ... χωδε χασκευσηι (sic) P. Expl. R. Cf. V 48 sq. ‖ **46** οργη σ[ε] K. ὀργεών σε Headlam, ut sensus sit *nec sacer nec profanus*, et ὀργεών sit = μύστης, quam coniecturam recepi. Cf. Hesych. ‖ **47** βεβηλος αινῖ P. βέβαιον εἶναι iniuria R. — δ...κισαι P. Supplevit vLeeuwen. R δ' ἀτακτῆσαι. ‖ **48** θ[εον] K. ‖ **49** καιτ ου P. καίτερ ου K, quod si verum, legendum οἰδήσας. Buecheler καίετ' οὐ scil. tu et conservae tuae, nec καίεις οὐ necessarium videtur. ‖ **50** φιμι ες σε τημ[ερ]ηι κεινηι K. φημ', ἧς σε.

---

apud Kenyonem comparat Plin. N. H. XXXIV 84. Eiusmodi opera antiqua hodieque in museis asservantur. ‖ **36** βέβηκεν. Gradientem mulierem statua referebat. ‖ **44** καρκίνου μέζον cancro intentius significare videtur. Quippe oculis admodum convexis ac prominentibus hoc animal praeditum tali comparationi ansam dare potuisse videtur. Germanice *anglotzen* dixeris. Nisi forte haec verba iungenda cum sequenti ἰοῦσα, ut domina dicat „cancro celerius gradiens arcesse aedituum". Proverbialis enim cancri tarditas. Cf. Diog. I 56, V 96, App. III 45. Ita vero expectes καρκίν', οὐ μέζω | ἰοῦσα — βώσῃ; Ad μέζω ἰοῦσα cf. ἴσα βαίνειν sim. ‖ **46** λαίμαστρον, nova vox a λαιμάσσω, significat puellam *voracem* (eandemque segnem). — κρηγύην *probam* ut infra VI 39 γυναικὸς — κρηγύης. De hoc adiectivo cf. Cobet Mnem. nov. VII 30 sqq.' ‖ **50** sq. *veniet dies, quo miselum istud caput scalpes.* Minas his verbis contineri certum est,

Digitized by Google

ΙΥ ἐν ᾗ τὸ βρέγμα τοῦτο τῳζυρὸν κνήσῃ.
ΓΤ. Α'. μὴ πάνθ' ἑτοίμως καρδίᾳ 'κβάλοι, Κυννοῖ.
δούλη 'στί, δούλης δ' ὧτα νωθρίη θλίβει.
ΚΤ. ἀλλ' ἡμερή τε κἠπὶ μέζον ὠθεῖται.
ΓΤ. Α'. αὕτη σύ, μεῖνον· ἡ θύρη γὰρ ὤϊκται
κἀνεῖθ' ὁ παστός. οὐχ ὁρᾷς, Φίλη Κυννοῖ,
οἵ' ἔργα κεῖν'; — ΚΤ. ἦν· ταῦτ' ἐρεῖς 'Αθηναίην
γλύψαι τὰ καλά.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ

χαίρετ' ὦδε, δέσποιναι.
ΓΤ. Α'. τὸν παῖδα δὴ τὸν γυμνὸν ἦν κνίσω τοῦτον,
οὐχ ἕλκος ἕξει, Κύννα, πρὸς γὰρ οἷ κεῖνται
αἱ σάρκες οἷα θερμὰ θερμὰ πηδῶσαι
ἐν τῇ σανίσκῃ, τὠργυρεῦν πύραγρον δὲ

τῇ μ..ηι R. Correxi. ‖ **51** τωυσυρος P (litterae ος dubiae). Corr. vLeeuwen. — κνήσῃς R. ‖ **52** ετοιμως — βαλοι P. Ἑτοιμ' ὡς θέλει, ut sit interrogatio, R. Dedi 'κβάλοι. ‖ **54** ημερη τε P. ἡμέρη γε R, quod non intellego. Locum satis probabiliter emendare nequeo. ‖ **56** κᾱνεῖθ (sic) P. κἄνειτ' R. ‖ **57** κεινην P. Corr. R. ‖ **58** an γράψαι? — χαιρετω δε δεσποινα P. Correxi tribuens cum R (qui in ed. II dedit χαιρέτω δέσποινα δή) aeditui. Cf. 45. ‖ **59** τον ante γυμνὸν om. P, add. K. — κνιγω P. κνίσω aut κνήσω (sic dedit) R. ‖ **60** Κυννί R. ‖ **61** αις αρκεσσι P. Corr. R. — θερμα alterum om. P, add. manus alia. ‖ **62** δε πῦρἄγρον (sic) P

---

sed quid domina servae minatur? Num notas fronti inurendas? Si hoc, fortasse verba intellegenda sunt de obducta vulneri nondum plane sanato cicatrice, cuius uredo faciat ut digito partes laesas scalpamus. ‖ **52** *Noli omnia prompte corde tuo effundere*, i. e. noli omnia quae ira percita cogitas statim promere et invehi in ancillam. Cf. Aesch. Agam. 1028 προφθάσασα καρδία γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει. Vid. VI 37 sq. ‖ **54** Expectatur fere haec sententia: „at vero socors est, et semper crescit eius socordia" ἐπὶ μέζον sc. τῆς ἀμελείας, tum ὠθεῖται (praecipitatur, ruit) si sanum est, usurpatum ut solet = ἐλαύνει, sed ᾗ 'μελής, quode cogitavi, vix sufficit, nec ἀνειμένη, quod Leeuwenio in mentem venit, placet ob omissum ἀλλά. ‖ **56** „et solutum est sacellum". Fortasse parvum sacellum, quod foras portabatur a pastophoris, in aedis sacrae loco secreto et bene clauso condi solebat. Quare sanum habeo verbum ἀνεῖται. E verbo γλύψαι (non γράψαι, 58)

Digitized by Google

IV οὐκ, ἦν ἴδῃ Μύελλος ἢ Παταικίσκος
ὁ Λαμπρίωνος, ἐκβαλεῦσι τὰς κούρας
δοκεῦντες ὄντως ἀργυρεῦν πεποιῆσθαι;
ὁ βοῦς δὲ χἄγων αὐτὸν ἢ θ' ὁμαρτεῦσα
χὠ γρυπὸς οὗτος χὠ ἀνάσιμος ἄνθρωπος
οὐχὶ ζόην βλέπουσι νημερτέα πάντες;
εἰ μὴ ἐδόκευν τι μέζον ἢ γυνὴ πρήσσειν,
ἀνηλάλαξ' ἄν. μή μ' ὁ βοῦς τι πημήνῃ·
οὕτω ἐπιλοξοῖ, Κυννί, τῇ 'τέρῃ κούρῃ.
ΚΤ. ἀληθίναι, Φίλη, γὰρ αἱ 'Εφεσίου χεῖρες
ἐς πάντ' 'Απέλλεω γράμματ', οὐδ' ἐρεῖς „κεῖνος

Metri causa transposui. et me auctore R². ‖ 65 ἀργύρου R, quod sane consuetius. Sed cf. Herod. II 78 in., quem locum ipse mutare non debueram. Similiter Simonides Amorg. in carmine de mulieribus vs. 21 τὴν δὲ πλάσαντες γηΐνην κτέ. ‖ 66 χο ագων P. ‖ 67 [αν]αισιλλος K, probum quidem vocabulum (Cf. Plut. Crass. 24), hic tamen ob γρυπός expectatur ἀνάσιμος, quod coniecit Thadwell; fortasse id voluit P¹. ‖ 68 βλέπουσιν ημερην corruptum. De coni. sanavi = ἀληθίνην. ‖ 69 εδοκουν P. ‖

---

videmus sacelli ornamenta (ἔργα, 57), quae describuntur 59—71, sculpta esse non picta, quod permirum ob vs. 72 sqq., ubi aperte de pictura, non de sculptura sermo est. Num igitur γράψαι illic rescribendum et σανίσκῃ (62 novum deminutivum vocis σανίς) pro tabula picta habenda est? ‖ 63 novum utrumque nomen, sed Παταικίσκος = Παταικίων ap. Bekk. An. 193, 5 et 298, 5 ὁ ἐπὶ συκοφαντίᾳ καὶ κλοπῇ καὶ τοιχωρυχίᾳ ‹περιβόητος?›. Similiter Myellum furem fuisse famosum ex h. l. discimus. ‖ 64 *cicient* (ex orbibus) *oculos* s. *pupillas*, sc. prae cupiditate. Sic vs. 71 τῇ ἑτέρῃ κούρῃ = θατέρῳ ὀφθαλμῷ. ‖ 69 Cf. VI 34. ‖ 70 i. e. ἐβόησ' ἂν ἰού, ἰού. Punctum ante μή omissum a R addidit vLeeuwen. ‖ 72 Ordo verborum ἀληθίναι γάρ, Φίλη, αἱ 'Εφεσίου 'Απέλλεω χεῖρες ἐς πάντα γράμματα. Civem igitur Ephesium Apellem vocat poeta, θέσει, ut narrant Strabo 14, 642 et Lucianus de cal. non tem. cred. c. 2, natura enim Colophonium fuisse tradit Suidas s. v. Vid. Brunn. Gesch. d. Gr. Künstler II p. 202 sqq. ‖ 73 sqq. „ille vir unum quidem novit, alterum vero ei (a dis sive a natura) denegatum est". Consummatae artis pictorem Cynno dicit, qui non tantum figuras bene delineare et pulchris coloribus ornare didicisset, sed ipsam naturae

Digitized by Google

IV ὦνθρωπος ἦν μὲν οἶδεν ἓν δ' ἀπηρνήθη".
ἀλλ' εἰ 'πὶ νοῦν γένοιτο, καὶ θεῶν ψαύειν
ἠπείγεθ', ὃς δ' ἐκεῖνον ἢ ἔργα τἀκείνου
μὴ παμφαλήσας ἐκ δίκης ὁρώρηκεν,
ποδὸς κρέμαιτ' ἐκεῖνος ἐν γναφέως οἴκῳ.
NG. κάλ' ὑμίν, ὦ γυναῖκες, ἐντελέως τὰ ἱρὰ
κἠς λῷον ἐμβλέποντα, μέζον ὡς οὔτις
ἠρέσατο τὸν Παιήον' ἤπερ οὖν ὑμεῖς.

74. ιδεν P. εἶδεν R, qui depravatum iniuria putat απηρνηθη. Correxi οἶδεν. Vid. AE. ‖ 75 ωι P, οἱ R^1, εἰ R^2 recte. Idem in proecdosi vs. 75 tribuerat alteri mulieri, nunc recte cum ms. 74—78 uni personae continuans. ‖ 76 ταεκεινου P. ‖ 77 ὁρώρηκεν R hic et V 4. VI 19, 44. Ubique dedi spiritum lenem, ut ab αἴρέω fit ἀραίρηκα. ‖ 78 an ποδῶν? ‖ 80 και ες P. — μεζονῶ P. ‖ 83 τιν' ἐκ

---

veritatem imitatus vitam spiritumque operibus suis inflare soleret. „Qui sicubi ad eam rem se applicaret, ipsos deos tangere, i. e. deos aequiperare studebat. Quicumque vero illum aut illius opera, ait, non summa cum admiratione, qua digna sunt, aspexerit — ille pede suspendatur in fullonis officina". Verbum παμφαλᾶν lectum apud Lycophronem et citatum ex Hipponacte atque Anacreonte a scholiasta Ap. Rh. II 127 explicatur μετὰ πτοιήσεως καὶ ἐνθουσιασμοῦ ἐπιβλέπειν, formula autem nova ἐκ δίκης = δικαίως *merito*, comparanda cum ἐκ δόλου, ἐκ βίας, ἐξ ἀνάγκης sim., vix quidquam differt ab notis illis ἐν δίκῃ, σὺν δίκῃ, μετὰ δίκης. Cur addantur verba *in fullonis officina* nescio; num forte voluit poeta „suspendatur quemadmodum vestimenta in fullonica"? Sic tamen ratio suspendendi mihi quidem obscura manet. — Loco sic nunc a Rutherfordio bene constituto gravi liberamur errore, in quem necessario me induxit prioris editionis lectio ἀλλ' οἱ ἐπὶ νοῦν γένοιτο καὶ θεῶν ψαύειν. Nempe hinc concludebam etiamtum cum haec scriberentur in vivis fuisse Apellem et nondum celebratam illam Coae Veneris Anadyomenes imaginem aliosque deos deasque pinxisse, unde sequebatur Herodem hunc mimum scripsisse ante finem seculi quarti. Nunc videmus non amplius vixisse summum pictorem, nec quidquam de Herodae aetate ex hoc loco effici posse, quare quae de hoc argumento scripsi in Praefatione p. 45 adhibita nova luce corrigenda sunt. ‖ 77 Nova forma ὁρώρηκεν stabilitur locis V 4. VI 19. 44. ‖

Digitized by Google

IV ἰή, ἰὴ Παίηον, εὐμενὴς εἴης
καλοῖς ἐΦ' ἱροῖς ταῖσδε, κεἴ τινες τῶνδε
ἔασ' ὀπυιηταί τε καὶ γενῆς ἄσσον.
ἰή, ἰὴ Παίηον, ὧδε ταῦτ' εἴη.
ΓΤ. Α'. εἴη γάρ, ὦ μέγιστε, χὐγιῇ πολλῇ
ἔλθοιμεν αὖτις, μέζον' ἴρ' ἀγινεῦσαι
σὺν ἀνδράσιν καὶ παισί. Κοκκάλη, καλῶς
τεμοῦσα μέμνεο τὸ σκελύδριον δοῦναι
τῷ νεωκόρῳ τοὔρνιθος, ἔς τε τὴν τρώγλην
τὸν πέλανον ἔνθες τοῦ δράκοντος εὐΦήμως,
καὶ ψαιστὰ δεῦσον, τἄλλα δ' οἰκίης ἔδρῃ
δαισόμεθα· κἠπὶ μὴ λάθῃ Φέρειν αὐτή.
† της υγιης λωι προσδος η γαρ ιροισιν
με . ων αμαρτιης η υγιη στι της μοιρης †.

in utraque editione R, qui **84** aeque vitiose dedit *ἐᾷς, ὀπυίηταί τε καὶ γενῇ σάσσε*. Vid AE. || **86** Si *μέγιστε* recte habet, mulier continuat preces deum compellans. Compellari aedituum ratus vLeeuwen coniecit *βέλτιστε*. — *χυγιιηι* P. || **88** *κοτταλη* P. || **89** *τεμευσα* P et R †. || **90** *νεοκορωι* P. || **92** [ψ]*αιστὰ* R. || **93** *και επι* P. || **94** *λωι* corr. e *δωι* P. Hic et sequens vs. corrupti. Verba *αὐτή* (*αὖτη* P) — *λωι* Coccalae, sqq. mulieri primae assignat R. || **95** *με*[ζ]*ων* K, sed *με*[*ϝ*]*ων* aequo iure suspiceris. Ita omnia in his caligant.

82—84 Verte „propitius sis — hisce mulieribus et si qui sunt harum mariti et propiores consanguinei (et illis scil.)". Ut *ἐών* et *ἑοῦσα* (*εὖσα*) et *ἔσσεται* H. usurpat, sic h. l. *ἔασι* dixit pro *εἰσί*, novum vero (nobis saltem incognitum) substantivum *ὀπυιητής* a verbo *ὀπυίειν* formatum adhibuit = *ἀνήρ*, *πόσις*. Ex Hesychio noveramus eo sensu *ὀπυιδλαι· γεγαμηκότες*. Cf. Homericum *ἐεδνωταί* N 382. || **89** *σκελύδριον* apud seriores tantum reperitur; Aristoph. Eccl. 1203 *σκελίσκος*. || **90** In Aesculapii templis sacrum serpentem ali satis notum vel e Pluto Aristophaneo. Sequentia quoque usque ad *Φέρειν* (93) perfacilia, sed reliqua aliis explicanda et emendanda relinquo.

Digitized by Google

V

ΖΗΛΟΤΥΠΟΣ

ΒΙΤΙΝΝΑ

V Λέγε μοι σύ, Γάστρων· ἦρ' ὑπερκορεῖς οὕτω
ὥστ' οὐκέτ' ἀρκεῖ τἀμά σοι σκέλεα κινεῖν,
ἀλλ' Ἀμφυταίῃ τῇ Μένωνος ἔγκεισαι;

ΓΑΣΤΡΩΝ

ἐγὼ Ἀμφυταίην τὴν λέγεις ὀρώρηκα
γυναῖκα; προφάσεις πᾶσαν ἡμέρην ἔλκεις
Βίτινν'. δοῦλός εἰμι· χρῶ ὅ τι βούλῃ μοι,
καὶ μὴ τό μευ αἷμα νύκτα κἠμέρην πῖνε.
ΒΙ. ὅσην δὲ καὶ τὴν γλᾶσσαν, οὗτος, ἔσχηκας.
Κύδιλλα, κοῦ 'στὶ Πυρρίης; κάλει μοι αὐτόν.

ΠΥΡΡΙΗΣ

τί ἐστί; — ΒΙ. τοῦτον δῆσον (ἀλλ' ἔθ' ἕστηκας;),
τὴν ἱμανήθρην τοῦ κάδου ταχέως λύσας. —

AC. 1 η δ υπερκορης P †. εἷς ὑπερκορὴς R. At ὑπερκορὴς recens est admodum et ἀδόκιμον, ὑπερκορεῖν contra iam legitur apud Theognidem 1151. ‖ 4 λεγεις corr. e μενων P, qui error natus e praegr. vs. ‖ 5 προφάσεις — ἕλκεις R tribuit Bitinnae, Gastroni vLeeuwen. ‖ 6 a fine μοι addidi, quod vidit etiam Buecheler. ‖ 7 [πι]νε K. ‖ 9 κου στι corr. e που μο (μοι?) P. μ<οι> αὐτόν recte R, μοι et σοι H. non elidit, sed faciunt crasin. ‖ 11 ἱμονήθρην R,

---

AE. 2 Ipsae mulieres dicuntur αἴρειν τὼ σκέλει Ar. Pac. 854. Pronuntia σκέλη, nam tribrachyn in pede quinto H. non admittit. Cf. v. c. infra 36. ‖ 3 ἔγκεισαι. Cf. Theocr. III 33 οὕνεκ' ἐγὼ μέν | τὶν ὅλος ἔγκειμαι. ‖ 4 Posui interrogandi signum pro puncto (R), negat enim servus se rem habuisse cum Amphytaea Menonis serva (cf. 29). Novum nomen Ἀμφυταίη. ‖ 7 αἷμα — πῖνε. Cf. Soph. El. 785 sq., Ant. 531 sq. „Noli me noctes diesque misere vexare". ‖ 8 = III 84. ‖ 9 Hucusque noveramus tantum formam Κυδίλλη. ‖ 11 ἱμανήθρη vox nova = ἱμονιά. R comparavit κοιμήθρα et ἐπιβάθρα, scripsit autem ἱμονήθρην. Coll.

Digitized by Google

V ἣν μὴ καταικίσασα τῇ σ' ὅλῃ χώρῃ
παράδειγμα θῶ, μᾶ, μή με Φῇς γυναῖκ' εἶναι.
ἦρ' οὐχὶ μᾶλλον Φρύξ; ἐγὼ αἰτίη τούτων,
ἐγώ εἰμι, Γάστρων, ἥ σε θεῖσ' ἐν ἀνθρώποις·
ἀλλ' εἰ τότ' ἐξήμαρτον, οὐ ταυῦν εὖσαν
μώρην Βίτιννα, ὡς δοκεῖς, ἔθ' εὑρήσεις. —
Φέρεις σύ; δῆσον, τὴν ἀπληγίδ' ἐκδύσας.
ΓΑ. μή, μή, Βίτιννα, τῶν σε γουνάτων δεῦμαι.
ΒΙ. ἔκδυθι, Φημί. δεῖ σ', ὀτεύνεκ' εἷς δοῦλος
καὶ τρεῖς ὑπὲρ σεῦ μνέας ἔθηκα, γινώσκειν
ὡς μὴ καλῶς γένοιτο τἠμέρῃ κείνῃ
ἥτις σ' ἐσήγαγ' ὧδε. — Πυρρίη, κλαύσῃ·
ὀρέω σε δήκου πάντα μᾶλλον ἢ δεῦντα·
σύσΦιγγε τοῦς ἀγκῶνας, ἔκπρισον δήσας.
ΓΑ. Βίτινν', ἄΦες μοι τὴν ἁμαρτίην ταύτην·
ἄνθρωπός εἰμ', ἥμαρτον· ἀλλ' ἐπήν μ' αὖτις
ἕλῃς τι δρῶντα τῶν σὺ μὴ θέλῃς, στίξον.
ΒΙ. πρὸς Ἀμφυταίην ταῦτα, μὴ 'μέ, πληκτίζευ,
μεθ' ἧς ἀλινδῇ καὶ εμον. ἡ ποδόψηστρον.

vid. AE. — του corr. e τουτου P. — E ms. revocavi λύσας (λῦσον R), in parenthesi positis verbis ἀλλ' ἴθ' ἵστηκας. || 13 Φῇς pro θῇς vLeeuwen. || 14 ηρ corr. ex ερ P. || 17 μῶραν P. || 18 Φερ ῖς συ δησον (corr. e δυσον) P †. φέρων συ R. || 19 δουμαι P †. || 20 ι δουλος P. Corr. R. || 21 γινωισκιν P. || 24 ορω P. || 25 συγσΦιγγε P. || 26 αμαρτιην corr. ex -αν P. || 27 μ' add. R. || 28 θελῃις P. De coniunctivo sine ἂν apud H. dubito. An θέλεις? || 30 supplevi ποδ]όψηστρον.

ἰμάς et ἀνιμᾶν et epico ἰμᾶσαι servavi vulgatam. || 12—17 dicit Bitinna ad Gastronem, quam rem lineolis significavi. || 15 servus *res* erat, sed Gastronem amoris sui beneficio hominem fecerat domina. Hinc vs. 18 portat ἀπληγίδα, quam *laenae* speciem esse demonstrant Aristophanes in Anagyro ap. Suid. s. v. et Sophocles fr. 843. || 19 δεῦμαι mira contractio pro δέομαι. || 22 sq. *abominabilem* (execrabilem) *esse illum diem, qui te huc introduxit.* || 24 nota Atticis quoque usitatissimam verbi faciendi ellipsin. || 25 verbum simplex πρίειν simili sensu usurpat Soph. Ai. 1030. || 27 *errare humanum est.* || 29 verbum πληκτίζεσθαι peculiari sensu de amantium rixis dici videtur. Cf. Ar. Eccl. 963. || 30 ποδόψηστρον notum ex Aesch. Ag. 900.

Digitized by Google

V ΠΤ. δέδεται καλῶς σοι. — ΒΙ. μὴ λάθῃ λυθεὶς σκέψαι.
ἄγ' αὐτὸν ἐς τὸ ζήτρειον πρὸς Ἕρμωνα,
καὶ χιλίας μὲν ἐς τὸ νῶτον ἐγκόψαι
αὐτῷ κέλευσον, χιλίας δὲ τῇ γαστρί.
ΓΑ. ἀποκτενεῖς, Βίτιννα, μ' οὐδ' ἐλέγξασα,
εἴτ' ἔστ' ἀληθέα πρῶτον εἴτε καὶ ψευδέα;
ΒΙ. ἃ δ' αὐτὸς εἶπας ἄρτι τῇ ἰδίᾳ γλάσσῃ
„Βίτινν', ἄφες μοι τὴν ἁμαρτίην ταύτην" —;
ΓΑ. τήν σευ χολὴν γὰρ ἤθελον κατασβωσαι.
ΒΙ. ἕστηκας ἐμβλέπων σύ, κοὐκ ἄγεις αὐτόν
ὅκοι λέγω σοι; θλῇ, Κύδιλλα, τὸ ῥύγχος
τοῦ παντοέρκτεω τοῦδε, καὶ σύ μοι, Δρήχων,
ἤδη 'φαμάρτει ὅκοι σοι ἂν οὗτος ἡγῆται.
δώσεις τι, δούλη, τῷ κατηρήτῳ τούτῳ
ῥάκος καλύψαι τὴν ἀνώνυμον κέρκον,
ὡς μὴ δι' ἀγορῆς γυμνὸς ἐὼν θεωρῆται;
τὸ δεύτερόν σοι, Πυρρίη, πάλιν φωνέω·
ὄκως ἐρεῖς Ἕρμωνι χιλίας ὧδε

reliquam lacunam non expediens. Venit in mentem *μεθ' ἧς ἀλινδῇ* (Pap. *μεθης αλινδει*) *κατὰ νόον, ποδόψηστρον*. Cf. vs. 3. Sed aliud latet. ‖ **31** *μὴ* corr. e *μεθ* P. ‖ **32** *ζητρειον* P, sine varietate *ἄγε — ζήτρειον* affert Et. M. s. v.; *ζήτριον* metri causa R. Sed cf. *δείλαιος* et alia multa, in quibus diphthongus ante vocalem corripitur. ‖ **33** *τον νωτον* P. Corr. R. ‖ **37** *ιδιαι* P. ‖ **39** *κατασβωσαι* corruptum P. *κατασβέσσαι* R, sed epica forma a nostro aliena. *κατασταξῶσαι*, quode cum Leeuwenio cogitabam, quia de lenienda ira sermo, vix aptum, potius *καταστῆσαι*, ut dicitur *πνεῦμα καθεστηκός*. Num forte *καταψῆσαι* translato sensu, ut Polyb. II 13, 6 *καταψήσαντες καὶ πραΰναντες*? Vid. et Poll. IV 23. ‖ **41** *οκου* P †. — *οδη* P. *ὕρη* K. *σμῆ* R, sed *θλῆ* in litteris ad me datis. ‖ **42** *παντοερκτεω* P. *παντορέκτεω* R. ‖ **43** *φαμαρτι* P. *'φομάρτει* Hicks, sed vLeeuwen cft. Homericum

---

Sensu ignominioso Bitinna sic vocare videtur Gastronem. ‖ **32** Eupolis II 563 (M.) *εἰς τὸ ζήτρειον ἐμπεσών*. Theopompus II 816 *τὴν οἰκίαν ζήτρειον ἢ κακὸν μέγα*. Cf. Et. M. s. v., Poll. II 78 sq., Hesych., qui praeterea commemorat *ζητρόν· τὸν δημόκοινον*. ‖ **38** = 26. ‖ **41** Cf. VII 6 *κόπτε, Πιστέ, τὸ ῥύγχος αὐτοῦ. Inflige ei alapam.* ‖ **42** *παντορέκτης* vox non nisi apud seriores hucusque reperta, *παντοέρκτης* nusquam, quam tamen formam natam e *παντορέκτης* retinui. ‖ **45** *ἀνώνυμον, abominabilem.* Cf. VI 1. *κέρκος* = *πέος*, ut Ar. Thesm. 239. ‖ **47** Cf. 32. ‖

Digitized by Google

V καὶ χιλίας ὧδ' ἐμβαλεῖν· ἀκήκουκας;
ὡς ἤν τι τούτων τῶν λέγω παραστείξῃς,
αὐτὸς σὺ καὶ ταρχαῖα καὶ τόκους τείσεις.
βάδιζε, καὶ μὴ παρὰ τὰ Μικκάλης αὐτόν
ἄγ', ἀλλὰ τὴν ἰθεῖαν. — οὐδ' ἐπεμνήσθην·
κάλει, κάλει δραμοῦσα πρὶν μακρήν, δούλη,
αὐτοὺς γενέσθαι. — ΚΤ. Πυρρίη, τάλας, πωΦέ,
καλεῖ σε. — μᾶ· δόξει τις οὐχὶ σύνδουλον
αὐτὸν σπαράσσειν ἀλλὰ σημάτων Φῶρα.
ὁρῇς ὅκως νῦν τοῦτον ἐκ βίης ἕλκεις
ἐς τὰς ἀνάγκας, Πυρρίη; — μᾶ, μᾶ· τούτους
τοὺς δύο Κύδιλλ' ἐπόψεθ' ἡμερέων πέντε

ἁμαρτῇ. — σοι εαν P. Corr. R. ‖ **49** ακηκουκάς (sic) P. In mentem venit οὐκ ἤκουσας; sed nihil muto. Cf. κεκόλουκα, sim. ‖ **50** ων P. ‖ **51** dedi τείσεις pro τισεις. ‖ **54** δραμευσα P †. ‖ **55** αυτος P. Corr. vLeeuwen. αὐτὸν R. — Πυρρίης P. Cf. 23, 47, 59. Corr. R. ‖ **56** μᾶ — 62 Bitinnae iniuria tribuit R. Cydillae continuavi auctore vLeeuwen. — σῶ δουλον P. ‖ **57** σπαραττιν P. ‖ **59** εμα τουτοις P. μᾶ, μᾶ τούτους R. ‖ **60** Κύδιλλ' pro vocativo habet R, sed vetat sententia et ita ἐπόψε' (= εαι) scriptum oportebat, quam epicam formam H. admisisse vix credo; quare delevi quas posuit virgulas. Post hunc vs. statui lacu-

---

49 nota formam inauditam pro ἀκήκοας. ‖ **50** sensu metaphorico, ut vulgo παραβαίνειν. ‖ **51** nota articulum semel positum semel omissum. ‖ **52** Μικκάλη novum, sed cf. Μίκκαλος, Μίκα, Μικίων, Μικκαλίων al. *Praeter Miccalae aedes* (cf. Vesp. 1440, Dem. in Con. p. 1258, Theocr. II 76, V 112) „Miccala is evidently some acquaintance, whom Bitinna wishes not to know anything of her quarrel with Gastron" R. Leeuwenio παρὰ τὰ Μικκάλης videtur proverbialis locutio *ambages* significans. ‖ **53** sqq. Pyrrhias, herae minis (50 sq.) perterritus, Gastronem obtorto collo abripit ad ζήτρειον, sed mox Bitinna (iam in imo pectore pristini amatoris miserita) Pyrrhiam revocat per Cydillam, quae (56 sqq.) vehementer eum increpat, quod tam crudeliter violenterque herae iussa exequatur, quasi non conservum suum sed *bustirapum* (σημάτων Φῶρα) aliquem trahat ad supplicium. ‖ **60** sqq. Hucusque omnia plana, sed aqua mihi haeret in sequentibus, quae plane intellegerem, si Cydilla diceret *„te intra quinque dies apud Antidorum* (pistorem?) *videbo malleolis tuis terentem Achaicas*, sed si recte traditum τοὺς δύο, de duobus loquitur,

Digitized by Google

V * * * * * * * *
παρ' Ἀντιδώρῳ τὰς ἀχαϊκὰς κείνας
τὰς πρῶν ἔθηκας τοῖς σΦύροισι τρίβοντα.
BI. οὗτος σύ, τοῦτον αὖτις ὧδ' ἔχων ἥκε
δεδεμένον οὕτως ὥσπερ ἐξάγεις αὐτόν,
Κόσιν τέ μοι κέλευσον ἐλθεῖν τὸν στίκτην,
ἔχοντα ῥαΦίδας καὶ μέλαν. — μιῇ δεῖ σε

nam. Cf. AE. ‖ 62 *εθηκας* et *τριβοντα* P, *ἔθηκα* et *τρίβοντας* R, sed locum non expedio. Temptavi aliquid in AE. ‖ 63 *αυτις* corr. ex *αυθις* P. ‖

---

neque alter alius esse potest quam Drechon, qui supra vs. 42 iussus est a Bitinna Pyrrhiam comitari. Iam fac recte Rutherfordium vs. 59 *τούτους* restituisse et vs. 62 *τρίβοντας*, quod, si illa verba sana sunt nec quidquam excidit, admittere procul dubio cogimur, consentaneum est ut aut *ἔθηκας* non possit significare *exuisti*, aut poeta ineptiat dicens utrumque easdem illas compedes, quas alter nuper posuerit, intra quinque dies gestaturum esse, nisi forte putamus negligentissime eum sic locutum esse cum significare vellet: *hos ambo Cydilla intra quinque dies conspiciet in Antidori pistrina malleolis suis terentes Achaicas*, (te autem, Pyrrhia, easdem) *illas, quas nuper deposuisti*. Qualem scribendi socordiam non admittens, nullam aliam reperio viam qua his liberemur molestiis quam statuenda post vs. 60 lacuna, quae partim verba de ambobus dicta partim quae ad solum Pyrrhiam pertinerent continuerit. Verba enim *τούτους* (?) *τοὺς δύο* cur in suspicionem vocemus nulla idonea causa esse videtur.— *Ἀχαϊκαί*, vocabulum aliunde incognitum, significare compedum aliquod genus satis produnt verba *τοῖς σΦύροισι τρίβοντα*, contracta autem forma *πρῶν* = *πρῴην*, qua Callimachus quoque usus est, componenda cum forma Dorica *πρᾶν* (al. *πράν*) = *πρώαν* apud Theocritum II 115, III 32, V 81, al. ‖ 65 *στίκτης* novum substantivum. ‖ 66 acubus igitur notae inscalpebantur fronti (cf. 79) et deinde atramento inficiebantur. — *μιῇ δεῖ — ποικίλον, simul notis variegari te oportet.* Ad Gastronem denuo conversa haec dicit Bitinna. Ceterum verba *μιῇ ὀδῷ* melius expedirem, si *μιῇ — ποικίλον* Cydilla Pyrrhiae, cui succenset, diceret. Cf. 56 sqq. Sed ita num aut *δεῖ* aut *ἔδει* satis

Digitized by Google

V δδῷ γενέσθαι ποικίλον. — κατηρτήσθω
ου . ω κατα μυος ωσπερ η δαου τιμη.
ΚΤ. μὴ δῆτά γ' · ἀλλὰ νῦν μὲν αὐτόν (οὕτω σοι
ζῴη Βατυλλίς, κἠπίδοις μιν ἐλθοῦσαν
ἐς ἀνδρὸς οἶκον καὶ τέκν' ἀγκάλαις ἄραις) —
ΓΑ. ἄφες, παραιτεῦμαί σε, τὴν μίαν ταύτην
ἁμαρτίην. — ΒΙ. Κύδιλλα, μή με λυπεῖτε.
ΓΑ. ἢ φεύξομ' ἐκ τῆς οἰκίης. — ΒΙ. ἀφέω τοῦτον

68 ου[τ]ω K. Versus graviter laborat. ‖ **69** μη . ατι αλλα P. μη στιγμάτιζ' R. Lateatne μὴ δῆτά γ' ἀλλὰ an μὴ στίζε γ' ἀλλὰ ambigo. Στιγματίζειν est verbum admodum recens, et ἀλλά haud dubie sanum est. — οὕτω — ἄραις facit parenthesin, post quam Gastron (huic enim sqq. tribuo) Cydillae orationem imperfectam absolvit succlamans ἄφες — ἁμαρτίην. Sic demum intellegi potest mox pluralis λυπεῖτε. Potius sane cum Leeuwenio 69—71 Gastroni, 72 Cydillae tribuissem, nisi obstaret αὐτόν. Quid autem, si legendum ἀλλὰ νῦν μέν, ἄντομ', (οὕτω κτέ.)? Qua lectione etiam hoc lucraremur, quod ἄφες unum haberet obiectum ἁμαρτίην. — σοι corr. e σω P. ‖ **70** [ζω]ῃ Hicks. ζώοι R. ‖ **71** Idem ἄραι pro ἄραις, quod de nepotibus dictum accipio, τέκνα (Βαθυλλίδος sc.). ‖ **73** λυπιτε με P. Corr. R, qui verba ἢ — οἰκίης continuat Bitinnae, sed magis propria videntur servo, qui fugam minatur, nisi hera sibi ignoverit. Gastroni igitur tribuo. ‖ **74** sq. ἀφέω — ἐπτάδουλον Eustath. ad Hom.

---

recte haberet dubito. ‖ **67** sq. Verba κατηρτήσθω — τιμη omnem fugiunt interpretationem, quibus frustra sperabam profore verba κατὰ μυὸς ὄλεθρον, quibus Menandrum fr. 219 K. et Philemonem fr. 211 K. usum esse memineram; nec sitne ΔΑΟΤ *Davi* an aliud habeo dicere. Si sanum, fortasse Bitinna τὸ στίζεσθαι *Daci* (cf. Herod. I 125 et Strab. VII 304) *honorem* (ὡσπερεὶ Δάου τιμή) vocavit, multis enim barbaris velut Thracibus τὸ μὲν ἐστίχθαι εὐγενὲς ἐκέκριτο τὸ δὲ ἄστικτον ἀγεννές (Herod. V 6). Ita conici possit κατηρτ ύσθω [τ]ούτῳ — ὡσπερεὶ Δάου τιμή scil. ὑπὸ τοῦ στίκτου, modo καταμυος illud probabiliter emendari queat. Sed admodum dubitabundus haec scribens locum me ingeniosioribus explicandum et emendandum relinquo. Ex Davi h. l. mentione vir doctus quidam effecit cl. Ar. Ran. 200 proprium servi nomen Davum fuisse, γάστρωνα cognomentum; si vere, mireris sane Bitinnae amorem! ‖ **70** Βατυλλίς, Bitinnae filia. Cf. 82. Novum nomen, quod non cum Βάθυλλος sed cum Βάτης et Βατύς cohaerere videtur. ‖ **74** Gastron, precibus dominam non moveri putans, cum hanc ipso carere non posse probe intellegat, haec dicit. Cydillae (cui tribuit vLeeuwen) non

Digitized by Google

V τὸν ἐπτάδουλον (καὶ τίς οὐκ ἀπαντῶσ' ἄν
ἧς μευ δικαίως τὸ πρόσωπον ἐμπτύοι),
ὅς τὴν τύραννον —; ἀλλ' ἐπείπερ οὐκ οἶδεν
ἄνθρωπος ἐών, ἑωυτὸν αὐτίκ' εἰδήσει
ἐν τῷ μετώπῳ τοὐπίγραμμ' ἔχων τοῦτο.
ΚΤ. ἀλλ' ἔστιν εἰκὰς καὶ Γερήνι' ἐς πέμπτην.
ΒΙ. νῦν μέν σ' ἀφήσω καὶ ἔχε τὴν χάριν ταύτῃ,
τὴν οὐδὲν ἧσσον ἢ Βατυλλίδα στέργω,
ἐν τῇσι χερσὶ τῇς ἐμῇσι θρέψασα.
ἐπὴν δὲ τοῖς καμοῦσιν ἐγχυτλώσωμεν,
ἄξεις τόθ' ἅμ' ἐμοὶ ἔπειθ' ἑορτὴν ἐξ ἑορτῆς.

1542, 50 et 725, 35 tribuit Hipponacti, sive errat, sive ab illo sumsit Herondas. — Sqq. *καὶ* — *ἐμπτύοι* posui in parenthesi. ‖ **75** *τ[ο]ν* K. — *απαντωσα* P. Corr. R. ‖ **77** *ὅ[ς τ]ὴν* supplevi et me auctore R^2, et post *τύραννον* sumo aposiopesin. Intellege *ὑβρίζει* simileve verbum. Quo sensu R^2 *τυράννου* — scribat me fugit. ‖ **79** *το επιγραμμα* P. ‖ **81** *τὴν Χάριν ταύτῃ* temere R, qui in ed. II errorem correxit. ‖ **82** *ην* P. — *ηττον* P †. *ἧσσον* R. ‖ **85** *τοτ* P. — *αμ[ε]λι τ[ην]* Hicks. "The supplements are consistent with the visible remains of letters" K. Sed ineptus est articulus nec placet *ζ[ῶν]* dictum pro *ἕως ζήσει*. In incerta lectione aliquid audendum esse ratus, equidem legendum suspicor: *αμ[ε]μοι π[ιθ]*, i. e. *ἅμ' ἐμοὶ ἔπειθ'*, *ages tum mecum exinde festum post festum*, i. e. iucundam vitam transiges.

---

magis quam Bitinnae ea verba convenire existimo. ‖ **75** *ἐπτάδουλον*. Cf. *τρίδουλος*. ‖ **76** *ἐμπτύοι* producta paenultima sequitur usum Homericum Cf. Δ 246. Ψ 697, 781. ‖ **77** aposiopesis pulchre pingit iracundae mulieris animum furore percitum ac vesanum. ‖ **80** ad *Γερήνια* ex *ἔστιν* cogita *ἔσται*. De vicesimo mensis die cf. ad III 53. *Gerenia*, incognitus hucusque festus, celebrabantur ut videtur in honorem Gerenis, Neptuni filii, qui condidisse credebatur Lesbi oppidum *Γέρηνα* s. *Γερηνίδα*. Cf. Steph. Byz. Non improbabiliter R ibi hanc fabellam doctam esse suspicatur. Hos igitur ludos conservi sui supplicio praetendenti Cydillae (vernae puellae 83) cedit tandem Bitinna, cedere dudum parata, licet inexorabilem se simulaverit. Fore enim sperat ut Gastronis hac misericordia devincti et in gratiam secum reducti amore posthac ut ante fruatur. ‖ **84** *χύτλα* = *χοαί*, itaque *ἐγχυτλοῦν* (novum verbum) significat *χοὰς φέρειν*, sed utrum hae *τῇ εἰκάδι* an Gereniis (quod potius credo) defunctis afferrentur non diserte significatur.

Digitized by Google

VI

ΦΙΛΙΑΖΟΥΣΑΙ Η ΙΔΙΑΖΟΥΣΑΙ

ΚΟΡΙΤΤΩ

VI Κάθησο, Μητροῖ· τῇ γυναικὶ θὲς δίφρον
ἀνασταθεῖσα· πάντα δεῖ με προστάσσειν
αὐτήν, σὺ δ' οὐδὲν ἄν, τάλαινα, ποιήσαις
αὐτὴ 'πὸ σωυτῆς· μᾶ· λίθος τις, οὐ δούλη,
ἐν τῇ οἰκίῃ μευ εἶς· ἀλλὰ τἄλφιτ' ἦν μετρέω,
τὰ κρίμν' ἀμιθρεῖς, κἦν τοσοῦτ' ἀποστάξῃ,
τὴν ἡμέρην ὅλην σε τονθορύζουσαν
καὶ πρημονῶσαν οὐ φέρουσιν οἱ τοῖχοι. —
νῦν αὐτὸν ἐκμάσσεις τε καὶ ποεῖς λαμπρόν,
ὅτ' ἐστι χρείη; λῃστρί, θῦέ μοι ταύτῃ,
ἐπεί σ' ἔγευσ' ἂν τῶν ἐμῶν ἐγὼ χειρῶν.

ΜΗΤΡΩ

Φίλη Κοριττοῖ, τὠυτό μοι ζυγὸν τρίβεις·

AC. Tit. φι[λ]αζ[ο]υσαι K. ‖ 1 γυναικιδο ες P. δὲς Richards, θὲς R². ‖ 2 ἀνασταθεισ[α] 5 ultimas litteras incertas esse dicens K. ἀνασταθεῖσαν R. — προστατειν P. ‖ 4 αυτη απο σαυτης P. ‖ 5 μευ add. R. — μετρη corr. ex μετρεω P. μετρῇς R, verba ἀλλὰ — τοῖχοι tribuens servae; ego cum Leeuwenio tueor primam scripturam. ‖ 6 κη τοσουτ' αποσταξει P. κἦν τοσαῦτ' R. ‖ 7 ημε[ρη]ν K. ‖ 9 [ε]κμασσις K. — ποις P. ‖ 10 χρ[ιη] i. e. χρείη suppleui iungens ἐστι (ες τι P); idem vidit Buecheler. ἔς τι χρῄζεις male R. θυε μοι P, quod B interpretatur *gratias age mihi huic*. Mira sane locutio. ‖ 11 σ' ἔγε[υσ]' R. — χειρεων corr. P e χειρων, quod revocavi; vitium recurrit VII 3. ‖ 12 ταυτ[ο

AE. Titulum non ab ipso poeta sed a grammaticis inscriptum esse suspicor, neutrum enim verbum antiquum est. Significare videtur mulieres amice sive privatim confabulantes. ‖ **1** Cf. Theocr. XV 2 ὄρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ. ‖ **2** ἀνασταθεῖσα = ἀναστᾶσα. Sedens igitur ancilla fortasse nebat. ‖ **5** μετρέω, servis scil. ‖ **6** ἀμιθρεῖς = ἀριθμεῖς, ut apud Callimachum, [Theocr.] XIII 72, Phoenicidem ap. Athenaeum XII, p. 530 E. Cf. infra 98. — τοσοῦτ' *tantillum*, ἀποστάξῃ = ἀπορρυῇ. ‖ **7** *mussitantem*, verbum notum ex Aristophane. ‖ **8** πρημονῶσαν nova forma pro πρημαίνουσαν, *furentem*. Cf. VII 98. ‖ **9** αὐτὸν sc. τὸν δίφρον, fortasse pulvere sordidum. ‖ **10** θῦε, si sanum, = ἔχε τὴν χάριν (V 81). ‖ **12** Κοριττώ novum nomen. —

Digitized by Google

VI κἠγὼ ἐπιβρύκουσ' ἡμέρην τε καὶ νύκτα
κύων ὑλακτέω τῇς ἀνωνύμοις ταύτῃς.
ἀλλ' οὕνεκεν πρός σ' ἦλθον (ἐκποδὼν ἡμῖν
φθείρεσθε νωβυστρα, ὥτα μοῦνον καὶ γλᾶσσαι),
τα δ αλλ εορτηι λίσσομαί σε, μὴ ψεύσῃ,
Φίλη Κοριττοῖ, τίς κοτ' ἦν ὅ σευ ῥάψας
τὸν κόκκινον βαυβῶνα; — ΚΟ. κοῦ δ' ὀρώρηκας,

μοι] K. ‖ 13 επιβρυχουσα P. Corr. R. — [η]μερην K. ‖ 14 ταυ[ς] K. — ταυταις P. ‖ 15 π[ρ]ος σ [ηλθ]ον K. ‖ 16 νω βυστρα P. Conieci λωβαστρα. — ω[τα] Hicks. ‖ 17 εορτηι P. ἑορτῇς R. Ceteris laborantibus in textu nihil mutavi, nisi quod signa posui parenthesios. Tentavi ἐκποδὼν ἡμῖν | φθείρεσθε, λώβαστρ', ὥτα μοῦνον καὶ γλᾶσσαι, | τό δ' ἀνά σ' ἐρωτᾶ, λίσσομα[ι σε], μὴ ψεύσῃ. Vid. AE. Iniuria R verba ἀλλ' οὕνεκεν — ἑορτῇ (τῇς) tribuit ancillae. — λισσομα[ι σε] K. ‖ 18 σευ dubium dicit K, quare malim σοι. ‖ 19 correctum e κονκινον. ‖

---

idem mecum transtrum teris novum proverbium ductum a remigando (cf. Aesch. Ag. 1618), aut *idem iugum portas* (sed propter τρίβεις dubito), contra a trutina id quod attulit Apostolius VIII 340 ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν· ἀντὶ τοῦ τὸ δίκαιον μὴ παραβαίνειν. ‖ **13** *frendens*. Tymnas A. P. VII 933, 3 sq. ὀδόντα | ὀξὺν ἐπιβρύκουσ'. ‖ **14** = ὡς κύων noto usu. De ἀνωνύμοις cf. ad V 45. ‖ **15** sqq. Cf. AC. Locum igitur sic intellego: *sed quoniam* (*vel cuius rei gratia*) *ad te veni — in malam rem nobis procul facessite mala capita, aures tantum et linguae — hoc te rogo, obsecro autem, ne mentiaris, cara Corytto, quis tandem erat* cett.? Si recte conieci λώβαστρα, ductum a verbo Hippocrateo λωβάζω = λωβάομαι, ut IV 46 mulier ancillam novo convicio vocavit λαίμαστρον a λαιμάσσω, Metro illo vocabulo simillime utitur ac fecit Priamus Ω 239 (cf. Ap. Rhod. III 172) in filios suos invectus. Eadem *nihil praeter aures et linguas* dicit servas aucupantes dominarum sermones ut aliis evolgent, aut garrulas et insolenter responsantes. Ἀνερωτᾶν (tmesi saepe H. usus est) positum, ut saepius apud Aristophanem aliosque eadem vi qua verbum simplex. Ceterum sub verbis τα — εορτηι fortasse aliud latet quod non reperio. ‖ **19** βαυβῶνα = ὄλισβον (Ar. Lys. 109) esse coniecit H. Jackson, ut litteris mecum communicavit R. Quam suspicionem falsam esse fuse demonstrabit vLeeuwen in excursu ad h. l.; quid vox ignota significet frustra quaesivimus.

Digitized by Google

VI Μητροῖ, σὺ κεῖνον; — ΜΗ. Νοσσὶς εἶχεν ἡ Ἡρίννης
τριτημέρῳ μιν. μᾶ· καλόν τι δώρημα.
ΚΟ. Νοσσὶς κόθεν λαβοῦσα; — ΜΗ. διαβαλεῖς, ἦν σοι
εἴπω. — ΚΟ. μὰ τούτους τοὺς γλυκέας, φίλη Μητροῖ,
ἐκ τοῦ Κοριττοῦς στόματος οὐδεὶς μὴ ἀκούσῃ
ὅσ' ἂν σὺ λέξῃς. — ΜΗ. ἡ Βιτᾶτος Εὐβούλη
ἔδωκεν αὐτῇ καὶ εἶπε μηδέν' αἰσθέσθαι.
ΚΟ. γυναικες. αὕτη μ' ἡ γυνή κοτ' ἐκτρίψει.
ἐγὼ μὲν αὐτὴν λιπαρεῦσαν ᾐδέσθην,
κἤδωκα, Μητροῖ, πρόσθεν ἢ αὐτὴ χρήσασθαι,
ἡ δ' ὥσπερ εὗρημ' ἁρπάσασα δωρεῖται
καὶ τῇσι μὴ δεῖ· χαιρέτω φίλη πολλά,
ἐοῦσα τοίη, χἠτέρην τιν' ἀνθ' ἡμέων
φίλην ἀθρείτω τἄλλα. Νοσσίδι χρῆσθαι
τἠμ' ἦν διδῷ, μέζον μὲν ἢ γυνὴ πρήξω,

20 s[ι]χεν K. — ηριννης P. ἡ add. R. ‖ **21** τριθημέρῳ R, sed vid. Praefatio. — μιν pro νιν R, qui sqq. tribuit Corytto. ‖ **23** εἴπω; R vix recte. ‖ **25** ὅσσ' pro ὅσ' male R. ‖ **27** γυναικες P. γυναῖκας R. — ποτ P. — εκτριψι = -ψει, ut solet P. ἐκτρίψῃ R per interrogationem, cum K αὐτὴ μὴ scribens. Quid sibi velit γυναικες ignoro. Si vox sana est, necessario ante eam versiculus excidit, sin corrupta, non reperio quod apte simul et leniter substituam. ‖ **30** ωπερ et αρπασα P. ‖ **31** ταισι P. ‖ **33** <ἐς> τἄλλα R, sed nil opus. — Νοσσιδ[ι] χρ[ησ]θαι K. Νοσσίς· ἦν χρησθῷ non recte R. ‖ **34** τηι μη δοκεω P. De coni. mutavi. τἠμῇ, δοκέω R. — γυν[ὴ πρή]ξω R. Extremo versui superscripta correctio,

---

Ad mundum muliebrem pertinere probabile est. ‖ **22** διαβαλεῖς scil. ἐκλαλοῦσα. ‖ **23** R mente supplet θεούς, ego ob pronomen demonstrativum παῖδας, quos in conclavi adesse suspicor. Ad substantivum omissum cf. III 57 et 64. ‖ **25** novum nomen Βιτᾶς cohaeret cum aliis multis: Βίτα, Βίτος, Βίττος, Βίτων, Βιτίων, Βίττιον, Βίττις. ‖ **26** εἶπε. Subiectum Nossis potius quam Eubule esse videtur. ‖ **29** πρόσθεν ἢ = πρότερον ἢ, s. πρίν, ut Soph. O. R. 736 et 825. ‖ **33** *Nossidi mea* (sc. βαυβῶνα) *si* (Eubule) *utenda dat, maius quidem* (aliquid) *quam mulier* (quam pro spiritu muliebri) *faciam* (i. e. graves poenas mihi luet. Ad ipsa verba cf. IV 69), *sed lateam te* (tam superbe loquens), *o Adrastea* (cf. προσκυνῶ τὴν Ἀδράστειαν). *Vel si mille mihi essent* (βαυβῶνες), *ne unum quidem* (Eubulae) *veterem et obsoletum praeterea* (unum enim utendum ei dederat) *darem.* ‖

Digitized by Google

VI λάθοιμι δ', Ἀδρήστεια· χιλίων εὔντων,
ἓν' οὐκ ἂν ὅστις σακρός ἐστι προσδοίην.
ΜΗ. μὴ δή, Κοριττοῖ, τὴν χολὴν ἐπὶ ῥινός
ἔχ' ἰθύς, ἤν τι ῥῆμα μὴ σοφὸν πεύθῃ·
γυναικός ἐστι κρηγύης φέρειν πάντα·
ἐγὼ δὲ τούτων αἰτίη λαλεῦσ' εἰμί
τὰ πολλά. τήν μευ γλᾶσσαν ἐκτεμεῖν δεῖ σε.
ἐκεῖνο δ' οὔ σοι καὶ μάλιστ' ἐπεμνήσθην,
τίς ἔσθ' ὁ ῥάψας αὐτόν; εἰ Φιλεῖς μ', εἶπον·
τί μοι ἐμβλέπεις γελῶσα; νῦν ὀρώρηκας
Μητροῦν τὸ πρῶτον, ἢ τί τἀβρά σοι ταῦτα;
ἐνεύχομαι, Κοριττί, μή μέ τι ψεύσῃ,
ἀλλ' εἰπὲ τὸν ῥάψαντα. — ΚΟ. μᾶ· τί μοι ἐνεύχῃ;
Κέρδων ἔραψε. — ΜΗ. κοῖος, εἰπέ μοι, Κέρδων;
δύ' εἰσὶ γὰρ Κέρδωνες, εἷς μὲν ὁ γλαυκός,
ὁ Μυρταλίνης τῆς Κυλαιθίδος γείτων —
ΚΟ. ἀλλ' οὗτος οὐδ' ἂν πλῆκτρον ἐς λύρην ῥάψαι.
ΜΗ. ὁ δ' ἕτερος ἐγγὺς τῆς συνοικίης οἰκέων

cuius pars tantum ικτ (vel ικη) et post IV litterarum spatium υ legi potest K. ‖ **35** λαθοιμι δ αδρηστια P. Vocativus est Ἀδρήστεια. Male R λάβοι με δ' (sic) 'A. ‖ **36** σακρος corr. e λεπρος P. — προσδοιην corr. e προσδωσω optime P. προσθοίμην R. ‖ **37—39** ap. Stob. 74, 14. ‖ **37** Stob. κορη τυ et μνας. ‖ **38** ευθυς P. Corr. R. — καλον P corr. e σοφόν, quod est apud Stobaeum quoque et revocandum videtur. ‖ **41** ἤ vel καὶ ante πολλὰ add. K, ἤ R. τὰ vLeeuwen. — δεται P corruptum. δεήσει coniecit vLeeuwen, [τὰ] πολλὰ iungens cum praegressis αἰτίη εἰμί. Non male, sed potius δεῖ σε verum esse suspicor, quod scriptum δεισαι facilius in δειται (δεται de more P) corrumpi potuit. Sic igitur locum constitui. ‖ **44** μ ενβλεπτεις P. μοι R. ‖ **45** η τι ταβρα recte P. ἤ ἐστιν ἁβρά R. ‖ **46** μ επιψευσηι P †. μοι ἐπιψεύσῃ, quod aliud significat, R. ‖ **47** μα η μοι εν ευχη P †. τί pro ἤ vidit etiam B. μᾶ. μή μοι ἐνήχει R. ‖ **48** ερραψε contra metrum P †. ἔρραψε Κέρδων transp. R non male. ‖ **50** Κυλαιθίδος P. an Κυναιθίδος? Cf. ad 55. ‖ **52** οικων P. ‖ **55** . . . αιθις

---

37 sq. Theocr. I 17 sq. de Pane ἐστὶ δὲ πικρός | καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὴ ποτὶ ῥῖνα καθίζει. ‖ **39** κρηγύης. Cf. IV 46. ‖ **41** vulgo δεῖται sc. Coritto, ut seorsum haec Metro dicat? Sed licet malorum nuntiis nemo delectetur, non tamen erat cur tam vehementer Corytto amicae succenseret. Cf. AC. ‖ **45** *aut cur ista tibi superbia?* = τί ταῦτα θρύπτῃ s. ὠράζῃ; ‖ **46** ἐνεύχομαι hic et **47** = ἀντιβολῶ. Alio sensu verbum laudatur e Synesio. An forte ἐπεύχομαι (sic R) et ἐπεύχῃ sunt verae lectiones? ‖ **52** „Hermodoros is either the owner of the

Digitized by Google

VI τῆς Ἑρμοδώρου, τὴν πλατεῖαν ἐκβάντι.
ΚΟ. ἦν μέν κοτ', ἦν τὶς, ἀλλὰ νῦν γεγήρακε.
ΜΗ. τούτῳ Κυλαιθὶς ἡ μακαρῖτις ἐχρῆτο· 55
μνησθεῖεν αὐτῆς οἵτινες προσήκουσιν.
ΚΟ. οὐδέτερος αὐτῶν ἐστιν ὧν λέγεις, Μητροῖ·
ἀλλ' οὗτος οὐκ οἶδ' ἢ 'κ Χίου τις ἢ 'ρυθρέων
ἥκει· Φαλακρός, μικκός· εἶναι ἐρεῖς αὐτόν
Πρηξῖνον· οὐδ' ἂν σῦκον εἰκάσαι σύκῳ 60
ἔχοις ἂν οὕτω· πλὴν ἐπὴν λαλῇ, γνώσῃ
Κέρδων ὁτεύνεκ' ἐστὶ κοὐχὶ Πρηξῖνος.
κατ' οἰκίην δ' ἐργάζετ' ἐμπολέων λάθρῃ·
τοὺς γὰρ τελώνας πᾶσα νῦν θύρη Φρίσσει.
ἀλλ' ἔργ' ὁκοῖ ἔστ'· ἔργα τῆς Ἀθηναίης 65
αὐτῆς ὁρᾶν, τὰς χεῖρας οὐχὶ Κέρδωνος
δόξεις .... εν· δύο γὰρ ἤλθ' ἔχων, Μητροῖ.

P. [Κυν]αιθίς R. ‖ **57** εστιν ως P †. ἐστὶ τοὺς R. ἐστὶ τῶν non est necessarium. Cf. ad III 97. ‖ **58** οιδ η χιου τις ηρυθρεων P †. οἶδα ἢ ἐκ Χίου ἢ Ἐρυθρέων R. ‖ **59** μικκος αυτο ερις ιναι P. Correxit vLeeuwen. μικκός ἐστ'· ἐρεῖς εἶναι R. ‖ **60** ικασαις P. εἰκάσαις, mutato οὐδ' in ὡς δ', non recte R. ‖ **61** [ουτ]ω K. — γνωσῃ recte P. γνώσει R. ‖ **63** κατοικειν P. Corr. R. — εντολεων P ‖ **65** οκοι εστ P, sed incertam esse lectionem, imprimis litteras οι ε, monet K. ‖ **67** .... εν (aut ειν) P. ἐκεῖνα R, quod nec spatio nec sententiae satis convenit. Post τὰς χεῖρας expectatur Infinitivus, velut ποιῆσαι. Aptum foret [περῆ]ναι, sed ita pap. non εν, sed

---

συνοικία or the owner's agent — either δεσπότης, ναύκληρος or στέγαρχος, στεγανόμος" R. Illud longe probabilius. ‖ **54** „erat quondam *aliquis*, i. e. bonus artifex". Propter emphasin accentu donavi pronomen indefinitum. ‖ **55** de anapaesto in voce μακαρῖτις, ut saepe in nominibus propriis, monuit R. ‖ **62** ὁτεύνεκα noto usu = ὅτι. ‖ **63** „Cerdon did not sent his goods to market, but sold them in his workshop. The ἐμπολῆς were middlemen, who had to pay a tax ἔπωνον on every thing sold" R. Noli tamen ἐμπολέων habere pro genetivo suspenso a λάθρῃ, sed pro participio. Apparet enim e sequenti vs. eum vendidisse clam publicanis, de quibus R conferri iussit Polluc. IX 32. ‖ **65** ὁκοῖ = οἷα. [Theocr.] XX 6 οἷα βλέπεις, ὁπποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις. Sed cf. AC. Infra VII 18 οἵ' ἔργ' ἐπόψεσθ'. Num forte ἀλλ' ἔργ[α κάλ'] ἐστ'? ‖ **66** de hoc usu

Digitized by Google

VI ἰδοῦσα μ....τῶμματ' ἐξεκύμηνα·
τὰ βάλλι' οὕτως ἄνδρες οὐχὶ ποιεῦσι
— αὐταὶ γὰρ ἴδμεν — ὀρθά· κοὐ μοῦνον τοῦτο,
ἀλλ' ἡ μαλακότης ὕπνος, οἱ δ' ἰμαντίσκοι
ἔρι', οὐχ ἱμάντες· εὐνοέστερον σκυτέα
γυναικὶ διφῶσ' ἄλλον οὐκ ἂν εὑρίσκοις.
ΜΗ. κῶς οὖν ἀφῆκας τὸν ἕτερον; — ΚΟ. τί δ' οὐ, Μητροῖ,
ἔπρηξα; κοίην δ' οὐ προσήγαγον πειθοῦν
αὐτῷ, φιλεῦσα, τὸ φαλακρὸν καταψῶσα,
γλυκὺν πιεῖν ἐγχεῦσα, ταταλίζουσα,
τὸ σῶμα μοῦνον οὐχὶ δοῦσα χρήσασθαι;
ΜΗ. ἀλλ' εἴ σε καὶ τοῦτ' ἠξίωσ', ἔδει δοῦναι.
ΚΟ. ἔδει γάρ, ἀλλὰ καιρὸν οὐ πρέποντ' εἶχον,

νε = ναι habere suspiceris. Cf. AC. VII 58. Sed fortasse sufficit [περαίν]ειν. ‖ **68** μ[ᾶ, μεν] R. δ'[ἰθὺς] vLeeuwen. ‖ **69** βάλλι' aut novum aut corruptum. ‖ **70** αὐταὶ γαρ [ἴδμεν] supplevi; quinque enim puncta posuit K. Prius coll. Ar. Thesm. 472 et Ach. 504 supplebam ἐσμεν, et nunc me auctore R². Sed repudiata Angli coniectura de βαυβᾶνος significatione huic formulae vix locus est. — μονον P. Corr. R. ‖ **72** ἰμ[αντες] R. ‖ **73** ευρ[ο]ις K. ἐξεύροις R. εὑρίσκοις B. ‖ **74** [τ]ι K. ‖ **77** ταταλιζουσα Hicksii deberi coniecturae, sed ζ non plane certum esse dicit K. τάτα λάσκουσα contra metrum R. τάτα κλείζουσα? ‖ **80** ιναι P. Dedi εἶχον. ‖ **81** ηληθεν P. ‖ **84** τετρωβολο[υ]

---

vocis χείρ cf. IV 27. ‖ **68** ἐξεκύμηνα intransitive, ut ἐκύμηνε I 56. ‖ **69** quid τὰ βάλλια significet licet ignoremus, dubium non est quin cum obscuro isto baubone cohaereat. *Mortales* (ἄνδρες = ἄνθρωποι, oppositi deae Minervae vs. 65) *non aeque bona ... faciunt, ipsa enim* (usu comperta) *novi* Corytto dicere videtur. ‖ **71** cf. Theocrit. V 51 et XV 125 et notum somni epitheton μαλακός. — ἱμαντίσκοι novum deminutivum. Hucusque noveramus ἱμαντάριον, ἱμαντίον, ἱμαντίδιον. ‖ **72** εὐνοέστερον, ut Herodot. V 24. ‖ **73** διφῶσα = ζητοῦσα. Cf. ἐξεδίφησας VII 78 et ἀστροδιφέων III 54. ‖ **77** ταταλίζουσα pugnat cum analogia verborum πατερίζειν, ἀδελφίζειν, παππίζειν s. παππάζειν, al. habetque, ni fallor, primum α breve, ut τάτα A. P. XI 67, 4, ita ut saltem τατταλίζουσα expectes. Quod conieci κλεΐζουσα pro κλᾴζουσα scribi potuit, ut infra VII 64 est χρεΐζεις. ‖ **80** Papyri lectio ιναι, i. e. εἶναι, non sic potest defendi, ut habeatur pro infinitivo exclamandi; ita enim μή, non οὐ, scriptum oportuit. ‖

Digitized by Google

VI ἦλθεν γὰρ ἡ Βιτᾶτος ἐν μέσῳ δούλη.
αὕτη γὰρ ἡμέων ἡμέρην τε καὶ νύκτα
τρίβουσα τὸν ὄνον σκωρίην πεποίηκεν,
ὅκως τὸν ὠυτῆς μὴ τετρωβόλου κόψῃ.
ΜΗ. κῶς δ' οὗτος εὗρε πρός σε τὴν ὁδὸν ταύτην, 85
Φίλη Κοριττοῖ; μηδὲ τοῦτό με ψεύσῃ.
ΚΟ. ἔπεμψεν αὐτὸν Ἀρτέμις ἡ Κανδᾶτος
τοῦ βυρσοδέψεω, τὴν στέγην σημήνασα.
ΜΗ. δίει μὲν Ἀρτέμις τι καινὸν εὑρήσει

K. — κοψηι P, an κόψει? ‖ 86 ψευσ[ηι] K. ‖ 87 Κανδατ[σ]ς. Tres ultimae litterae incertae P. Κανδάτου R. An Κανδαύλου? Cf. ad VII 29. ‖ 89 δίει P, ΔΙCΙ,

---

81 sqq. dicitur Bitatis (qui Eubulae pater erat, cf. supra 25) ancilla Coryttus sive *fusum* sive potius *lapidem molarem* (uterque ὄνος audit, sed τὸ κόπτειν illi vix convenit) dies noctesque torquendo totum perdidisse, ita ut mera restaret scoria (σκωρίην πεποίηκεν), eo consilio ne suum ipsius, usu iam obsoletum, tundendo reficiendum curaret. Haec superveniens impedivit quominus Coritto corpus suum utendum praeberet Cerdoni. Miror tamen servam alienam perpetuo Coryttus sive colo sive mola utentem. Fuit sane qui haud inepte coll. vs. 25 pro δούλη coniceret Εὐβούλη. ‖ 87 Ἀρτέμις hic et infra vs. 94 permire ultimam producit syllabam. Cf. tamen Ἀρτεμῖσία. — Nec Κανδᾶς nec Κανδάτης hucusque repertum. Quia vero et hic et VII 29 lectio incerta est teste K, fieri potest ut hic Κανδαύλου, illic Κανδαύλης (nomen notissimum) vera sit scriptura. ‖ 89 sq. Hunc locum, quem sine successu variis modis tentavi, nequeo certa ratione interpretari; προκυκλίη, vox nova, procul dubio cohaeret cum πρόκυκλις = μάστροπος, quam e primi mimi titulo cognovimus, itaque μαστροπείαν significat. Collatis autem vss. 75 sqq. suspiceris Metro hortari Corytto, ut novis lenociniis palpetur Cerdonem, sed quo consilio id facere debeat, ut nunc textus habet, non satis apparet. *Si* (fac recte δεῖ σ' εἰ dedisse R) *novi aliquid Artemis reperiet.* Novumne baubonem? Ex vs. 74 (cf. 91 sq.) apparet ex duobus illis alterum Cerdonem noluisse cedere Corytto. Aliisne igitur blandimentis opus esse dicit ut novum illum sibi dare persuadeat sutori? At quidni Cerdo hunc nondum alii promissum (cf. 92) libenter venderet Corytto etiam nullis

Digitized by Google

VI *πρόσω πιεῦσα τὴν προκυκλίην θάλ . . . . ν.* 90
ἀλλ' οὖν σ', ὅτ' οὐχὶ τοὺς δύ' εἴχες ἐκλῦσαι,
ἔδει πυθέσθαι τὸν ἕτερον τίς ἡ ἔξουσα.
ΚΟ. *ἐλιπάρευν, ὁ δ' ὥμοσ' οὐκ ἂν εἰπεῖν μοι.*
ΜΗ. *λέγεις ὀδόν μοι νῦν πρὸς Ἀρτέμιν εἶναι,*
ὅκως ὁ Κέρδων ὅστις ἐστὶν εἰδέω 'γώ. 95
ὑγίαινέ μοι σὺ πολλά. — ΚΟ. μὴ μάτην χώρει·
ημι . . Φ . . . . . στι. — τὴν θύρην κλεῖσον,
αὕτη . υ . . . . το . . . λι κἠξαμιθρῆσαι
αια . . . . . ἑστεραί εἰσι τῶν τ' αἰρέων
αυτηι . . . . . οὐ γὰρ ἀλλα πορθευ . . 100
ωρν . θ . . . . . αι, κἢν τρέΦῃ τις ἐν κόλπῳ.

i. e. *δεῖ σ' εἰ* R, *αἰεὶ* vLeeuwen. ‖ **90** *πιεῦσα* P. *ποεῦσα* R. — Post *θαλ* quatuor puncta notavit K, monens superscriptam esse correctionem, quae iam legi nequeat. Sed vid. AE. ‖ **91** *σ' ὅτ'* dedi pro *τοτ'*. ‖ **92** *ε[κ]δουσα* K. Scripsi *ἔξουσα*. Hanc columnam (92 sqq.) vermibus corrosam esse monet K ‖ **93** *ελιπαρευον* P. — *ω[μο]σεν* Hicks. *ὥμοσ'* R. — In mg. teste K est *α*$^{\nu}$, quod spectare putat vs. omissum et in ora superiore minutis litteris alia manu adscriptum: *ταυτηι γαρ και ηγαπησεν μητροι*, sed nullum his inest metri vestigium, nec poetae verba sunt. Quid sibi velint me latet. ‖ **94** *εἶμι* pro *ἰναι* R. Sed vulgata ferri potest. ‖ **95** *κ[ερ]δ[ω]ν* et *ιδ[ω ε]γω* K. ‖ **96** *υγιαιν εμ . . . . . λαιματ . . χωρει* P. *ὑγίαιν[έ μοι σὺ πολλά]*. ΚΟ. *μὴ μάτ[ην] χώρει* supplevi et correxi. Prius supplementum repperit etiam vLeeuwen, nisi quod pro *μοι* voluit *μέν*. ‖ **98** *αὕτ[η σ]ύ* R. Cf. vs. 5 sq. — In *κηξαμιθρησαι* litteras *μι* incertas esse dicit K. ‖ **99** *αἰα[ῖ· ἀνιηρ]έσ[τερ]αί εἰσι τῶν τ' αἰρέων*? Sed ita *τ'* delendum. ‖ **101** *ωρν[υ]θ* K, qui octo punctis notatis dedit *αι κην*.

---

utenti lenociniis? Et quam obscura sunt verba illa *εἰ — εὑρήσει*, ubi expectes hanc fere orationem *si posthac Artemis tecum communicaverit novum a Cerdone fabricatum esse baubonem*. In loco adeo caliginoso a coniecturis abstinere praestat. ‖ **91** *ἐκλῦσαι* hic novo sane exemplo *emere* significare videtur. ‖ **92** „cui destinatus esset". Cf. supra 67. ‖ **96** scil. spero fore ut domi eam offendas neque igitur frustra eas. ‖ **97** *τὴν θύρην κλεῖσον* ancillae suae dicit Corytto. Pertinetne huc *αὕτη* an ad sqq.? ‖ **99** si recte explevi *αἰαῖ· ἀνιηρέστεραί εἰσι τῶν αἰρέων*, *acerbiores* s. *graviores sunt lolliis*, haec secum loqui putanda est mulier, querens de amicarum, qualis Eubule erat (cf. 31 sqq.) infidelitate, quo etiam pertinere possunt ultima verba *κἢν τρέΦῃ τις ἐν κόλπῳ*. Fortasse enim alluditur fabulae Aesopi 170, Phaedr. IV 10. Vid. Apostolium IV 79a.

Digitized by Google

VII

ΣΚΥΤΕΥΣ

ΑΡΤΕΜΙΣ (?)

VII Κέρδων, ἄγω σοι τάσδε τὰς Φίλας· εἰπέ,
τῶν σῶν ἔχεις αὐτῇσιν ἄξιον δεῖξαι
χειρῶν νοῆρες ἔργον; οὐ μάτην, Μητροῖ,
ἐγὼ Φιλέω σε.

ΚΕΡΔΩΝ

ταῖς γυναιξὶν οὐ θήσεις
τὴν μέζον' ἔξω σανίδα; Δριμύλῳ Φωνέω·
πάλιν καθεύδεις; κόπτε, Πιστέ, τὸ ῥύγχος
αὐτοῦ μέχρις τὸν ὕπνον ἐκχέῃ πάντα·
μᾶλλον δὲ τὴν ἄκανθαν. εἰ δ' ἔτι ῥέγξει,
ἐκ τοῦ τραχήλου δῆσον .....

AC. Tit. [σκυτε]υς K. ‖ 1 [σ]οι K. — τας..... P. R δεσποίνας ἦν, itaque 11 pro 8 litteris. Meum supplementum debeo Leeuwenio. ‖ 2 εχις = ἔχεις (ἔχῃς R) P. — [σ]ων et δι[ξ]αι K. ‖ 3 χειρεων P †. Vid. ad VI 11. — μητοι aut μητρι P. ‖ 4 φιλω P. ‖ 5 [σ]ανιδα K. ‖ 8 ακαν[θαν]..... K. Supplevi ι δ στι ρεγξι. ‖ 9 δησο[ν]..... K. Vid. AE. ‖ 10 γουνα[τ]..... K. ‖

AE. Adsunt in scena personae, quas e superiore mimo cognovimus, Cerdon et Metro, quam introduci apud illum suspicor ab Artemide, cf. VI 87 sq. et 94 sq. Vid. et VII 29. Huic igitur prima verba et vss. 104—107 assignavi. Adesse Artacenen iniuria putavit R, codicis lectione ην τ η vs. 92 deceptus. — *Cerdo* apud Romanos aetate imperatoria est appellativum = *artifex*. ‖ 3 νοῆρες nova vox, formata ut θυμήρης, alia multa. ‖ 4 Φιλέω σε, probavi sc. tibi meam amicitiam introducendo te in Cerdonis officinam. Cf. I 66. ‖ 5 τὴν μέζον' docet sutoris merces in duabus tabulis diversae magnitudinis fuisse dispositas, verba οὐ θήσεις ἔξω; has tabulas fuisse versiles aut tractiles, ita ut prout res posceret in pariete condi aut foras promi possent spectandae emturientibus. Si ponimus in aliis quoque parietibus similes tabulas fuisse, nil obstat quominus vs. 53 sic expleamus ut feci. ‖ 8—11 incerta supplementa. ‖ 8 ῥέγξει. Cf. VIII 2. ‖ 9 spatium lacunae convenit supplemento αὐτόν· ὦ ὄλεθρε, sed δῆσον vix *suspende* significare potest, convenit etiam supplemento

Digitized by Google

VII κίνει ταχέως τὰ γούνατ', ἢ πέδας δεῖ σε
τρίβειν ψοφεῦντα· νουθετῶ σε. τούτων δὲ
ν . ν εκ μιν αυτην λε . . . . . υνις
κ . . . . . τη . . . . . ψήσω
εζ . . . . . Πίστ' . . . . . ξας
πυ . γιδα μὴ τὴν ωδ . . . . . ν
τὰ χρήσιμ' ἔργα τουτ . . . . . ος
ταχέως ἔνεγκ' ἄνω . . . . . ροι
οἵ' ἔργ' ἐπόψεσθ' ἡσυχῇ . . . . . ον
τὴν σαμβαλούχην οι . . . . . ρωτον
Μητροΐ, τελέων αρη . . . . . ων ἴχνος
θηεῖσθε χὐμεῖς, ὦ γυναῖκες· ἡ πτέρνη
ὁρᾷθ' ὅκως πέπηγε; χαλκέοις ἥλοις
εξηιτιωται πᾶσα, κοὐ τὰ μὲν καλῶς
τὰ δ' οὐχὶ καλῶς, ἀλλὰ πάντ' ἔχει καλῶς.
τὸ χρῶμα δ' οὕτως . . . . . δολὴ
. . . . . εριχανασθ' ἐπαυρέσθαι
. . . . . ὀτέῳ δ' ἴσον χρῶμα
. . . . . ὅκου δὲ κηρὸς ἀνθήσει
. . . . . τρεῖς ἔδωκε Κανδᾶτι
. . . . . τοῦτο χἤτερον χρῶμα
. . . . . μὴ πάνθ' ὅσ' ἐστιν . . α
. . . . . τ. . . . . βαδίζειν
. . . . . οὐδ' ὅσον ῥοπὴν ψεῦδος

11 [τ]ριβιν ψοφευντα νουθ . . . . . [τ]ουτων δε K, in P ουτων legi monens. Partim e mea partim e Leeuwenii coniectura utrumque vs. explevi. ‖ **12** ν[υ]ν K. ‖ **13** τὴ[ν κόνιν δ' ἀπο]ψήσω ingeniose Headlam. ‖ **19** την αμβαλου[χ]ην K. τὴν σαμβαλούχην Headlam, σαμβάλων mentionem fieri coll. vs. 60 vidimus et ego et Buecheler. — [π]ρωτον K. ‖ **21** χυμε[ι]ς ω γυ . . . . . ρνη K. — Supplevit R. ‖ **22** οτως P. — Pro decem punctis supplevi [χαλκέοις ἥλ]οις, in idemque incidit Headlam, qui vs. ‖ **23** pro εξηιτιωται scribit ἐξηρτίηται, quod quid sit me latet. Sed nihil apti reperio, nam ἐξήρτυται metro, ἐξηρτίωται sermone excludi-tur. — κ . . . . . ως P. Supplevit Headlam, mecum in idem incidens. ‖ **24** πα . . . . . ς P. Supplevi. Item Headlam. ‖ **25** [δευσοποιὸν εἰ]? ‖ **26** ερι-χανασθε vix bene lectum videtur. ‖ **27** οτωι P. — χρ[ω]μα K. ‖ **29** Κανδᾶ[τι]

αὐτῷ κλοιόν, sed δεῖταί τις τὸν τράχηλον ἐν κλοιῷ. Cf. Xen. Hell. III 3, 11. Quare nihil supplere malui, nec tentavi vss. pessime mulcatos 12—20. ‖ **21** sq. Sententia esse videtur: *Vide quam solida sit calx* (calcis solea): *aeneis claviculis tota* (*calceo*)

Digitized by Google

VII .....Κέρδωνι μὴ βίου ὄνησις
.....ων γίνοιτο καὶ χάριν πρός με
.....ρ ἀλλὰ μεζόνων ἤδη
.....κερδέων ὀριγνῶνται
.....τἄρθρα τῆς τέχνης ἡμέων
.....τος δὲ δειλαίην οἰζύν
.....εων νύκτα κἠμέρην θάλπω
.....ον ἄχρις ἐσπέρης κάπτει
.....ὄρθρον οὐ δοκεω..σον
τα μικρων οσ..η ριθ υπ.....
κοὔπω λέγω τρεῖς καὶ δέκ.....σκω
ὀτεύνεκ', ὦ γυναῖκες ἀρ.....
οἳ κἦν ὗῃ Ζεὺς τουτομο.....
Φέρ', εἰ Φέρεις τι, τἄλλα δ.....ται
ὅκως νεοσσοὶ τὰς κοχώνας θλίβοντες.
ἀλλ' οὐ λόγων γάρ, Φασίν, ἡ ἀγορὴ δεῖται,
χαλκῶν δέ· τοῦτ' ἦν μὴ ὑμὶν ἀνδάνῃ, Μητροῖ,
τὸ ζεῦγος, ἕτερον χἤτερον μάλ' ἐξοίσει,
ἔστ' ἂν λέγειν πεισθῆτε μηκέτι ψεύδεα
Κέρδωνα· τάς μευ σανίδας οὐκ εἴδες πάσας.
ἔνεγκε, Πιστέ, τἄλλα· δεῖ δ' ὀνηθείσας
ὑμέας ἀπελθεῖν, ὦ γυναῖκες, εἰς οἶκον.
θήσεσθε δ' ὑμεῖς· γένεα ταῦτα παντοῖα,

cum accentu K. Cf. ad VI 87. ‖ **34** [Κ]ερδωνι K. ‖ **38** ταθρρα — ημων P. τὰ δ' ἱρὰ Headlam. An τἄρθρα? Cf. Epicharmeum ἄρθρα τῶν φρενῶν, alia ap. Stephin thes. I p. 1938. ‖ **40** [ὕσκην ἐγὼ ὀτλ]έων? Ita librarius, ut interdum fecit, dederit οσσην. Deinde cum ms. dedi κἠμέρην (vid. Praef.). **41** αχρι P. ‖ **42** ορθ[ρ]ον K. ‖ **43** τα μικρων οσ P contra metrum. Fort. τὰ μίκρ' [ὀκ]όσ' [ἂν] ᾖρεῖθ' ὑπ.. ‖ **44** sitne λεγω an μ.τω in P dubitat K. — δε[κα] K. Fort. δέ[κ'. εἶτα γινώ]σκω. ‖ **46** οἳ (sic) P. — κηνυηιζου. K dedit, corr. R². ‖ **48** οκως corr. ex ορσως P. — νεοσσο[ι] τας κηχωνασθαι [πα]ντες K. Correxi, licet propter praegressorum conditionem perobscura maneat sententia, ita ut an νεοσσοί recte expletam sit ignorem. ‖ **50** τ[α]υτην ..υμινα..ανηι Μητρ[οι] K. Versus constabit sic scriptus: χαλκῶν δέ· τ[ο]ῦτ' ἦν μὴ ὑμὶν ἀ[νδ]άνῃ, Μητροῖ. In idem incidisse video Headlamum, nisi quod omittit μὴ, in papyro fuisse τουτηνὴν ratus. ‖ **51** χατε[ρ]ον K. ‖ **52** post αν sex, post πισθητε tria puncta notavit K. Supplevi lacunas, mutato στει in στι. ‖ **53** μ..... ιδας P. Lacunam septem litterarum suppleri μ[εν σανίδας] non vetat vs. 5, ubi cf. AE. Pro ιδας R dedit εἶδες. ‖ **54** δ]νηθείσα[ς] ego supplevi, τἄλλα· δεῖ δ' vLeeuwen. Octo puncta notavit K. ‖ **56** θησεσθε P. θεήσεσθε R. An θηεῖσθε? Cf. supra 21. Sed fortasse

---

affixa est. ‖ **51** ἐξοίσει, *promet* Pistus. Cf. 14 et 54. ‖

Digitized by Google

VII Σικυώνι', 'Αμβρακίδια, νοσσίδες, λεῖαι,
ψιττάκεα, κανναβίσκα, βαυκίδες, βλαῦται,
'Ιωνίκ', ἀμφίσφαιρα, νυκτιπήδηκες,
ἀκροσφύρια, καρκίνια, σάμβαλ', 'Αργεῖα,
κοκκίδες, ἔφηβοι, διάβαθρ'· ὧν ἐρᾷ θυμός
ὑμέων ἑκάστης εἶπαθ', ὡς ἂν αἴσθησθε
σκυτεα γυναῖκες καὶ κύνες τιβρωζουσιν.
ΜΗ. κόσου χρεΐζεις; πεῖν' ὃ πρόσθεν ἤειρας
ἀπεμπόλη τὸ ζεῦγος, ἀλλὰ μὴ βροντῶν
μέζον σὺ τρέψῃς αὐτὸς ἐς φυγὴν ἡμέας.
ΚΘ. αὐτὴ σὺ καὶ τίμησον εἰ θέλεις αὐτό,
καὶ στῆσον ἧς κοτ' ἐστὶν ἄξιον τιμῆς.
εἰ τοῦτο δρῇς γάρ, οὔ σε ῥᾴδιον Φηλεῖν.
δεῦτ' οὖν, γύναι, τὠληθὲς ἢν θέλῃς ἔργῳ,
ἐρεῖς τι· ναὶ μὰ τήνδε τὴν τεφρὴν κόρσην,

futurum θήσομαι recte habet, at Doricum et Theocriteum est θάσομαι. — ὑμ[εῖς γέ]νεα R. — τ[α]υτα K. ‖ **57** νο[σσ]ίδες K. ‖ **58** ψιττακεια P. Correxit B. ψιττάκια R. — βαυκιδ[ες] K. — βλαῦτια P †. βλαῦτται R. ‖ **59** 'Ιωνικ(') P. Fortasse verius est 'Ιωνικαί, crasi iunctum cum seq. voc. Sed cf. 60. — αμφισφαιρα recte P, unde corrigendus Pollux VII 94, nam metro adversatur quod illinc reposuit h. l. R ἀμφίσφυρα. Nam σφυρόν inde ab Homero semper habuit brevem vocalem. Cf. vs. 60. — νυκ[τ]ιπηδ[ηκ]ες K. ‖ **60** Αρ[γ]εια K. 'Αργεῖαι R. Cf. Poll. VII 88. ‖ **61** θ[υ]μος K. ‖ **62** ως αν αισθοισθε P. -ησθ' ὡς R. ‖ **63** σκυτέα R. An σκύτεα? — τι βρωζουσιν P. βιβρώσκουσιν R. ‖ **64** καρας P. Corr. K. ‖ **65** τὸ add. K. ‖ **66** αυτος συ τρεψῃς μεζον P. μέζον' vix recte R. Transposui verba. ‖ **69** ι τουτο .... γαρ ους ερηι δι ων .... P. Correxi. A fine fuit [φηλιν], ita tamen quinque litterarum sumenda lacuna. Headlam post τοῦτο inserit ἐρεῖς, ne sic quidem male. Sed id verbum proxime sequitur. ‖ **70** δευτε ων P †. — ἴργῳ pro εργον R, quo recepto virgulas posui post γύναι et

---

57—61 In calceamentorum hoc catalogo nova sunt νοσσίδες, λεῖαι, ψιττάκεα, κανναβίσκα, 'Ιωνικά(-αί?), κοκκίδες, ἔφηβοι. Reliqua habet Pollux VII 85 sqq., nisi quod καρκίνοι est apud eum, non καρκίνια. ‖ **63** nihil horum intellego, nam canes quidem σκύτη τρώγουσι, sed quo tandem sensu de mulieribus dici potuit σκύτεα aut σκυτέα βιβρώσκουσιν? Ad proverbium de canibus vid. Apost. XV 53 a, Theocr. X 11 χαλεπὸν χορίῳ κύνα γεῦσαι, Horat. Serm. II 5, 83 *ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.* ‖ **68** στῆσον hic = τάξον sive ὅρισον. ‖ **69** sq. *hoc enim si facis, non facile* (est mihi) *te fallere. Age dum, mulier, verum si vis* (non specie sed) *re, dices aliquid*, scil. pretium, quo calceos aestimas. ‖ **71** τεφρός, *cinereo colore*, vox

Digitized by Google

VII ἐφ' ἧς ἀλώπηξ ν . . σι . . . . ε . . . . . .
τάχ' ἀλφίτηρον ε . . α . . . α κινεῦσι. —
Ἑρμῆ, σὲ Κέρδων καὶ σέ, Κερδίη, πείθοι.
ὡς ἦν τι μὴ νῦν ἡμῖν ἐς βόλον κύρσῃ,
οὐκ οἶδ' ὅκως ἄμεινον ἡ κύθρη πρήξει.
ΜΗ. τί τονθορύζεις κοὐκ ἐλευθέρῃ γλάσσῃ
τὸν τῖμον ὅστις ἐστὶν ἐξεδίφησας;
ΚΕ. γύναι, μιῆς μνῆς ἐστὶν ἄξιον τοῦτο
τὸ ζεῦγος, ἢ ἄνωθ' ἢ κάτω βλέπεις· χαλκοῦ
βίνημα δὴ τόδ' ἐστὶ τῆς Ἀθηναίης.
ὠνευμένη σωυτῆς ἂν οὐκ ἀποστύξαις.
ΜΗ. μάλ' εἰκότως σευ τὸ στεγύλλιον, Κέρδων,
πέπληθε δαψιλέων τε καὶ καλῶν ἔργων.
φύλασσε κλείσας αὐτά· τῇ γὰρ εἰκόστῃ

ἔργῳ (= ὄντως). ‖ 72 αλω . . . ξ P. Corr. R. — ν[υ]ν R. ‖ 73 in marg. P est lineola erroris indicium. ‖ 74 τε κερδεων και συ κερδιη πιθοι P. Corr. R, sed minus recte dedit ἂν πείθοι. ‖ 78 ἐξεδίφησας = ἐξεζήτησας (cf. Hesych.) mire dictum, ubi expectatur ἐξεφώνησας. ‖ 79 [μνης] K. ‖ 80 ανω σ η κατω βλεπιν P. Corr. R. ‖ 81 ρινημ ο δη κοτ P. R βίνημα δήκοτ'. Ego δὴ τόδ' dedi pro δη κοτ. ‖ 82 ωνευμενης αυτης αν ουκ αποσταξαι P. ἐὰν εὐμενῆς αὐτῆς ἂν οὐκ ἀποστείξαις R, quae non intellego. Dedi quod vides. ‖ 85 κα . . ας P. Corr. vLeeuwen (ΚΛΙCΑC). R καλῶς.

---

nota ex Aristotele aliisque, hic πολιός significat. ‖ 74—76 secum loquitur Cerdo, qui mulierculam decepturum se sperat. ‖ 74 *Mercuri, et tibi, Cerdia, utinam Cerdo persuadeat. Nunc enim si nihil nobis in rete inciderit, non video quo pacto melius futurum sit ollae* (populare dictum). Deam fingit Cerdiam. κερδία = Φιλοκέρδεια Phot. 156, 25. ‖ 77 sq., quos Cerdoni continuat R, procul dubio Metro loquitur. ‖ 78 τὸν τῖμον. Cf. Aesch. Cho. 903. ‖ 80 *sive superne sive inferne* (calceos) *spectas*. Moneo propter R, qui „wether you are sorry for it or angry at it" interpretatur. ‖ 81 Cf. IV 57 sq. VI 65. ‖ 82 *emens* (hoc calceorum par) *te ipsam non horrebis*, ut invenustam scil. Verbum ἀποστύξαι cum gen. construunt etiam Plutarchus et Iosephus. ‖ 85 sq. *nam die vicesimo mensis Taureonis Hecate nuptias celebrat* (filiae suae) *Artacenae* cett. Duplici igitur argumento hunc mimum Cyzici doctum esse probabile est. Nam Ἀρτακήνη, sive Ἀρτακηνή scribi mavis, est nomen ductum ab oppido, Cyzico vicino, dicto Ἀρτάκη, cuius incolae Ἀρτακηνοί sive Ἀρτακῆς audiebant, et quod gravius,

Digitized by Google

VII τοῦ Ταυρεῶνος ἡ 'κάτη γάμον ποιεῖ
τῆς 'Αρτακήνης, χὐποδημάτων χρείη·
τάχ' οὖν, τάλας, ἥξουσι σὺν τύχῃ πρός σε,
μᾶλλον δὲ πάντως· ἀλλὰ θύλακον ῥάψαι
τὰς μνέας ὄκως σοι μὴ αἱ γαλαῖ διοίσουσι.
ἦν θ' ἡ 'κάτη ἔλθῃ, μνῆς ἔλασσον οὐκ εἴσει,
ἦν θ' ἡ 'Αρτακήνη. πρὸς τάδ' εἰ θέλεις σκέπτευ·
οὐ σοὶ δίδωσιν ἡ ἀγαθὴ τύχη, Κέρδων,
ψαῦσαι ποδίσκων, ὧν πόθοι τε κἤρωτες
ψαύουσιν, ἀλλ' οἷς κνῖσα καὶ κακὴ λώβη·
ὥστ' ἐκ μὲν ἡμέων . . . λεοσεω πρήξεις,
ταύτῃ δὲ δώσεις κεῖνο τὸ ἕτερον ζεῦγος.
κόσου πάλιν; πρήμηνον ἀξίην Φωνήν
σεωυτοῦ. — ΚΘ. στατῆρας πέντε· ναὶ μὰ θεοὺς Φοιτᾷ

86 η Κατη K. ἡ Ἑκάτη R. ‖ **87** [τ]ης Αρ[τα]κηνῆς K. καὶ τῇ 'Αρτακήνῃ non recte R. Cf. AR. — κυποδηματων P. ‖ **88** ταλη . . . . υσι P. Explevi. Librarius ταλης dedit, ut supra III 35. ‖ **91** ην τ η P †. ἦν ἡ R. — κατελθῃ P. ‖ **92** ην τ ηι †. ἦν, τῇ male R, Cerdoni tribuens ἦν, τῇ, Αρτακήνῃ. Artacene non apparet in scena, neque ἦν, τῇ Graecum est. ‖ **94** χηρωτες P. ‖ **95** ισκνυσα P. Corr. R. ‖ **96** ημεων . . . λεοσεω πρηξις P, sed λισλεοσεω legere sibi videtur K, ultimas sex litteras certas esse dicens et in mg. extare lineolam signum corruptelae. ΛΙCΛΕΟCΕΩ ex ΑΚΛΕΩCΕΩ ἀκλεῶς, ἐῶ, natum putat Headlam, sed ἐᾶ vix sanam admittit interpretationem. Si ἀκλεῶς certum esset, pro eo posses ἴσως conicere. λώιον σεωυτοῦ edidit R. ‖ **98** αξιαν P †. — φω[ν]ην K. ‖ **99** σεωτου P. — φο[ι]ται K. ‖

Taureon pertinet ad Cyzicenorum calendarium, ut conici posset ex Hesychio s. v. *ταυροχόλια· ἑορτὴ ἐν Κυζικῷ* (cf. s. v. *Ταυρία* [*-εια*]), si opus esset coniectura, sed e titulis de ea re planissime constat. Menses Cyzicenorum sunt *Βοηδρομιών* (inde a d. 21 Sept.), *Κυανοψιών*, *'Απατουριών*, *Ποσιδεών*, *Ληναιών*, *'Ανθεστηριών*, *'Αρτεμισιών*, *Ταυρεών*, *Καλαμαιών*, *Πάνημος*, *Κρονιών*, *Θαργηλιών* (vid. Lolling Mitth. d. D. Arch. Inst. 1881, p. 307 sq. Cf. 1881, p. 57 sq.), itaque si huic ordini fides, *ἡ εἰκοστὴ τοῦ Ταυρεῶνος* cadit in m. Maii initium. Nomini comparari potest Cycladum *ΒουΦονιών*. ‖ **87** *'Αρτακήνη* novum nomen. Cf. ad 85 sq. ‖ **89** sq. *θύλακον* hic *marsupium*; *ῥάψαι* Imperativus med. potius quam infinitivus pro imperativo videtur: *sarciendum tibi cura*. ‖ **86** et **91** *ἡ 'κάτη* dedi cum P = *ἡ Ἑκάτη*, ut edidit R. ‖ **92** *σκέπτευ*. Attici *σκοποῦ*. ‖ **96** obscura sententia. ‖ **98** Cf. 65 et VI 108. Cerdo, qui vituperatus est 65 sq., nunc iusto sub-

Digitized by Google

VII ἡ ψάλτρι' Εὐετηρὶς ἡμέρην πᾶσαν
λαβεῖν ἀνώγουσ', ἀλλ' ἐγὼ μιν ἐχθαίρω,
κἢν τέσσαράς μοι χρυσέους ὑπόσχηται,
ὀτεύνεκέν μευ τὴν γυναῖκα τωθάζει
κακοῖσι δέννοις. — ΑΡΤ. (?) ει ..... χρειη
φέρ' εὐλαβεῦ σὺ τῶν τριῶν ..... δοῦναι
καὶ ταῦτα καὶ ταῦτ' ἄλλα πέντε δαρεικῶν
ἔχητι Μητροῦς τῆσδε. — ΚΘ. πέντε δαρεικῶν
εἶναι τό μ' ἐλάσαι σαν .....
ἐόντα λίθινον ἐς θεοὺς ἀναπτῆναι,
ἔχεις γὰρ οὐχὶ γλᾶσσαν ἡδονῆς χήρην.
ἢ θεῶν ἐκεῖνος οὐ μακρὴν ἀφέστηκεν,
ὀτέῳ σὺ χείλεα νύκτα κἠμέρην οι ....
φέρ' ὧδε τὸν ποδίσκον· εἶσιν ὃς θω ....
πάξ· μήτε προσθῇς μήτ' ἀπ' οὖν ἔλῃ μηδέν·
τὰ καλὰ πάντα τῇς καλῇσιν ἁρμόζει.
αὐτὴν ἐρεῖς τὸ πέλμα τὴν Ἀθηναίην

100 ετηριε P. <Εὐ>στῆριε R. Mutavi accentum et malui ἡμέρην. Cf. 112. ‖ 101 [εχθα]ιρω K. ‖ 102 δαρεικους contra metrum P. Glossema esse vocis χρυσέους vidit Headlam. ‖ 103 στουνεκεν P. ‖ 104 δεινοις corr. e vera lectione δεννοις P, unde correctori diffidendum esse apparet. Cf. ad VI 5. — χρειη incertum. ‖ 105 ευλαβου των τριω ..... P †. ‖ 106 και ταυτ αυτα και P. Corr. K. — Sequitur ταυτ ..... ικων P. Explevit Headlam. ‖ 107 τησ δ ..... ει ... P. Idem sarsit. ‖ 108 [εἶ]ναι et σα[μβαλ'] Headlam. ‖ 109 εοντ αληθινον εσθ ουσαν αττη ... P. Corr. idem, nisi quod ἀναστῆναι dedit, pro quo restitui ἀναπτῆναι. ‖ 110 ηδηνης δη ελθιν P, sed ελθιν incertum et signum corruptelae in mg. Coll. III 85 sententiam certe restitui, licet de χήρην dubitem. ‖ 111 αθεων P †. A pro H. Cf. ad 88. τῶν θεῶν R. — α ..... Supplevit R, quamquam ita octo non novem restituuntur litterae. ‖ 112 οἱ[γνυς] R. οἱ[νοῖς] Headlam, i. e. μεθύσκεις. ‖ 113 θω .... P. θήσει R. Quid latet? Noli conicere θώ[ψει], i. e. θεραπεύσει, coll. Hesych. s. v. θάπτω, nam verbum θεραπεύειν *adulandi* sensu usurpavit grammaticus, et etiam sic tres, non quatuor, deficerent litterae. ‖ 114 ελη P; an ελης (i. e. ἕλῃς) sit

missius loquitur, ut animadvertit R. ‖ **111** sq. Fortasse poetae observabatur Sapphicum illud *Φαίνεταί μοι κῆνος κτἐ.* fr. II 1—4. Bgk. ‖ **113** expectatur „veniet qui (calceum pedi) aptet". Tum Cerdo ad servum, qui id facit „noli quidquam addere aut demere [prorsus aptus est ad pedem]". ‖ **115** *pulchras pulchra decent* proverbialem habet colorem. Animadverte paenultimam vocis καλός in eodem vs. correptam et productam. Cf. 84 sq. ‖ **116** Cf. supra 81. πέλμα *solea*. Cf. Polyb. XII 6, 4. Poll. VII 90. ‖

Digitized by Google

VII τεμεῖν. δὸς αὐτὴ καὶ σὺ τὸν πόδα· ψωρῇ
ἄρηρεν ὅπλῃ βοῦς ὁ λακτίσας ὑμέας.
εἴ τις πρὸς ἴχνος ἠκόνησε τὴν σμίλην,
οὐκ ἂν, μὰ τὴν Κέρδωνος ἑστίην, οὕτω
τοῦργον σαφέως ἔκειτ' ἂν ὡς σαφέως κεῖται. —
αὕτη σύ, δώσεις ἑπτὰ δαρεικοὺς τοῦδε,
ἡ μέζον ἵππου πρὸς θύρῃ κιχλίζουσα. —
γυναῖκες, ἦν ἔχητε χἠτέρων χρείην
ἢ σαμβαλίσκων ἢ ἃ κατ' οἰκίην ἔλκειν
εἴθισθε, τήν μοι δουλίδ' ὧδε δεῖ πέμπειν.
σὺ δ' ἧκε, Μητροῖ, πρός με τῇ 'νάτῃ πάντως,
ὅκως λάβῃς καρκίνια· τὴν γὰρ οὖν βαίτην
θάλπουσαν εὖ δεῖ δολοφρονεῦντα καρράπτειν.

dubitat K, ut tamen spatium sufficiat metuena. ‖ **117** sq. *ψωρῃ* et *οπλῃ* P. ‖ **119** *πρ[ο]ς* K. Verba *εἰ — ἴχνος* vix sana. ‖ **120** *τοῦτο* R pro *οὕτω*. ‖ **121** *εκειτ — κειται* P. ‖ **124** *κητερων* P, quod fortasse servandum. ‖ **126** *δουλ[ην]* K. _ ∪ R. Corr. Buecheler et Richards. — *ωδε πεμπειν* corr. ex *πεμπετε* P, addito in margine signo corruptelae. R inserui *δεῖ*. ‖ **127** *τηι ενατηι* P. ‖ **129** *ευδειν δολιφρονουντα* aut *δονφρονουντα* P. Corr. R, quocum *καρράπτειν* dedi pro *και ραπτειν*.

---

117 *καὶ σύ*. Artemisne an alia mulier? — *ψωρῇ* — *σμίλην* verba obscura. Cerdo dicens *scabro praeditus est(?) pede bos qui vos calcavit* R interprete significat sutorem, qui eo usque mulieris calceos fabricatus sit, artis sutoriae rudem esse, nec sane quid aliud ea verba sibi velle possint exputo. Quod si recte statuo, puncto posito post *ὑμέας* et virgula post *σμίλην*, ut nunc in ed. II me auctore fecit R (in priore post *σμίλην* punctum erat, post *ὑμέας* virgula) fortasse reliqua sic explicanda: *si quis planta pedis cultrum suum acuisset, opus* (calcei, quos mulier gestat), *Cerdonis testor penates, non manifeste ita* (i. e. tam male) *haberet, ut manifeste habet.* ‖ **123** *κιχλίζουσα*. Moeris *κακκαχεῖν* vel *καχαχεῖν* (recte corr. *καχάζειν*) Ἀττικῶς. *κιχλίζειν* Ἑλληνικῶς. Et. M. *κιχλισμός· πορνικὸς γέλως πολὺς καὶ ἄκοσμος*. Cf. Phot. s. v. et Theocr. XI 78. Hic a nostro comparatur cum equi hinnitu, quare dicit *μέζον ἵππου*. Macedo Anth. Pal. V 245 *κιχλίζεις χρεμέτισμα γάμου προκέλευθον ἰεῖσα*. ‖ **125** Cf. II 23. ‖ **128** sq. „The leather is sewn over the foot. The shoe fits better, as the natural heat of the foot stretches the leather" R. At iubetur Metro nono demum die reverti, ut *carcinia* (cf. vs. 60) petat, itaque sutorem alio modo pellem

Digitized by Google

VIII

ΘΝΤΠΙΝΙΟΝ

VIII Ἄνστηθι, δούλη· Ψύλλα, μέχρι τεῦ κείσῃ
ῥέγκουσα; τὴν δὲ χοῖρον αὐονὴ δρύπτει.
ἦ προσμενεῖς σὺ μέχρις εὖ ἥλιος θάλψει;
[cetera desunt.]

AC. 1 *α στηθι* P. Corr. R. *μεχρι τεο* P. *μέχρις τευ* R, sed metrum favet formae *μέχρι*. Tum *κείσῃ* (*κισηι* P) revocavi pro *κείσει*. ‖ 2 *βέγκουσα* dedi pro *ρεγχουσα*. — *χοῖρος* Ionico more femininum. Cf. supra IV 15. — *δρύψει* R. ‖ 3 nota durissimam synaloephen. — *θαλψι* corr. ex *θαλψηι* P.

---

tepefecisse manifestum est, nec illo modo calcei confici solent, ut arbitror. Ex vs. 114 carcinia nondum confecta esse suspiceris. — *βκίτη* volgo est vestis agrestis e pelle caprina confecta, hic ipsa pellis. — *θάλπουσαν* intransitive ut ap. Soph. Trach. 1072.

1 Ψύλλα novum (servae?) nomen. Cf. Ψυλλώ, Ψύλλας, Ψύλλος.

ADDENDUM.

Quae in Praefatione pag. 45 de poetae aetate dixi correcta videbis in AE. ad IV 75, et de Cyzico cf. AE. ad VII 85.

Excursus ad mimum VI.

Quid sit coccineus ille *βκυβών*, de quo amicae in hoc mimo confabulantur, omnino ignoro; sed quid non sit perspicere mihi videor, et haec fuit causa cur a collega meo aestimatissimo petiverim ut liceret mihi pauca subiungere eius notis. Nempe fuit vir ingeniosus, qui mulierculas de libidinis instrumento, quod apud Aristophanem Lys. 109 et fr. 320 K. commemoratur, sermocinari contenderet; cui mox alii adstipulati sunt. Sed aut egregie fallor aut hic usu venit quod saepe factum esse scimus, ut interpretes, sicubi in comici locum obscuriorem incidissent, statim suspicarentur obscoeni aliquid latitare, qua de re cf. Naberus

Digitized by Google

Mnemos. 1882 p. 359. Eiusdem studii luculentum exemplum his diebus inveni in scholiorum ad Iliadem Genevensium editione egregia, quam nuper publici iuris fecit v. d. Nicole; ibi ad Φ 319 afferuntur Alcaei versiculi duo antehac ignoti:

οἴδημαν χέραδος μὴ βεβαὼς ἐργάσιμον λίθον
κινεῖς καὶ κενὶς ὡς τὰν κεφαλὰν ἀργαλέαν ἔχοι.

Adnotat editor: „on peut conjecturer εἰ δὴ μὰν pour οἴδημαν, „ἐργάσιμος pour ἐργάσιμον, ἔχεις pour ἔχοι, κελὶς pour κενὶς; „κελίς serait le diminutif populaire de κέλιος ou κόλιος, le pivert, „l'oiseau qui frappe avec la tête, comme le sujet inconnu de „κινεῖς et d' ἔχεις est supposé le faire. Aliquid obscoeni latere „crediderim". — Ego priorem versum aliis restituendum relinquo [1]), sed obscoenam illam volucrem quomodo procurare possim scio; cognatus est hic picus *cardueli* isti, quam novimus ex Euripidis bellissimo versiculo (Hercul. 1115):

ἀκανθεὼν τίς εἶπαθ' οἱ καταστένοι.

Alcaeus scripsit

κκί κεν ἴσως τὰν κεφαλὰν ἀργαλέαν ἔχοι(ς?).

Similis error quin ludat viros doctos, qui Herodam de re spurcissima hunc mimum fecisse suspicantur, nullus dubito. Argumenta breviter indicabo.

Quorum omnium fortasse gravissimum hoc est. Vix et ne vix quidem credibile videtur, scriptorem, qui dialogos in scena agendos componeret, materiem tam foedam electurum sibi fuisse. Novi sane Aristophanis nequitiam, novi aliorum poetarum lasciviam fescenninam; sed aliud est ioco salaci in transitu cachinnos plebeculae ciere, aliud de argumento quo magis impudico eo minus festivo longos sermones serere; neque amores suos prurienti carmine celebrare idem est atque homines depingere in ipso coeno volutantes. Herodas noster si de ea re, quam supra innui, hunc mimum conscripsit, haud scio an ceteros scriptores veteres vincat cunctos impudentia, et iure igitur miretur quispiam quod indolis tam perversae in ceteris eius mimiambis ne levissimum quidem deprehendatur vestigium.

---

1) Graeca certe essent:

ἄ δείλ', ἢν χέραδος μὴ βεβαὼς ἐργάσιμον λίθον
κίνει·

sed aptam sententiam haec non praebent.

Digitized by Google

Sed haec, quae sentiri quam demonstrari possunt facilius, fortasse parum valent ad persuadendum. Videamus igitur satisne quadret fabella, si in hoc argumento eam versari sumimus. Inscripta est *Φιλιάζουσαι ἢ ἰδιάζουσαι*, *feminae amice colloquentes.* Innocens profecto titulus. Nec minus innocens introductio. Metro visit amicam Corittonem; de ancillarum pigritia mulierculae nota illa inter se queruntur; tum Metro: „Sed dic quaeso quis„nam sutor *κόκκινον* istum *βαυβῶνα* tibi fecerit?" — „Ubi eum vidisti?" — „Apud Nossidem". — „Haec vero unde habebat?" — „Ab Eubula mutuum acceperat". — Tunc irata Coritto: „Pro „pudor, ipsa ego Eubulae eum commodavi; haeccine de meo „igitur liberalis est? in malam rem abeat talis amica; nullum „*βαυβῶνα* posthac ei commodatura sum, etiamsi mille mihi „iaceant". — „Noli irasci, o bona", sic Metro contra: „probam „mulierem irae continentem esse decet. Sed quis eum tibi fecit?" — Nunc nominatur sutor; est Cerdo quidam, qui intra parietes arti suae vacat, non vero publice proponit quae elaboravit, ne publicani pecuniam a se postulent. Ab hoc quomodo *βαυβῶνα* suum emerit Coritto fuse narrat; deinde amica abit. In sequenti autem mimo Cerdonis tabernam visit Metro, nec tamen *βαυβῶνα* nescio quem sibi poscit sed *calceos.*

Haec omnia optime habent, nec lectu sunt iniucunda, si sermo est de petaso vel vestimento aliave re ad mundum muliebrem pertinenti, strophio ex. gr. ad mammas sustinendas vel cingulo ad compescendum corpusculum [1]). Sed ut turpissima ita ridicula et vere absurda fiunt, si id nobis fingimus quod interpres ille coniecit. Vide modo Metronem, ut primum amicae domum intravit, *βαυβῶνα* non tergiversanter nec tectis verbis significantem sed aperte nominantem, licet adsint ancillae, adsint amicae filioli; quin addit adiectivum *κόκκινον*, quod de tali instrumento adhibitum sitne caninae impudentiae signum an mentis delirantis [2]), dubitaverit quispiam. Immo purpureus color docet non de re quam maxime celanda sermonem fieri, sed de ornamento aliquo, pretioso fortasse, quod coram aliis publice gestari possit.

1) *Parthica cingula* (coccinea nimirum) Claudian. de Raptu Proserp. II 94. Cf. Marquardt Privatleben der Römer p. 570.

2) Frustra contulerit aliquis Arist. Nub. 539.

Digitized by Google

Hoc igitur qualecunque ornamentum Eubulae obnixe flagitanti commodavit Coritto, λιταρεῦσαν αἰδεσθεῖσα. Nae αἰδὼς οὐκ ἐγκαθής haec fuit, si id significat βυσσῶν quod putat criticus noster. — Posthac vero ne unum quidem βυσσῶνα petenti amicae mutuum daturam se dicit, etiamsi mille sibi praesto sint. Mille ὀλισβοι? pudet pergere. — At Metro eam ab ira dehortatur: „probam mulierem non decet ita statim excandescere". Probae scilicet mulieres ambae, si altera libidinis adminiculum exposcat sibi, altera ereptum doleat. — Iurat deinde Coritto per dulcia lumina suorum filiorum, et mox aliam mulierem, quae vita functa est, ut pia memoria necessarii prosequantur optat. Haec quoque cadere videntur in vetulas foedo furore nunc ipsum flagrantes? — Iamque eo processit colloquium ut describatur βυσσῶν, quem Coritto a Cerdone emit. Qui vir ita extollitur ut divinus artifex esse dicatur; quae ille fecit, ex ipsius Minervae manibus prodiisse credideris. Quid sui cum Venere, quid Minervae cum ὀλίσβοις? — Coritto igitur pulcrum illud opus ut vidit ut periit: „homines tam pulcra βάλλια facere nequeunt". Haec vertere non possum, quoniam ignoro quid sint βάλλια, sed de re venerea non agi, id καὶ τυφλῷ δῆλον esse dixerim. Sequitur adiectivum ὀρθά, ominosum fortasse, quamquam minime certa huius loci est lectio. Sed qui deinde subiungitur versus vel solus sufficit, nisi fallor, ad id quod volo evincendum: „adde quod somno mollior est et corrigiae non lora sed lana esse videntur". Mollities quid sibi vult in σκυτίνῃ illa ἐπικουρίᾳ, et quorsum tunc ἱμαντίσκοι?

Piget diutius immorari in re spurca, qua de omnino tacere maluissem, sed pro virili parte obnitendum duxi ne placeat explicatio ingeniosior quam verior. Donec igitur certa edocear, sumo βυσσῶνα fuisse vestimentum aliquod aut ornamentum muliebre. Fortasse ridiculus librariorum error nos ludificat; sed turpe nihil inesse huic mimo, id certum duco. Insulsissimus homo vocetur Herodas Cous, per me licet; sed cur impurissimus quoque fuisse credatur, causa adest nulla.

J. VAN LEEUWEN J.F.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XIX pag.* 128).

XIV.

AB ULPIANO INTERPOLATUS IULIANUS.

Apud Ulpianum persaepe condici obligationes sicuti corpora certa condicuntur, nemini hucusque venit in dubium. Pertinent enim eo novem fragmenta [1]), quorum licet unum alterumve Triboniani manus non effugerit, tamen omnia labem contraxisse non videntur. Certe nullam suspicionem movet fragmentum, quod est hodie l. 31 D. 12. 6: .

> *is qui plus, quam hereditaria portio efficit, per errorem creditori caverit, indebiti promissi habet condictionem.*

item l. 1 pr. D. 12. 7:

> .... *qui autem promisit sine causa, condicere quantitatem non potest quam non dedit, sed ipsam obligationem.*

Papiniano quoque non displicuit obligationes venire in condictionem. Habet enim (l. 52 § 1 D. 24. 1):

> *uxor viro fructum fundi ab herede suo dari, quod si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curavit: defuncto viro viva muliere stipulatio solvitur ..... nam, quo casu inter exteros condictio nascitur, inter maritos nihil agitur.*

Inter exteros igitur si talis interposita fuisset stipulatio, nihil obstaret, quominus condiceretur. Paulus quoque haud semel ad condictionem nos remittit, ut liberemur obligatione. Videsis l. 9 § 1 D. 12. 4:

1) L. 5 § 1 D. 7. 5; l. 7 pr. D. 7. 9; l. 31 D. 12. 6; l. 1 pr. D. 12. 7; l. 8 § 2 D. 16. 1; l. 3 § 10 D. 35. 3; l. 1 pr. D. 36. 4; l. 7 pr. D. 44. 4; l. 16 § 2 D. 4. 4.

Digitized by Google

> .... *condictio ei competit, ut aut repetat .... quod .... dedit, aut ut liberetur, si nondum solverit.*

item l. 5 § 5 D. 44. 4:

> *condictione tenetur .... ut vel liberet debitorem, vel, si solvit, ut pecunia ei reddatur* [1]).

Quaeri potest, cuinam iurisperitorum primum placuerit, obligationes condici posse. Et adducuntur quidem ab Ulpiano Iulianus (l. 7 pr. D. 44. 4) et Pomponius (l. 16 § 2 D. 4. 4; l. 3 § 10 D. 35. 3), posterior a Paulo (l. 5 § 1 D. 19. 1) quoque quasi huius doctrinae fautores. Ego de Pomponio non intercedo, Iulianum non patiar amplius huius rei auctorem dici. Etenim, quod observatum nondum videtur, ipse nos docet, obligationis condictionem sibi nec cognitam esse nec placere. Sufficiet ex ipsius Digestis adducere fragmentum, quod est hodie l. 46 pr. D. 23. 3, quod in haec verba desinit:

> .... *igitur hanc dotem periculo mulieris esse dico, quamdiu dominus vel pater ratam* promissionem vel donationem (l. *dictionem* [2]) *vel dationem*) *habuerit: ideoque etiam manente matrimonio res quas tradiderit condictione repetituram, item* incerti condictione *consecuturam, ut* promissione (Lenel: *dictione*) *liberetur.*

Mulier, quae corpora dotis causa tradiderit, causa non secuta, *condictione* ea repetet; alia actione utetur, si nullum corpus dederit, sed dotem dicendo obligationis onere sese obstrinxerit. Haec altera actio, qua consequetur ut liberetur, esse non potest *condictio incerti;* neque enim rectius condictioni condictio incerti opponitur, atque alibi apud Iulianum procuratori verus procurator (l. 22 § 8 D. 46. 8). Sub *vero procuratore* alterius fragmenti *cognitorem* latentem summo omnium plausu Eisele detexit [3]). Numquis mihi succenseat, nostro fragmento prorsus similem medicinam adhibenti? Dico, Iulianum mulieri opem tulisse non per *condictionem incerti* sed per *formulam incertam.* Haec si vera sunt, necessario obtinebo eiusdem Iuliani fragmentum, quod est hodie l. 3 D. 12. 7 hoc modo restituendum esse:

> *qui sine causa obligantur* incerti condictione (l. *incerta formula*) *consequi possunt, ut liberentur: nec refert omnem*

1) Praeterea: l. 12 D. 46. 2; l. 5 § 1 D. 19. 1.

2) Ita Lenel.

3) *Cognitur und Procuratur* p. 148.

Digitized by Google

quis obligationem sine causa suscipiat, an maiorem quam suscipere eum oportuerit .....

Quae sequuntur aut tota sunt Triboniani, aut eiicienda sunt [condictione] et [incerti condictione] et [incerti].

Tertium fragmentum eiusdem Iuliani, quo necessario revocanda est *incerta formula*, hodie est l. 2 § 3 D. 39. 5:

.... *si pecuniam, quam me tibi debere existimabam, iussu tuo spoponderim ei, cui donare volebas,* .... incerti condictione (l. *incerta formula*) *stipulatorem compellam, ut mihi acceptum faciat stipulationem.*

Haec eadem alio modo rectractavit Ulpianus (l. 7 pr. D. 44. 4):

Iulianus ait:

Si pecuniam, quam me tibi debere existimabam, iussu tuo spoponderim ei, cui donare volebas, ... *condictio mihi adversus stipulatorem competit, ut me liberet.*

Tenemusne interpolatorem? Obligationes, quum ipsi dubium non sit, in condictionem venire, Iuliano pro formula incerta condictionem acceptam refert.

Quaeri potest utrum omnino *incerti condictio* apud Iulianum ferri possit. In Pandectis quidem duobus adhuc locis apud eum invenitur (l. 60 D. 30 et l. 19 § 2 D. 43. 26). Prior locus de herede est, qui domum fideicommissam, in quam fecerit impensas, sumptu non deducto restituerit. Hunc *incerti condictione* sumptum consequi posse, Triboniani fide Iulianus auctor est. At quare certa formula non utatur? Certum impendit, certum quidni repetat? Patebit ratio, tribus fragmentis exhibitis, quae in Pandectis sese ita excipiunt:

(58). *Papinianus libro* IX *Responsorum:*

Domus hereditarias exustas, et heredis nummis exstructas, ex causa fideicommissi post mortem heredis restituendas, (restituendas) viri boni arbitratu sumptuum rationibus deductis, et aedificiorum aetatibus examinatis respondi.

(59) *Ulpianus libro* XXXIII *ad Edictum:*

Si modo nulla culpa eius incendium contigisset.

(60) *Iulianus libro* XXXIX *Digestorum:*

Quodsi nulla retentione facta domum tradidisset, incerti *condictio ei competet, quasi plus debito solverit.*

Iulianus igitur incerti condictionem ideo dat, quia Papiniano

Digitized by Google

placuit, *viri boni arbitratu* sumptuum rationes deducendas esse. Alioquin simplicem daret condictionem, *quia plus debito solutum per condictionem recte recip(i)tur* (Iavolen. l. 45 D. 12. 6). Fraus aperta est, neque enim se regere potuit Iulianus, ad id quod multo post scripturus esset Papinianus. Eiicienda igitur vox *incerti*.

Alter locus ita se habet:

> *cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus sed et* incerti condictione, *id est praescriptis verbis.*

Civili actione non teneri eum qui quid precario rogaverit èt Paulus èt Ulpianus scribunt l. 14 D. 43. 26, l. 14 § 11 D. 47. 2. Contrariae sententiae iidem sunt auctores, Ulpianus l. 2 § 2 D. 43. 26, Paulus Sent. V. 6. § 10. Danda si sit actio, praescriptis verbis maxime convenit; fieri tamen potest ut ipsa verba „*id est praescriptis verbis*" a veteris iuris Compilatoribus invecta sint. De hac actione cogitasse Iulianum, èt est per se probabile, èt eo confirmaretur quod Iuliani epitomator, Ulpianus, hanc actionem nominatim appellat (l. 2 § 2 D. 43. 26), nisi nuper viris doctis religionem iniecisset Gradenwitz [1]), Ulpiani non esse haec:

> *itaque cum quid precario rogatum est, non solum hoc interdicto uti possumus, sed etiam praescriptis verbis actione, quae ex bona fide oritur.*

Utcumque sit, Iuliano multo magis convenit incerta formula quam incerti condictio. Obligationes non condicit, sed petit per incertam formulam. Faceretne, si esset aliqua incerti condictio? Itaque hic quoque pro *incerti condictione* reponendum est: *incerta formula.*

Quodsi haec placuerint, sequitur apud Iulianum nullum sensum esse *certi condictionis.* Nam qui non norit *incerti condictionem*, idem haud magis *certi condictionem* appellaverit. Interpolatio igitur facillime agnoscitur in hisce (l. 17 § 2 D. 25. 2):

> *non solum eas res quae extant, in rerum amotarum iudicium venire, Iulianus ait, verum etiam eas, quae in rerum natura esse desierunt. Simili modo etiam* [certi] *condici eas posse, ait.*

Alias videbimus, utri haec interpolatio, Triboniano an Ulpiano, potius tribuenda sit.

---

1) *Interpolationen* p. 128—130.

Digitized by Google

XV.

SUUM CELSO RESTITUTUM.

Possessionem non posse nos condicere, Iulianus auctor est l. 33 D. 12. 6. Condicimus enim plerumque id quod dedimus; at si quis possessionem tantum tradit, nihil facit accipientis, itaque nihil potest condicere. Ab hac severitate posteriores iurisconsulti multum remiserunt; ipse Iulianus nihil remisit, nam quod legitur apud eum l. 19 § 2 D. 43. 26:

> *cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus, sed et* incerti condictione ....

superiore capite vidimus, quam sit verisimile ipsum Iulianum scripsisse *incerta formula*. Est tamen vetere quoque iure possessionis condictio non prorsus incognita; condicitur enim possessio, quandoque dominus rem suam condicit *ex causis ex quibus potest, veluti ex causa furtiva* (cf. l. 1 § 1 D. 13. 3). Is enim, penes quem rei dominium est, non potest condicere nisi possessionem. De hac antiqua possessionis condictione, quae competebat *soli domino* (l. 1 D. 13. 1), quaeritur, utrum in fundo habeat locum. Dubitandi ratio ea est, quia fundus non potest incidere in causam furtivam. Tamen condictionem dari placuisse, discimus ex Ulpiani fragmento, quod est hodie l. 25 pr., § 1 D. 47.2:

> *verum est quod plerique probant, fundi furti agi non posse. Unde quaeritur, si quis de fundo vi deiectus sit, an condici ei possit, qui deiecit? Labeo negat, sed Celsus putat, posse condici possessionem, quemadmodum potest re mobili subrepta.*

Admittit Celsus fundi nomine condictionem (*posse condici*), sed simul innuit hanc condictionem ex causa furtiva verum dicentibus possessionis esse (*posse condici possessionem*). Utrumque viro dignum qui sicuti respondendi aequitate, ita et ingenii acumine ceteros prudentes longe superat. Est enim aequitatis, condictionem tribuere ex fundo deiecto, quamvis proprietas verborum desideretur; ingenii, veram naturam actionis perspicere, cuius intentio fallit [1]). Intenditur enim furem dare, id est rem

1) Inter alios fefellit Bernhardum Windscheid (*Pand.* § 359[14]). Scribit enim condictionem furtivam rei ipsius esse condictionis. Scribere debuerat: ex causa furtiva revera possessionem condici sub specie rei ipsius.

Digitized by Google

actoris facere oportere. Hinc facile sanatur aliud Ulpiani fragmentum (l. 2 D. 13. 3), quod nunc ita sese habet:

> *sed et ei, qui vi aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici, Sabinus scribit. Et ita et Celsus, sed ita, si dominus sit qui deiectus condicat. Ceterum*, [si non sit] *possessionem eum condicere, Celsus ait.*

Eiicienda esse quae uncis inclusi, si recte interpretatus sum alterum fragmentum, in dubium venire non potest. Intererat autem admonere, ne Iuventii Celsi praestantissima observatio aut periret aut male intelligeretur.

XVI.

ABIUDICATUR ULPIANO l. 3 § 4 D. 12. 4.

Gravis est quaestio, neque in transitu dirimenda, utrum ex omni contractu id quod nobis debetur certa formula petere possimus, dummodo certum sit quod petatur. Quod confirmari videtur inprimis l. 9 pr. D. 12. 1:

> *certi condictio competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur .... licet enim nobis ex omni contractu certum condicere ....* (§ 3) *.... ex omnibus contractibus haec certi condictio competit ....*

deinde l. 28 § 4 D. 12. 2:

> *.... si ob actionem mandati, negotiorum gestorum, societatis, ceterasque similes iusiurandum exactum sit: deinde ex iisdem causis certum condicatur ....*

tertio l. 5 D. 44. 2 (de cuius fragmenti interpolatione dixi *Mnemos.* vol. XVII p. 125 sq):

> *de* [eadem] *re agere videtur et qui non eadem actione agat, qua ab initio agebat, sed etiamsi alia experiatur de eadem tamen re: utputa si quis mandati acturus, cum ei adversarius (vadimonium) promisisset, propter eandem rem agat negotiorum gestorum vel condicat ....*

denique tota causa Rosciana. Namque Fannio illud inprimis vitio vertit orator quod certa formula (*iudicio*) nunc petat, id quod olim petierat pro socio actione (*arbitrio*). Ecce verba Ciceronis (pro Q. Roscio c. 4):

Digitized by Google

pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicem....

At praecesserat inter eosdem societatis iudicium eiusdem pecuniae nomine:

de quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem venisti!

Sumamus Pandectarum et Ciceronis fide nihil obstare quominus ex omni contractu certa formula agatur, tamen interpolatum dico fragmentum illud Ulpiani quod est hodie l. 3 § 4 D. 12. 4. Verba sunt haec:

> .... *si nihil tibi dedi, ut manumitteres, placuerat tamen ut darem, ultro tibi competere actionem quae ex hoc contractu nascitur, id est condictionem, defuncto quoque eo.*

Contractus est eiusmodi. Convenit, ut alter servum suum potestate dimitteret, alter pecuniam certam daret. Itaque agitur de novo quodam negotio, cuius appellatio nulla propria iure civili prodita est, quod tamen Graece dicitur *συνάλλαγμα*. Notissima res est, ex tali contractu *civilem actionem* dari, quae mox *in factum*, alias *incerti*, *praescriptis verbis* plerumque audit. Nihil nunc ad rem, quod illud *praescriptis verbis actio* Triboniano tribuendum nuper censuit Gradenwitz [1]); de re enim nulla dubitatio. Hac igitur *incerti actione* tunc quoque utendum erit, quum ex novo contractu certum debeatur. Testis esto summus Papinianus (l. 8 D. 19. 5). Agebatur de servo aestimato dato quaestionis habendae gratia. Quum de eo compertum non fuisset, pro servo dominus pecuniam elegit. De formula quaerebatur, qua pecuniam dominus consequi posset. Respondit in haec verba Papinianus:

> *Dixi tametsi quod inter eos* [2]) *ageretur, verbis quoque stipulationis conclusum non fuisset, si tamen lex contractus non lateret, praescriptis verbis incerti et hic agi posse ....*

Itaque certa pecunia *incerti actione* petetur. Fieri quidem potest, ut pro incerti actione certa formula uti licuerit, quandoque certum in iudicium deduceretur. Idque ita esse interea sumamus, ut ab initio quam plurimum largiamur adversariis. Tamen ferri non potest, quod habet l. 3 § 4 cit.: condictionem esse actionem, quae *ex hoc*, id est novo, negotio nascatur. Ut

1) *Interpolationen* (1887) pag. 123 sqq.

2) Idem remedium adhibendum videtur, quod l. pr. D. 2. 14 attulit Bynkershoek (pro *eos* l. *reos*).

Digitized by Google

summum, dici potuit succedere posse condictionem pro actione quae ex novo negotio nascitur, id est in factum civili. Haec propria erit huius contractus, secundo gradu condictio veniet. Illa primas partes necessario occupabit, vicaria sorte haec fungetur. 'Sin quis dixerit, quod multis placuit [1]), nostro fragmento condictionis nomine incerti actionem appellari, videat, quam parum probabilis res sit. Opponuntur inter se condictio et praescriptis verbis actio l. 17 § 5 D. 19. 5:

> *si quis sponsionis causa anulos acceperit, nec reddit victori, praescriptis verbis actio in eum competit. Nec enim recipienda est Sabini opinio, qui condici et furti agi ex hac causa putat ....*

Neque auxilium ullum praebet Iuliani fragmentum quod est hodie l. 19 § 2 D. 43. 26, siquidem veri est simillimum ita legendum esse (cf. supra cap. XIV):

> *cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus, sed et incerta formula* (Tribon.: incerti condictione) *id est praescriptis verbis.*

Habet autem nostrum fragmentum alia quae offendunt. Pessima est Latinitas. *Si nihil tibi dedi, placuerat tamen, ut darem.* Quomodo haec dicenda fuerint, ipse docet Ulpianus l. 15 D. 19. 5 (*Quodsi solutum quidem nihil est, sed pactio intercessit ob indicium, hoc est, ut si indicasset, apprehensusque esset fugitivus, certum aliquid daretur*). Adnotat Lenel: verba *placuerat tamen ut darem* vix sunt Ulpiani. Atqui resecantes ista totam sententiam pessum dabimus. Mira denique est iurisprudentia. Praecesserat ex Proculo petita observatio, pecuniam ob manumissionem solutam, causa non secuta, tamen repeti non posse, si servus ideo non fuerit manumissus quod diem obiisset, antequam manumitti potuisset. Huic forte congruum, pactione standum esse, defuncto quoque servo, modo decesserit antequam manumitti potuerit. Si nostro fragmento fides, meliore iure erit, qui tantummodo pactus est, quam ille qui pecuniam accepit. Defuncto servo alter pecuniam sibi dari oportere intendere poterit, alter plerumque acceptam reddere cogetur, nisi forte constet servum tunc quum vita fungeretur, manumitti nondum potuisse.

---

1) Savigny, *System* V p. 595.

Digitized by Google

Tempus fuit olim, quum crederem Ulpiano ita subveniri posse, si verba *id est condictionem* Triboniano accepta ferrentur. Idque aliis quoque sufficere visum est [1]). At si recogito, quam parum Latine totus locus conscriptus sit, simul illud quoque quam vitiosa tota sententia sit, mihi iam non est dubium, tota paragrapho Triboniano redhibita, sic demum Ulpianum in integrum restitui posse.

XVII.

APUD ULPIANUM EX STIPULATIONE NON NASCI CONDICTIONEM.

Quemadmodum de possessione solus Paulus commentarium libris inseruit, quos fecit ad Edictum, ita solus Ulpianus Edicti seriem interpellavit inserto generali *de condictione* commentario. Inseruit autem ibi, ubi *de rebus creditis* Praetor edixerat, itaque hodie in Pandectis exstat triplex rubrica: *de rebus creditis, si certum petetur, et de condictione* (D. 12. 1), cuius prima pars ex Edicto petita est, media petita videtur, tertia ab Ulpiano processit. Huius commentarii fragmenta quae supersunt diligenter in Palingenesia congessit atque disposuit Lenel, ductusque inscriptionum singularum auctoritate iis quae petiit ex XXVI Ulpiani *de condictione*, ex XXVII autem *de condictione triticaria* praescripsit. Utraque commentarii pars generali quadam introductione praemunitur, quarum altera hodie est l. 9 pr. — § 3 D. 12. 1 (de certi condictione), altera l. 1 pr. D. 13. 3 (de condictione triticaria). Has introductiones generales paulisper praetermittam, ideo, quia, si quid interpolavit Tribonianus, necessario evenire debuit, ut hae maximam labem contraherent. Ipsum Ulpianum ibi maxime tenebimus, ubi singulae species, ex quibus oritur condictio, pertractantur. Ordiendum igitur a l. 9 § 4 D. 12. 1:

> *Numeravi tibi decem et haec alii stipulatus sum: nulla est stipulatio: an condicere decem* [per hanc actionem] *possim, quasi duobus contractibus intervenientibus, uno qui re factus est, id est numeratione, alio qui verbis* [id est] *inuti-*

1) Savigny, *System* V p. 595. — Ipse locum sic tuetur, ut dicat *placito* significari *stipulationem*. Quod ideo falsum est, quia apud Ulpianum ex stipulatione condictio non nascitur, sicuti videbimus proximo capite.

Digitized by Google

liter, quoniam alii stipulari non potui? et puto posse.

Quaenam sit ratio dubitandi ipse docet l. 6 § 1 D. 46. 2:

> *Cum pecuniam mutuam dedit quis* [sine stipulatione] *et ex continenti fecit stipulationem: unus contractus est. Idem erit dicendum, et si ante stipulatio facta est, mox pecunia numerata sit.*

Unus est contractus, quotiens pecuniam mutuam dantes eandem stipulemur, et quidem *verborum*, sicuti Paulus ait l. 126 § 2 D. 45. 1, cuius rei rationem Pomponius adfert, *quia id agitur, ut sola stipulatio teneat* (l. 7 D. 46. 2). Hinc oritur quaestio, utrum pecuniam datam condicere possimus, si non teneat ista stipulatio. Obiiceres: unus est contractus isque inutilis. At condicendam Ulpianus ait, *quasi duobus contractibus intervenientibus.* Deinde ita pergit:

> (§ 5) *idem erit, si a pupillo fuero sine tutoris auctoritate stipulatus, cui tutore (auctore) credidi: nam et tunc manebit mihi condictio ex numeratione.*
>
> (§ 6) *item quaeri potest, et si quod tibi numeravi, sub impossibili condicione stipuler; cum enim nulla sit stipulatio, manebit condictio.*

Nullam esse oportet stipulationem, ut maneat condictio. Tollitur ergo, si stipulatio recte facta est. Longe igitur abest, ut ex stipulatione condictio possit oriri. Atqui obstat Triboniani auctoritas pr. Inst. III. 15:

> *Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione et responsu.... Ex qua duae proficiscuntur actiones, tam condictio, si certa sit stipulatio, quam ex stipulatu, si incerta....*

Illud reponam, nulla re magis veterum iurisconsultorum sententias Tribonianum obscuravisse quam eo quod non monuerit, primum se dare ex stipulatione condictionem, quum apud veteres ex stipulatione quamvis certa semper detur actio ex stipulatu. Idque sat multis testimoniis confirmatur. Scribit Paulus (V. 5ª § 1) nisi compromisso stetur, poenam huius rei nomine *ex stipulatu peti po(sse).* Ecquis dubitet poenae nomine plerumque certam promitti pecuniam? Conferat modo l. 11 § 2 D. 4. 8. Rursus Paulus habet (V. 7 § 4):

> *Cum facto promissoris res in stipulatum deducta interciderit perinde agi ex stipulatu potest, ac si ea res extaret....*

Digitized by Google

Itaque res quoque certae in ex stipulatu actionem venient. Neque huius vestigia iuris in Digestis exarari potuerunt; exstant passim. Stichum dari stipulatus, auctore Iuliano (l. 18 D. 44. 7) *ex stipulatu Stichum pet(et)*. Ulpiano quoque teste, qui certum servum promiserit, aut *ex stipulatu actione*, aut omnino non tenetur (l. 51 D. 45. 1). Item si quis decem in melle stipulatus fuerit, id est, ut reus melle certi pretii liberare se possit, *ex stipulatu ag(endo)* decem consequetur (l. 57 pr. D. 46. 3). Paulus quoque in hac parte sibi constat. Etenim, rem certam stipulatum, aut *ex stipulatu* posse *ag(ere)*, aut nullam omnino habere petitionem, ait (l. 83 § 6 D. 45. 1). Idem de certa promissa pecunia. Nam si contra leges certa pecunia in stipulationem deducta fuerit, *actionem ex stipulatu* denegat (l. 15 § 1 D. 35. 2). Hanc igitur daret, nisi lex petitionem infirmaret. Itaque certa pecunia dotis nomine data et in stipulationem deducta, *ex stipulatu actione* maritum convenit (l. 11 D. 33. 4). Poenae quoque promissae similiter apud omnes, ex stipulatu actione peti solent (l. 21 § 12 D. 4. 8; l. 42 D. 17. 2; l. 28 D. 19. 1). Neque ego primus hoc dicendi genus detexi; iamdudum observavit Schrader ad pr. Inst. III. 15 [1]). At optimam observationem pessima interpretatione omni fructu nudavit, qui inde percipi poterat. Autumat enim iurisconsultos tunc quum ita scribant, minus accurato sermone uti. Itane vero? Ex Triboniano sciscitandum, quid iureconsultos dicere oportuerit? Forte fortuna apud Papinianum superest, quod omnem dubitationem vincet. Habet enim (l. 4 pr. D. 22. 1):

> *si stipulatus sis, rem dari vacuamque possessionem tradi, fructus postea captos actione incerti ex stipulatu, propter inferiora verba consecuturum te, ratio suadet* .... [2]).

Stipulatus es in haec verba: *rem dari* (haec sunt verba superiora), et praeterea *vacuam possessionem tradi* (haec sunt verba inferiora). Superiora certa, inferiora incerta sunt (cf. l. 75 § 7, 10 D. 45. 1), itaque ex inferioribus agetur *actione incerti ex stipulatu*. Illud non exprimit Papinianus quae danda sit actio ex superioribus. Sed satis apparet esse non posse nisi *actionem certi*

1) Deinde Voigt quoque vidit, qui maximam vim iudicat esse in l. 132 pr. D. 45. 1 (*das Ius Naturale* etc. IV p. 397).

2) De toto hoc fragmento fusius egi *Mnemosyn.* vol. XVII p. 403.

Digitized by Google

ex stipulatu. Hinc via patet ad restituendum Ulpiani fragmentum quod est hodie l. 24 D. 12. 1:

> *si quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu actionem non habet* ....

Optime convenit cum pr. Inst. III. 15, quod Triboniani auctoritate nititur. Refragantur omnia prudentium fragmenta. Quid si legamus:

> *si quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu (incerti) actionem non habet* .....

Scilicet abstinendum est ea formula, quam Gaius (IV § 136) docet, *si cum (eo) agamus qui incertum promiserit, nobis esse propositam*. Utendum est *ea formula qua (certum) petimus* (Gai. IV § 50). Eaque erit actio certi ex stipulatu. Totum Ulpiani fragmentum subiiciam:

> *si quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu (incerti) actionem non habet: sed illa* [condictitia] *actione id persequi debet, per quam certum petitur.*

Vox [condictitia] omnimodo circumducenda est. Abundat (cf. Gai. IV § 50); sententiam obscurat; Triboniano in deliciis est [1]). Remota si fuerit, omnia recte sese habebunt.

Forte quis dixerit, eam formulam qua certum petimus ex stipulatu non recte appellari, ideo quia in certa formula causa non exprimitur. *Loquitur* enim *indiscrete*, ut de cautione est in l. 25 § 4 D. 22. 3. Hoc certo scimus ex Ciceronis pro Q. Roscio oratione c. 4, 5:

> *pecunia petita est certa, ... Haec pecunia necesse est aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit* ....

Is igitur, qui certum petit, in formula non dicit, unde petat. Attamen certa formula ex stipulatu recte audit. Erit enim haec certa formula, prout res inciderit, mox ex stipulatu actio, mox ex numeratione condictio, mox expensi lati petitio. Qui hoc fit? Etenim causa numquam non subest, etiamsi in formula non exprimatur, et apud iudicem manifestanda est. Itaque posteaquam apud iudicem de causa constiterit, isque forte compererit stipulationem subesse, simul apparebit in praesenti ex stipulatu actione actum fuisse.

---

1) Ipse usus est § 1 Inst. III. 14; § 24 Inst. IV. 6; c. 45 § 6 C. 1. 3; Nov. 162 c. 1 § 1. — Occurrit praeterea l. 13 § 2 D. 12. 2; l. 7 pr. D. 12. 4; l. 55 D. 24. 1 c. 3 pr. C. 8. 54 (55).

Digitized by Google

DISPUTATIO DE ALIQUOT LOCIS EPISTOLARUM CICERONIS AD ATTICUM.

SCRIPSIT

J. C. G. BOOT.

Postquam ante hos sex annos altera mea editio harum epistolarum prodiit, multi viri docti eas emendare et eruditionis suae copiis illustrare aggressi sunt. Vidi et attente legi, quae C. A. Lehmannus in parte prima Quaestionum Tullianarum, quae R. Y. Tyrrellus in volumine secundo et tertio suae editionis omnium epistolarum protulerunt, quaeque A. Otto in Musei philologici Rhenani XLI, 3 scripsit, multaque in iis inveni, quibus plane assentior. Legi etiam, sed non laudo, quae W. Marshall in libro, qui inscribitur Cruces and criticisms (Londini 1886) p. 29—47, et quae E. Spanoghe in Emendationibus Tullianis (L. B. 1890) p. 48—54 coniecerunt.

Quum vel mea sponte vel aliorum scriptis excitatus saepius ad meam editionem redirem, inveni quae in meo commentario vel immutata vel magis ornata cuperem. Liceat nunc mihi nonnulla eorum promere et Mnemosynes lectoribus offerre. Fortasse aliquid conferent ad has epistolas melius intellegendas.

I. 13, 1. *Accedit eo, quod mihi non **, ut quisque in Epirum proficiscitur.* Lacunam male impleri verbis *est notum* monui in mea editione, et conieci excidisse *bonus est* o: utilis est. Sic de Orat. III. 139 Critias et Alcibiades *civibus* (sic scribendum pro *civitatibus;* nam illi eiusdem erant civitatis) *suis non boni* fuisse dicuntur. Idem nomen excidisse videtur in Frontini Strateg. II.

Digitized by Google

3, 23, ubi codices optimi Harleianus et Parisinus praebent: *Imperator — iussit suos equites — equis desilire pedestrique pugna confligere: quo genere consecutus, ne quis non locus victoriam eius moraretur.* Scribendum censeo: *quo genere consecutus (est), ne equis non (bonus) locus v. e. m.* In Epist. ad Att. nunc scribendum censeo: *Accedit eo, quod mihi non bonus est quivis qui in Epirum proficiscitur.*

I. 18, 1. *Metellus non homo, sed „litus atque aer et solitudo mera".* Vanas esse multorum coniecturas et hic sermonem esse de consule Q. Metello Celere eodem fere tempore docuerunt I. Vahlenus in Indice lect. Berolinensi a. 1879 p. 11 seq. et R. Y. Tyrrell, the Corresp. of Cicero Vol. I p. 96. Itaque deleatur signum corruptelae nomini in mea aliorumque editionibus praepositum.

II. 1, 7. *nostri autem principes digito se caelum putent attingere.* Digito caelum attingere est facere quae fieri non possunt. Similia sunt, quae legimus in Ovidii ep. ex Ponto II. 2, 9 seq.

Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sidera posse manu.

et in Propertii El. III. 30, 50:

Tu prius et fluctus poteris siccare marinos
Altaque mortali deligere astra manu.

II. 1, 12. *si me amas, cura ut conserventur.* Sententia non integra est, nisi addas quae in margine codicis Medicei scripta sunt: *et ad me perferantur.*

II. 2, 2. Theod. Bergkius in disputatione de Aristotelis πολιτεία Ἀθηναίων (Kleine philol. Schriften II p. 531) defendit h. l. sermonem esse de tribus Aristotelis πολιτείαις et pro *Dicaearchi* scribi vult *Dicaearchiae* ɔ: Puteolis. Sed primum non est verisimile hanc epistolam scriptam esse in Puteolano potius quam in Tusculano, ut vulgo statuitur, tum Cicero nunquam alias Puteolos appellat Dicaearchiam, postremo non poterat scribere *magnum acervum* sine ulla definitione. At idem Bergkius ingeniose correxit verba, quae in Med. sic scripta sunt: *mihi hredes lege*

Digitized by Google

hec doceo mirabilis vir est, scribendo: *Mihi crede, si leges, ἐκβοήσῃ· mirabilis vir est.*

II. 6, 1. *duumvirum.* Iis, quae de hoc genetivo contracto monui, addo similiter legi apud Livium XXVII. 8, 4 in optimo codice Puteano: *decemvirum sacris faciundis creatus — C. Laetorius*, quum saepius ab eo *duumvir* et *duumviri* appellentur. Gellius antiquum morem servavit I. 12, 6. III. 9, 4, quum in M. Varronis scripto legisset: *Ego triumvirum, vocatus a Porcio tribuno plebis, non ivi.* XIII. 12, 6.

II. 9, 1. *Festive — orbis hic reipublicae* (pro: *in re publica*) *est conversus, citius omnino quam oportuit culpa Catonis et rursus improbitate istorum* cet. Ita hunc locum scribendum existimavi et etiam nunc existimo. Frid. Schmidt in disputatione Zur Kritik und Erklärung der Briefe Ciceros an Atticus Norimbergae anno 1879 edita (quam non prius in meas manus venisse doleo; nam multa continet omnino probanda) pro *sed rursus* scripsit: *sed eversus.* Ei respondeo orbem converti posse, non everti. Currus, navis, civitas evertitur, non orbis.

II. 16, 4. *Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis.* Verbum *discedere* Orellio, Wesenbergio mihique corruptum est visum. Frid. Schmidt l.l. p. 18 seqq. nihil mutandum censet interpretatus discedere in sententiam alicuius et *ne pereat* dictum putat pro: hac conditione, ne — pereat. Sed nullo exemplo probavit *discedere* absolute positum illam vim habere, neque causam optimam dici pro causa meliore, quando agitur de duabus causis.

III. 6. *idque ad multa pertinuit.* Recipiendum censeo e margine cod. Med. *pertinuisset.* Sententia est: idque multarum rerum causa utile fuisset, sed factum non est.

IIII. 1, 7. (Pompeius) *ad omnia me alterum se fore dixit.* In Med. *ad* desideratur. Nescio quis addiderit. Poetae, ut Vergilius Aen. IIII. 558, et argenteae aetatis scriptores *omnia* adverbialiter posuerunt. Sed Cicero h. l. vel *ad omnia* = in omnibus rebus, vel *omnino* scribere debuit.

Digitized by Google

IIII. 2, 4. *Quum ad Clodium ventum esset, cupiit diem consumere, neque ei finis est factus.* Ultima verba Gronovius ita interpretatus est: „non pro potestate consules iusserunt eum silere", in quo vir summus lapsus est. Nam consules non habebant talem potestatem. *Neque ei finis est factus* dicitur pro: nec finem fecit orationi suae. Cf. Gellius N. A. IIII. 10, 8 *quum finem non faceret* de M. Catone in senatu sententiam dicente.

IIII. 3, 5. *Nova quaedam divina mitto.* Male duce Ernesto de integritate horum verborum dubitavi. Cicero iis declarat se silentio praeterire quaedam nuper a Milone egregie facta.

IIII. 3, 6. *re familiari comminuti sumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem, illo recusante subsidiis amicorum respondemus.* Quaeritur dicatne his verbis Cicero se partim sua pecunia, partim subsidiis amicorum liberalitati fratris satisfacere, ut visum est Tyrrello, an quum ipsius res familiaris non sufficeret, ad eam rem usum esse pecunia amicorum, itaque versura solvisse. Hoc ego defendi et nunc etiam verum puto. Dicit se re familiari comminutum ɔ: valde minutum. Ciceronis facultates erant attritae. Non potest suis facultatibus respondere fratris liberalitati, sed facit hoc ope amicorum. Itaque non scribit facultatibus nostris, sed *pro facultatibus nostris* ɔ: loco pecuniae nostrae, ut supra II. 5, 1 *Cato mihi unus est pro centum milibus.*

IIII. 46, 2. *Mediusfidius ne tu emisti ludum praeclarum.* Sic post Ernestum plerique haec verba ediderunt, quum in codd. *locum* sit scriptum, quod Gronovius de Sestert. II. 7 p. 104 et in dictatis MSS. explicat locum ad spectandos gladiatores, quem Atticus emerat in diem, ne ad singula munera lucar dare cogeretur. Sed quum munera gladiatoria illo tempore in foro darentur, non erant loca ad spectandum fixa, itaque non poterant emi; nonnumquam fuisse locata ab iis, qui munus populo dabant, novimus e Plutarcho in C. Graccho, 12 (*θεωρητήρια κύκλῳ κατασκευάσαντες ἐξεμίσθουν*). Alii *locum* interpretantur *ludum gladiatorium*, locum ubi exercerentur gladiatores. Atque ita haec verba acceperunt Mongaltius et Wielandus. Sed quo-

Digitized by Google

niam gladiatorum mentio nondum facta est, illa interpretatio dura est. Tyrrellus recepit Bosii emendationem λόχον ὁ: manum sive manipulum, quae mihi quoque admodum probabilis videtur. Quod suspicatus sum haec et quae sequuntur ironice dicta esse, id non confirmari ultimis verbis ep. 8a fateor, itaque nunc abiicio. Obiectum verborum *locare* et *liberasses* sunt *gladiatores*, et Cicero hoc dicit: si eos locare voluisses iis, qui nuper munera gladiatoria dederunt, accepisses tantum, quanti tibi constant.

IIII. 5, 1. *Sed valeant recta, vera, honesta consilia.* Recte Lambinus ad Horatii versum ex Ep. II. 1, 180 exemplis illustrans usum verbi *valere*, quando contemnendi et renuntiandi vim habet, haec verba citavit. Nam post ea, quae proxime praecedunt „subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία", consilia ipsius Ciceronis cogitanda sunt. Itaque *valeant* h. l., ut XVI. 15, 5, est idem quod *abeant, pereant.*

IIII. 9, 1. *Syriam spernens, Hispaniam iactans.* Tyrrellus probavit Manutii interpretationem participii *iactans*, ut sit „ita exagitans, quasi fastidiret, ut ostenderet se provinciarum administrationem, quarum alii cupidate flagrarent, minimi aestimare", et multis locis demonstrare conatus est verbum *iactare* nonnumquam habere vim abiiciendi et contemnendi. Ego vero nego iactare et iactari unquam ita dictum esse, et in locis ab eo laudatis poni video pro *agitare* et *agitari, vexari.* Itaque defendo recte me in adnotatione ad haec verba monuisse vocem *iactans* opponi praecedenti *spernens*, et Pompeium depingi contemnentem provinciam Crasso, valde extollentem provinciam sibi destinatam.

IIII. 11, 2. *Ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem.* Med. *duxi.* Sed recte illud e codice Faerni et e margine Crat. receptum est. Nam Cicero semper scripsit *comitem secum educere.* Cf. Verr. II. 2, 28. Catil. I. 9 et 10. in Pis. 83. ad Q. fr. III. 3, 4, quibus locis nulla scripturae varietas est.

IIII. 16, 7. *constat aditus insulae esse munitos mirificis molibus.* Si ita in codice MS. esset, nemo dubitaret de veritate scriptu-

Digitized by Google

rae. Sed *munitos* debetur coniecturae. Quod in Med. est *miratos*, Iunium induxit ut *moeratos* scribendum putaret movitque Tyrrellum, ut *muratos* ederet. Valde placet, etsi haec vox non reperitur in Ciceronis et aequalium scriptis. Eandem restituit R. Ellis in Ciri v. 105, ubi vulgo editur: *Stat Megara, Alcathoi quondam munita labore.* Sed plures codices praebent: *mutata.*

IIII. 17, 3. *At senatus decernit* cet. Laudo Tyrrellum, qui e Mediceo praesens restituit et paullo post defendit *Res cedit*, pro quo ego *Res sedit*, Madvigius *Res cecidit* scribendum censuit. Cf. Praefatio vol. II. p. XII et p. 156. Ad *cedit* adscripsit „goes on" ɔ: succedit, quam vim comicos verbo tribuere affirmat. Afferam versus Aeneidos XII. 148, ubi hoc modo ponitur: *Parcaeque sinebant cedere res Latio*, et XII. 183: *Cesserit Ausonio si fors victoria Turno.*

IIII. 17, 4. *Sed senatus hodie fuerat futurus, id est, Kal. Oct.* In eadem hac § legimus haec scripta esse *pridie Kal. Oct.* Quum videret lucescere, itaque novum diem incipere, se corrigit.

V. 3, 1. *Quid de his cogites et quando scire velim.* Madvigius, cuius verba ad h. l. citavi, recte videtur haec accepisse de profectione Attici, quam Cicero instare sciebat. Cf. ep. 5, 2 *quamdiu Romae futurus sis*, ep. 6, 2 *dubitans Romaene sis an iam profectus.* Mendum itaque est in *de his*, pro quo fortasse scribendum *de discessu.*

V. 4, 3. *ut agam amplius.* In his enarrandis secutus sum Gronovium, sed perperam. Verba non pendent ab *effice*, sed reliquae orationi interponuntur. Cicero Atticum rogat, ut cum Oppio transigat et hoc faciat, antequam Romam relinquat. Ergo priori petitioni addit novam. Hoc declarat verbis: *ut agam amplius*, quae idem valent ac si scripsisset: ut plus a te contendam. Recte Tyrrellus sprevit Lehmanni coniecturam, qui *amplius* in *apertius* mutandum censuit, Quaest. Tull. p. 32.

V. 8, 3. *nihil nobis fuerat tanti.* Temere in his explicandis Madvigii auctoritas plus apud me valuit, quam I. F. Gronovii.

Digitized by Google

Hic adnotavit: „malo carere omnibus, quae mihi debet, quam virum tam bene de me meritum offendere, aut nullam pecuniam tanti facio, ut ob eam gravari Milonis causam velim."

V. 11, 7. *Tu velim Piliam meis verbis consolere* — *συμπαθῶς*. Locus obscurus, quoniam ignoramus quamobrem Pilia, Attici uxor consolatione egeret, et ad quem dederit epistolam *συμπαθῶς* scriptam. Non debueram in re incerta *meis verbis* sententiam subiicere diversam ab ea, quam habere solent, ut XVI. 11, 8. Fam. V. 11, 2. XV. 8, nec *συμπαθῶς* sollicitare.

V. 12, 1. *itaque erat in animo nihil festinare, nec me Delo movere, nisi omnia ἄκρα Γυρέων pura vidissem.* In Med. est *ἀκρατηρεων iura*, unde de Bosii coniectura factum *ἀκροτηρίων οὖρια*, quod plerique editores retinuerunt. Sed Lud. Dindorfius acute vidit Ciceronem respicere Archilochi versum a Plutarcho et Heraclide Pontico servatum, in fragm. 56 Bergkii, et scripsisse *ἄκρα Γυρέων pura* ɔ: cacumina Gyrarum pura. Gyrae autem appellantur promontorium insulae Teni, quod a Delo conspiciebatur.

V. 16, 2. *ὠνὰς omnium venditas.* Ad haec verba subobscura iuvat adscribere, quae Gronovius in dictatis MSS. monuit: „Cum civitates spoliatae et ad pauperiem redactae iniustis exactionibus pecuniarum per magistratus annuos Romanos et foenore mersae a negotiatoribus, nec his amplius ad diem solvere, nec publicanis quod debebatur populo R. pendere possent, omnium *ὠνάς* ɔ: *τέλη*, *δημόσια*, vectigalia et reditus, subhastatas ad sectores ivisse." — Nam *ὠνὰς* vendi dicere potuerunt, ut *vendere decumas* dicebant. Vid. de pec. vet. IV. 5.

V. 20, 4. *nobilem sui generis.* Tyrrellus merito reiecit meam interpretationem, sed quam excogitavit ipse, ut sit nobilem asinini generis, probare nequeo. Acquiescendum puto in P. Manutii explicatione: nobilem inter centuriones, quam secutus est Wielandus vertens: einen sehr ausgezeichneten Officier.

V. 20, 5. *quibus captivis exceptis reliquam praedam concessimus. captivis* adiecit Wesenb. Sed omissio eius nominis facilius intel-

Digitized by Google

ligitur, si post *exceptis* reponas. Atque hunc ordinem verborum exempla commendant Fam. V. 21, 1 *excepto uno aut summum altero*, de Orat. I. 38 *exceptis vobis duobus*. Plin. Ep. VII. 11, 5. Ego illi ex praediis meis — obtuli *exceptis maternis paternisque*.

V. 21, 3. *quum Pompeius — nusquam dimittatur*. *Nusquam* saepe a comicis, raro a scriptoribus ponitur ad significandum motum in aliquem locum, ut h. l. et in epistola Pollionis Fam. X. 32, 12. Cf. Handii Turs. IV. p. 348.

VI. 1, 7. Brutus *ad me — contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere*, et 3, 7 Cicero queritur in Bruti litteris inesse *arrogans, ἀκοινώνητον aliquid*. Tyrrellus iudicans illas voces Graecas languere post Latinas, quae praecedunt, e libro Mediceo recepit *ἀκοινονοήτως* et *ἀκοινονόητον*, quae magis sententiae respondere censet. Ego dubito num Cicero rarioribus illis vocibus usus sit et vulgatum retinere malo. *ἀκοινώνητος* est, qui nihil sibi cum aliis commune esse vult, illiberalis; itaque in Plutarchi Sympos. II iungitur cum *ἀνελευθέρῳ*. Adverbium paulo lenius est, quam aspere vel acerbe. Adiectivi vim bene reddit Wielandii *zurückstoszendes*.

VI. 2, 5. *sine ulla ignominia*. Cf. Plut. in Cic. 36 *τοὺς ἀποτίνοντας οὐδὲν πλέον τούτου παθόντας ἐπιτίμους διεφύλαξεν*.

VI. 7, 2. *Rhodum volo puerorum causa, inde quam primum Athenas, etsi etesiae valde reflant, sed plane volo his magistratibus*. Lehmannus haec verba attigit in Quaest. Tull. p. 70. Partim cum eo verba sic corrigo: *et, nisi etesiae valde reflant, redire plane volo his magistratibus*. Non opus est addi *ad urbem, domum* vel *ad vos*.

VI. 9, 2. *ἄτυφον*, quod proprie modestum significat, Gronovius h. l. censet esse eum, quem Cicero ad Att. II. 17, 2 *ἀφιλόδοξον* vocat, honoris contemptorem.

VII. 2, 4. *animos mihi addidisti* ɔ: alacriorem me fecisti, fiduciam mei mihi dedisti. Livius frequenter dicit *animos alicui facere*, cf. Madvigii Emend. Liv. p. 371, et *animos dare* IX. 5.

Digitized by Google

VII. 2, 5. *Redeo ad rem. Quomodo exspectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses! scripseras — Neapolitano: eam mihi Patro Brundisii reddidit.* Recte BWKl. ita ediderunt, ut in Med. scriptum est. Male Lambinum secutus pro *quomodo* scripsi *commodum* et ante *eam* intuli *quum.*

VII. 3, 7. *aveo scire quid hominis sit.* Optime haec interpretatur Lehmannus Q. T. p. 31. Cicero, quum Puteolanum Hortensii emere cuperet, scire vult quantum pater filio reliquerit, quid esset eius, quem Cicero per contemptum vocat hominem.

VII. 14, 2. *scutorum in ludo* IOO *fuerunt.* A. G. Zumptius in Comm. epigr. vol. I. p. 296 defendit P. Victorii correctionem *secutorum*, numerumque non nimium esse docuit. Sed certum est in illo ludo non solos secutores fuisse, nec apparet cur horum solorum numerus nunc nominaretur. Quum in praecedenti sententia *Gladiatores Caesaris* nominentur, hic satis fuisset: *Eorum in ludo* IOO *fuerunt.*

VIII. 3, 4. *In te cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sine causa*, cet. Pluribus coniecturis de h. l. prolatis nuper accessit ea, quam O. E. Schmidt posuit in docta disp. *M. T. C. beim ausbruch des bürgerkriegs* in Novis Ann. Philol. CXLIII. 2, p. 125: „*Invite* cepi Capuam — sed *pacis* causa — sed hebes, ut solet. *Sed*, ut ipse *sensi quam* esset — et infimus *quisque* cet. Non placet plures ob causas. Offendit adv. *invite.* Cur Cicero non, ut solet, scripsit *invitus*? Ex eo, quod scripsit Tironi pridie Idus Ian. a. 705 scimus eum in descriptione regionum Italiae Capuam sumpsisse (Fam. XVI. 11, 3), sed non hoc eum fecisse invitum. Sed mox Capuam abiecit, vel a se reiecit, ut scribit Pompeio VIII. 11, D. 5, et praefuit orae maritimae VII. 11, 5. 14, 3, VIII. 11 B. 1. Tum nimis audacter pro *sine causa* scribitur *pacis causa*, eaque quae sequuntur ad illam pacem referuntur. Postremo non video quo illa unius sententiae in duas distractio se commendet.

Ibid. 6. *non accipere ne periculosum sit, invidiosum ad bonos.* Optime Otto p. 370 lacunam implevit hoc modo: *Non accipere ne periculosum* (sit vereor, accipere ne) *sit invidiosum ad bonos.*

Digitized by Google

VIII. 12, 4. *ecquae pacifica persona desideretur an in bellatore sint omnia.* Qui h. l. appellatur *pacifica persona*, alibi vocatur *pacificator* ut XV. 11. In Martialis XII. 62, 8 *pacificus Numa*, VIII. 66, 1 *pacificus Ianus* prodit.

VIII. 12 B., 2. *ut primo quoque die Luceriam advenires.* Otto recte inter *ad* et *venires me* addit, collatis 11 A *censeo ad nos Luceriam venias.* 12 C., 1 *in Samnium ad me venturum.* 3 *quam primum ad me venias.*

VIII. 16, 2. *propitium hunc sperant, illum iratum putant.* Cf. Suetonius in Caes. 75: „Denunciante Pompeio pro hostibus se habiturum, qui rei publicae defuissent, ipse (Caesar) medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros pronunciavit". In Terentii Adelphis I. 1, 6 uxor *irata* opponitur parentibus *propitiis.*

IX. 5, 2. *diem — Aliensis pugnae.* Ita scripsi auctore Niebuhrio. Sed codex Veronensis Livii VI. 1 cladem *Alliensem* vocat, eamque veram scripturam esse docet Mommsenus in C. I. L. I p. 397. Cf. quoque Peerlk. ad Virg. Aen. vol. II p. 68.

IX. 6, 3. *quibus usus non est* ex antiqua formula, quae a Livio quoque XXX. 41 servata est, a scriptore epistolae ponuntur pro usitatiore *quibus opus non est.*

IX. 10, 3. *haec me fefellerunt* e Med. recipiendum est. Male *haec* iteratur e ficto Bosii codice.

IX. 10, 6. Ceteris coniecturis a me laudatis praestare videtur haec Ottonis: *Quod quaeris a me fugamne defendam an moram utiliorem putem.*

IX. 11, 4. *post fugam nostram nunquam earum intervallum fuit.* Sic scribendum censeo deletis verbis *iam nostrum*, quae ab oscitante librario e praegressis *fugam nostram* repetita sunt.

IX. 11 A., 3. *ut arbitror et ad tuam fidem et ad rem publicam*

Digitized by Google

pertinet, me et pacis et utriusque vestrum ..... et ad civium concordiam — conservari. Locum sic in cod. Med. scriptum egregie restituit Lehmannus, docens post *vestrum* intercidisse: *amicum et ad vestram.* vid. Quaest. Tull. p. 96—100.

IX. 12, 3. *viri boni usuras perscribunt* ɔ: homines locupletes dant argentum foenori et syngraphas faciunt, ut in media pace. Sic verba explicat I. F. Gronovius.

IX. 15 A. *quoniam de adventu Caesaris pro certo habebamus. Pro certo habere aliquid* legitur X. 6, 3. Insolite Matius et Trebatius pro *adventum Caesaris* scripserunt *de adventu C.*

IX. 18, 3. *Tu malim, inquies, actum ne agas.* Ita scribendum esse, non *malum*, monui in Analectis criticis in Mnemosynes vol. XVIII p. 357.

X. 1, 4. *Istum, qui filium Brundisium misit — me legatum iri non arbitror.* Wesenbergius sententiae consuluit scribendo: *legatum iri, non me arbitror.* Idem obtinebis si mecum negationem transpones: *non me legatum iri arbitror.*

X. 14, 2. *Distulimus omnino sermonem in posterum.* Supplendum esse *diem*, non tempus, docent similes locutiones in Fam. X. 12, 3: *res dilata est in posterum*, ubi sequitur: *Eo autem die* cet. et ad Q. fr. II. 3, 2.

X. 16, 6. *Tu, quoniam quartana cares et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis — siste.* Omnes molestias feliciter sustulit Fr. Schmidt p. 32 una littera addita. Pro *sed* scripsit *seda. Sedare* pro curare morbos dici multi loci Plinii maioris ostendunt.

XII. 14, 3. *Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis ut omnia* ɔ: facis, ut soles, benevole. Cf. XV. 17, 2. *Tu vero facis ut omnia, quod Serviliae non dees.*

Digitized by Google

XII. 17. *quid ad me?* Saepius haec quaestio a Cicerone ponitur, ut XV. 13, 7. Fam. IX. 26, 3. p. Rosc. Com. 34.

XII. 23, 1. *si qua me res isto adduxerit. isto* pro *istuc* legitur quoque ad Fam. IX. 16, 9 ad Q. fr. III. 1, 9. in ep. Caelii Fam. VIII. 9, 3 et 15, 2.

XII. 37, 3. *Apud Terentiam gratia opus est nobis tua tuaque auctoritate.* Ita haec edidi cum Orellio. B.W.K. prius *tua*, quod in Med. non adest, addunt post *gratia.* Quod in Med. est: *Apud Terentiam gratia opus est nobis tua quam auctoritate* omisso *magis* vel *potius* a Cicerone in epistola scribi potuisse defenderunt I. H. Schmalz (Philol. Wochens. 1886 p. 915) et Lehmannus Q. T. p. 134. Ego vero scribendum censeo: *Apud Terentiam (tam) gratia opus est nobis tua quam auctoritate.*

XIII. 20, 4. *quicquamne me putas curare in toto, nisi ut ei ne desim?* Pro corrupto *in toto* Lambinum recte coniecisse *in vita* et cum Wielando *mihi* pro *ei* scribendum videri ad haec verba monui. Nunc muto sententiam. Pro *in toto* scribo: *in otio* et verba sic interpretor: putasne me in otio aliud curare, quam ut otio satisfaciam?

XIII. 13 a, 1. *illum campum Vaticanum fieri quasi Martium campum* ɔ: illum campum, qui alveo fluminis mutato esset inter flumen et montes agri Vaticani, novum fieri campum Martium.

XIII. 52, 2. *ἐπισταθμίαν.* Vim vocis declarat Plutarchus in Sertorio, 6, narrans eum Hispanis maxime gratum fuisse *τῶν ἐπισταθμιῶν ἀπαλλάξαντα*, quum milites cogeret hibernare in suburbiis. Est igitur quod nostro sermone vocatur *inkwartiering.* Latine nondum poterat uno vocabulo appellari illud onus recipiendorum et alendorum militum.

XIIII. 9, 1. *numquam vobis gratiam referam.* Eadem vi haec locutio redit in Bruto, 217: *Numquam, Octavi, collegae tuo gratiam referes.*

Digitized by Google

XIIII. 17 A., 7. *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae; sed contigit magnitudine quadam quum animi, tum etiam ingenii atque consilii.* Scribendum, ut est in altero exemplo huius epistolae, ad Fam. IX. 14 *magnitudine quum animi.* In Med. quum scriptum esset *magnitudine quam*, hinc factum est alia manu *m. quadam cum. Magnitudo animi* non debet tali additamento minui, sicut *fortuna.*

XV. 1 a, 1. *quum hominem temperantem, summum medicum tantus improviso morbus oppresserit.* Verba *summum medicum* scriptor codicis Med. omisit. Leonardus Brunus in margine addidit, sed incertum est ex libro scripto an ex ingenio. Facile iis carebimus.

XV. 1 a, 2. *Dolabellam spero domi esse.* Cum Lambino erravi haec de pecunia a Dolabella soluta dicta esse putans. Immo *domi esse* nusquam ita dicitur, sed idem valet h. l. quod *Romae esse.* Agitur h. l. de causa Attici Buthrotia et Cicero putabat a Dolabella, si Romae erat, eam adiutum iri. Verum vidit Lehmannus Q. T. p. 74.

XV. 7. *valde mihi placebat quum sensus eius de re publica tum scribendi.* Deest nomen unde pendeat gen. gerundii. Conieci fuisse vocabulum Gr. τόνος. Nunc suspicor inter *tum* et *scribendi* excidisse *genus.*

XV. 11, 2. (Brutus) *cito deiectus est de illo inani sermone — velle esse dixerat.* Ita Med. Nonnulli ediderunt: *velle se dixerat*, alii *velle enim se dixerat.* Nihil mutandum censeo, sed post *sermone* omissum puto: *se Romae.*

XV. 13, 1. In adnotatione ad verba *ut nec duces simus nec agmen cogamus* nonnullas locutiones a re militari desumptas collegi. Idem argumentum tractatum est in programmate gymnasii Landaviani a. 1886, ubi D. Wollner huius generis metaphoras e scriptis rhetoricis Ciceronis, Quintiliano et Tacito collegit. Cf. quoque Woelfflini sermo de bello et pace in proverbiis Romanorum, qui editus est in Sitzungsberichte der philos. philol. Classe der Akad. der Wiss. zu München 1888 fasc. II p. 197—215.

Digitized by Google

XV. 17, 1. *Arabioni de Sittio nihil irascor.* Agitur de P. Sittio Nucerino, qui nominatur in orat. pro Sulla c. 20 et a scriptore libri de bello Africae c. 25, 36, 48, 95. Videtur in Mauretania ab aliquo Arabione occisus esse, idque se non moleste ferre Cicero his verbis fatetur. Cf. adnot. Fr. Richteri ad l.l. p. Sulla.

XV. 25. *Ut tu scires, casus consilium nostri itineris iudicabit.* Recte P. Manutius videtur correxisse: *Ut tu scribis.* Scire et scribere a librariis saepissime permutata sunt.

XV. 29, 5. *alucinari* non est mente non consistere, sed loqui sine consilio, quicquid in buccam venerit, nugari. Cf. ad Q. fr. II. 9, 1, ubi Tyrrellus vertit „to ramble on".

XVI. 11, 8. *De Lepidanis feriis* scribendum esse Malaspina vidit, non *Lepidianis.* Illa forma adiectivi superest in fragmento Historiarum Sallustii (III. 85) apud Arusianum: *Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.*

Scripsi mense Octobri
CIↃIↃCCCXCI.

G. Cousin in Bulletin de Corr. Hell. 1891, p. 430 primus edidit hanc metricam inscriptionem repertam Stratoniceae (hod. Eski-Hissar):

Θεός.

Μάξιμον εἰσοράᾳς με τὸν ἄστεϊ καὶ ναιετῆρ[σ]ιν
ἡμετέρων καμάτων πολλὰ χαριζόμενον·
τοὔνεκα δ' ἡ βουλή με καὶ ἀκτέανοι πολιῆται
στῆσαν κυδαλίμαις εἰκόσι λαϊνέαις
εὐαγέων χρειστοῖο δόμων προπαροιθε θεοῖο·
ὡς ἀγαθὸν τελέθει μὴ κτεάνων ἀλέγειν.

In titulo Christiano (vid. vs. 5), cuius lectionem incertam dicit editor, omnia tamen bene lecta videntur praeter unum ΚΑΜΑΤΩΝ vs. 2, quod ΚΤΕΑΝΩΝ legi debuisse praeter grammaticam et sententiam testatur versus ultimus.

H. v. H.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex Vol. XIX pag.* 160.)

XIV. De iliadis manuscripto antiquissimo nuper reperto.

Inter vetustissimorum voluminum fragmenta, quae scrutator indefessus et peritus Flinders Petrie ex sepulcris Aegyptiacis secum in Britanniam detulit, haud scio an nullum sit dignius quod summa cura examinetur, quam lacinia in qua rhapsodiae Iliadis Λ pars olim scripta fuit, nunc nonnullorum tantum versuum exitus vel initium potest discerni. Reperta est inter aliorum manuscriptorum fragmenta, quae annum quo scripta sunt in fronte habent indicatum, unde discimus saeculo ante Christum natum tertio, Ptolemaeis Sotere et Philadelpho regnantibus, esse exarata. Hinc sequi videtur Iliadis hoc fragmentum eiusdem fere esse temporis, et Aristarchi igitur, fortasse Zenodoti, aetatem antecedere. Quod si verum est, omnium documentorum, quibus hactenus in crisi Homerica uti licuit, hoc est longe antiquissimum. Ne tamen calidius iudicare videamur, par est nos addere, litterarum ductus tales esse qui etiam saeculis aliquot postea exarari potuerint.

Quicquid id est, perantiquum profecto est exemplar, et revera criticis Alexandrinis esse antiquius, fit veri simillimum si perpendimus quantopere a textu hodie recepto discrepet. Nempe intra quadraginta, quos complectitur, versuum spatium habet quatuor versus aliunde ignotos, uno loco pro versu vulgatae recensionis alium praebet, alibi pro duobus qui in codicibus extant unus fuit, praeterea leviora quaedam discrimina obser-

Digitized by Google

vantur, nec dubium quin alia nos lateant, nam singulorum hexametrorum paucae tantum litterae supersunt.

En igitur illud fragmentum, quod in splendida editione, quam sumtu Academiae Regiae Hibernicae curavit v. d. J. P. Mahaffy [1]), lucis ope depictum reperitur tabul. III n° 4:

502	. . . . .	ΒΑΙ	518
503	ΘΦΑΛΑΓΓ . .	ΜΑ	519
504	ΟΙ	ΩCΟ	—
—	ΝΟΗCΘΝ	ΚΘΒΡΙΟ	521
505	ΤΚΟΜΟΙΟ	ΘΚ	522
506	ΝΑΛΛΩΝ	ΘΚΤΟΡΝ	523
507	ΟΝ	ΘCΧΑΤΙΗ	524
508	ΑΧΑΙΟΙ	ΤΡΩΘCΟ	525
509	ΤΘCΘΛΟΙΘΝ	ΑΙΑCΔΘΚ	526
—	ΧΗΘΛΟΙΝ . .	ΘΤΡΤΓΑΡ	527
510	CΤΟΡΑΔΙΟΝ	ΑΤ . . ΙΠ	528
511	ΩΝ	ΚΟΤΡΟΙΤ	—
512	ΧΑΩΝ	ΩCΑΡΑΦ	531
513	ΤΧΑCΙΠΠΟΤC	. . CT	532
—	ΝΟΙΟ	. . . ΦΘΦ	533
514	ΛΩΝ	C . ΘΙΒΟΝ	534
—	ΑΛΛΟΤC	N . P . . NA	535
515	ΑΠΑCCΩΝ	. CΑΡΑΦ	536
516	ΤΑΝΘCΤΩΡ	. . . . ΠΘΠ	537 [2])
517	ΔΘΜΑΧΑΩΝ		

Haec si comparamus cum Iliadis editionibus hodiernis, statim in vs. 505 haeremus, ubi scribi solet:

εἰ μὴ Ἀλέξανδρος Ἑλένης πόσις ἠυκόμοιο
πᾶῦσεν etc.,

---

1) J. P. Mahaffy *on the Flinders Petrie Papyri*, Dublin 1891, *with* 30 *autotypes*. Exemplar dono accepit Bibliotheca publica Academiae Lugdunobatavae.

2) In Mahaffii editione cum typis describeretur hoc fragmentum, nescio quo casu — nam alias diligentissimum se praestitit editor — complures errores sunt commissi. Quod gravissimum est, post 514 apud eum omissus est versus qui in αλλους exit; praeterea vs. 509 editum est τος ελοιεν, et κειθ ιπ legi dicitur vs. 528. Perperam autem vs. 518 suppletum est βαιν [Ασκληπιαδου] pro [Ασκληπιου υιος] et vs. 536 α[ς] αρ αφ ι[ππων] pro ι[ππειων]; sed haec annotasse vix est operae pretium, quoniam quivis corrigere poterit e textu vulgato.

Digitized by Google

sed in papyro nostro fuisse intellegimus:

[εἰ μὴ . . . . . δξὺ] νόησεν
[δῖος Ἀλέξανδρος Ἑλένης πόσις ἠ]υκόμοιο·
[παῦσεν (an παῦσε δ'?) etc.]

Cf. Γ 329 etc.

Deinde in vs. 509 scriptum extat [μετακλινθεν]τες pro -θέντος, fortasse culpa librarii; quamquam incertissimam hanc esse coniecturam fatendum est, quoniam statim sequitur finis versus ignoti, quo quid faciam nescio; χις ελοιντο legit Mahaffy, equidem non dubito quin χη ελοιν[το?] sit in papyro, sed ne hoc quidem intellego, certum autem est optativi terminum -οιντο a lingua epica esse alienum.

Post versum 513 novus fons quatuor versus praebet pro uno vel duobus qui expectabantur. Nempe textus receptus est (vs. 512 sqq.):

ἄγρει, σῶν ὀχέων ἐπιβήσεο, πὰρ δὲ Μαχάων
βαινέτω, ἐς νῆας δὲ τάχιστ' ἔχε μώνυχας ἵππους·
ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
ἰούς τ' ἐκτάμνειν ἐπί τ' ἤπια Φάρμακα πάσσειν.

Quorum tamen versuum postremum Aristophanes et Aristarchus obelo notabant, Zenodotus in sua editione ne scripserat quidem. Papyrus noster habet sequentia, quae explevi ut poteram, non sane contendens ea ipsa quae dedi olim in hoc manuscripto fuisse omnia:

[ἄγρει, σῶν ὀχέων ἐπιβήσεο, πὰρ δὲ Μα]χάων
[βαινέτω, ἐς νῆας δὲ τάχιστ' ἔχε μών]υχας ἵππους·
[καί μιν ἐνὶ κλισίῃσι τίθει, ἔρυσαι δὲ Φό]νοιο.
[ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος] ἄλλων·
[εἷς γὰρ ἐπιστάμενος πολλοὺς ἐσάωσε καὶ] ἄλλους
[ἰούς τ' ἐκτάμνων ἐπί τ' ἤπια Φάρμακ]α πάσσων.

Vs. 519 sqq. ita solent edi:

μάστιξεν δ' ἵππους, τὼ δ' οὐκ ἀέκοντ' ἐπετέσθην
νῆας ἐπὶ γλαφυράς· τῇ γὰρ Φίλον ἔπλετο θυμῷ.
Κεβριόνης δὲ Τρῶας ὁρινομένους ἐνόησε etc.

Sed in papyro non νῆας sed ωσο est versus secundi exordium; unde efficio fuisse:

Digitized by Google

μάστιξεν δ' ἵππους· τὼ δ' οὐκ ἀέκοντ' ἐπετέσθην.
ὣς ο[ἳ μὲν μάρναντο δέμας πυρὸς αἰθομένοιο],
Κεβριόνης δὲ etc.

Cf. vs. 596.

Denique sunt perpendendi vs. 526 sqq., ubi in hodiernis editionibus ita loquitur Cebriones:

Αἴας δὲ κλονέει Τελαμώνιος· εὖ δέ μιν ἔγνων,
εὐρὺ γὰρ ἀμΦ' ὤμοισιν ἔχει σάκος. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς
κεῖσ' ἵππους τε καὶ ἅρμ' ἰθύνομεν, ἔνθα μάλιστα
ἱππῆες πεζοί τε κακὴν ἔριδα προβαλόντες
ἀλλήλους ὀλέκουσι, βοὴ δ' ἄσβεστος ὄρωρε.

Pro κεῖσε Zenodotum legisse κεῖθι testantur scholia, idque in papyro extare suspicatur Mahaffy, qui tamen admonitus non negabit oculos se fefellisse, nam imaginem phototypam rimantibus non ΚΕ sed ΑΤ aut ΛΤ hexametri initium esse apparet, secundam certe litteram non esse Ε omnino constat. Pro versibus autem qui sequuntur duobus, in quorum priore suspectum admodum est προβαλόντες, papyrus habet unum aliunde ignotum, cuius initium est vox κοῦροι. Itaque sic fere supplenda videntur quae praebet papyrus:

Αἴας δὲ [κλονέει Τελαμώνιος· εὖ δέ μιν ἔγνων,]
εὐρὺ γὰρ [ἀμΦ' ὤμοισιν ἔχει σάκος· ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς]
αὖ[θι] ἵππ[ους τε καὶ ἅρμ' ἰθύνομεν, ἔνθα μάλιστα
κοῦροί τ[ε ἱππῆές τε κακὴν ἔριδα προΦέρονται.]

In ultimo versu constituendo usus sum Nauckii observatione, qui pro participio insolito προβαλόντες coniecit προΦέροντες, collato versu simillimo Γ 7:

ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προΦέρονται.

Num tamen verum viderim dubito, quoniam aptam oppositionem non efficiunt κοῦροι et ἱππῆες. Fortasse igitur longius etiam a textu, qui receptus dicitur, discedebat papyri lectio in hoc versu et praecedenti. Id certe luculenter patet, quantilla sint discrimina quae ex codicibus hodie superstitibus sedulo solent enotari, si comparentur cum libri vetustissimi hoc fragmento, in quo quartus quisque hexameter prorsus diversus a recensione vulgata reperitur. Utinam plura ex venerandae vetustatis hoc documento aetatem tulissent!

Digitized by Google

XV. Ad Iliadis scholia Genevensia nuper edita.

Les scolies Genevoises de l'Iliade, publiées par J. Nicole. 1891 (II).

Ex Iliadis codice Genevensi, qui per saecula complura neglectus iacuerat, nuper summa cura et diligentia scholia primum edidit v. d. Nicole, adiecta ipsius textus collatione, unde apparet minime contemnendum esse hoc exemplum, licet satis recentis sit aetatis (saeculo XIII probabiliter tribuitur). Henricum Stephanum olim in Iliadis recensione concinnanda eo usum esse Nicolius intellexit et fuse demonstravit, sed post Stephanum ad nostrum usque tempus delituit in bibliotheca Genevensi, unde nunc denuo Nicolii sollertia in communem philologorum usum protraxit.

Ut fit, plurima continent haec scholia, quae aut nullius sunt pretii aut dudum innotuerant vel etiam rectius alibi leguntur tradita. Haud pauca tamen insunt quae cum nova sunt tum vera et utilia, neque Homeri studiosis haec scholia negligere impune licebit. In iis autem, quae rhapsodiae Φ sunt adscripta, passim offeruntur testes, testimonia, fragmenta veterum poetarum, quorum alibi nec vola est nec vestigium; neque dubium est quin desumta haec sint ex Aristarcheorum commentariis, et quanti thesauri veteris eruditionis interierint ex raris hisce quae casu aetatem tulerunt exemplis effici potest. Haec igitur pars operis prae ceteris digna est quae etiam atque etiam a viris doctis pervolvatur. Unum locum inde expromere nunc mihi liceat.

Vetustissima Iliadis exempla ex insulis Chio et Cypro oriunda, de quibus certi sciri hodie nihil potest, cum alibi commemorantur in scholiis Homericis (locos collegit Ludwich Arist. I p. 4), tum in scholiis Genevensibus eorum mentio fit ad Φ 492. Locus est notissimus; Dianam, quam puellam vixdum adultam finxisse sibi videtur cantor cui ludicram illam *Deorum pugnam* debemus, acerbis minis increpat Iuno, arcum ei eripit, quin colaphum virgini infringit:

ἔθεινε παρ' οὔατα μειδιάουσα
ἐντροπαλιζομένην.

Ad hunc locum Genevensis praebet scholion flagitiose corruptum: ἐντροπαλιζομένη] *βέλτιον ἐντροπαλίζοι ἔνην ἐξ ὑποστροφῆς*

Digitized by Google

ἀνθισταμένης. αὐτὴ δέ ἐστι διὰ τί ἐντροπαλίζεται; ἐν τῇ Χίᾳ καὶ Κυπρίᾳ ἀναξίως πολλὰ λισσομένης. Πτολεμαῖος ἐντροπαλιζομένην.

Quae Nicolius ita ordinavit:

ἐντροπαλιζομένη] *βέλτιον „ἐντροπαλιζομένην".*

διὰ τί ἐντροπαλίζεται; ἐξ ὑποστροφῆς ἀνθισταμένη [1]). *αἰτιατικὴ δέ ἐστιν.*

ἐν τῇ Χίᾳ καὶ Κυπρίᾳ ἀναξίως· „πολλὰ λισσομένης". Πτολεμαῖος· „ἐντροπαλιζομένης".

Minus feliciter tamen, nisi fallor, vir eximius hoc loco versatus est. Nam neque satis erat causae cur pro *αὐτή* substitueret *αἰτιατική* ex schol. A, neque suo iure Ptolemaeo aliam tribuit lectionem quam quae est in codice, neque mutandus erat ordo verborum, neque denique de Chio Cyprioque libris quod scribit certum duco. Suspicor verba *ἀναξίως πολλὰ λισσομένης* arte esse iungenda, paraphrasin enim continere lectionis in vetustis illis exemplaribus inventae *ἐντροπαλιζομένηΣ*, quod verbum explicantes alii sumebant *supplicem* puellam identidem ad Iunonem se convertisse, alii *ut eam repelleret* (*ἀνθισταμένην*). Totum autem locum ita constituendum esse puto:

ἐντροπαλιζομένη] *βέλτιον „ἐντροπαλιζομένην"* [2]), *ἐξ ὑποστροφῆς ἀνθισταμένην. αὐτὴ δ' ε<ἶ> ἐστι, διὰ τί ἐντροπαλίζεται;* [3]) — *ἐν τῇ Χίᾳ καὶ Κυπρίᾳ <„ἐντροπαλιζομένης">, ἀναξίως πολλὰ λισσομένης. Πτολεμαῖος „ἐντροπαλιζομένην".*

Ita supplendum esse locum ut suspicer, praesertim me movet adverbium *ἀναξίως*. Lectionem igitur *πολλὰ λισσομένης* nullam fuisse puto. Non negaverim sane, litteras [*εντ*]ΡΟΠΑΛΙΖΟΜΕΝΗΣ potuisse abire in ΠΟΛΑΛΙΣΟΜΕΝΗΣ, neque igitur tam longe quam primo adspectu videatur a textu recepto discedere hanc lectionem, revera autem extat *πολλὰ λισσομ.* aliis locis Homericis E 358 Φ 368 X 91; attamen glossemati quam lectioni similius videtur illud *πολλὰ λισσομένης*.

---

1) Typothetae errore excusum est *ἀνθιστανομένη*.

2) Haec igitur Aristarchi erat lectio, ut iam antea ex codicis A scholio interlineari effecerant viri docti; vid. Ludwich Arist. I p. 471.

3) I. e. *sin ipsa est Iuno quae ἐντροπαλίζεται, cur se convertere haec dicitur?* Nempe nominativum *ἐντροπαλιζομένη*, quem Genevensis cum Syr. aliisque praebet, et olim fuere qui praeferrent, credo quod hoc participium ceteris locis (Z 496 Λ 547 P 109) *subiecto* appositum esse viderent.

Digitized by Google

Nunc subiungam locum ex alia rhapsodia desumtum, unde appareat ibi quoque nonnulla inveniri quae notatu sint digna:

B 330: *κεῖνός θ' ὡς ἀγόρευε· τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται.*

Ad hunc versum, qui in codicibus ita scriptus est, sed rectius hodie edi solet *κεῖνος τὼς* (vel *τῶς*), Genevensis habet hoc scholion:

ὁ τέ ἐστι κατὰ συναλοιφήν· κακῶς γὰρ ὅσοι ἐνδέχονται τὸ τὼς μόριον βουλόμενοι αὐτὸ ἀνταποδοτὸν εἶναι. ὁ μὲν Ἡρωδιανὸς ὡς „τὼς δέ σ' ἀπεχθήρω" [Γ 415], ὁ δὲ Ἀρίσταρχος „κεῖνός θ' ὡς ἀγόρευε."

Similia leguntur in Schol. V: *ὀξυντέον τὴν νος διὰ τὸν τέ. οὕτως Ἀρίσταρχος, ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ὡς „τὼς δέ σ' ἀπεχθήρω."*

Discrepant schol. BL: *ὀξυντέον τὴν ος διὰ τὸν τέ. οὕτως Ἀρίσταρχος καὶ Ἡρωδιανός*, sed apparet hoc librariorum negligentiae esse tribuendum, ultima verba scholii V omittentium et deinde *ὁ δὲ* in *καὶ* mutantium.

In alia omnia abeunt Epimerismi Homerici (Anecd. Oxon. I. 234, 1 = Etym. M. 508, 25 = Etym. Gud. 310, 33): *ὁ μὲν Ἡρωδιανὸς ἀναγινώσκει εἰς τὸ κει περισπωμένην καὶ εἰς τὸ νος ὀξεῖαν καὶ εἰς τὸ ως βαρεῖαν· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος „κεῖνος τόσσ' ἀγόρευε."*

Denique in codice A legitur notula interlinearis: *οὕτως Ἡρωδιανὸς διὰ τοῦ θ, Ἀρίσταρχος δὲ διὰ τοῦ τ.* Hunc testem unice fide dignum ducens Ludwich praeeunte Lehrsio statuit, Aristarchum *τὼς* dedisse, Herodianum vero *θ' ὡς*, idque ita intelligi voluisse: *et ut ille dixit, sic haec eveniunt* (vid. Lehrs Arist.[3] p. 32, Ludwich Arist. I. p. 214).

Sed res dubia mihi et antehac videbatur et nunc quam maxime videtur, postquam scholia Genevensia innotuerunt. Testimonia enim quantopere inter se discrepent vidimus; tribuitur

Aristarcho *τὼς* A[t].
τόσσ' Epimer. Etym. M. et Gud.
θ' ὡς Genev. Vict. BL.

Herodiano *τὼς* Gen. Vict.
θ' ὡς Epimer. Etym. M. et Gud. A[t] [BL].

Versu autem parallelo Ξ 48 Herodianus, Ptolemaeo Ascalonitae assensus, disertis verbis probat lectionem *τὼς*, allato eodem exemplo *τὼς δέ σ' ἀπεχθήρω* Γ 415; quo testimonio quantopere confirmetur id quod nostro loco de Herodiano referunt Genev. et Vict., nemo non videt. Lectio *τόσσ'* vero minime est absurda, neque scribentium errori eam deberi credibile duco,

Digitized by Google

licet in Ludwichii libro videam Lehrsii hanc fuisse sententiam. In vetusta litteratura ΤΟΣ et τὼς (τῶς) poterat significare et τόσσ(α), favet autem posteriori interpretationi versus β 184: οὐκ ἂν τόσσα θεοπροπέων ἀγόρευες. Quamquam non ego is sum qui lectionem τόσσ' nostro loco recipiendam esse contendam; nam accuratius si vim huius pronominis perpendimus, apparet hinc alienum esse *Ita Calchas locutus est* dicere debet Ulixes, non vero *tam multa* vel *hactenus verba fecit.*

Reicio igitur lectionem τόσσ'(α), cuiuscunque fuit, sed revera eam olim extitisse credo grammaticis; eratne Ἀριστοφάνους? id fere putaverim. Herodianus autem τὼς ni fallor legebat h. l. et versibus parallelis Ξ 58 σ 271. Aristarchus vero quid scripserit ut pro certo effici possit vereor; equidem suspicor eum ἐκ πληροῦς, ut in talibus solebat, dedisse ΤΕΩΣ, i. e. τε ὣς (ὅς). Ita quoque „διὰ τοῦ τ̄" scripsisse dici poterat.

Denique colligam poetarum fragmenta, quae scholia Genevensia praebent, nova.

Ad Δ 189 affertur trimeter:

οὗτος πατὴρ τῆς παιδός; εἰ γὰρ ὤφελεν.

Nicole comparat Terentii Andriae V 4, 28 sq.

Ad Δ 280 adscriptum legitur ἀνδρὸς γὰρ γέροντος ἡ ῥάβδος βακτηρία. Quibus verbis quoniam nihil respondet in ipso carmine, Nicolius intellexit in alienum locum haec — ut alia scholia multa — irrepsisse, probabiliter autem tribuit versui Δ 323, ubi poeta dicit:

βουλῇ καὶ μύθοισι· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων.

Praeterea intellexit versum hic latere trimetrum, quem sic constituit:

ἀνδρὸς γέροντος ῥάβδος ἡ βακτηρία.

At ῥάβδον esse βακτηρίαν vel βακτηρίαν esse ῥάβδον, id affirmari vix opus fuit, et recordamur ioci Aristophanei de μάκτρᾳ sive καρδόπῳ. Superest igitur ut conemur versum ignoti poetae corrigere; fuitne:

ἀνδρὸς γέροντος ῥάβδος ἡ προμηθία?

Tale quid requiritur certe. Contextus obstat quominus coni-

Digitized by Google

ciamus *ἀνδρὸς γέροντος ἐλπὶς ἡ βακτηρία* vel eiusmodi aliquid, in qualem coniecturam inciderit fortasse quispiam recens ab Aristophanis Acharnensibus, ubi multa leguntur de senibus

οἷς Ποσειδῶν ἀσφάλειός ἐστιν ἡ βακτηρία (vs. 682).

Si vero genuinum est *ῥάβδος*, ex tragoedia desumtus videtur trimeter. Mallem sane nullam omnino hic mentionem fieri scipionis, aptius enim foret ex. gr.

ἀνδρὸς γέροντος ἔγχος ἡ προμηθία.

Sed nimis longe ita aberramus ab iis quae tradita accepimus.

Ad O 705 Genevensis scholion praebet multo uberius quam quae in codd. A et T extant de voce *ὠκύαλος*, sitne *ὠκυάλος* recitandum an syllabae *-αλος* sint suffixum expletivum, id quod veteres quidam grammatici putavisse dicuntur *πεισθέντες κἀκ τοῦ „ὠκυάλοις ποδῶν ἀνηρύγμασι", ἀντὶ τοῦ ὠκέσιν.* In *ἀνηρύγμασι* quid lateat, et unde haec sint desumta, incertum est. Nicole rescripsit *ἀναρρήγμασιν*, addens: „la dipodie dochmiaque citée ici est tirée d'un poète tragique. Le mot *ἀνάρρηγμα* est un *ἅπαξ*: il s'agit de la poussière arrachée au sol et lancée en l'air par les pieds des chevaux." — Mihi veri videtur multo similius epicum aliquem locum afferri, itaque potius scripserim:

ὠκυάλοισι ποδῶν ἀμαρύγμασι,

quo vocabulo Hesiodum usum esse testatur Etym. M. 77, 32 (fragm. Hes. 140 Rz.): *Χαρίτων ἀμαρύγματ' ἔχουσα*, de fulgentibus sive micantibus oculis. Cum levior est haec correctio, tum vocem aliunde cognitam ea nanciscimur neque opus est igitur novam fingere. Possitne pulvis dici *ἀναρρήγνυσθαι*, quaerere nunc nolo, licet vix credam; ne gallice quidem satis recte, nisi fallor, dixerit quispiam „les sabots des chevaux *arrachaient* la poussière au sol."

Verum si vidi, vox *ἀμαρύγματα* apud ignotum poetam, cuius verba in scholio afferuntur, idem valebat quod *ἀμαρυγαί* in Apollonii Rhod. Argon. III 108: *τῆς δ' ἀμαρυγὰς | ὀφθαλμῶν ἥρπαζεν*, ubi scholion reddit: *„συνεχεῖς κινήσεις, Ὅμηρος δὲ· μαρμαρυγὰς θηεῖτο ποδῶν"* [*θ* 265].

Ad Φ 196 e Xenophanis *περὶ Φύσεως* libro citantur versus, quorum primus partim antehac ex Stobaeo innotuerat (IV pag. 151 Meinek.):

πηγὴ δ' ἐστὶ θάλασσ' ὕδατος, πηγὴ δ' ἀνέμοιο·

Digitized by Google

† οὔτε γὰρ ἐν νέφεσιν ἔσωθεν ἄνευ πόντοιο μεγάλοιο †
οὔτε ῥοαὶ ποταμῶν οὔτ' αι . . . ὄμβριον ὕδωρ·
ἀλλὰ μέγας πόντος γενέτωρ νεφελῶν ἀνέμων τε
καὶ ποταμῶν.

Versum secundum Nicole rescripsit *οὔτε γὰρ ἂν νέφε' ἧεν ἄνευ πόντου μεγάλοιο*, tertium *οὔτ' αἰθέρος*. De utraque coniectura vehementer dubito, *ἔσωθεν* quid sibi velit non exputo [1]).

Ad Φ 282 Solonis et Sophoclis afferuntur verba aliquot, sed misere corrupta. Κράτης· *εἰλθέντ' ἐν μεγάλῳ· ἴλλειν* [2]) *γὰρ φησὶ εἶναι τὴν τῆς κωλύσ<εως> δίκην ἐξ οὐλῆς ἐάν τις ἐξηλμάτων ἀντὶ δικανικῆς ἢ ὁ ποί· καλεῖσθαι καὶ παρατίθεται σόλωνος ἐννεάξονι ἐξ οὐλῆς ἀνάξιον ἢ εἰς δημόσιον ὀφλανῇ καὶ τῷ ἰδιώτῃ ἑκάτερος. ὁ σοφοκλῆς ἐν δαιδάλῳ ἐλλημενήσω τὸν δ' ἔα χαλκευτῷ πέδῃ.*

Quae hic ex *nono* opinor Solonis axone afferuntur Sophoclisque versiculum audacter Nicole ita rescripsit:

Κράτης· *„εἰλθέντ' ἐν μεγάλῳ", ἴλλειν γὰρ φησὶν εἶναι τὸ εἴργειν, ὥστε τὴν κωλύσεως δίκην „ἐξούλης" καλεῖσθαι. καὶ παρατίθεται Σόλωνος ἐν ἐνάτῳ* [3]) *ἄξονι·*

„ἐξούλης ἐάν τις ἐξίλλῃ ὧν ἄν τις δίκῃ νικήσῃ, οὗ ἂν ἄξιον ᾖ, καὶ <τῷ> δημοσίῳ ὀφλανεῖ [4]) *καὶ τῷ ἰδιώτῃ, ἑκατέροις."*

ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἐν Δαιδάλῳ

εἰλήσομέν σε τῇδ' ἀχαλκεύτῳ πέδῃ.

Vocem autem *ὁ ποί* (*ὁ ποιητής*) eiecit, errori deberi ratus.

Solonis verba probabilius restituere nequeo, licet verum tetigisse Nicolium neutiquam credam. Sophoclis vero versus ni fallor fuit:

ἴλλει μὲν εἴσω τόνδ' ἀχαλκεύτῳ πέδῃ.

Nam *ἴλλειν* sinceram esse formam apud Sophoclem, fidem facit notum illud *ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος* Antigon. 340; si quis *ἔλλει* et *ἐλλομένων* praefert non repugnabo, Homerica enim sunt *ῥέλλω ἔῤῥελσα* etc.; sed contractas formas, qualis est *εἰλεῖ*, a tragico alienas duxerim.

---

1) Diels tentavit (Ber. d. Berl. Akad. 1891, cf. Wachsmuth Rh. Mus. 1891 p. 554):
οὔτε γὰρ ἐν νέφεσιν <πνοιαί τ' ἀνέμοιο φύσιντο
ἐκπνείοντος> ἔσωθεν ἄνευ πόντου μεγάλοιο.

2) *ἰαλεῖν* Gen. Corr. Nicole.

3) Nicole *νεάτῳ*, fortasse vitio typographi.

4) Voluit opinor *ὀφλισκάνει*.

Digitized by Google

Ad Φ 319 vox *χέραδος* illustratur loco ex Alcaeo depromto:

οἴδημαν χέραδος μὴ βεβαὼς ἐργάσιμον λίθον
κινεῖς καὶ κενὶς ὡς τὰν κεφαλὰν ἀργαλέαν ἔχοι.

Nihil in his tenebris video, nisi quod *κεν ἴσως* legendum esse ex optativo *ἔχοι* efficio; vid. supra p. 98. Frustra contuli locutionem Alcaei ab Eustathio bis 633, 61 et 1397, 32 laudatam *τὸν ἀπ' ἴρας λίθον κινεῖν omnem lapidem movere* (fr. 81 Bergk). Tandem tentavi:

ἄ δείλ', ἂν χέραδος μὴ βεβαὼς ἐργάσιμον λίθον
κίνει· καί κεν ἴσως τὰν κεφαλὰν ἀργαλέαν ἔχοι‹ς›.

vae miser, magnum lapidem movere ne conare dum in glarea consistis; fortasse etiam caput tibi dolebit. Sed fac verum me vidisse, concedi debebit prorsus nos latere ad quem haec sint dicta vel quorsum spectent.

Additur fuisse qui *ἅλις σχέραδος* apud Homerum legerent, hanc lectionem commendantes Euphorionis *ἐν Θρᾳκὶ* versu:

τύμβος ὑπὸ κνημοῖσι πολυσχεράδος Μυκόνοιο,

sed Apollodorum contendisse apud Euphorionem illud sigma abundare, perinde atque Sophocles initio *Λαρισαίων* dederit:

Λάρισσα μήτηρ προσγόνων Πελασγιδῶν,

ἀντὶ τοῦ προγόνων.

De Euphorione quidlibet credere paratus sum, sed in versu Sophocleo foedum illud vitium numquam feram; dederatne tragicus:

Λάρισα μήτηρ προσΠόΛων Πελασγίδων?

Femininum, non masculinum, esse *Πελασγιδῶν*, nemo opinor admonitus negabit. Si masculinum requiritur — ignoramus enim contextum —, *ΠελασγιΚῶν* rescribendum est. Sin certae ducuntur litterae ΓοΝ, superest ut a voce *γοναί* repetentes versum ita distinguamus:

Λάρισα μήτηρ, πρὸς γονῶν Πελασγίδων . . .,

ita ut particula tantum haec sit sententiae.

Denique ad Φ 483 Alcaei de Diana verba citantur:

μὴ Φόνος κέχύται γυναικῶν.

Plures poetarum versiculi non afferuntur, nisi quid me fugit; grammaticorum autem aliorumque scriptorum pedestrium locos excribere supersedeo.

Digitized by Google

XVI. De lingua deorum.

Olim quaesitum est quanam lingua primi homines in paradiso usi fuerint; hodie fortasse multi assentientur iis qui contenderunt lingua hebraica usos esse, nempe veteres poetas, qui Adamum et Evam loquentes induxerunt, non dubitasse quin idem iis fuerit sermo atque ipsorum poetarum aequalibus. Idemne de Graecorum poesi sacra valet? Graecene inter se confabulati sunt Olympii an suam sibi habebant linguam? Dixeris dubium moveri non posse, infinitis enim locis apud poetam loqui deos neque aliam iis tribui linquam quam Agamemnoni eiusque copiis; Troianos quoque eorumque socios Graece scire et hac lingua perpetuo uti; quin nomina propria complura esse Graecis cum Asianis communia.

Quid igitur hoc est, quod uno et altero loco dii aliis vocabulis uti dicuntur quam mortales? Notissimi sunt versiculi quos afferam, cui enim non statim in mentem veniat illorum:

ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων· ὁ γὰρ αὖτε βίῃ τοῦ πατρὸς ἀμείνων. A 403 sq.

τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσι,
ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης. B 813 sq.

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ κύμινδιν. Ξ 291.

ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον. Υ 74.

Sed ut notissimos ita obscurissimos esse hos locos fatendum est. Numquid haec deorum verbula ex mythis perantiquis, sermone nescio quo casco et obsoleto compositis, desumsisse putandi sunt poetae, ita ut vatibus Homericis deorum lingua idem valeat atque Ennio faunorum illa cantica? At ita si nobis fingimus rem, primo subit mirari quod tam paucis locis, neque iis valde memorabilibus, poetae epici ad hoc artificium confugerint, neque dignum quidquam habuerint quod ex obsoleta illa lingua afferrent praeter nomina quaedam propria et avis rapacis nomen. Deinde male nos habet quod inter „divina" illa vocabula unum saltem est quod parum antiquam habeat formam et attica potius tempora in mentem nobis revocet quam regna

Digitized by Google

Saturnia: Βριάρεων dico. Denique scire pervelim unde fiat ut hodierni lectores, non θεόπνευστοι tamen, Olympia illa verba satis bene intellegere possint, sed omnino non intellegant vulgaria illa quae idem significare dicantur. Ξάνθος a coelitibus appellatur deus fluvius, *flavus*, ut *flava Ceres flavusque Menelaus* et apud Romanos *flavus Tiberis*; Σκάμανδρος vero, fluvii nomen proprium, quod ad nostra usque tempora propagatum est (*Mendere*), minime Graecum sonat, et si explicari possit, ex Asiatico profecto idiomate aliquo erit explicandum. — Avis rapax vocatur χαλκίς in Olympo: id est *fulva* opinor, *subrufa*, rutilum aeris colorem referens: *koperwiek*; sed κύμινδις vix Graecum videtur [1]). — Monstrum centimanum, quod Iovi in summo rerum discrimine adstitit, ab hominibus dicitur Αἰγαίων: audio, sed nihil mihi dicit illud nomen; cum vero additur in deorum lingua eum Briareum vocari, sentio immanem gigantem ingentis roboris, *βριαρόν τινα*, indicari. — Βατίεια dicitur locus quidam in Troade: nihil explicatur nomine ignoto; sed aliquanto plus disco ex deorum idiomate, in quo idem locus appellatur σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης. Myrinam autem poetae aequalibus melius fuisse cognitam quam nobis, fidem facit epitheton πολύσκαρθμος, quod cur additum sit nisi ipse poeta eiusque auditores scivissent, licet nos hodie ignoremus, profecto non esset additum. Id certe nos docet vox divina, fuisse tumulum in honorem feminae extructum; ipsum autem nomen Myrinae ad radicem unde μυρίκη et μύρον et μύρτος et μυρσίνη deducuntur videtur esse referendum, quarum vocum prima certe a lingua Homerica non est aliena.

Plura ex deorum lingua aetatem non tulerunt. Sed quae perpendimus satis docent non antiquiora esse vel obscuriora, quae ex Olympiorum idiomate afferuntur, quam hominum sermonem quotidianum, sed contrariam obtinere rationem: casca tenebrosa barbara esse quae ἄνδρες, clara vero et simplicia et optime graeca quae ἀθάνατοι dicere feruntur. Ergo res sic videtur esse expedienda: poeta interdum incidebat in nomina quaedam propria, quae cum aut barbara essent aut ex hominum Graecorum

1) Festivissime imitatus est hunc locum Cratinus (fr. 315 Kock) cum radulam his verbis significavit:

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύβηλιν.

Digitized by Google

sermone evanuissent, sine explicatione ab auditoribus intellegi non posse sentiebat. Ipse vero poeta, quem musae omnia docuerunt, qui et deorum consilia novit et hominum mentes, qui res ante multa saecula gestas enarrare potest et viros dudum vita functos depingere, etiam intermortua illa vocabula novit et perspicit, et quoties tale verbulum in os ei venit, simul Olympii in aurem ei insusurrant quid valeat vox insolita et quomodo sit reddenda, ut eius vim percipere possit circumstans corona. Id igitur praemittit, deinde vero adicit ipsum vocabulum priscum et vetustatis aerugine decorum; addit hoc ornamenti tantum causa, quemadmodum cumulare solet epitheta obscura, quae sententiae nihil addant praeter pondus, quo gravior et numerosior ad aures veniat versus.

Hoc si tenemus, simul apparet quid de aliis quibusdam nominibus sit statuendum, quae licet non e deorum lingua desumta esse dicantur, huc tamen quam maxime faciunt. Dico nomina duplicia Ϝαστυάναξ — Σκαμάνδριος, Ἀλέξανδρος — Πάρις, quorum altera ex vestustissimis mythis desumta sunt, altera, *Astyanax* et *Alexander*, in ipsius vatis ore nata. Aberravit vero a veterum cantorum ratione sero natus homo, quisquis fuit, qui κ 305 radicem illam, cuius vis Ulixem a Circes artibus tutum reddidit, his verbis designavit:

μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν.

Nisi egregie fallor, imitatorem hic tenemus manifestum, qui dum veterum vatum usum sequi conatur, linguae Olympiorum tribuit voculam ignotam et obscuram, quasi de πάντων βαρβαρωτάτοις θεῶν loqueretur, in Triballia non in Musarum patria habitantibus. Simillimum errorem commisit Philoxenus Cytherius in notissimo carmine, cui titulus erat Δεῖπνον, dictionem epicam traducens:

πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας,
τὰς ἐφήμεροι καλέοντι τραπέζας,
ἀθάνατοι δέ τ' Ἀμαλθείας κέρας.

Vid. Athen. XIV 642*f*.

Digitized by Google

AD SOPHOCLEM.

SCRIPSIT

E. B. KOSTER.

Aiac. 251.

τοίας ἐρέσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι
καθ' ἡμῶν.

Hunc locum, iam pridem Nauckio suspectum, simplici mutatione me sanaturum spero.

Dubito enim num ἐρέσσειν ἀπειλὰς recte dici possit. Requiritur notio: *tales in nos intendunt minas Atridae*, neque sensus *intendendi* s. *coniiciendi* exprimitur verbo ἐρέσσειν. Extat verbum quod multo melius huic notioni convenit, nempe ἀράσσειν, quod de re haud dissimili adhibetur Aiac. 724 sq. εἶτ' ἀνείδεσιν ἤρασσον ἔνθεν κἄνθεν. Phil. 374: κἀγὼ χολωθεὶς εὐθὺς ἤρασσον κακοῖς. Eodem sensu in Eur. Andr. vs. 31 legitur κακοῖς πρὸς αὐτῆς σχετλίοις ἐλαύνομαι et in Alc. vs. 675 sq.:

ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν;

Sunt autem locutiones figuratae, desumptae ex notione petendi et percutiendi aliquem lapidibus, telis, simm., quare semper adduntur Acc. personae et Dat. rei; sic ἀράσσειν et βάλλειν promiscue leguntur apud Eur. Iph. Taur. 325 sqq.:

ἀλλ' εἰ φύγοι τις, ἄτεροι προσκείμενοι
ἔβαλλον αὐτούς· εἰ δὲ τούσδ' ὠσαίατο,
αὖθις τὸ νῦν ὑπεῖκον ἤρασσον πέτροις.

Hoc loco igitur si legimus τοίαις ἀράσσουσιν ἀπειλαῖς, exspectare debemus ἡμᾶς pro καθ' ἡμῶν in proximo versu; nam ἀράσσειν

Digitized by Google

τινὶ κατά τινος quantum scio nusquam invenitur. Haec est causa cur in animum adducar legendum esse:

τοίας ἀράσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι
καθ' ἡμῶν,

licet notae non sint locutiones βάλλειν, ἀράσσειν, ἐλαύνειν τι κατά τινος. Nempe persuasum mihi est poetam hoc loco cogitasse de locutione λέγειν τι κατά τινος (ut in Phil. 64 sq.

λέγων ὅσ' ἂν
θέλῃς καθ' ἡμῶν ἔσχατ' ἐσχάτων κακά)

praesertim cum sermo sit de minis voce emissis.

Ibid. 798 sq.

πάρεστ' ἐκεῖνος ἄρτι· τήνδε δ' ἔξοδον
ὀλεθρίαν Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν.

Iure Nauckius et Engerus verbum φέρειν improbant. Requiritur sententia: *Metuit Teucer ne hic exitus Aiaci perniciosus sit.* Itaque legendum proponunt κυρεῖν. Mutatio tamen aliquanto minus violenta erit si legemus πέλειν, quod eodem redit. Notatu dignum esse videtur Sophoclem in diverbiis semper uti *forma activa* πέλειν, mediam vocem non adhibere nisi in anapaestis et melicis.

Ibid. 835 sqq.

καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους
ἀεί θ' ὁρώσας πάντα τἀν βροτοῖς πάθη
σεμνὰς ἐρινῦς τανύποδας.

Invocat Aiax Eumenides, *semper virgines* et omnia hominum mala *semper conspicientes*, quae epitheta tamen minus apte cohaerere iure contendit Nauckius. Pro τε παρθένους Blaydes legere voluit τ' ἐπηκόους, i. e. *hominum mala audientes*, minus feliciter mea sententia. Accedit quod vocabulum ἐπήκοος nusquam alibi in Sophocleis occurrit.

Iniuste cum Aiace ab Atridis actum est, provocat igitur ad ius eiusque vindices, quae tenent ὑψηλὸν Δίκας βάθρον, Erinnyes, ut in sequentibus etiam (vs. 843) exclamat: ἴτ', ὦ ταχεῖαι πολνιμοί τ' ἐρινύες, quare coniicio hoc loco legendum esse τὰς ἀεί θ' ὑπερδίκους, i. e. *iustissimas*, quae vox in eadem fabula occurrit, vs. 1119: τὰ σκληρὰ γάρ τοι, κἂν ὑπέρδικ' ᾖ, δάκνει.

Digitized by Google

Pariter Pindarus Pyth. X 44 de ipsa Nemesi: *πόνων δὲ καὶ μαχᾶν ἄτερ οἰκέοισι Φυγόντες ὑπέρδικον Νέμεσιν.*

Oed. R. 322.

οὔτ' ἔννομ' εἶπας οὔτε προσφιλῆ πόλει.

Suspectat Nauckius vocem *ἔννομα*, quia salva sententia Oedipus iuxta urbis commoda *τὸν νόμον* i. e. edictum suum nominare non potest, quod ipsis urbis commodis serviat. Legere vult Vir Cl. *ἔμφρον'* pro *ἔννομ'*, sed vide quanto leviore mutatione eundem sensum elicere possimus legendo *οὔτ' ἔννο' εἶπας κτλ.*, ab *ἔννους* scilicet, quae vox infra vs. 916 recurrit:

οὐδ' ὁποῖ' ἀνὴρ
ἔννους τὰ καινὰ τοῖς πάλαι τεκμαίρεται.

Ibid. 1512 sqq.

νῦν δὲ τοῦτ' εὔχεσθέ μοι,
οὗ καιρὸς ἐᾷ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λώονος
ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Pro vitiosis vocabulis *εὔχεσθέ μοι* — requiritur enim persona prima ut bene cohaereant haec cum praecedentibus — coniecit Blaydes *νῦν δὲ τοῦτ' ἐπεύχομαι* sive *νῦν δὲ τοῦθ' ἓν εὔχομαι*, sed leviore mutatione corrigi poterit:

νῦν δὲ τοῦτ' εὐχός τ' ἐμοί
οὗ καιρὸς ἐᾷ ζῆν, τοῦ βίου τε λώονος
ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Requiritur autem, ni fallor, forma non enclitica *ἐμοί*, emphaseos causa, ut clare fiat oppositio inter personam loquentem et pronomen quod sequitur *ὑμᾶς*. Vox *εὔχος* sensu *optati* iterum occurrit in Philoctete vs. 1202: *ἀλλ' ὦ ξένοι, ἓν γέ μοι εὔχος ὀρέξατε.* Quod attinet ad vs. 1513, saepius confunduntur *δέ* et *τε*. Iamdudum emendatum est *τε* pro *δέ* Ai. 836; Ant. 1096; El. 1099; Trach. 286, 334.

Digitized by Google

AD AESCHINIS ORATIONEM KATA TIMAPXOT.

SCRIPSIT

G. M. SAKORRAPHUS.

„Saepe diximus et pluribus exemplis ostendimus Aeschinis orationes et mendose scriptas circumferri et praesertim ineptis additamentis scatere". Haec Cobetus dixit et plurimis manifestisque exemplis probavit; nos pauca addamus.

§ 10: *καὶ περὶ παιδαγωγῶν ἐπιμελείας καὶ περὶ Μουσείων [ἐν τοῖς διδασκαλείοις] καὶ περὶ Ἑρμαίων [ἐν ταῖς παλαίστραις]* ... Veteres grammaticos non satis nosse *Μουσεῖα* et *Ἑρμαῖα* quid essent, ex ridicula scholiastae ad h. l. annotatione facile cognoscas: *θέλει δὲ εἰπεῖν ὅτι ἀγαλμάτια ἦν, ὥσπερ καὶ ναϊσκάρια, ἐν τῷ ἐνδοτέρῳ οἴκῳ τῶν διδασκαλείων καὶ τῶν παλαιστρῶν, Μουσῶν καὶ Ἑρμοῦ καὶ Ἡρακλέους· ἐκεῖ δὲ ἔσω ἀπέκειτο ὕδωρ, ἵνα μή τις διψήσῃ τῶν παίδων. Προσποιούμενοι δὲ διψῆν εἰσήρχοντο καὶ ἐκεῖσε ἔσω ἠχρειοῦντο μετ' ἀλλήλων*; quae nugae nobis hodie risum tantummodo movere possunt. Magistellus quidam, non Aeschines, cuius aequalibus *Μουσεῖα* atque *Ἑρμαῖα* bene cognita erant, addidit inepta verba uncis inclusa.

§ 22: *ἀπαλλαγεὶς γὰρ (ὁ νομοθέτης) τῶν νόμων τούτων* (scil. *τῶν περὶ σωφροσύνης τῶν παίδων* etc.) *ἐσκέψατο τίνα χρὴ τρόπον συλλεγομένους ἡμᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν βουλεύεσθαι περὶ τῶν σπουδαιοτάτων πραγμάτων. Καὶ πόθεν ἄρχεται; Νόμοι, φησὶ, περὶ εὐκοσμίας. [Ἀπὸ σωφροσύνης πρῶτον ἤρξατο], ὡς, ὅπου πλείστη εὐκοσμία ἐστὶ, ταύτην ἄριστα τὴν πόλιν οἰκησομένην.* — Expunge insiticia verba *ἀπὸ σωφροσύνης πρῶτον ἤρξατο*, quae sciolus in

Digitized by Google

margine annotavit, ut scilicet sibi ipsum dissentire Aeschinem argueret, qui dixisset § 7: *πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τῆς σωφροσύνης τῶν παίδων τῶν ἡμετέρων ἐνομοθέτησαν (ὁ Σόλων καὶ οἱ κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους νομοθέται)*, neque intellexit alia de re hic agi et nullum locum *σωφροσύνην* habere, sed illis legibus legislatorem *τὴν τῶν ῥητόρων ἀκοσμίαν* (Aesch. III, 4) arcere conatum esse. In tam perspicua re plura addere idem atque illudere doctis viris est.

§ 52: *ἐὰν δ' ὑμᾶς ἀναμνήσας ἐπιδείξω ὑπερβαίνων τούσδε τοὺς ἀγρίους, Κηδωνίδην καὶ Αὐτοκλείδην καὶ Θέρσανδρον, ἀλλ' ἐπιδείξω αὐτοὺς λέγων, ὧν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀνειλημμένος γέγονε, [καὶ] μὴ μόνον παρὰ τῷ Μισγόλᾳ μεμισθαρνηκότ' αὐτὸν* etc. Quid sibi vellent verba: *ἀλλ' ἐπιδείξω* equidem adhuc intelligere non potui. Repetitio verbi *ἐπιδείξω* locum non habet, sed recte se habet quod Cobetus (V. L. p. 612) dixit: „magistelli in longiore periodo fulcra supponunt tam molesta quam inutilia". Aeschines ait se solos eos nominaturum esse, apud quos Timarchus *ἐπὶ μισθῷ ἑταιρῶν* vixerit; *τοὺς ἀγρίους* autem, qui non magnopere ad rem pertinent, praeteriturum. Ergo ut clarum sensum sine isto molesto *ἐπιδείξω* habeamus, scribamus *αὐτοὺς* ΔΕ ΛΕγων et deleamus: *ἀλλ' ἐπιδείξω* cum copula *καὶ*, quam iam a Frankio eiectam uncis inclusi; orta enim est, ut videtur, ex lectione *ὑπερβαίνοντα* (pro *ὑπερβαίνων*), quae legitur in quibusdam libris. Omissa particula *μὲν* in prima protasi (*ὑπερβαίνων — αὐτοὺς δὲ λέγων*) neminem, puto, commovebit. Ad periphrasin *ἀνειλημμένος γέγονεν* conferas Popponem ad Thuc. III, 68, 3 maior. ed. Plat. de rep. 587 D. Leg. 908 B. Hom. Σ, 212. Soph. Phil. 773 et quae Krugerus in Gramm. II § 56, 3, 5. 6 attulit, quorum aptissimum huic loco est quod legitur apud Plat. Leg. 670 B: *γεγόνασι διηναγκασμένοι.*

§ 62: *ἄνθρωπον ..... οὐδὲν προσήκοντα αὐτῷ, ἀλλὰ δημόσιον οἰκέτην τῆς πόλεως, ἦγεν εἰς δουλείαν Φάσκων ἑαυτοῦ εἶναι [δοῦλον]*. Non opus est hoc additamento.

§ 70: *οὐκ οἴεσθε τὸν Ἡγήσανδρον ἀπολογούμενον τὰς πρὸς τὸν Λεωδάμαντα πράξεις τὰς περιβοήτους ... ὑπερήφανα τὰ ἐπιτάγματα ἐπιτάττειν* etc. Habemus hoc loco idem vitium, quod apud Thucydidem antea legebatur VIII, 109, 2: *καὶ τὰς διαβολὰς — εὐπρεπέστατα ἀπολογήσηται.* Sed verbo *ἀπολογεῖσθαι* cum accusativo

Digitized by Google

coniuncto posteriores Graeci plurimum delectantur, apud Atticos praestat ἀπολύεσθαί τι. Cf. ἀπολύεσθαι τοὺς τοῦ κατηγόρου λόγους Aesch. I, 122. τὰς αἰτίας II, 2. τὰ κατηγορημένα Dem. XVIII, 4. Simile est ἀποτρίβεσθαι Aesch. I, 120. 179.

§ 131: εἰ γάρ τίς σου τὰ κομψὰ ταῦτα χλανίσκια περιελόμενος καὶ τοὺς μαλακοὺς χιτωνίσκους, ἐν οἷς τοὺς κατὰ τῶν φίλων λόγους γράφεις, περιενέγκας δοίη εἰς τὰς χεῖρας τῶν δικαστῶν, οἶμαι ἂν αὐτοὺς, εἴ τις μὴ προειπὼν τοῦτο ποιήσειεν, ἀπορῆσαι εἴτε ἀνδρὸς εἴτε γυναικὸς εἰλήφασιν ἐσθῆτα.

Scribe μηνύσειεν pro ποιήσειεν.

§ 146: καθεύδοντος δ' αὐτοῦ (τοῦ Ἀχιλλέως) ἐπὶ τῇ πυρᾷ, ὥς φησιν ὁ ποιητὴς, εἴδωλον ἐφίσταται Πατρόκλου. Hoc vitium utrum memoriae oratoris an librarii imprudentiae tribuendum sit non facile dixerim. Πυρὰ enim nondum extructa erat, cum Patrocli imago apparuit Achilli, Πηλείδης δ' ἐπὶ θινὶ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης κεῖτο βαρὺ στενάχων etc. (Hom. Ψ, 57 sqq.). Forsitan scribendum sit ἀκτῇ πρὸ πυρᾷ?

Lipsiae,
d. 22 m. Decembr. 1891.

AD ARISTOPHANEM.

Equitum initio servus, qui modo vapulavit, sic clamat:

ἰαττταταιὰξ τῶν κακῶν, ἰαττταταῖ·
κακῶς ΠαΦλαγόνα τὸν νεώνητον κακὸν
αὐταῖσι βουλαῖς ἀπολέσειαν οἱ θεοί.

Estne parodia epica vel tragica in his verbis? Haudquaquam verisimile id est; attamen βουλαὶ pro βουλεύματα cothurnum sapit et a communi usu loquendi est alienum, nec nisi hoc uno loco apud comicum reperitur. Praeterea aliena sunt *consilia* ab hac sententia. *Utinam istum Paphlagonem pessime di perdant .... cum ipsis eius consiliis.* Ieiunum sentis esse imprecationis exitum. Quid legendum sit ostendet versus 104:

ῥέγκει μεθύων ἐν ταῖσι βύρσαις ὕπτιος.

Nostro quoque loco poeta dederat:

κακῶς ΠαΦλαγόνα τὸν νεώνητον κακὸν
αὐταῖσι βύρσαις ἀπολέσειαν οἱ θεοί.

In malam rem abeat cum ipsis coriis putidis quae huc secum attulit. Vocabuli ΒΤρσΑΙC literae evanidae in ΒυλΑΙC sunt mutatae.

J. v. L. J.F.

Digitized by Google

EMBLEMATA APUD ARISTOPHANEM, XENOPHONTEM, LUCIANUM.

INDICAVIT

P. H. DAMSTÉ.

Lectores saepe si quid inter legendum vehementer probassent, in libri margine ἄξιον vel tale quid adscripsisse Cobetus docuit in Misc. Crit. p. 162. Qua annotatione ex ora libri ineptissime in contextam orationem recepta scriptor ridiculum in modum sibi ipse plaudere videatur. Cf. Collect. Crit. p. 323.

Eodem modo si quid iis videbatur illustrandum, nomen rei vel personae, quam significare quam dicere maluerat auctor, in libri margine adscribebant. Quae additamenta, a sciolis auctori invito obtrusa, etsi non perturbant sententiae structuram, hoc tamen plerumque efficiunt ut sententia scriptoris violetur atque insipida et inficeta evadat oratio. Disperit enim omnis dictionis vis cum lector interpretamentis puerilibus insulsisque additamentis eorum praemonetur quorum novitate ipsa auctor eum commovere voluerat.

Duobus exemplis ex Aristophane et Xenophonte praemissis locos nonnullos Luciani, apud quem magna est emblematum copia, eundem in modum interpolatos indicabo.

Sunt Trygaei verba notissima (Arist. Pax 1009 sqq.):

κἄτα Μελάνθιον
ἥκειν ὕστερον ἐς τὴν ἀγοράν,
τὰς δὲ πεπρᾶσθαι, τὸν δ' ὀτοτύζειν,
εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας,
ὀλόμαν ὀλόμαν, ἀποχηρωθεὶς
τᾶς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας·
τοὺς δ' ἀνθρώπους ἐπιχαίρειν.

Digitized by Google

In quibus id factum videmus quod Cobetus in Var. Lect. p. 292 notavit: quod eleganter et venuste et εὐφήμως erat dictum, librarii prorsus corruperunt id ipsum addentes quod scriptor maluerat significare quam dicere. Nemo enim unquam mihi persuadebit versum

εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας

ab Aristophane profectum esse.

De verbo μονῳδεῖν, quo vis comica τοῦ ὀτοτύζειν, quod apud tragicos tantum occurrit atque ἐξ ἀπροσδοκήτου hic positum est, valde extenuatur, nil dicam. Sed rogo num poeta, auditoribus versus e tragoedia omnibus notissima imprudentibus cantaturus qui eo ipso quod ab oratione comica prorsus alieni sunt miram habent comicam vim atque spectatoribus cunctis risum evocabunt, rogo num is unquam tam stupidus sit ut auditores ante moneat: scitote locum ex Medea verbis sequentibus laudari. Nempe omni effectu tunc carebit.

Si quis audiens versus tragicum aliquid sonantes ὀλόμαν ὀλόμαν, ἀποχηρωθεὶς τᾶς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας, non statim tragoediae nomen, ex qua sumpti erant, ridentibus oculis exclamaret, nulla omnino venustas nulla in nostro loco esset mica salis.

Quemadmodum additamentum istud ortum sit seque insinuaverit non difficile est ad demonstrandum.

Verba ἐκ Μηδείας sciolo debentur qui inter legendum proximos versus ex Medea esse deprehendens inventum suum in margine adscripsit unde mox in textum irrepserunt. Librarii autem, si quando emblema cum reliqua oratione non satis bene componitur, pergunt errare itaque nostro loco verbis εἶτα μονῳδεῖν versum expleverunt.

Xen. Anab. III. 1. 20: τὰ δ' αὖ τῶν στρατιωτῶν ὁπότε ἐνθυμοίμην, ὅτι τῶν μὲν ἀγαθῶν τούτων οὐδενὸς ἡμῖν μετείη, εἰ μὴ πριαίμεθα, ὅτου δ' ὠνησόμεθα ἤδη ἔτι ὀλίγους ἔχοντας, ἄλλως δέ πως πορίζεσθαι τἀπιτήδεια ὅρκους ἤδη κατέχοντας ἡμᾶς.

Quotiescunque ea legebam, in ὅρκους ἤδη κατέχοντας ἡμᾶς vocabulum ἤδη semper moleste abundare ut hoc loco prorsus alienum visum est. Lectorem ἤδη inseruisse suspicor ut periodi structuram indicaret idque postea a critico imprudenti, cui ea

Digitized by Google

molesta videretur verbi ἤδη in ἤδη ἔτι ὀλίγους ἔχοντας repetitio, in ἤδη esse mutatum.

Iam ad Lucianum transeo.

In Mort. Dial. 21 Cerberus Menippo dicit *κἀγὼ ἔτι διαμέλλοντα αὐτὸν* (sc. *τὸν Σωκράτη*) *δακὼν τῷ κωνείῳ κατέσπασα τοῦ ποδός.*

Verba *τῷ κωνείῳ* interpolata et quam primum expungenda sunt.

Fritzsche sic locum interpretatur: „Cerberus Socratem cicuta mortuum non dente (ut alios) momordit sed cicuta, talis verborum lusus frequens est Aristophani". Iacobitz ita: „*τῷ κωνείῳ* verbinde mit *διαμέλλοντα*, d. i. da er des Schierlings wegen zauderte oder zu lange machte".

Ad eiusmodi commentatores verba Cobeti (Var. Lect. p. 288) spectare videntur: Quod frigidum et insulsum est verbis mitigant, etiam alibi non dissimilia legi contendunt, et omnibus modis in praeclarissimo quoque scriptore elevant et excusant, quae in suis quisque scriptis nunquam tulissent, aut inepte repetita aut pueriliter explicata.

Legitur in Mort. Dial. 3: *εἰ μὴ ἐς Λεβάδειαν γὰρ παρέλθω καὶ ἐσταλμένος ταῖς ὀθόναις γελοίως μᾶζαν ἐν τοῖν χεροῖν ἔχων ἐσερπύσω διὰ τοῦ στομίου ταπεινοῦ ὄντος ἐς τὸ σπήλαιον κ. τ. λ.*, in quibus interpolatum est adverbium *γελοίως*.

De adverbiis a lectoribus in margine adscriptis atque ita in contextam orationem receptis Cobetus egit l. l. et Nov. Lect. p. 441 Var. Lect. p. 294.

Eundem in modum *ὠμῶς* interpolatum videtur in Luciani Quom. hist. sit conscr. 38: *ἀλλὰ μὴ μελέτω αὐτῷ ..... μήτε Ἀλέξανδρος ὃς ἀνιάσεται ἐπὶ τῇ Κλείτου σφαγῇ ὠμῶς ἐν τῷ συμποσίῳ γενομένῃ.*

Sunt cetera quae indicaturus sum emblemata in Luciani disputatione de Saltatione.

In C. 3 Craton minatur se Lucianum ut Ulyssem de loto abstrahentem ad solitas vitae occupationes esse redacturum priusquam totus a Sirenis scenicis capiatur *καίτοι ἐκεῖναι μὲν τοῖς ὠτὶ μόνοις ἐπεβούλευον, [καὶ διὰ τοῦτο κηροῦ ἐδέησε πρὸς τὸν παράπλουν αὐτῶν·] σὺ δὲ καὶ δι' ὀφθαλμῶν ἔοικας ὅλος δεδουλῶσθαι.* Quam inepte interpositum est quod uncis inclusi!

Digitized by Google

In C. 5 Lucianus dicit *εἰπέ μοι, ὦ Κράτων,* [*ταυτὶ δὲ καὶ περὶ ὀρχήσεως καὶ τῶν ἐν τῷ θεάτρῳ γινομένων,*] *ἰδὼν πολλάκις αὐτός, ἐπιτιμᾷς, ἢ ἀπείρατος ὢν τοῦ θεάματος ὅμως αἰσχρὸν αὐτὸ καὶ κατάπτυστον, ὡς Φής, νομίζεις;* in quibus verba *ταυτὶ ..... γινομένων* sciolo deberi facile mihi dabitur. Magistellum arroganter explicantem audire mihi videor: Atque id quidem Lucianus non solum de ipsa saltatione rogat sed etiam de ceteris quae in theatro fieri solent.

In C. 9 *πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους τῶν ἡρώων εἰπεῖν ἔχων τοῖς αὐτοῖς ἐγγεγυμνασμένους καὶ τέχνην τὸ πρᾶγμα πεποιημένους ἱκανὸν ἡγοῦμαι τὸν Νεοπτόλεμον, Ἀχιλλέως μὲν παῖδα ὄντα, πάνυ δὲ διαπρέψαντα ἐν τῇ ὀρχηστικῇ καὶ εἶδος τὸ κάλλιστον αὐτῇ προστεθεικότα,* [*Πυρρίχιον ἀπ' αὐτοῦ κεκλημένον*]. Expelle manifestum interpretamentum.

In C. 18 *εἰ μὴ πρότερον ὀρχήσαιτο καὶ τῷ σχήματι ἀπειλήσειε καὶ προεκφοβήσειε* [*τῇ ὀρχήσει*] *τὸν πολέμιον.* Verba *τῇ ὀρχήσει* quin insiticia sint nemo dubitabit.

In C. 20 *ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν θεῶν Ἄρει οἱ Σάλιοι καλούμενοι — [ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα —] ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην.* Optime interpretatur qui adscripsit, sed in margine erat relinquendum.

In C. 25 *ὁ Σωκράτης .... παρ' ἑταίρας γυναικὸς οὐκ ἀπηξίου σπουδαῖόν τι ἀκούειν* [*τῆς Ἀσπασίας*]. Emblema ut saepe vitiosa verborum compositione fit manifestum.

In C. 34 *οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνο τὸ Φρύγιον τῆς ὀρχήσεως εἶδος τὸ παροίνιον καὶ συμποτικὸν* [*μετὰ μέθης γιγνόμενον*]. Nescio quis verba quae ableganda notavi olim superscripsit ad explicandum quid esset *ὀρχήσεως εἶδος συμποτικόν.*

In eodem Capite legitur *καὶ γὰρ ὁ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις τὰ μέν τινα εἴδη ἐπαινεῖ ταύτης,* ubi manum alienam verba *ἐν τοῖς Νόμοις* inseruisse puto. Non est Lucianeum eiusmodi operis indicium.

In C. 37 *Τιτάνων μάχην, Διὸς γέννησιν, Ῥέας ἀπάτην, λίθου ὑποβολήν, Κρόνου δεσμά, τὸν τῶν τριῶν ἀδελφῶν κλῆρον.* Vide annon sint *λίθου ὑποβολήν* verborum *Ῥέας ἀπάτην* interpretamentum atque eo reicienda unde pedem intulerunt.

In C. 63 *ὠρχήσατο τὴν Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος μοιχείαν, Ἥλιον μηνύοντα καὶ Ἥφαιστον ἐπιβουλεύοντα καὶ τοῖς δεσμοῖς ἀμφοτέ-*

Digitized by Google

ρους [τήν τε Ἀφροδίτην καὶ τὸν Ἄρη] σαγηνεύοντα, ubi ocius deleatur manifestum emblema.

Sunt haec fere quae Sommerbrodt, viro doctissimo optimeque de Luciano merito, consideranda dare volebam. Qui cum multa Luciani scripta notis lepidissimis utilissimisque illustravit tum nova editione critica, cuius partem iam edidit, criticum tam acutum ac sagacem se praebuit emendandis mendis maculisque tollendis quibus auctor inquinatus et oppletus erat, ut magnum percepturus sim gaudium si quas ex meis adnotationibus ei probare possim.

Etiam hoc eum rogare velim annon in C. 70 τί ἄλλο ἢ τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους ἐπαληθεύει, τὸ κάλλος ἐπαινοῦντος καὶ μέρος τρίτον ἡγουμένου τἀγαθοῦ καὶ τοῦτο εἶναι; emendatio quam in suam editionem receperit μέρος τι ἡγουμένου refutetur Aristotelis verbis Eth. Nicom. I. 8 νενεμημένων δὴ τῶν ἀγαθῶν τριχῇ κ. τ. λ.

Denique hoc annon in 80 παρωρχεῖτο καὶ τὰς Θυέστου potius verbum (e. g. ὠρχεῖτο) post καὶ excidisse quam καὶ interpolatum esse ei videatur.

Lugd. Bat., m. Aug. 1891.

AD HOMERUM.

Famosum est verbi χανδάνω futurum χείσεται in Ulixis verbis σ 17: οὐδὸς δ' ἀμφοτέρους ὅδε χείσεται, pro quo recte χήσεται substituit Nauck. In scholio autem ad hunc versum Demetrio tribuitur haec observatio: „ἀττικίζων ὁ ποιητὴς ἀντὶ τοῦ δέξεται χείσεται εἶπεν", quae verba sunt sine sensu. Aut fallor aut Demetrius coniecerat poetam dedisse δέξεται, sed errore τῶν μεταχαρακτηρισάντων litteras Atticas ΗΟΔΕΔΕΧΣΕΤΑΙ abiisse in ΗΟΔΕΧΕΣΕΤΑΙ, id est in vulgatam.

J. v. L. J. F.

Digitized by Google

AD PLATONIS PHAEDONEM.

SCRIPSIT

J. J HARTMAN.

Allato de parte quadam Phaedonis Platonici in Aegypti latebris reperta nuntio egregia omnia exspectasse et sperasse eruditos quis miretur? Quamvis enim parvae et detritae istae essent laciniae, tamen earum ope quin vetustissima lectio restitui posset nulla erat dubitatio; neque esse poterat: locorum enim notissimorum etiamsi pauca tantummodo superessent vocabula, cetera facillime suppleri posse videbantur, quoniam lacunarum spatia sedulo ac diligenter a doctis editoribus essent indicata. „Vetustissima lectio" aio; non enim possum rem gravioribus significare vocabulis; quae si exstarent hic iis utendum erat: tam enim antiquus Aegyptius ille testis est ut, quod ad aetatem attinet, prae illo ceteri omnes contemnendi, immo ridiculi, videantur. Vides me editoribus obloqui nolle: non dicam vix mihi credibile videri papyrum nostram, ut primum, a. 250 *ante* C. n. scriptam esse: quod si demonstrare possem totidem *post* C. n. annis eam ad Platonis dialogum excipiendum esse adhibitam, tamen multis saeculis Clarkiano codice esset antiquior, tamen diligenter esset excutienda, quippe quae in spem nos adduceret fore ut ipsa Platonis verba, a mediaevalibus scribis passim turpiter corrupta, integra nobis redderet. Verum misere nos ea spes fefellit. Nam permultas quidem lectiones incognitas antehac nobis exhibet, sed vix una traditae codicibus lectioni praestat; paucissimae contra codicum auctoritatem aliquo modo defendi possunt; pleraeque omnes nova praebent atque aperta vitia. Hoc ego hisce paginis demonstrare conabor, non ut

Digitized by Google

papyro detraham fidem — *τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν*; — sed quia sic facultatem habebo de quibusdam e Phaedone locis sententiam meam, diu reconditam et saepissime atque diligentissime perpensam, proferendi. Orthographica autem omittam: non indicabo locos ubi papyrus *ανδριαν* habet pro *ἀνδρείαν*, *αιδης* pro *ἀειδής*, *αιει* pro *ἀεί*, *ουθεν* pro *οὐδέν*, *συν* pro *ξύν*, *ν ἐφελκυστικόν* ante consonantem, *αυτογ γε* et *τουτωμ μεν* pro *αὐτόν γε* et *τούτων μέν*, *ταυτει* vel *λυπηθει* pro *ταύτῃ* et *λυπηθῇ*, *αυτον* pro *ἑαυτόν*. Istorum enim alia haud dubie vitiosa sunt, in ore hominum nata qui Graece nescirent, alia digna non videntur de quibus deliberemus. Quis enim tam perverse diligens est ut revera credat quidquam nos proficere si in huiusmodi minutiis ab hodierno scribendi usu recedamus?

Sed ad propositum veniam.

p. 68 B. „Philosophus nusquam nisi apud inferos se revera *τὴν Φρόνησιν* inventurum persuasissimum sibi habet. Quod quum ita sit, *οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη εἰ Φοβοῖτο τὸν θάνατον ὁ τοιοῦτος*;

Πολλὴ μέντοι νὴ Δία, ἦ δ' ὅς.

Οὐκοῦν ἱκανόν σοι τεκμήριον, ἔΦη, τοῦτο ἀνδρὸς ὃν ἂν ἴδῃς ἀγανακτοῦντα μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι, ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν ΦιλόσοΦος ἀλλά τις Φιλοσώματος".

In papyro desiderantur vocabula *μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι*, quae tamen temere omitti non possunt quin tota Socratis demonstratio claudicet et vacillet. Ergone codicum lectionem retineamus, papyri contemnamus? Mihi accurate locum nostrum consideranti probabilius videtur neutram rectam esse, sed sic scripsisse Platonem:

οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη εἰ Φοβοῖτο τὸν θάνατον;

Πολλὴ μέντοι νὴ Δία, ἦ δ' ὅς.

Οὐκοῦν ἱκανόν σοι τεκμήριον, ἔΦη, τοῦτο ἀνδρὸς ὃν ἂν ἴδῃς τοιοῦτον ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν ΦιλόσοΦος ἀλλά τις Φιλοσώματος.

Expello ergo *ὁ τοιοῦτος* post *τὸν θάνατον*, recte, ut opinor: praecedit enim *αὐτῷ* tamquam de homine certo notoque; et pro toto isto *ἀγανακτοῦντα μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι* unum pono *τοιοῦτον*, cuius vocis liberior usus quot quantarumque turbarum ansam dederit huius loci non est demonstrare. Longam exemplorum seriem proferre facile est.

Digitized by Google

Statim sequitur *ὁ αὐτὸς δέ που οὗτος τυγχάνει ὢν καὶ φιλοχρήματος καὶ φιλότιμος*. In papyro vocabula *ὢν καί* omissa sunt, hoc cum sententiae detrimento, illud contra certam verbi *τυγχάνει* structuram.

68 D. *ἀνάγκη, ἔφη*. Pap. *ἀνάγκη* sine *ἔφη*. Utrumque recte.

εἰ γὰρ ἐθελήσεις, ἢ δ' ὅς, ἐννοῆσαι τήν γε τῶν ἄλλων ἀνδρείαν τε καὶ σωφροσύνην, δόξει σοι εἶναι ἄτοπος. Pro *τήν γε* pap. *τήν τε*, aperto errore. Sed quod pro *ἐθελήσεις* habet *ἐθέλεις* fortasse non improbandum. In ipso enim verbo *ἐθέλειν* futuri est significatio.

Pro usitatissimo responso *καὶ μάλα* pap. ineptissimum habet *ναὶ μάλα*.

οὐκοῦν φόβῳ μειζόνων κακῶν ὑπομένουσιν αὐτῶν (sc. de vulgo hominum) *οἱ ἀνδρεῖοι τὸν θάνατον, ὅταν ὑπομένωσιν*; Pro *ὑπομένωσιν* in pap. est *ὑπομείμωσιν*; non ergo tantummodo manus scribae aberravit, sed ipsum illud quod scribere volebat vitiosum est; praesentis enim, non aoristi opus est coniunctivo.

„Praeter philosophos omnes alii nulla alia re quam metu fortes fiunt *καίτοι ἄτοπόν γε δέει τινὰ καὶ δειλίᾳ ἀνδρεῖον εἶναι*". Pro *ἄτοπον* pap. *ἄλογον*, quod propter nimiam vocis acerbitatem ferendum non videtur. Omnia enim quae hac certe disputationis parte leguntur, placide, clementer, leniter a Socrate enuntiantur. Qua de re mox pluribus erit exponendum.

68 E. *τί δέ*; *οἱ κόσμιοι αὐτῶν* (ceterorum hominum, philosophis exceptis) *οὐ ταὐτὸν τοῦτο πεπόνθασιν, ἀκολασίᾳ τινὶ σώφρονές εἰσι*; Verbum *πεπόνθασιν* a sana et vera Platonica structura alienissimum est; tamen in papyro pars eius *πονθασ* magnis literis exarata servatur. Qui locus ad vulgatam lectionem defendendam afferri possit 72 C: *διὰ τὸ καὶ τἆλλα πάντα ταὐτὸν ἐκείνῳ πεπονθέναι, καθεύδειν* in ea non tantum est praesidii quantum videtur.

Eiusdemmodi est vitium quo saepe loci, in quibus est *τοὐναντίον* et *πᾶν τοὐναντίον*, turbantur. Immunis corruptelae mansit locus in Apol. 25 B. *ἢ τοὐναντίον τούτου πᾶν εἷς μέν τις ὁ βελτίους οἷός τε ὢν ποιεῖν ἢ πάνυ ὀλίγοι, οἱ ἱππικοί*; et pauci alii; plerisque invito Platone additum est *ἐστὶ καί*.

Pro *σώφρονές εἰσι* minus recte in pap. est *σωφρονοῦσι*. Agitur enim de constanti et perpetua mentis conditione.

Digitized by Google

Quod modo dicebam de Socrate hac dialogi parte lenibus et clementibus utente vocabulis, de hac re nunc mihi fusius est disputandum. Statim enim post verba quae ultima e Phaedone attuli haec in codicibus sequuntur:

καίτοι Φαμέν γε που ἀδύνατον εἶναι. ἀλλ' ὅμως αὐτοῖς ξυμβαίνει τούτῳ ὅμοιον εἶναι τὸ πάθος τὸ περὶ τὴν εὐήθη σωφροσύνην. Sin papyro obtemperabimus sic legemus:

ἀλλ' ὅμως αὐτοῖς συμβαίνει τοῦτο ὅμοιον τὸ πάθος τῷ ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀνδραποδώδη σωφροσύνην.

In quibus haud dubie *τοῦτο* ..... *τῷ* inepta casuum permutatione natum est e *τούτῳ* ..... *τό*, neque minus certum est *περὶ ταύτην* esse legendum, non *ἐπ' αὐτήν*; nullus enim hic praepositioni *ἐπί* locus, neque pronomini *αὐτήν*. Hoc dubium videri possit sitne post *ὅμοιον* verbum *εἶναι* legendum an, quod iam antea v.v. d.d. coniecerunt, omittendum. Equidem illud retinendum censeo; non enim a *ξυμβαίνει*, sed ab ipso illo *εἶναι* pendet dativus *αὐτοῖς* et *ξυμβαίνει* hic, ut saepius, ponitur de ea re quae accurata consideratione et deliberatione efficitur. Afferam locum e libro I de Rep., ut simul eum vitio purgem. Legitur p. 339 E:

„Persuasum tibi habeto" (Socratis verba sunt ad Thrasymachum) temet ipsum concessisse *iustum* esse facere id quod potentibus *noceat*: si enim illi iubent aliquid quod sibi sit damno, tuque contendis tum *τοῖς ἀρχομένοις* expedire id facere, *ἆρα τότε οὐκ ἀναγκαῖον ξυμβαίνειν αὐτὸ οὕτωσὶ δίκαιον εἶναι ποιεῖν, τοὐναντίον ἢ ὃ σὺ λέγεις*"; Sensu cassa videntur Graeca verba quae citavi; primum inepte positum est *αὐτό*; etenim *αὐτὸ ποιεῖν* (id quod iusserunt potentes facere) iustum esse non *ξυμβαίνει*, sed ab ipso Thrasymacho ponitur; deinde de certa quadam ratione faciendi (*οὕτωσὶ ποιεῖν*) hic sermo esse non potest. Sin eiiciamus vocabula *αὐτό* et *ποιεῖν*, cetera: *ἆρα τότε οὐκ ἀναγκαῖον ξυμβαίνειν οὕτωσὶ δίκαιον εἶναι τουναντίον ἢ ὃ σὺ λέγεις*; egregie decurrant. Dixerat Thrasymachus 1° potentes interdum iubere id quod ipsis noceat, 2° tum illud iis qui regnantur esse faciendum. Rogat nunc Socrates: „nonne e duabus istis rebus sequitur iustitiam esse contrarium eius quod tu dixisti?" Etenim hanc esse iustitiam contenderat Thrasymachus: *τὸ τῶν κρειττόνων ξυμφέρον.*

Utut est, verbi *ξυμβαίνειν* hanc esse vim vides ut id signifi-

Digitized by Google

cet quod e recta duarum pluriumve rerum consideratione sequitur; neque mirum id est: ubi enim duae causae in unum competunt unus est effectus. Noster ergo Phaedonis locus si tironum gratia explicandus sit, sic fere loquamur: e recta rerum consideratione sequitur (*ξυμβαίνει*) *τοῦτο τὸ πάθος τὸ περὶ τὴν σωφροσύνην* (ὃ) *αὐτοῖς* (*ἐστὶν*) *ὅμοιον εἶναι τούτῳ* (sc. *τῷ περὶ τὴν ἀνδρείαν πάθει*).

Venio nunc ad miram illam lectionis varietatem: *εὐήθη* codices, *ἀνδραποδώδη* papyrus. Profecto mira ea est; tamen addam aliquid quo magis etiam mira videri possit; contendo enim atque pro certo affirmo utramque falsam esse, sed hanc illa multo falsiorem. De *communi* hominum fortitudine loquitur Socrates eamque *ex metu* nasci demonstrat; inde ad *communem* hominum transit continentiam, quam *e libidine* fieri argumentis probet. Quam ergo ineptae sint *vulgares* hominum virtutes ex ipsa demonstratione palam fit; ludibrio eas habet Socrates *placide* ac *leniter* demonstrando e quo fonte oriantur; perit ergo tota loci urbanitas si *ante* demonstrationem quidquam contumeliose de iis dicitur; si lepide rebus et factis *demonstrare* possumus hominem aliquem ineptum esse, ineptum eum *vocare* tantum abest ut opus sit, ut ipsum ineptum videri possit. Ergo tum demum Platonis manus restituta erit si pro *τὴν εὐήθη σωφροσύνην* scripserimus *τὴν ξυνήθη σωφροσύνην*.

Vides quanto peius istud papyri *ἀνδραποδώδη* sit quam vulgatum *εὐήθη*, quantoque longius a vera lectione recedat. Tamen permagnae esse utilitati potest. Primum — id quod levius est — quo modo loci nostri corruptela nata sit docet; legimus enim p. 69 B: *χωριζόμενα δὲ Φρονήσεως καὶ ἀλλαττόμενα ἀντ' ἀλλήλων μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ καὶ τῷ ὄντι ἀνδραποδώδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιὲς οὐδ' ἀληθὲς ἔχουσα*. Recte hic demum et apte Socrates in quotidianas istas virtutes acerbissimis invehitur maledictis; est enim hic locus longae demonstrationis tamquam peroratio, quam graviter sonantibus verbis pulchre exornat. Praepostera vero illius qui papyrum scripsit doctrina illud *ἀνδραποδώδη* iam in initio demonstrationis posuit, quum ad finem eius esset reservandum. Sensit istam perversitatem ille cui *εὐήθη* debemus, dedit ergo id quod multo praestaret; ut veram lectionem restitueret ei non contigit.

Digitized by Google

Deinde nunc demum constat quam mature commaculari coeptus sit Platonis textus certo quodam vitiorum genere, quod saepe nobis observare visi sumus, posthac vero confidentius notabimus. Incredibile enim dictu est quam multis locis Platonici sermonis color importunitate lectorum semidoctorum sit obscuratus, quam multa sermonis ornamenta, venustissime a Platone inventa illi pessumdederint. Longum est neque huius argumenti quam late illa labes grassata sit accurate exponere: omitto ergo locos, ubi τοῦ ἀπροσδοκήτου figura addita explicatione sublata sit, nihil dico de illis, ubi longioris demonstrationis tenor insertis vocabulis, quae ex alia parte dialogi translata sint, interrumpatur; quos si afferre vellem spatii mihi concessi terminos longe excederem. Sed duo exempla proponam eiusmodi ut lector semel paucis verbis admonitus totam rem velut ante oculos positam habeat.

Apollodorus Aristodemi de Agathonis convivio narrationem sic referre incipit (Conv. p. 174 A):

ἔφη γάρ οἱ Σωκράτη ἐντυχεῖν λελουμένον τε καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, καὶ ἐρέσθαι αὐτὸν ὅποι ἴοι οὕτω καλὸς γεγενημένος.

Agnoscimus lepidum amici iocum, qui τὸν ἀνυπόδητόν τε καὶ ἄλουτον Σωκράτη lenissimo perstringat risu; simulatque eum videt lotum et calceatum, non, hercle, eleganti quodam calceamento, sed unicis quas ille haberet soleis, rudibus, ut opinor, vilibusque, eum rogat: „quo tu tam pulchre ornatus". Omnia hic egregia sunt, faceta, urbana, sed tota fere loci venustas in uno inest articulo τάς, cuius haec vis est „nosti, Apollodore, soleas illas Socratis, de quibus pone ianuam stantibus toties iocati sumus". Nunc vero in textu Platonis lepores illos vix et ne vix quidem sentimus; additum enim est id quo plane offuscentur: ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει. En quatuor vocabula in quibus singulis stridula audiatur vox magistelli.

Crit. p. 43 A. Miratur Socrates quod tam mane a custode sit intromissus Crito; respondet hic; ξυνήθης ἤδη μοί ἐστιν, ὦ Σώκρατες, καί τι καὶ εὐεργέτηται ὑπ' ἐμοῦ. Quam multa in uno vocabulo ξυνήθης insunt, quantam habet acerbitatem cum leni risu mixtam. Tritissima res est amicum in vinculis certam mortem exspectantem visere; sed tam saepe iam eo functum esse officio ut ipse ianitor, cuius torvum vultum adeo metuere soleres,

Digitized by Google

tibi factus sit familiaris, eiusmodi res est de qua loqui non possis nisi δακρυόεν γελόων. Non sensit hoc qui primus in textum recepit annotationem minime necessariam διὰ τὸ πολλάκις δεῦρο Φοιτᾶν.

Sed ad Phaedonem et papyrum redeamus.

68 E. (Φοβούμενοι γὰρ) ἑτέρων ἡδονῶν στερηθῆναι κτέ. Pap. στερηθῆναι ἑτέρων ἡδονῶν. Saepe ordo verborum in papyro a vulgato ordine recedit. Hic certe is quem codices praebent longe praestat: permagnam enim voc. ἑτέρων habet emphasin.

Φοβούμενοι γὰρ ἑτέρων ἡδονῶν στερηθῆναι καὶ ἐπιθυμοῦντες ἐκείνων ἄλλων ἀπέχονται ὑπ' ἄλλων κρατούμενοι. τοῦτο δ' ὅμοιόν ἐστιν ᾧ νῦν δὴ ἐλέγετο τῷ τρόπον τινὰ δι' ἀκολασίαν αὐτοὺς σεσωφρονίσθαι. Nunc demum recte et ordine haec procedunt: expuli enim quae inter κρατούμενοι et τοῦτο leguntur: καίτοι καλοῦσί γε ἀκολασίαν τὸ ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι· ἀλλ' ὅμως ξυμβαίνει αὐτοῖς κρατουμένοις ὑφ' ἡδονῶν κρατεῖν ἄλλων ἡδονῶν. Quae vocabula ingrate repetita et ineptis iuncta particulis demonstrationis cursum inutiliter tardant. Illa tamen in papyro scripta fuerunt, sed omissus erat articulus τῶν (in ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι) et pro ἀλλ' ὅμως scriptum erat δ' οὖν (συμβαίνει δ' οὖν). Quarum lectionem altera haud dubie vitiosa est: si enim vocabula a me expulsa Platoni sunt vindicanda, Plato ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι scripsit, quoniam in universum quid sit ἀκολασία significatur. Altera (δ' οὖν) haud inepte uti possis ad demonstrandum totum hunc locum olim a male sedulo lectore esse adscriptum.

69 A. ὦ μακάριε Σιμμία, μὴ οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγή, ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας πρὸς λύπας καὶ Φόβον πρὸς Φόβον καταλλάττεσθαι. Rectissime Astius sensit isto πρὸς ἀρετήν totam loci sententiam perturbari (cf. quae mox sequuntur ἀλλαττόμενα ἀντ' ἀλλήλων). Sed vetustum est vitium; in papyro enim vocabula damnata leguntur.

80 D. Vulgo τοιοῦτον τόπον ἕτερον. Papyrus, rectius fortasse, τοιοῦτον ἕτερον τόπον. Totus hic locus in editionibus sic decurrit: ἡ δὲ ψυχὴ ἆρα, τὸ ἀειδές, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον, εἰς Ἅιδου ὡς ἀληθῶς κτέ. Sic ipsum Platonem scripsisse opinor; aptissimus enim hic est adiectivi τοιοῦτος liberior ille usus de quo modo dicebam; τοιοῦτος ἕτερος τόπος est τόπος qui et ipse sit ἀειδής, rectissimeque nunc παρὰ προσδοκίαν illud εἰς Ἅιδου profertur, quod obscurum factum est omnemque amisit venusta-

Digitized by Google

tem importune post *οἰχόμενον* additis vocabulis: *γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ*. Servat ea papyrus et vitium auxit praemittendo articulo *τογ* (*τόν*).

Sequitur: *παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ Φρονιμὸν θεόν, οἵ ἂν θεὸς θέλῃ αὐτίκα καὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἰτέον*. Pulcherrima haec sunt et ad intelligendum facillima. Non tamen intellexit papyri scriba qui et *Φρονιμόν*, quo minime hic carere possumus, omiserit et pro *οἵ* scripserit ΙΔΙ e quibus literis nihil elicias quod huic loco aptum sit.

80 E. (*ψυχὴ*) *ὀρθῶς Φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα*. In isto *ὀρθῶς Φιλοσοφεῖν ἐστὶ τεθνάναι μελετᾶν* totum huiusce loci inest argumentum. Sic enim Socrates ratiocinatur: verus philosophus uni rei dat operam ut animus corpori quam minime serviat, ut in dies magis ab illo fiat liber: itaque si mors est animi a corpore separatio, verus philosophus recte dici potest per totam vitam mori discere ac meditari. Praeclara profecto sententia, quam praeclare verbis *τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα* enuntiavit Plato. Ea autem vocabulorum *τῷ ὄντι* vis est ut egregie adhibeantur ubi *ἀπροσδόκητόν τι* proferatur; saepe ea legas sequente sententia aliqua paulo acutiore et subtiliore. Sed quamvis haec omnia sint egregia et quamvis perspicua, tamen vitium contraxerunt, ab eiusmodi homine illatum qui ne simplicissima quidem intelligeret; atque illud vitium licet foedissima macula eximium hunc locum aspergeret, tamen — mirabile dictu — usque ad nostram aetatem latuit. In textu enim post *μελετῶσα* legitur adverbium *ῥᾳδίως*, quod primus expungendum esse Hirschigius nostras vidit. Neque quemquam tam pertinacem esse opinor qui non libenter Hirschigio assentiatur. Illo enim adverbio et tota Socratis demonstratio ineptissime perturbatur, et pro praeclara illa meditatione philosopho studium aliquod tribuitur quod cuiusvis esse hominis possit; etenim *ῥᾳδίως ἀποθνήσκειν μελετᾷ* etiam ille qui diuturni morbi formidine actus sibi ipse mortem consciscere decrevit atque ergo deliberat quomodo id cum minimo facere dolore possit. Probabile antem est hodiernos viros doctos Hirschigiani inventi veritate semel perspecta de monachorum questos esse vel stupore qui nihil intelligerent, vel insolentia, qui ineptis suis additamentis ne praestantissima quidem corrumpere verentur. Illi nunc discant in monachis nihil fuisse culpae, et

Digitized by Google

multis ante illos saeculis iam fuisse genus illud invisum semidoctorum et arrogantium lectorum quibus suis annotatiunculis nihil esset carius. In papyro enim perspicue istud ῥᾳδίως legitur.

81 A. Graece nesciebat papyri scriba qui pro κακῶν τῶν ἀνθρωπείων dederit κ. τ. ἀνθρωπίνων. Opponitur enim τὸ θεῖον καὶ ἀθάνατον.

ib. οἳ ἀφικομένῃ ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι .... ὡς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ τῶν θεῶν διάγουσα. In nominativo διάγουσα papyrus cum codicibus consentit; Heindorfius coniecit διαγούσῃ, sed nescio an paulo laxiores structurae Platoni sint relinquendae. Quod autem pro μετὰ τῶν θεῶν papyrus habet μετὰ θεῶν quin falsum sit, et omnino retinendus articulus, nullus dubito. Praecedit enim ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμυημένων, sermo ergo est de populari religione: illi autem unice convenit μετὰ τῶν θεῶν; articulum omittere doctorum est liberius de theologia loquentium.

81 B. ἐὰν δέ γε, οἶμαι, μεμιασμένη .... In papyro non est οἶμαι μεμιασμένη sed οι μεμιασμενη, vitio aperto et eiusmodi ut in tam antiquo libro inveniri mireris; nasci enim non potuit nisi recepta iam prava syllabae αι pronuntiatione.

ib. ἅτε τῷ σώματι ἀεὶ ξυνοῦσα καὶ τοῦτο θεραπεύουσα καὶ ἐρῶσα καὶ γεγοητευμένη ὑπ' αὐτοῦ ὑπό τε τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδονῶν. Laudandi illi scribae qui γεγοητευμένη servarunt: periculum enim erat ne tot participiis praesentis temporis praecedentibus γοητευομένη scriberent. Neque evasit illum scopulum papyri scriba. Vocabula autem ὑπό τε τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδονῶν in vulgata lectione ferri non posse optime perspexit Vermehren ideoque inclusit. Paulo minus ingratum est quod in papyro fuisse suspicantur editores; legitur enim:

υπο των επιθυμιων [.....
ηδονων ωστε μηθεν [.....
αληθες αλλο η το σω [.....
ου αν τις αψαιτο [
και Φαγοι.

Primam lacunam sic supplent: αὐτοῦ καὶ τῶν. Sed vel sic post ὑπὸ τῶν aegre desideratur τε. Vides praeterea papyrum habuisse μηθεν δοκειν αληθες αλλο η το σωμα non quod nunc in editionibus est μηδὲν ἄλλο δοκεῖν ἀληθὲς ἀλλ' ἢ τὸ σῶμα, quae multo

Digitized by Google

elegantior structura. Deinde observandus varius verborum ordo *ου αν τις αψαιτο* pro *οὗ τις ἂν ἅψαιτο*. Postremo editores annotant in papyro inter *αψαιτο* et *και Φαγοι* spatium esse quod aut *καὶ ἴδοι* aut *καὶ πίοι* recipiat, non vero utrumque.

81 B. *τὸ δὲ τοῖς ὄμμασι σκοτῶδες καὶ ἀειδές, νοητὸν δὲ καὶ Φιλοσοφίᾳ αἱρετόν*. Rectissime haec vulgo opponuntur; pravum est quod pap. pro *Φιλοσοφίᾳ* habet *σοφίᾳ*. Etenim philosophia est tamquam instrumentum, quo homo arripit ea quae nimis sint subtilia quam ut corpore deprehendi possint. Rectissime ergo cum *mente* (*τῷ νῷ*) componitur et oculis opponitur. cf. 82 B. *ἐξ ἔθους τε καὶ μελέτης γεγονυῖαν ἄνευ Φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ*. Philosophia autem subtilia illa sensim arripiens tandem *τὴν σοφίαν* parit.

81 C. *οὕτω δὴ ἔχουσαν οἶει ψυχὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν εἰλικρινῆ ἀπαλλάξεσθαι*. Solito errore in cod. D. legitur *ἀπαλλάξασθαι*. Sanam lectionem papyrus servat.

ib. *ἐμβριθὲς δέ γε, ὦ Φίλε, τοῦτο οἴεσθαι χρὴ εἶναι*. Vocabula *ὦ Φίλε* in papyro aut desunt aut alibi scripta fuerunt. Sed probabilius nunquam scripta fuisse: similis enim omissionis et alia occurrunt exempla.

ὃ δὴ καὶ ἔχουσα ἡ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, Φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ Ἅιδου, ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάΦους; καλινδουμένη. Post haec, quae in papyro interierunt, sequitur locus tam ineptus ut a Platone scriptum nunquam crediderim; argumentum enim dignum est uno ex malesanis istis hominibus, quos in Philopseude nugantes inducit Lucianus, sermo vero absurdus et puerilis, non loquentis sed balbutientis: *περὶ ἃ δὴ καὶ ὤΦθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ Φαντάσματα; οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶνται*. Nunc video pervetustum esse emblema, pars enim eius in papyro conspicitur, sed ita ut totum turbatum laceratumque fuisse appareat. Primum in papyro non est *ψυχῶν σκιοειδῆ Φαντάσματα*, sed *ψυχῶν Φαντάσματα σκιοειδῆ*. Hoc leve; gravissimae vero corruptelae indicio sunt literae quae in papyro loco vocabuli *οἷα* leguntur: ...ταΦ.....σθενει. Istud autem ...ταΦ..... C. C. Purser sic supplet *τῶν ουπ]ω ταΦ[έντων*. Sic tamen restat etiam istud [*α*]*σθενει* e quo

Digitized by Google

nihil elicias quod in hunc locum quadret. Recte autem si Purser supplevit, novi etiam aliquid suspecto loco addit papyrus, quo magis fiat Platonis consilio contrarius. Sed vix eo opus fuit; primum enim Platonem agnoscis verbis *ὥσπερ λέγεται κτέ.* breviter neque sine risu quodam vulgi fabulas tangentem, audis deinde credulum hominem aniles superstitiones magno verborum ambitu tamquam res certissimas proferentem.

81 D. ib. Respondet Cebes: *εἰκός γε ὦ Σώκρατες.* Tum Socrates *εἰκὸς μέντοι, ὦ Κέβης.* Pro *εἰκός γε* in pap. est *εἰκότως*, quo colloquium haud parvam suavitatis partem amittit.

Sequitur: *καὶ οὔ τί γε τὰς τῶν ἀγαθῶν ταύτας εἶναι, ἀλλὰ τὰς τῶν φαύλων.* Pro *ταύτας* in pap. est *αὐτάς*, minus recte, emphasi enim quadam opus est et sequitur praeterea sententia relativa: *αἳ περὶ τὰ τοιαῦτα ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι.*

82 B. *ὅτι τούτου; εἰκός ἐστιν εἰς τοιοῦτον πάλιν ἀφικνεῖσθαι πολιτικόν τε καὶ ἥμερον γένος.* In papyro *ἐστιν* omittitur, pro *ἀφικνεῖσθαι* prave legitur *ἀφικέσθαι*, postremo non *ἥμερον* sed *ἡμερώτερον* scriptum fuisse iure e lacunae spatio coniiciunt editores; nullus tamen hic comparativo isti locus.

ib. *εἰς δέ γε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῷ ἀπιόντι οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι ἀλλ' ἢ τῷ φιλομαθεῖ.* Absurdissima haec esse dudum intellexerunt viri docti. Quis enim ille *φιλομαθής* est qui e vita excedit aetate exacta sine philosophiae studio, et plenus sordium corporis? Alii ergo delendis vocabulis *ἀλλ' ἢ τῷ φιλομαθεῖ*, alii transponendis huic loco mederi conati sunt; in papyro praesidii nihil; suspecta enim illa vocabula eodem loco habet quo codices.

82 C. *ἀλλὰ τούτων ἕνεκα .... οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀπέχονται τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν κτέ.* In papyro non est *φιλοσοφοῦντες* sed *φιλόσοφοι*, quod falsum videtur.

82 D. „Homines qui recte et sapientiae convenienter vivunt *οὐ κατὰ ταὐτὰ πορεύονται αὐτοῖς* (sc. hominibus qui voluptatibus serviunt)". In pap. est *πορεύσονται*, pessime. Non enim de re futura sermo est, sed de ea re quam Simmias, Cebes, alii Socratis discipuli semper observare potuerunt.

82 D „Sapientes illi, putantes nihil sibi adversus philosophiam esse agendum *καὶ τῇ ἐκείνης* (sc. *ψυχῆς*) *λύσει τε καὶ καθαρμῷ, ταύτῃ τρέπονται ἐκείνῃ ἑπόμενοι, ᾗ ἐκείνη ὑφηγεῖται*". In papyro

Digitized by Google

ineptissime ante καθαρμῷ articulus τῷ inseritur: καθαρμός enim et λύσις fere synonyma sunt. Quae sequuntur ταύτῃ .... ὑφηγεῖται in codicibus egregie sunt enuntiata: ipsa enim verbositas et frequens eiusdem rei repetitio magnam habent persuadendi vim, atque egregie conveniunt illi qui de re certissima loquatur. In papyro nervi orationis inciduntur et inepte additur particula. Legitur enim ταύτῃ δὴ τρέπονται ᾗ ἐκείνη ὑφηγεῖται. Alienissimum autem ab hoc loco est δή: non enim ad prius dicta redeundo demonstrationem concludit Socrates (quae illius est particulae vis) sed novam quodammodo profert disputandi materiem. Quod e sequentibus πῶς, ὦ Σώκρατες; Ἐγὼ ἐρῶ, ἔφη perspicue apparet.

82 E. „Qui sunt sapientiae studiosi mentem hominis in corpore vinctam esse vident, simulque quanta sit vinculi vis intelligunt; cognoscunt enim ὅτι δι' ἐπιθυμίας ἐστίν, ὡς ἂν μάλιστα αὐτὸς ὁ δεδεμένος ξυλλήπτωρ εἴη τοῦ δεδέσθαι." In pap. est τοῦ, annotantque editores solam illam esse e recentiorum emendationibus quae papyro confirmetur. In codd. enim τῷ legebatur, τοῦ coniecit Heindorfius. Sed, pace tanti viri dictum esto, vereor ut locum nostrum recte intellexerit. Quos enim exempli causa affert locos, ibi in genitivo posita est res, *in qua* vel *cuius causa* alius alii fert opem; velut Arist. Vesp. 773:

ξυλλαμβάνει τοῦ πράγματος

et Xen. Mem. II, 2, 12: ἵνα ἀγαθοῦ σοι γίγνηται συλλήπτωρ.

Hic vero τὸ δεδέσθαι *hominis agentis* vicem implet, *cui* opem ferunt vincti. Sic enim verto: quae vincendi ratio est qua (ὡς ἄν) vinctus ipse τὸ δεδέσθαι maxime adiuvet. Cupiditatis vinculo vinctus est aliquis; non ergo solum vinctus est sed vinctus esse vult et cupit. Nonne hoc est ξυλλήπτορα εἶναι τῷ δεδέσθαι? Morbum sibi innatum aliquis ultro alit augetque, ξυλλαμβάνει ergo τῇ νόσῳ non τῆς νόσου. Cf. quod ipse Heind. affert (Dem. de Cor. p. 231): .... συνελάμβανεν ἡμῖν.

83 A. οὕτω παραλαβοῦσα ἡ φιλοσοφία ἔχουσαν αὐτῶν τὴν ψυχήν. Vulgatam hanc lectionem et pap. habet; verba sic ordinare malit Hirschigius: οὕτως ἔχουσαν παραλαβοῦσα κτέ. quae est coniectura minime probabilis: traditus enim verborum ordo magis orationem Platonicam refert.

ib. πείθουσα δὲ ἐκ τούτων (sc. τῶν ὀμμάτων καὶ τῶν ὤτων) μὲν

Digitized by Google

ἀναχωρεῖν ὅσον μὴ ἀνάγκη αὐτοῖς χρῆσθαι. Pronomen αὐτοῖς papyrus omittit, nescio an recte.

ib. continuo sequitur: αὐτὴν δὲ εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι παρακελευομένη, πιστεύειν δὲ κτέ. Negligenter officio suo functus est papyri scriba, qui vicinis infinitivis in errorem inductus pro παρακελευομένη scripserit παρακελεύεσθαι.

πιστεύειν δὲ μηδενὶ ἄλλῳ ἀλλ' ἢ αὐτὴν ἑαυτῇ. Elegantem hanc et vere Platonicam structuram papyrus non habet sed: μηδενὶ ἄλλῳ ἢ .... Continuo sequitur: ὅ,τι ἂν νοήσῃ αὐτὴ καθ' αὑτὴν αὐτὸ καθ' αὑτὸ τῶν ὄντων. Quam male papyri scriba intellexerit quae scripsit hic locus vel solus indicio esse potest: non enim sentiens genitivum τῶν ὄντων pendere ab ὅ,τι de suo post αὐτό inseruit τι.

83 B. ὅ,τι δὲ ἂν δι' ἄλλων σκοπῇ ἐν ἄλλοις ὂν ἄλλο, μηδὲν ἡγεῖσθαι ἀληθές. Quae mens, non per se sola sed sensibus usa, percipit, singulae res sunt, non illarum ἰδέα, illarum autem species nunquam eadem est, *ideoque* veritatis nihil habent. Perquam ergo necessarium hic est participium ὄν, quod tamen omittit papyrus.

εἶναι δὲ τὸ μὲν τοιοῦτον αἰσθητόν τε καὶ ὁρατόν, ὃ δὲ αὐτὴ ὁρᾷ νοητόν τε καὶ ἀειδές. Quin *bis* hic τε καί opus sit non potest esse dubium; in papyro tamen post αἰσθητόν simplex καί legitur. Praeterea pro ὃ .... ὁρᾷ habet ᾧ .... προσέχει, quod unde sumserit non intelligo, sed falsum esse constat. Haud enim parvo spatio ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν distat τὸ προσέχειν, quod videndi tantummodo quendam *conatum* significat, *verum* autem atque sincerum non id est quod mens *videre vult*, sed quod *videt* atque *perspicit*. Et vereor ne ridicule dictum sit ἡ ψυχὴ προσέχει τινί sc. τὸν νοῦν.

ἀπέχεται τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ λυπῶν καὶ Φόβων. In papyro καὶ Φόβων desideratur, et Iamblichi textum hac in re cum papyro consentire annotant editores. Sed quoniam supra inter pravos hominum affectus etiam metus mentio facta est, num illud καὶ Φόβων abesse possit dubito.

λογιζομένη ὅτι, ἐπειδάν τις σφόδρα ἡσθῇ ἢ Φοβηθῇ ἢ λυπηθῇ ἢ ἐπιθυμήσῃ κτέ. In papyro idem est verborum ordo, quem apud Iamblichum extare annotant editores: ἡσθῇ ἢ λυπηθῇ ἢ Φοβηθῇ ἢ ἐπιθυμήσῃ. Praeterea in papyro post τις legitur τι, e dittographia natum.

Digitized by Google

οὐδὲν τοσοῦτον κακὸν ἔπαθεν ἀπ' αὐτῶν. Sic papyrus habet et omnes codices, non, id quod Heindorfius et Cobetus iubent, ὑπ' αὐτῶν. Equidem, ne quid dissimulem, in hac re summorum criticorum praeceptis diffido, et aliis locis innumeris ductus et frequentissimo illo παρὰ πάντων ὁμολογεῖται.

83 C. οἷον ἢ νοσήσας ἤ τι ἀναλώσας διὰ τὰς ἐπιθυμίας. Pronomen τι, quod in cod. E. prave omittitur, in papyro servatur.

ἀναγκάζεται ἅμα τε ἡσθῆναι ἢ λυπηθῆναι σφόδρα ἐπί τῳ καὶ ἡγεῖσθαι, περὶ ὃ ἂν μάλιστα τοῦτο πάσχῃ, τοῦτο ἐναργέστατόν τε εἶναι καὶ ἀληθέστατον, οὐχ οὕτως ἔχον. Papyrus alio ordine, elegantiore ut videtur: ἡσθῆναι σφόδρα ἢ λυπηθῆναι ἐπί τῳ. Ultima huius loci pars in papyro misere mutilata est; nam quod e literis, quae servatae sunt, olim scriptum fuisse coniiciunt editores: μάλιστα δεῖν εἶναι τοῦτο, id sensum minime aptum praebet, neque quidquam aliud elicias quod sit melius.

ταῦτα δὲ μάλιστα ὁρατά. Quoniam ὁρατά sententiae est subiectum totaque hoc significat: „res, quae oculis cernuntur, praesertim sunt illae quae homines gaudio, dolore, metu afficiant", nemo dubitabit quin recte Heindorfius ante ὁρατά inseruerit τά. Sed ne illi quidem certissimae emendationi in papyro est praesidium.

ἐν τούτῳ τῷ πάθει μάλιστα καταδεῖται ψυχὴ ὑπὸ σώματος; Πῶς δή; Vocabula πῶς δή in papyro sunt in fine lineae. Annotant editores: „there seems to have been (in illa linea) a word more here then our MSS. posses". Si illud vocabulum est τοῦ, quod recentior manus codicis B habet, hoc quoque loco papyrus pravam servat lectionem.

83 D. ἐκ γὰρ τοῦ ὁμοδοξεῖν τῷ σώματι καὶ τοῖς αὐτοῖς χαίρειν ἀναγκάζεται, οἶμαι (ἡ ψυχὴ) ὁμότροπός τε καὶ ὁμότροφος γίγνεσθαι καὶ οἷα μηδέποτε καθαρῶς εἰς Ἅιδου ἀφικέσθαι ἀλλ' ἀεὶ τοῦ σώματος ἀναπλέα ἐξιέναι. Sic vulgo. Brevi hoc loco ter alium praebet verborum ordinem papyrus. Primum legitur: ὁμότροφός τε καὶ ὁμότροπος, vix recte, ut opinor. Verisimile enim est prius a Platone positum fuisse adiectivum usitatius et vulgatius, deinde additum id quod novum quoddam sententiae lumen praeberet. Deinde e reliquiis apparet scriptum fuisse in papyro non οἷα μηδέποτε καθαρῶς εἰς Ἅιδου ἀφικέσθαι, sed οἷα καθαρῶς εἰς Ἅιδου μηδέποτε ἀφικέσθαι, neque ἀλλ' ἀεὶ τοῦ σώματος ἀνα-

Digitized by Google

πλέα ἐξιέναι sed ἀλλ' ἀεὶ ἀνάπλεα τοῦ σώματος ἐξιέναι. Utrobique papyri lectionem praestare censeo: illic quia graviorem habet emphasin, qua opus est, hic quia sic demum apparet genitivum τοῦ σώματος simul a verbo ἐξιέναι et adiectivo ἀνάπλεα pendere. Fueritne in papyro καθαρῶς an, id quod suadet Heindorfius, καθαρά cernere iam non licet; suspicor tamen καθαρῶς et Heindorfii coniectura minime opus esse censeo. Similiter enim 68 B legitur: μηδαμοῦ ἄλλοθι καθαρῶς ἐντεύξεσθαι φρονήσει, ubi qui aurificis statera structuram perpendat καθαρᾷ legendum esse suspicetur.

83 D. ἀληθέστατα, ἔφη, λέγεις ὁ Κέβης, ὦ Σώκρατες. In papyro non fuisse ὁ Κέβης e lacunae spatio efficiunt editores. Atque libenter quidem illo nomine caremus; a Platone scriptum non esse haud contendam. Temerarium enim videtur semper nomina propria, quibus opus non est, delere velle; apud Platonem vero tam ingens est copia locorum, ubi nomen aliquod inutiliter additur, ut potius credam Platonem illo quoque usum esse artificio quo accuratius quotidiani sermonis referret colorem. Eadem fere causa est locutionis ἦ δ' ὅς, cui nullum addi posse nomen primo aspectu suspiceris; sexcentos tamen Platonis locos ubi illud fiat ad eam normam emendare ineptum sit; neque nomine addendo sermoni afferri maculam vel unus Aristophanis locus docet (Lys. 514): τί δὲ σοὶ τοῦτ'; ἦ δ' ὃς ἂν ἀνήρ, ubi ἀνήρ nominis proprii instar est.

83 E. τούτων τοίνυν ἕνεκα, ὦ Κέβης, οἱ δικαίως φιλομαθεῖς κόσμιοί εἰσι καὶ ἀνδρεῖοι, οὐχ ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκά φασι. ἢ σὺ οἴει; Sic vulgo, perverse: significatur enim philosophos continentia et fortitudine non id assequi conari quod vulgus mortalium; recte ergo Hirschigius et Schanzius φασι delent, rectius tamen Hermannus ἕνεκα φασι, mirandumque Hermannum postea sententiam mutasse et ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκα φαίνονται coniecisse; φαίνονται enim inepte abundat. In papyro fuisse

ἀνδρεῖοι [ἀλλὰ? οὐχ ὧν οἱ πολλοί] ἢ σὺ οἴει;

suspicantur editores. Si recte lacunam supplent vera Hermanni coniectura papyro confirmatur.

84 A. Vulgo ἀνδρὸς φιλοσόφου, pap. φιλοσόφου ἀνδρός.

84 A. Nusquam magis quam hic apparet papyri scribam stultum fuisse hominem qui quae scriberet non intelligeret. Legitur

Digitized by Google

enim: *οὐκ ἂν οἰηθείη τὴν μὲν Φιλοσοφίαν χρῆναι ἑαυτὴν λύειν, λυούσης δὲ ἐκείνης αὐτὴν παραδιδόναι ταῖς ἡδοναῖς καὶ λυπαῖς ἑαυτὴν πάλιν αὖ ἐγκαταδεῖν.* Pro *δὲ ἐκείνης* in pap. est *δοκείνης*.

Sequitur: *καὶ ἀνήνυτον ἔργον πράττειν, Πηνελόπης τινὰ ἐναντίως ἱστὸν μεταχειριζομένης.* Sic vulgo legitur, et sic habet papyrus; non ergo ibi invenitur quod unice verum esse vidit Madvigius: *μεταχειριζομένην.*

τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη. In papyro *ἀδόξαστον* male suo articulo caret.

84 B. *ζῆν τε οἴεται οὕτω δεῖν ἕως ἂν ζῇ κτἑ.* Turpi errore in papyro pro *ζῆν* est *ζῶν*, et pro *οὕτω δεῖν* minus recte legitur *δεῖν οὕτω*.

L. B. d. 24 m. Dec. MDCCCLXXXXI.

AD TERENTII EUNUCHUM
vss. 64 sqq.

Ne qua huius paginae pars vacua sit addam loci notissimi et suavissimi e Terentio emendationem tam lenem quam necessariam. Erilis filii inconstantiam levitatemque servus Parmeno et aliis verbis deridet et hisce:

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
„Egone illam, quae illum, quae me, quae non! sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem",
Haec verba illa una me hercle falsa lacrimula,
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
Restinguet.

Vs. 65 accusativum *illum* pendere ab *admiserit* aliove verbo quod *ἐκ τῶν συμφραζομένων* facillime suppleri possit nemo non intelligit. Minus expedita est accusativi *me* ratio; annotant editores „scil. *excluserit*", quod quamvis sit incredibile, tamen verum esse fingamus. Quid nunc verbis *quae non* faciamus? Censeamusne hoc velle Parmenonem:

„egone illam quae illum (admiserit), quae me (excluserit), quae non (admiserit)?" Sed sic, dum dominum ludibrio habere vult, ipse inepte balbutit. Duobus vocabulis transpositis lege:

egone illam quae illum, quae me non, quae .....

indignanti amatori suus erit redditus sermo. J. J. H.

Digitized by Google

AD QUINTUM SMYRNAEUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Quinti Smyrnaei Posthomericorum libri XIV recognovit ..... Albertus Zimmerman. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MDCCCXCI.

I 93 sq. dicitur de Penthesilea:

ἣ δ' ἄρ ὑπέσχετο ἔργον, ὅ τ' οὔποτε θνητὸς ἐώλπει,
δηώσειν Ἀχιλῆα καὶ εὐρέα λαὸν ὀλέσσειν
Ἀργείων, πυρσὸν δὲ νεῶν καθύπερθε βαλέσθαι,
νηπίη, οὐδέ τι ἤδη ἐυμμελίην Ἀχιλῆα
ὅσσον ὑπέρτατος ἦεν ἐνὶ Φθισήνορι χάρμῃ.

Saepenumero confundi a librariis comparativos et superlativos in volgus notum est; nec quisquam monitus dubitabit quin huius loci sit ὑπέρτερος. Quanto (se) superior in pugna esset Achilles, heroina ignorabat.

I 383 καὶ οἱ ἄεξεν (= ἀέξετο)
ἀλκὴ ὁμῶς καὶ θάρσος ἐπὶ πλέον, οὐδέ οἱ αἰχμὴ
μαψιδίη ποτὲ δῦνεν, ἀεὶ δ' ἣ νῶτα δάιζε
Φευγόντων ἢ στέρνα καταντίον ἀισσόντων.

Hanc Zimmermanni, qui optime de Quinto meruit, coniecturam pro depravata librorum lectione ποτ' ἴθυνεν non intellego. Si enim voluit ἔδυνεν ἔσω χροός (quod saltem addendum fuerat), nec quid aliud voluerit exputo, non erat sane αἰχμὴ prorsus μαψιδίη. Longe praestare mihi videtur quam aliorum commemorat in annotatione etiam lenior coniectura

οὐδέ οἱ αἰχμὴ
μαψιδίη ποτε θῦνεν κτέ.

Digitized by Google

Est enim *θύνειν*, interprete schol. A ad Hom. B 446, *σὺν σΦοδρᾷ ὁρμῇ κινεῖσθαι*, *ruere*, quod verbum haud inepta metaphora poeta a bellatrice ad hastam (cf. Τ 492) transferre potuit, ut Homerus fecit canens *ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσι* Θ 111. Cf. Π 75, 245. Mihi quidem haec certa videtur emendatio.

I 619 sqq. narratur Achilles Penthesileam una cum equo cui insidebat uno hastae ictu confodisse, quo respiciens poeta vs. 656 haec scribit:

ἄμΦω δ' ἀσπαίρεσκον ὑΦ' ἓν δόρυ δῃωθέντες.

Ita codex Monacensis, quem editor secutus est, sed ita dici potuisse pro *ὑΦ' ἑνὶ δορί* quis credat? Codex Parrhasianus exhibet *ὑΦ' ἓν δορί* melius sane, modo *ὑΦ' ἓν simul*, *eodem impetu* significare tibi persuadeant quae afferuntur in Stephani thesauro III p. 288 extr.; sin minus, gravius aliquod huic loco vitium subest. Fac Quintum scripsisse:

ἄμΦω δ' ἀσπαίρεσκον ὁμῷ δορὶ δῃωθέντες,

quod aptissimum esse nemo negabit, libri lectio facillime nasci potuit ex interpretamento *ὑΦ' ἑνὶ δορί*.

II 260

τοῦ δ' ὑποδῃωθέντος ἄχος Δαναοῖσιν ἐτύχθη
πᾶσι κτἑ.

Verbum *ὑποδηιοῦν* quia non Graecum esse videtur, divisim scripserim:

τοῦ δ' ὕπο δῃωθέντος κτλ.

per hunc caesum, i. e. *huius caede.*

II 436

Νηρεΐδας, τὰς δή ῥα θεοὶ τίουσ' ἐν Ὀλύμπῳ,
πασάων δὲ μάλιστα Θέτιν κλυτὰ μητιόωσαν,
οὕνεκά που Διόνυσον ἑοῖς ὑπέδεκτο μελάθροις,
ὁππότε δειμαίνεσκε βίην ὀλοοῖο Λυκούργου,
ἠδὲ καὶ ὡς Ἥφαιστον ἐύφρονα χαλκεοτέχνην
δέξατ' ἑοῖσι δόμοισιν ἀπ' Οὐλύμποιο πεσόντα,
αὐτόν τ' Ἀργικέραυνον ὅπως ὑπελύσατο δεσμῶν.

Haereo in *ὅπως*, quod nec vi causali usurpari potuit ut praegressa *οὕνεκα* et *ὡς*, nec, si posset, isto loco poni. Verborum autem structura ostendit verba *αὐτόν — δεσμῶν* una cum verbis

Digitized by Google

Ἥφαιστος — πεσόντα suspensa esse a vocula ὡς vs. 440. Quid sub ὅπως lateat, ἰοῦσ', an ἐῶν, an aliud, ignoro.

II 593

δύσατο δ' ἠελίοιο Φάος· κατὰ δ' ἤλυθεν Ἠὼς
οὐρανόθεν κλαίουσα φίλον τέκος, ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῇ
κοῦραι ἐυπλοκάμοιο δυοκαίδεκα, τῇσι μέμηλεν
αἰὲν ἐλισσομένου Ὑπερίονος αἰπὰ κέλευθα,
νύξ τε καὶ Ἠριγένεια, καὶ ἐκ Διὸς ὁππόσα βουλῆς
γίνεται, κτέ.

Quo tandem sensu editor vocabulum ἠριγένεια maiore littera initiali donaverit prorsus me latet. Nam Ἠριγένεια Quinto, ut vs. 592 et alibi saepe, est Deae nomen = Ἠώς, hic vero manifeste est *dies* (quemadmodum passim seriores poetae ἠώς ponunt pro ἦμαρ), vocabula enim νύξ τε καὶ ἠριγένεια faciunt epexegema praegressum Ὑπερίονος αἰπὰ κέλευθα.

II 660 Horae Auroram ad Olympum reducunt

παρΦάμεναι μύθοισιν, ὅσοις βάρυ πένθος ὑπείκει.

Aliquanto aptius videtur οἷοις.

III 200

καὶ οἱ Τρωιάδες μεγάλα Φρεσὶ καγχαλόωσαι
ἀμφιπεριστήσονται ἀνὰ πτόλιν, ἠύτε λυγραὶ
παρδάλιες τεκέων κεχολωμέναι ἠὲ λέαιναι
ἀνδρὶ πολυκμήτῳ μογερῆς ἐπιέστορι θήρης,
ὡς Τρῳαὶ περὶ νεκρὸν ἀποκταμένου Ἀχιλῆος
ἀθρόαι ἀέξουσιν ἀπειρέσιον κοτέουσαι.

Admodum suspectum habeo πολυκμήτῳ, quod apud Homerum ubique significans *multo labore factus*, *multum elaboratus* Quintus VII 424 (cf. Tryphiodor. vs. 1) de bello *laborioso*, *laborum pleno*, usurpavit et V 648, qui locus iniuria tentari videtur, de corpore Herculis *multis laboribus fesso*, hic vero explicatur *exercitatus*, quamquam universi loci ratio aperte postulat quod bene respondeat sequenti ἀποκταμένου. Poetae manum fuisse suspicor:

ἠύτε λυγραὶ
πορδάλιες τεκέων κεχολωμέναι ἠὲ λέαιναι
ἀνδρὶ νεοκμήτῳ (νεοδμήτῳ?) μογερῆς ἐπιστορι θήρης κτλ.

Digitized by Google

Cf. Rhesus 887, ubi plerorumque codicum lectionem *νεόκμητον* recepit Dindorf. in poet. sc. ed. V, licet *νεόδμητον*, quod Christi patientis auctor vs. 1456 legisse videtur, praetulerim.

III 325

εὖτ' ἄνεμοι θοὰ φύλλα κατὰ χθονὸς ἀμφιχέωνται
λάβρον ἐπιβρίσαντες ἀν' ἄλσεα ὑλήεντα
ἀρχομένου λυκάβαντος, ὅτε φθινύθουσιν ὀπῶραι.

Verbis ultimis describitur *τὸ φθινόπωρον*, itaque absurdum est *ἀρχομένου λυκάβαντος*, quo tempore praeterea folia cadere non solent. Legendum igitur *ἐρχομένου*, i. e. *ἀπερχομένου*, nisi forte *οἰχομένου* necessarium esse putas.

V 6 sqq. ubi describitur scutum Achillis:

πρῶτα μὲν εὖ ἤσκητο θεοκμήτῳ ἐπὶ ἔργῳ
οὐρανὸς ἠδ' αἰθήρ, γαίῃ δ' ἅμα κεῖτο θάλασσα·
ἐν δ' ἄνεμοι νεφέλαι τε σελήνη τ' ἠέλιός τε
κεκριμέν' ἄλλυδις ἄλλα, τέτυκτο δὲ τείρεα πάντα,
ὁππόσα δινήεντα κατ' οὐρανὸν ἀμφιφέρονται.

Prima facie mireris ventorum mentionem, quos artifex (nam de allegoricis figuris hic aperte cogitari nequit) in scuto effingere non poterat, sed potuit tamen quodammodo indicare turbidis confusisque nubium formis, quare repudiatis quae mihi se obtulerunt coniecturis *ἓν δ' ἄρ' ἔσαν* (cf. 57, 73) aut *ἕν δ' ἄρ' ἄνω* (cf. vs. 11), volgatam scripturam ita tueor ut artissime iungenda putem vocabula *ἄνεμοι νεφέλαι τε*.

V 57 de eodem clipeo dicitur:

ἐν δ' ἔσαν ἀμητῆρες ἀνὰ πλατὺν ὄγμον ἰόντες,
σπεύδοντες δρεπάνῃσι νεήκεσιν, τῶν δ' ὑπὸ χερσὶν
ἤνυτο λήιον αὖον· κτέ.

Lacunam post *χερσίν* explevit Zimmermann versu servato in codice Parrhasiano sic correcto pro *αἰνυτολήιον*. Ita si scripsit Quintus, abusus est loco Odysseae *ε* 242 *θοῶς δέ οἱ ἤνυτο* (recte *ἤνετο* Cobet, alii) *ἔργον*, nam quod recte de *opere* dicitur, pessime dixit de *segete*. Qua re intellecta editor proposuit *κείρετο*. Paullo lenius poterat *(τ)ἀμήνετο*, sed propter usum parum diligentem verborum Homericorum, quem saepe in hoc poeta observamus, nescio fere an *ἤνυτο* non sit sollicitandum.

Digitized by Google

V 152 Nestor dicit:

ἀλλ' ἄγ' ἐμοὶ πείθεσθε, ἐπεί ῥα γεραίτερός εἰμι
λίην, οὐκ ὀλίγον περ, ἔχω δ' ἐπὶ γήραϊ πολλῷ
καὶ νόον, οὕνεκεν ἐσθλὰ καὶ ἄλγεα πολλὰ μόγησα.

Longe praetulerim:

ἔχω δ' ἐπὶ γήραϊ πολλὸν
καὶ νόον, κτέ.

Quippe *multa senectus* verbis praegressis satis superque significata est, nunc vero praedicanda erat et premenda *multa sapientia*, quam Nestori dederat *multa experientia*.

V 206 Aiax in armorum iudicio ad Ulyssem:

ὡς ὄφελεν καὶ ἐμεῖο θρασὺ σθένος ἐν δαΐ κείνῃ
αὐτὸς Ζεὺς ἐφόβησεν ἀπ' αἰθέρος, ὄφρα σε Τρῶες
ἀμφιτόμοις ξιφέεσσι διὰ μελεϊστὶ κέδασσαν
δαῖτα κυσὶ σφετέροισι, καὶ οὐκ ἂν ἐμοῖο μενοίνας
ἐλθέμεναι κατέναντα δολοφροσύνῃσι πεποιθώς.

Si haec lectio vs. 209 vera esset, plenior requireretur interpunctio post *σφετέροισι*, sed quia non dubito quin omnia verba *καὶ — πεποιθώς* suspensa sint ab *ὄφρα*, corrigendum arbitror:

καὶ οὐκ ἄρ' ἐμοῖο μενοίνας
ἐλθέμεναι κατέναντα δολοφροσύνῃσι πεποιθώς.

In legitima hac coniunctionum finalium cum indicativo structura post votum de re praeterita, cuius permulta sunt apud Quintum exempla, numquam peccavit.

V 223 in eadem Aiacis oratione:

οὐ γάρ τοι σθένος ἐστὶν ἐν ἔντεσιν ἀκαμάτοισι
δύμεναι Αἰακίδαο δαΐφρονος οὐδὲ μέγ' ἔγχος
νωμῆσαι παλάμῃσι.

Difficile est assentiri interpretibus *ἀκαμάτοισι* pro *ἀνικήτοισι* accipientibus, cuius usus mihi saltem nullum innotuit exemplum. Potius crediderim *θεοῦ περικαλλέα δῶρα* (228), quae infra 587 *θεουδέα* (quod Quinto *θεοειδέα* est non *θεοδρέα*, ut apud Homerum) audiunt et saepe alibi *ἄμβροτα* vel *ἀμβρόσια* ab eo dicuntur, h. l. *ἀθάνατα* dicta fuisse, ut saepius Homerus, a quo totus pendet, res deorum eo nomine appellavit, velut B 447, P 476, Π 154, itaque veram lectionem esse

ἐν ἔντεσιν ἀθανάτοισι.

Digitized by Google

VI 405, ubi describitur pugna Eurypyli cum Machaone,

τοῦ δὲ κόρυς στονόεντα φόνον καὶ πῆμ' ἀπάλαλκε
ἐσσυμένως. ὁ δ' ἔπειτα κραταιῷ χώσατο Φωτὶ κτλ.

nimis ridicule galea dicitur *studiose* sive *alacriter* caedem et perniciem ab Eurypyli capite arcuisse. Num forte Quintus ipsi caedi et calamitati studium et alacritatem tribuens, ut Homerus ruenti lapidi N 142, dederat:

ἐσσυμένω. ὁ δ' ἔπειτα κτἑ.

an ἐσσυμένου, iungendum cum praegresso τοῦ δὲ?

Ipsi poetae tribuendum quod infra vs. 437 supine dicitur

ἐν γὰρ ἔκειτο
δῆρις ἐνὶ μέσσοισιν

ubi melius scripsisset ὀρώρει, ut mox 454, VIII 183, alibi. In libro X vs. 27 dedit ἔν δέ σφιν πέσε δῆρις.

VII 255 de Deidamia, filio ad Troiam proficiscenti valedicenti:

αἶψα δέ οἱ (δ' ὑῷ?) στέρνοισι περὶ πλατέεσσι χυθεῖσα
ἀργαλέως γοάασκεν ἐς αἰθέρα μακρὰ βοῶσα·
ἠύτε βοῦς ἐν ὄρεσσιν ἀπειρέσιον μεμακυῖα
πόρτιν ἑὴν δίζηται ἐν ἄγκεσιν, ἀμφὶ δὲ μακρὰ
οὔρεος αἰπεινοῖο περιβρομέουσι κολῶναι.

Dubito num recte Zimmermann hanc optimorum librorum scripturam Koechlyo obsecutus posthabuerit lectioni codicis Veneti ἀμφὶ δὲ μακραί, quia κολῶναι propter praegressum οὔρεος αἰπεινοῦ epitheto μακραί, quo saepe fruuntur, non indigent, dum contra μακρὰ — περιβρομέουσι in comparatione egregie respondet verbis μακρὰ βοῶσα, quibus illustratur vehemens matris dolor.

VIII 360 Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἰέμενοι πολέμοιο
χαζομένοισιν ἔποντο κατ' ἴχνιον, ἠύτ' ἀῆται
νήεσσιν ἐσσυμένῃς ὑπὸ λαίφεσιν εἰς ἅλὸς οἶδμα
ὄβριμον, ἢ θάμνοισι πυρὸς μένος, ἢ κεμάδεσσιν
ὀτρηροὶ κατ' ὄρεσφι κύνες λελιημένοι ἄγρης.

Offensione non caret εἰς ἁλὸς οἶδμα dictum de navibus, quae iam in mari feruntur (rectius 414 dixit ἁλὸς κατὰ βένθος ἐπειγομένης νεός), sed ineptissima est comparatio cum arboribus, quippe quae non ut naves ventos aut hinnuli canes, ignem fugere possint, quemadmodum Troiani Achivos. Melius igitur

Digitized by Google

abessent verba *εἰς ἁλὸς οἶδμα ὄβριμον, ἢ θάμνοισι πυρὸς μένος*, quae salvo metro abesse possunt. Quia tamen nusquam quod sciam apud Quintum versus spurii apparent, vereor ne ipsius poetae culpa haec legantur.

IX 360 *δὴ γάρ μιν ἐπῆν ἕλε λιμὸς ἀτερπὴς κτἑ.*

Num ipse poeta tam immanem soloecismum commisit pro *ἐπεὶ λάβε* (*ἕλε*)? Nihil eiusmodi Quinti carmina legentem me advertit.

X 399 *πάντες δέ μ' ἀάσπετον ἐρρίγασι,*
πάντες δ' ἐχθαίρουσιν ἐμὸν κέαρ κτἑ.

Ἐμὸν κέαρ, ut hoc utar, egregie dictum est in notis Pindari verbis *ἐμὸν κέαρ οὐ γεύεται ὕμνων*, sed quo pacto idem in hac Helenae querela ferri queat non video. Personam aut toto corpore (voce *δέμας*) aut praecipua corporis parte (capite) Graeci significare solent, sive *κεφαλὴν* sive *κάρη* appellantes, itaque hic exspectabam:

πάντες δ' ἐχθαίρουσιν ἐμὸν κάρη· κτἑ.

XI 175

τοὺς δ' αἶψα κύνες κατὰ ποσσὶ κιχόντες
ἐξόπιθεν δάπτουσιν ἀμείλιχα, τοὶ δὲ φέβονται
μακρὸν ἀνιύζοντες.

Saepius a librariis *δάπτειν devorare* et *δάκνειν mordere* confusa esse constat; hic vero manifesto requiritur *δάκνουσιν*, devorati enim sues non longe fugient, ut arbitror.

XII 7

καί σφιν ἀγειρομένοισιν ἔπος ποτὶ τοῖον ἔειπε.

Orator verba facturus, si prudenter agit, exspectat dum congregati sint auditores itaque Quintus scribere debebat aut

καί σφι συναγρομένοισιν

(cf. I 163, II 192 al.),

aut *καί σφιν ἅμ' ἀγρομένοισιν*

(cf. I 211, IV 115, V 484 al.)

aut denique *καί σφισιν ἀγρομένοισιν.*

Cave tamen ne non librariorum sed ipsius poetae errorem corrigas, inspecto VI 81

Digitized by Google

καί ῥ' ὅτε δὴ μάλα πάντες ἀνὰ στρατὸν ἠγερέθοντο,
δὴ τότ' ἐνὶ μέσσοισιν ἀγειρομένοισι μετηύδα.

Quanto melius Homerus

οἳ δ' ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο,
τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Fortasse tamen Quinto ita scribenti obversabatur volgata lectio Hom. Π 207

ταῦτά μ' ἀγειρόμενοι θάμ' ἐβάζετε,

sive propter actionem identidem iteratam participium praesens recte habet, sive vera lectio est quam Wunder et Nauck proposuerunt

ταῦτά μοι ἀγρόμενοι θάμ' ἐβάζετε.

XIII 317 de Aenea dicitur:

υἱὸν δὲ καὶ πατέρα σφὸν ἀναρπάξας Φορέεσκε
τὸν μὲν ἐπὶ πλατὺν ὦμον ἐφεσσάμενος κρατερῇσι
χερσὶ πολυτλήτῳ ὑπὸ γήραϊ μοχθίζοντα,
τὸν δ' ἀπαλῆς μάλα χειρὸς ἐπιψαύοντα πόδεσσι
γαίης· κτέ.

Pro μάλα Köchly coniecit ἅμα, quod recepit Zimmermann, sed non video quid ea correctione lucremur, si quidem *tenerrimam* pueruli manum dici nihil vetat. Sed sive hoc sive illud legimus, loci structura est valde impedita, quia genetivus ἀπαλῆς χειρὸς suspensa est ab omisso aliquo participio, quale est ἑλὼν sive λαβών, quod adiectum malles, praegresso ἐφεσσάμενος. Quare si male traditum est μάλα, potius crediderim poetam immutata structura dedisse

τὸν δ' ἀπαλῆς ἕλε (s. λάβε) χειρὸς κτέ.

XIII 393 οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη
κάλλος ἰδὼν ἀρίδηλον ἐπὶ ξίφος αὐχένι κύρσαι.

Imitatur Quintus Iliad. Ψ 821

αἰὲν ἐπ' αὐχένι κῦρε Φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ,

neglexit autem dicere, quod Menelaum fecisse arguit vs. 403, eum humi abiecisse gladium, quod in Aristophanis Lysistrata dicit Lampito vs. 156 sq. Cf. Epitom. Vat. ex Apoll. Bibl. ed. Wagner pag. 239 sq.

Digitized by Google

XIII 457 ἵπποι δ' αὖτε κύνες τε δι' ἄστεος ἐπτοίηντο
φεύγοντες στυγεροῖο πυρὸς μένος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
στεῖβον ἀποκταμένους, ζωοῖσι δὲ πῆμα φέροντες
αἰὲν ἐνερρήγνυντο· βοὴ δ' ἀμφίαχεν ἄστυ.

Pro languidulo αἰὲν vide ne αἰνὸν sit vera lectio.

XIV 71 καί τότ' ἄρ' ὡς ἐνόησε Φίλον δεδαϊγμένον ἄστυ
Ξάνθος ὃθ' αἱματόεντος ἀναπνείων ὀρυμαγδοῦ
μύρετο σὺν Νύμφῃσιν, ἐπεὶ κακὸν ἔμπεσε Τροίῃ
ἔκποθι καὶ Πριάμοιο κατημάλδυνε πόληα.

Non potuit Xanthus cum Nymphis ignorare, unde natum esset Troiae exitium, itaque perineptum est illud ἔκποθι, *aliqua ex causa*. Locum certa ratione emendare nequeo, nam epitheton aliquod praegressi κακόν, velut λυγρόν a tradita lectione iusto longius abest. Potuit sane ἔκποθεν depravari e vetusta scriptura ΕΚΘΕΩΝ, ἐκ θεῶν, si sumimus a correctore hanc ita mutatam esse, postquam terminatio periisset. Sed num Quinti ars huius vocabuli synizesin ferat ignoro, itaque aliorum curae hunc locum commendare malo.

E fragmentis Sabbaiticis Bibliothecae Apollodori, quae Papadopulus edidit in Museo Rhenano XLVI p. 171 nunc discimus Quintum in describendis ludis funebribus post Achillis sepulturam celebratis Arctinum in eo secutum esse quod Aiacem disco, Teucrum arcu vincentem fecit. Legitur ibi: τιθέασι δὲ ἐπ' αὐτῷ ἀγῶνα, ἐν ᾧ νικᾷ Εὔμηλος ἵπποις, Διομήδης σταδίῳ, Αἴας δίσκῳ, Τεῦκρον τόξῳ. Eumelus apud Quintum non est inter certantes, Diomedes vero et Aiax luctae praemium partiuntur. In certamine de armis Achillis poeta iudices faciens captivos Troianos suo invento usus videtur. Aliter certe rem administraverat Iliadis parvae auctor, teste scholiasta Ar. Eq. 1053. In fragm. Sabbaiticis p. 171 legimus καταβαίνουσιν εἰς ἅμιλλαν Αἴας καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ κρινάντων τῶν Τρώων, ὡς δέ τινες, τῶν συμμάχων Ὀδυσσεὺς προκρίνεται. Cf. epitom. Vatic. ed. Wagner p. 66 et huius annotatio p. 213 sqq.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 112.)

XVIII.

QUID SIBI VELINT VERBA „SI CERTUM PETETUR".

Verba „*si certum petetur*" in Digestis bis occurrunt, in rubrica D. 12. 1, item l. 1 pr. D. 13. 3. Supersunt praeterea in rubrica quadam Codicis Gregoriani (III. 12, vid. Append. leg. Visigoth. I. 5), item in duabus rubricis Codicis Theodosiani (II. 27, 29), denique in rubrica Codicis Iustiniani (IV. 2). Variatur circa *petetur*, pro quo mox *petatur*, mox *petitur* scriptum invenitur. Ceterum Edictalia esse, dubitari non oportet. Exstat enim Pauli in libris ad Edictum (et quidem suo loco, id est libro XXVIII) vocis *certum* interpretatio (l. 6 D. 12. 1). Dicendum ergo, haec verba quid sibi velint, quo referantur. Ottoni quidem Lenel expedita res est. Praemissa rubrica *de rebus creditis* subiungit illud „*si certum petetur*", quasi generali titulo specialem titulum. Quod tanti viri pace dixerim, haec ratio falsa mihi videtur. Refragatur ipsius Ulpiani testimonium (l. 1 D. 12. 1). Ecce verba:

> *E re est, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia iura sub hoc titulo Praetor inseruit, ideo rerum creditarum titulum praemisit* .....

Digitized by Google

Titulus est *„de rebus creditis"*. Hunc *titulum* interpretari sese velle, Ulpianus demonstrat, ut sic deinde ad *verborum* interpretationem perveniat. Itaque titulum subsequuntur edicti verba, neque medio titulo locus relinquitur. Est igitur omnino inter *verba* referendum illud *si certum petetur*. Quod si verum est, negari non potest, aliquid inde abscisum fuisse et quidem tale, quale posterior aetas non curabat. Itaque sic explendum coniicio:

si certum pet(a)tur (ita formulam concipito).

Sequebatur deinde formulae certae duplex conceptio, ut appareret qualis edenda esset ei qui certam pecuniam item qui certam rem dari sibi oportere intenturus esset.

Notissima res est — est autem ex quo Wlassak eximiae plenum doctrinae libellum, cui inscribitur *„Edict und Klageform"*, publici fecit iuris [1]) — formulis in ius conceptis non solere Praetorem praemittere edictum, quo iudicium se daturum ostendat. Solet quidem — neque hoc tamen semper facit — suis actionibus ita praedicere; sed prorsus supervacuum fuisset, tunc ita edicere, quum non ex sua iurisdictione actiones promeret, sed eas daret, quas ex iure legitimo dari necesse esset. Attamen cum iis non facio qui putant, umquam Praetorem sic nude proposuisse formulas; semper ea praemisit verba, quibus demptis nemo scire poterat, quando et adversus quos illa vel illa formula utendum esset. Neque desunt huius rei vestigia si quis recte attenderit ad ea, quae de formularum conceptione passim traduntur. Habet Gaius (IV § 136):

item admonendi sumus, si cum ipso agamus qui incertum promiserit, ita nobis formulam esse propositam, ut praescriptio inserta sit formulae loco demonstrationis hoc modo et rel.

Ex iis quae sequuntur facile est colligere hac formula uti non licere adversus eos qui pro alio fidem suam adstrinxerint, nisi id ipsum praescribatur. Praetor igitur sic fere edixerat:

(si ex stipulatu incertum petatur) si cum ipso

---

1) Posteaquam haec scripseram, comperi Ottonem Karlowa (*Rechtsgeschichte* I p. 463[1]) inventum sibi vindicare. Nolui tamen in textu aliquid mutare quia huius observatio in nota quadam ad ipsius *Römischer Civilprocess zur Zeit der Legisactionen* p. 378, pleroque ni fallor latuit

Digitized by Google

aga(tur) qui incertum promiserit (formulam ita concipito).

Haec praecepta, ni fallor, omnia in unum coniuncta id efficiunt, quod alibi audit *ius solemne* (l. 27 D. 50. 17):

> *Nec ex Praetorio* [nec ex] *solemni iure, privatorum conventione quidquam immutandum est, quamvis obligationum causae pactione possint immutari, et ipso iure et per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege, vel per Praetorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur* [nisi tunc cum inchoatur actio inter eos convenit].

Occasione pactorum dotalium, opinor [1]), Pomponius egerat de iis pactis quae ideo servanda non sunt, quia impugnant ius civile. Deinde adiicit neque ea pacta servanda esse, quibus adversatur *ius solemne Praetorium* [2]), quod ad actionum modum pertinet. Quippe *actionum modus .... per Praetorem introductus* haud magis est subvertendus atque *modus lege introductus*, neque formulae propositae licet addere vel detrahere quidquid sit, nisi Praetor aditus permittat. Nam, quod in Digestis apud Ulpianum de praetoriis stipulationibus superest (l. 52 pr. D. 45. 1; l. 1 § 10 D. 46. 5) verum fuisse oportet in formulis quoque, quia haud secus iudicio dictando quam stipulando adversarium nobis obligamus (Gai. III § 180). Itaque prorsus facio cum Fridolino Eisele [3]) extrema verba huius fragmenti a Pomponio abiudicante. Est enim insanientis scribere formulas propositas non posse conventione partium immutari, nisi tunc conveniat, quum inchoetur actio. Talis enim conventio alias ne fieri quidem potest; itaque semper valeret.

Ad *Praetorium solemne ius* non tantum pertinet, ut in ea verba formula edatur, quibus ipse Praetor in edicto suo usus sit, verum illud quoque ut ea formula edatur, quam in proposito edendam Praetor iusserit. Itaque, ut ait Ulpianus, *si quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu (incerti) actionem non*

---

1) Cf. Ottonis Lenel observ. ad Paling. I p. 123[2].

2) Verba *nec ex* perperam repetita mihi videntur. Nam potest ius Praetorium opponi iuri civili, item ius solemne Praetorium iuri solemni civili. Ius Praetorium non potest opponi iuri solemni, quia ex sequentibus apparet ius solemne magna ex parte ex edicto venire.

3) *Zeitschrift der Savigny-Stiftung* X (1889) p. 322.

Digitized by Google

habet (l. 24 D. 12. 1, ita restituta, quemadmodum restituendam esse, superiore capite, utcumque potui, docui). Obstat praeceptum: *si certum pet(a)tur, (ita formulam concipito)* Versa quoque vice qui incertum in stipulationem deduxerit, is postea certa formula non potest agere, quia *sicut ipsa stipulatio concepta est, ita et intentio formulae concipi debet* (Gai. IV § 53[d] i. f.). Neque is cui ex mandati causa certa debeatur pecunia, eam recte petet certa formula, ideo quod Praetor forte edixerat: (*si ex causa mandati agatur, ita formulam concipito*).

De re constare potest fragmento Ulpiani quod est hodie l. 15 D. 12. 1:

> *Singularia quaedam recepta sunt circa pecuniam creditam. Nam si tibi debitorem meum iussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis.*
>
> *Quod igitur in duabus personis recipitur, hoc et in eadem persona recipiendum est: ut cum ex causa mandati pecuniam mihi debeas, et convenerit ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, et a me ad te profecta.*

Hanc igitur tuetur sententiam Ulpianus, quam l. 34 pr. D. 17. 1 oppugnat Africanus, *ex omni contractu nuda pactione pecuniam creditam fieri posse.* Non est creditum, quod ex causa mandati debetur, neque peti potest ea formula qua certam creditam pecuniam petimus; credita fieri potest nuda dumtaxat conventione, tunc deinde certa formula peti poterit. Optime cum hoc iure convenit, id quod habet Papinianus l. 8 D. 19. 5: ex novo negotio si debeatur certa pecunia, tamen praescriptis verbis agendum esse. Item, quod Gaius scribit (III § 127), intercessores, *quodsi quid pro reo solverint, eius reciperandi causa hab(ere) cum eo mandati iudicium.* Atqui certum est quod petunt. Inest autem huic sententiae magnum aliquod indicium, certa formula agi non posse. Quippe additur: *et hoc amplius sponsores ex lege Publilia propriam habent actionem in duplum quae appellatur depensi.* De certa formula data opera tacetur.

Hic interpellet quis: heus tu quam nobis narras fabulam? Nonne ex Rosciana causa satis superque constat certa formula peti posse id, quod ex causa societatis debeatur? Nonne Fannio vitio vertit orator, quod nunc certa petat formula quod olim

Digitized by Google

arbitrio pro socio petiisset! Neque sic tamen vitio vertit, quasi non licuisset ab arbitrio transire ad iudicium, nihil arguit praeter immodestiam. *Ceteri quum ad iudicem causam labefactari animadvertunt, ad arbitrum confugiunt, hic ab arbitro ad iudicem venire est ausus* (pro Q. Roscio c. 4 § 13). Quamobrem, si minus licere debet ei, cui maius permittitur; maius est autem ab una formula transire posse ad alteram, quam ab initio alteram eligere; certe actoris est statuere, utra malit experiri, id est vel pro socio iudicium vel certam dictare formulam prout sibi magis expedire aestimaverit. Neque tantum Cicero huius rei testis est, est praeterea Paulus in l. 28 § 4 D. 12. 2 (*si ob actionem mandati, negotiorum gestorum, societatis ceterasque similes iusiurandum exactum sit, deinde ex iisdem causis certum condicatur*) item Ulpianus l. 5 D. 44. 2 (*si quis mandati acturus cum ei adversarius* (*vadimonium*) *promisisset, propter eandem rem agat negotiorum gestorum vel condicat*) et rursus in fragmento de certi condictione (l. 9 pr. D. 12. 1: *licet ..... nobis ex omni contractu certum condicere*). Itaque testium verba excutiamus. Primus sit Cicero. Is quidem ostendit saepe factitatum, ut certa formula peteretur, quod ex mandati causa debitum esset vel societatis. Sed num iure factitatum? Strenue negatur. Certam pecuniam ita peti posse ait, si *aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit* (c. 5 § 14). Itaque postquam demonstravit neque dedisse Fannium neque expensum tulisse duas sibi partes causae confectas esse, ait (c. 4 § 13). Iam vero, quum haud magis stipulatum esse constet, finem si faciat dicendi, absolvendum clamat Roscium (c. 5 § 14). Quidni igitur peroravit? Nam nullus videtur superesse locus. At sequitur *oratio voluntaria*, quam potuerat omittere, si id tantum sibi proposuisset, ut ex formulae laqueis extricaret clientem. Ex abundanti demonstrat, nihil esse quod Fannius quacumque formula a Roscio petere possit, ut non tantum res sed etiam bona existimatio clientis salva sit (c. 5 § 15). Scilicet metuebat, ut iudex formulae proprietatem ita curaret, uti curare fas esset. Fore videbat, ut Fannius, quamvis male peteret, tamen superior iudicio evaderet, dummodo iudici persuasisset, pecuniam sibi deberi, verba captare Roscium. Hinc lux affulget Pauli et Ulpiani testimoniis (l. 28 § 4 D. 12. 2; l. 5 D. 44, 2). Committit ius solemne, qui certa formula petat, quod petere

Digitized by Google

debeat mandati similive iudicio. At ideo est securus, quod iudex datus non tam curet verba quam ipsam rem. Huius rei fiducia factitatum, non iure dico, ut certa formula postularetur, quibus proprie mandati vel negotiorum gestorum vel societatis agendum esset.

Obstat unum fragmentum de certi condictione propter vocem *licet. Licet .... nobis ex omni contractu certum condicere.* Non tantum fit, sed licet. Quid si ostenderim totum spurium esse? Id autem ostendere conabor capite sequenti.

XIX.

ABIUDICANDUM ULPIANO FRAGMENTUM DE CERTI CONDICTIONE (l. 9 pr. — § 3 D. 12. 1).

Ulpiano accepta referuntur haec:

Certi condictio competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur, sive ex certo contractu petatur, sive ex incerto: licet enim nobis ex omni contractu certum condicere, dummodo praesens sit obligatio: ceterum si in diem sit vel sub condicione obligatio, ante diem vel condicionem non potero agere.

(§ 1) *Competit haec actio etiam ex legati causa, et ex lege Aquilia: sed et ex causa furtiva per hanc actionem condicitur. Sed et si ex senatusconsulto agetur competit haec actio, veluti si is, cui fiduciaria hereditas restituta est, agere volet.*

(§ 2) *Sive autem suo nomine obligatus quis sit, sive alieno per hanc actionem recte convenitur.*

(§ 3) *Quoniam igitur ex omnibus contractibus haec certi condictio competit, sive re fuerit contractus factus, sive verbis sive coniunctim, referendae sunt nobis quaedam species, quae dignum habent tractatum, an haec actio ad petitionem eorum sufficiat.*

Huius fragmenti finis (*referendae sunt nobis species* et rel.) adeo a Latinitate abhorret, ut eum quivis Triboniano adtribuerit [1]).

1) Id ipsum urguet Eisele (*Abhandlungen zum römischen Civilprozess* p. 79**).

Digitized by Google

Sed non sequitur totum fragmentum ab eodem fictum esse; potuit sane aliunde avulsum sic deinde per plumbaturam sequentibus esse iniunctum. Alia ratione moveor ut dicam totam hanc praefationem a Triboniano conflatam esse. Enumerantur causae, ex quibus condictio certi possit oriri, sunt autem hae: omnes contractus (pr., § 3), legatum damnationis, damnum iniuriae, res furtiva, Trebellianum (§ 1). Statim illud incredibile, recta actione ubi posse eum, qui recepit fideicommissariam hereditatem. *Praetor enim* (ex Senatusconsulto) *utiles actiones ei et in eum qui recepit hereditatem quasi heredi et in heredem dare coepit, eaeque in edicto proponuntur* (Gai. II § 253). Neque sufficiunt fideicommissario directae actiones, nisi forte simul èt heres sit èt heredis loco. Quod evenit in eo, qui heres institutus et restituere iussus ipse post tempus ex fideicommisso receperit. Nam huic tantum sufficere directas actiones, Pomponius auctor est l. 70 (72) pr. D. 36. 1. Omnino igitur circumducenda haec: *sed et si ex senatus consulto agetur competit haec actio, veluti si is cui fiduciaria hereditas restituta est, agere volet.* Deinde recte dicimur *per condictionem* aliquid *repetere* (vel *petere*), vel etiam *condictione agere;* ineptum est *per* aliquam *actionem condicere* velle. Is enim qui petit non omnino condicit, at qui condicit, omnino agit condictione. Circumducenda igitur et haec: *sed et ex causa furtiva per hanc actionem condicitur.* Neque fieri potest, ut ex legati causa, et ex lege Aquilia eadem actio veniat, quae venit ex contractibus. Novimus enim ex utraque causa propriam actionem constitui, quae dupli condemnationem infitiantibus irrogat (Gai. IV § 9, 171). Itaque non sunt Ulpiani: *competit haec actio etiam ex legati causa et ex lege Aquilia.* Sed manet fragmenti caput: ex omnibus contractibus oriri posse certi condictionem. Haec vera non sunt. Etenim si quis incertum fuerit stipulatus, numquam ullo modo certum petere poterit, etiamsi incertum ad certum redierit vel tantum petat, quanti omnino incertum illud esse videatur [1]). Gaius auctor est his verbis (quae primus ad hoc nostrum fragmentum adhibuisse videtur Voigt [2]), quare demiror, quod interpolatorem, quem iam tenebat, non deprehenderit): *sicut ipsa stipulatio concepta est, ita*

1) Quod causantur Graeci.

2) *Das ius naturale* etc. IV p. 400.

Digitized by Google

et intentio formulae concipi debet (Gai. IV § 53 d). Est autem ei, qui incertum stipulatus sit, omnimodo similis is, cui dari debeat ex aliquo contractu, qui bona fide regitur, quia *in his contractibus alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex bono et aequo praestare oportet*, ergo perinde est, atque si ab initio stipulatus sit, *quantum aequius melius sit*, tantum dari. At certum petivit ex causa societatis Fannius a Q. Roscio. Per abusum ergo factum est.

Litigabatur temporibus Ulpiani *per concepta verba*, id est per ea verba, quae Praetor conceperat. Iisdem illis verbis in re praesenti actor formulam concipere debebat; Praetoris erat haec, si opus esset, vel emendare vel mutare (cf. c. 3 C. 2. 1). Iustiniani temporibus concepta verba nulla, cuique liberum erat, quibus ipse vellet actionem suam concipere. Cum hoc iure optime convenit totum nostrum fragmentum. Hominis est, consulto confundentis antiqui iuris formulas, vel data opera actionum terminos exarantis, id est — Triboniani [1]).

XX.

ULPIANO ABIUDICANDUM FRAGMENTUM DE TRITICARIA CONDICTIONE (l. 1 pr. D. 13. 3).

Falso tribuuntur Ulpiano haec:

> *Qui certam pecuniam numeratam petit, illa actione utitur si certum petetur. Qui autem alias res per triticariam condictionem petet. Et generaliter dicendum est, eas res per hanc actionem peti, si quae sint praeter pecuniam numeratam: sive in pondere, sive in mensura constent: sive mobiles sint, sive soli. Quare fundum quoque per hanc actionem petimus, et si vectigalis sit, sive ius stipulatus quis sit, veluti usumfructum vel servitutem utrorumque praediorum.*

1) Eodem fere redit, quod habet Keller (*Civilprozess* n. 1107): haec esse novissimi iuris (*„Gewiss gehört diese zur jüngsten Rechtsbildung"*). Ius novissimum, id est — Iustinianum.

Digitized by Google

In hoc fragmento multa offendunt. Primum actionis nomen *„si certum petetur"*, quod ferri non potest. Actio enim, qua certam petimus pecuniam, ita audit: *actio certae creditae pecuniae* neque potuit appellari: *actio si certum petetur*. Deinde offendit alterius actionis nomen, id est *condictio triticaria*, quod nomen actionis nusquam alibi occurrit, quum ipsius actionis, qua certam rem nobis debitam petamus, sexcenties, uti par est, mentio fiat. Graeci auctores sunt, nomen ideo datum esse, *ἐπειδὴ ἐν τῇ κατὰ τὸ πάλαι πολιτευόμενον αὐτοῦ Φορμούλᾳ tritici ἐνέκειτο μνήμη*. Ipsi profecto inde nomen huic actioni indiderunt. Ulpiano si cognitum fuerit, quare non scripsit in l. 8 pr. D. 13. 1: *in re furtiva condictio* triticaria *competit?* Scripsit autem: *in re furtiva condictio ipsorum corporum competit.* Praeterea offendit, quod condictio tribuatur ei qui stipulatus sit (*sive ius stipulatus quis sit, velut usumfructum*). Novimus enim ex stipulatione Ulpianum non dare condictionem [1]). Huic rei fortasse ita mederi possemus, si pro *condictione* triticaria *formulam* triticariam ei redderemus. Sed surgunt aliae difficultates. Formula triticaria ea esse intelligitur, qua rem aliquam *certam* debitam nobis petamus. At esse dicitur ea, qua omnes res petamus, *si quae sint praeter pecuniam numeratam.* Dicat quis: intelliguntur res certae, incertae tacite excluduntur. Haec videtur esse sententia Ottonis Lenel. Sed contra est: consulto tacetur de qualitate certi, ut comprehendatur fundus vectigalis, item iura. *Dicendum est, eas res, per hanc actionem peti, si quae sint praeter pecuniam numeratam, ... quare fundum quoque per hanc actionem petimus, et si vectigalis sit* etc. ..... Fundum vectigalem per triticariam formulam petimus, quia non est pecunia numerata. Dixisset Ulpianus, si ei placuisset in certam formulam venire fundum vectigalem: ideo venit, quia res certa est. Cadit omnino in nostrum fragmentum, quod cadit in fragmentum de certi condictione: hominis est consulto actionum terminos exarantis [2]).

Superest usque hodie Ulpiani commentarius *de condictione*, quem ad Edictum libris ibi inseruit, ubi titulus est *de rebus creditis*. Periit autem eiusdem ad utramque certam formulam

1) Cf. supra cap. XVII.

2) Aliud argumentum sequenti inerit capiti.

Digitized by Google

adnotatio, exceptis fortasse iis, quae ad condemnationem adnotaverat (l. 3 D. 13. 3). Haec enim magis ad formulam pertinere, sequenti capite evidentius fiet.

XXI.

DE CERTIS FORMULIS.

Duplicem fuisse certam formulam, Gaius docet (IV § 50, 33). Fuit enim formula qua certa peteretur pecunia, cuius intentio erat: „*si paret* HS X *milia dari oportere*"; altera fuit, qua peteretur certa res. De huius formulae intentione quaeritur. Graecorum fide talem Lenel exhibet: „*si paret tritici Africani optimi modios tot dari oportere*". At alias quoque formulas certas edicto suo Praetorem proposuisse dico. Ut puta formulam: „*si paret hominem Stichum dari oportere*", cuius apud Ottonem Lenel nulla fit mentio. Hanc tamen formulam in edicto fuisse propositam, efficiunt Ulpiani verba l. 7 § 2 D. 13. 1:

> *Condictio rei furtivae, quia rei habet persecutionem, heredem quoque furis obligat: nec tantum si vivat servus furtivus, sed etiam si decesserit* .....

Quare non dicit, rem furtivam condici posse, etiamsi fuerit extincta, sicuti est apud Gaium (II § 79)? Quare transitum repente facit a re furtiva ad servum furtivum, quasi non fiat furtum praeterquam servi? Scilicet animo obversabatur formula; erat autem in formula scriptum: „*si paret hominem Stichum dari oportere*". Fuit praeterea in edicto formula proposita, quae ita concipiebatur:

> *si paret hominem Stichum aut* HS X *milia dari oportere.*

Hanc quoque formulam apud Ottonem Lenel desidero. Fuisse *prodita(m)*, id est a Praetore propositam, ne cui necesse esset plus petere, diserte traditur Iustiniani Inst. IV 6 § 33 d, ex Gaii Rebus Quotidianis, si quid video.

Fuit igitur proprie certae formulae non duplex sed quadruplex

Digitized by Google

conceptio [1]). Itaque magis etiam dicendum auctorem fragmenti de condictione triticaria in animo habuisse, quantum fieri posset, delinere veteris iuris de conceptione formularum vestigia.

Ad formulam „*si paret hominem Stichum dari oportere*" conscripta videtur l. 3 D. 13. 3; quae certe nulli magis convenit:

> *in hac actione, si quaeratur, res, quae petita est, cuius temporis aestimationem recipiat, verius est, quod Servius ait, condemnationis tempus spectandum. Si vero desierit esse in rebus humanis, mortis tempus sed ἐν πλάτει secundum Celsum, erit spectandum: non enim debet novissimum vitae tempus aestimari: ne ad exiguum pretium aestimatio redigatur in servo forte mortifere vulnerato* et rel.

XXII.

AD ULPIANI DE CONDICTIONE COMMENTARIUM.

Quia multa sunt obscura circa condictionis materiem, optimum factum fore videbatur, initium facere ab eo commentario, quem de condictione ipse Ulpianus inseruit libris ad Edictum XXVI et XXVII. Hunc commentarium sollerter uti quaeque solet restituit in Palingenesia Otto Lenel, apud quem fragmenta, quae huc pertinent, hac serie veniunt:

L. 9 pr. § 1 D. 12. 1 (apud ipsum 766)
L. 61 pr. D. 5. 1 (= 767).
L. 9 § 3 D. 12. 1 (= 768).
L. 9 § 4—9, l. 11, l. 13 D. 12. 1 (= 769).
L. 7 D. 12. 1 (= 770).
L. 48 D. 45. 1 (= 771).
L. 1, l. 3 D. 12. 4 (= 772).
L. 2, l. 4 D. 12. 5 (= 773).

---

1) Nisi quis malit formulam „*si paret hominem Stichum aut* HS X *milia dari oportere*" incertis adscribere propter l. 75 § 8 D. 45. 1. Tunc enim certa formula triplex erit.

Digitized by Google

L. 1, l. 26 D. 12. 6 (= 774).
L. 51 D. 2. 14 (= 775).
L. 7 D. 33. 2 (= 776).
L. 61 § 1 D. 5. 1 (= 777).
L. 41 § 1 D. 50. 17 (= 778).

Haec ex libro XXVI Ulpiani eodem ordine disposita sunt, quo exstant in Pandectarum libro XII, nisi quod interiecta sint fr. 767, 770, 771, ad calcem adiecta fr. 775—778, quae ad rem non magnopere pertinent. Itaque perinde est, ac si uno tenore perlegas l. 9, l. 11, l. 13 D. 12. 1; l. 1, l. 3 D. 12. 4; l. 2, l. 4 D. 12. 5; l. 1, l. 26 D. 12. 6. Ultimum fragmentum (l. 26 cit.) partim restitui potuit ex Vat. Fr. § 266. Deinde comparent ex libro XXVII Ulpiani:

L. 1 D. 13. 3 (= 779).
L. 3 D. 13. 3 (= 780).
L. 8 D. 13. 1 (= 781).

His novam inscriptionem praemittit Lenel: *de triticaria condictione*. Quam inscriptionem apud Ulpianum non extitisse puto. Etenim abiecto de hac ipsa condictione fragmento, cetera quae supersunt propriam rubricam non flagitant.

Meminisse oportet [1]), nos Ulpiano abiudicare l. 9 pr.—§ 3 D. 12. 1 (= 766, 768); l. 3 § 4 D. 12. 4; l. 1 pr. D. 13. 3. Ex iis quae restant, sciscitandum, quid Ulpiano de condictione generaliter placuerit, quatenus ex nostro fragmento constare potest. Nam hoc fragmentum per se quoque explorandum videtur, ne ceterorum testimoniorum multitudine mergatur, quemadmodum hucusque factum est. Primum igitur sit, ut quaeramus ex quibus causis condictio nascatur. Nascitur autem ex numeratione (id est mutui datione), ex ob rem dato, ex indebito soluto, ex causa furtiva. Non nascitur ex stipulatione (vid. cap. XVII). Deinde videndum, quid possit condici. Et condicimus quidem plerumque pecuniam, at fundus quoque certus condicitur (l. 26 § 4, 7 D. 12. 6), item olei certa quantitas (l. 26 § 5 D. 12. 6), de operarum denique condictione quaestio est (l. 26 § 12 D. 12. 6). *Rem autem suam per hanc actionem nemo*

1) Non multum refert nobis l. 8 D. 13. 3 (= 780) non ab Ulpiano quidem sed ab hoc commentario alienam esse videri. Vid. cap. XXI.

Digitized by Google

petet, nisi ex causis ex quibus potest veluti ex causa furtiva et rel. (l. 1 § 1 D. 13. 3).

Secundum haec condictio erit actio, qua intendimus certam pecuniam, vel certam rem nobis dari oportere. Nam operae quoque rerum vice funguntur, uti apparet ex l. 34 pr. D. 12. 2, ad quem locum omnino conferendus est Demelius in praeclaro libro, cui inscribitur *Schiedseid und Beweiseid* p. 41. *Dari* autem hac definitione intellegitur, id quod ita datur ut nostrum fiat; hanc enim ob causam neminem rem suam condicere posse ait (cf. Gai. IV § 4). Itaque videri posset nihil interesse inter condictionem nostri fragmenti et certam formulam. Interest tamen, quia condictio non oritur ex stipulatione, quod nemo dixerit in certa formula. At ne quis mirum putet, quum èt ex stipulatione èt ex mutuo certa detur formula, tamen ex stipulatu actionem arceri a condictione, statim exemplum addam, quo appareat, quam pro arbitrio dicentis certa formula vel audiat condictio, vel non audiat. Testis est omni exceptione maior, ipse Gaius. Habet enim (III § 91):

> *is quoque qui non debitum accepit ab eo qui per errorem solvit, re obligatur. nam proinde ei condici potest si paret eum dare oportere, ac si mutuum accepisset.*

Condicimus igitur èt ei cui indebitum solverimus, èt ei cui pecuniam mutuam dederimus. Prorsus eadem est actio. At sequitur nullo intervallo:

> *unde quidam putant pupillum aut mulierem, cui sine tutoris auctoritate non debitum per errorem datum est, non teneri condictione, non magis quam mutui datione.*

Arcetur igitur mutui datio a condictione. Haec moverunt Tribonianum, ut Imperatoriis Institutionibus post *condictione* insereret *indebiti*. Eodem pertinet discrepantia duorum fragmentorum, quorum alterum ex Gaio, alterum ex Ulpiano fuit petitum. Apud Gaium legimus (l. 5 § 3 D. 44. 7) eum qui indebitum acceperit per errorem solventis eadem actione teneri, *qua debitores creditoribus*. Ergo condicitur debitoribus. Ulpiano si fides, debitoribus non condicitur, habet enim (l. 30 D. 12. 6):

> *qui invicem creditor, idemque debitor est in his casibus, in quibus compensatio locum non habet, si solvit non habet condictionem, veluti indebiti soluti, sed sui crediti petitionem.*

Digitized by Google

Crediti petitio non est condictio. Neque enim indebiti soluti condictio sola opponitur, sed omnis. Verba *veluti indebiti soluti* demonstrandi causa adiiciuntur, qualis condictio cogitari possit, ulla si danda sit.

XXIII.

QUID SIT CONDICTIO.

Duplex condictionis definitio occurrit apud Gaium. Latiore sensu condictio dicitur omnis in personam actio, qua intendimus *dari fieri oportere*, strictiore ea actio, qua intendimus *dari nobis oportere*. Utraque definitio apud Gaium suum locum habet (IV § 5, et § 18); apud Iustinianum (§ 15 Inst. IV. 6) ita coniungitur, quasi nihil intersit, unde magis etiam discrepantia obvia fit:

> *Appellamus ..... in personam ..... actiones, quibus dare facere oportere intenditur, condictiones ..... Dicimus condictionem actionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere .....*

In Digestis nominatim non exstat nisi latior definitio. Sumpta est ex Ulpiano his verbis (l. 25 pr. D. 44. 7).

> *..... in personam (actio) condictio appellatur ..... In personam actio est, qua cum eo agimus qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum, ...*

Tacite subesse strictiorem, postea videbimus, quam de latiore sensu condictione egerimus.

Quaestionis est, utrum latiore sensu condictio omnes in personam actiones comprehendat. Etenim excludi videntur iudicia, in quibus additur ex fide bona. Excluduntur saltem pro socio, fiduciae, tutelae, mandati, depositi actiones his verbis Ulpiani (l. 36 D. 44. 7):

> *cessat ignominia in condictionibus, quamvis ex famosis causis pendeant.*

Non infamant condictiones; at irrogant infamiam quinque iudicia supra scripta (Gai. IV § 182); haec igitur non sunt inter condictiones referenda. Depositi rursus excluditur l. 13 § 1 D. 16. 3:

Digitized by Google

..... *non enim quemquam hoc ipso, quod depositum accipiat condictione obligari* .....

Hoc ipso quod depositum accipiat, depositi quisque tenetur, at non statim tenetur condictione; itaque depositi actio non est condictio. Sic èt depositi èt commodati actio a condictione arcentur l. 5 D. 27. 3:

..... *eam pecuniam vel depositi vel commodati actione repeti, vel condici posse* .....

Non condicitur, quod commodati vel depositi actione repetitur. Simili modo excluditur empti actio (l. 11 § 6 D. 19. 1); locati actio (l. 34 § 2 D. 44. 7); mandati actio iterum et negotiorum gestorum (l. 5 D. 44. 2); pignoratitia, ni fallor (l. 4 § 1 D. 12. 1), praescriptis denique verbis actio (l. 17 § 5 D. 19. 5). Singula bonae fidei iudicia quum toties arceantur a condictione, id impulit Fridericum Carolum Savigny, ut diceret, stricta tantummodo iudicia condictione comprehendi (*System* V p. 503 sqq.). Idque verum puto. Obstare quidem videri posset l. 19 § 2 D. 43. 26:

cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus, sed et incerti condictione, id est praescriptis verbis.

Enimvero, quum haec sint Iuliani, quis non libenter ei pro incerti condictione incertam formulam reddiderit (vid. cap. XIV)? Rursus obstare videtur l. 3 § 4 D. 12. 4, ubi legimus ex novo negotio condictionem oriri. Oritur autem ex novo negotio praescriptis verbis actio. Itaque dici posset condictionem illam esse ipsam praescriptis verbis actionem. Quod a quibusdam tentatum esse scio. At supra iam totum paragraphum sustulimus (vid. cap. XVI).

Excludendae praeterea videntur formulae in factum conceptae, quia talem non habent intentionem, qualem exhibet definitio. Est in factum concepta rerum amotarum actio, quod demonstravit Lenel ad Edictum Perpetuum, eaque opponitur condictioni l. 25 D. 25. 2:

..... *licet cessat rerum amotarum actio, tamen ipsas res maritus condicere potest* .....

Sed debet dici, circa has formulas variari, quia Gaius l. 26 D. 25. 2 rerum amotarum iudicium condictione comprehendit:

rerum amotarum actio condictio est.

Digitized by Google

Excludit praeterea Savigny omnes actiones, quae ex delicto veniant, quamvis èt habeant civilem intentionem neque addatur ex fide bona. Opponuntur sane condictioni l. 2 § 26 D. 47. 8 èt furti actio èt legis Aquiliae. Quum furti sic non intendatur: *quidquid dari fieri oportet*, sed ita: *pro fure damnum decidi oportere*, quid mirum furti actionem non adnumerari condictionibus? At ex lege Aquilia semper *dari* oportet. Tamen et haec a condictione separatur. Est eiusdemmodi, quod ex stipulatu actio vel ex testamento condictio non audiat. Quippe fallit in quibusdam definitio.

De latiore sensu condictione vidimus; transeamus igitur ad strictiorem conceptum. Haec est actio, qua intendimus *dari nobis oportere*. Supra iam diximus, hanc definitionem in Pandectis non proponi, sed subesse. Etenim ex latiore definitione aeque condici possunt res et facta, ex strictiore condici non possunt nisi res. In Pandectis facta numquam condicuntur, subest igitur strictior conceptio. Obiiciat quis condici operas, obligationes, servitutes, possessionem. At operae vice rerum funguntur et dari dicuntur; obligationes et servitutes iura sunt, id est res incorporales. Si quis igitur stipulationem acceptum faciat, non factum praestat sed rem, dat enim ipsam obligationem. Tantundem dico de possessione; tueorque eo quod rei possessionem sicuti recte emimus, ita recte dari stipulemur (l. 28 D. 41. 2; l. 34 § 4 D. 18. 1). Est igitur possessio rerum incorporalium iure censenda et poterit condici. Dantur autem non tantum certae res vel summae sed et incertae quantitates, itaque condictio quoque in hac specie patet. Exemplum adferam ex Celso (l. 26 § 12 D. 12. 6):

> *hominem indebitum (dedi) et hunc sine fraude modico distraxisti: nempe hoc solum refundere debes quod ex pretio habes.*

Strictissimo sensu condictio dicitur, qua intendimus certam pecuniam certamve rem dari nobis oportere. Hanc condictionem cogitavit Ulpianus in commentario de condictione, quem libris ad Edictum inseruit [1]). Aliam non cognovisse videtur Iulianus,

1) Mitto id quod ex Celso (l. 26 § 12 D. 12. 6) ad illustrandam operarum condictionem adfertur.

Digitized by Google

quia opponit interse condictionem et incertam formulam (vid. supra cap. XIV). Condictionem qui sic stricte concludit, is neque obligationes [1]) condicit, neque possessionem, nisi quum condicat ex causa furtiva; haec enim condictio ipsius rei esse fingitur, quum sit, secundum Celsi observationem, verum dicentibus possessionis (vid. supra cap. XV).

XXIV.

DE CONDICTIONE CERTI VEL INCERTI.

Condictionem certi suspectam sibi dicit Lenel ad Edictum Perpetuum. Mihi quoque valde suspecta est. Bis occurrit apud veteris iuris Compilatores in fragmento de certi condictione, quod composuerunt ipsi. Semel praeterea in toto corpore Pandectarum invenitur nempe apud Paulum l. 12 D. 46. 2. *Certi condicimus* l. 17 § 2 D. 25. 2 apud Iulianum, ab Ulpiano epitomatum; *certum condicimus* l. 28 § 4 D. 12. 2 apud Paulum. Ordiamur a Iuliano. Et est quidem apud Iulianum nullus sensus *certi condictionis* (vid. supra cap. XIV); at fieri potest, ut ab Ulpiano invecta sit in id fragmentum, quod est hodie l. 17 § 2 cit. Quod Triboniano potius acceptam referam, ideo fit, quia prorsus abundat vox *certi* [2]). Etenim qui potest dubitari, si res certae condicantur, certam dari formulam? *Certi*, ni fallor, resecto èt Iuliano èt Ulpiano consultum erit. Abundat quoque *certum* l. 28 § 4 cit., quod apparebit collata l. 5 D. 44. 2. Sin quis ibi servatum malit, non habet, quod offendat. Nam non est positum pro *certi*. Restat unicus locus, ubi nominatim certi condictionis mentio fiat, l. 12 D. 46. 2:

> *si quis delegaverit debitorem, qui doli mali exceptione tueri se posse sciebat, similis (is) videbitur ei qui donat: quo-*

1) Ne quis mihi obiiciat l. 18 § 1 D. 89. 6 vv. *condictione aut in factum actione debitoris obligationem ..... reciperet*, vix metuo, quamvis fragmentum illud Iuliani nomen prae se gerat Absunt enim, sicuti debent abesse, a loco geminato (l. 31 § 2 eod) haec: *condictione aut in factum actione.*

2) Inserta videtur propter l. 26 eod.

Digitized by Google

niam remittere exceptionem videtur.

Sed si per ignorantiam promiserit creditori, nulla quidem exceptione adversus creditorem uti potcrit, quia ille suum recepit: sed is qui delegavit tenetur [condictione vel incerti si non pecunia soluta esset, vel certi si soluta esset: et ideo, cum ipse praestiterit pecuniam, aget] *mandati iudicio.*

Mecum si eieceris, quae uncis inclusi, omnia recte procedent. Per ignorantiam expromisit Secundo, qui adversus Primum exceptione tutus erat. Quaeritur, quid iuris sit? Respondetur, si Secundo debuisset Primus, Secundi petitionem non inhiberi, sed posse delegatum ex mandato cum delegante experiri. Si nolis mecum facere, quomodo te expedias non video. Sane est credibile condictione teneri delegantem, ut vel solvat pro delegato, vel reddat quod is solverit. Sed quam contorte dictum, teneri eum *condictione vel incerti si non pecunia soluta esset, vel certi si soluta esset.* Optime factum, quod ipse Paulus nos docet, quomodo talia enuntiet. Est enim eiusdem l. 9 § 1 D. 12. 4, specie valde similis, nisi quod pro creditore maritus est:

si quis indebitam pecuniam per errorem iussu mulieris, sponso eius promisisset ..... adversus mulierem condictio ei competit, ut aut repetat ab ea quod marito dedit: aut ut liberetur, si nondum solverit.

Haec demum possunt intelligi et eleganter dicta sunt. Ineptissimum est quod alter locus habet, posteaquam pecunia soluta sit, competere adversus delegantem certi condictionem, *et ideo* delegatum intenturum, quid? certi condictionem? Ex abundanti dictum foret, sed vere. Intenturum ait mandati iudicium. Aget mandati iudicio *ideo*, quia habet condictionem. Hominis est formularum proprietatem prorsus non curantis.

Incerti condictio in Pandectis quaterdecies occurrit, iis comprehensis, ubi *incerti condicere* dicamur. De interpolatione constat, si quidem nullus sensus sit *incerti condictionis*, nulla si detur *certi condictio*. De singulis igitur videndum. Et est positum illud *incerti condictio* apud Iulianum quinquies (l. 3 D. 12. 7; l. 46 pr. D. 23. 3; l. 60 D. 30; l. 2 § 3 D. 39. 5; l. 19 § 2 D. 43. 26), quos locos absolvimus cap. XIV. Deinde Neratius apud Ulpianum (l. 12 § 2 D. 13. 1):

Digitized by Google

..... *Aristonem existimasse refert, eum cui pignori res data sit* incerti *condictione acturum, si ea subrepta sit.*

Inseruit Tribonianus *incerti*, ut appareret Aristonis sententiam receptam esse, quamvis *in re furtiva soli domino condictio competere* dicatur l. 1 eod. Ipse Aristo, ni fallor, simplicem dedit condictionem. Ter *incerti* condicit Pomponius (l. 16 § 2 D. 4. 4; l. 22 § 1 D. 12. 6; l. 5 § 1 D. 19. 1). Ubique sine ullo detrimento sententiae hac voce carere possumus. Ut puta:

l. 16 § 2 D. 4. 4 (Ulpiani):

Sed et illud Pomponius adiicit, quod potuit incerti *condici haec cautio* .....

l. 22 § 1 D. 12, 6:

..... incerti *condicam, ut iter mihi concedatur.*

l. 5 § 1 D. 19. 1 (Pauli):

Pomponius etiam incerti *condicere eum posse ait, ut liberetur.*

Apud Paulum praeter hunc ex Pomponio locum semel extat *incerti condictio:* l. 12 D. 46. 2, de cuius restitutione supra vidimus. Apud Ulpianum non exstat nisi duobus ex Pomponio partim, partim ex Neratio locis, de quibus vidimus, et praeterea l. 5 § 1 D. 7. 5:

si pecuniae sit ususfructus legatus, vel aliarum rerum, quae in abusu consistunt, nec cautio interveniat, videndum, finito usufructu, an pecunia quae data sit, vel ceterae res, quae in absumptione sunt, condici possint?

[Sed si quidem adhuc constante usufructu cautionem quis velit condicere, dici potest, omissam cautionem posse condici incerti condictione: sed si finito usufructu ipsam quantitatem],

Sabinus putat posse condici: quam sententiam et Celsus libro XVIII *Digestorum probat. Quae mihi non inarguta videtur.*

Medii loci interpolationem Gradenwitz [1]) detexit, solidis usus firmamentis. Quibus unum addam, insulsum illud *condicere condictione*, quod recurrit in Compilatorio fragmento de certi condictione.

1) *Interpolationen* p. 27 sq.

Digitized by Google

Restant duo Marciani fragmenta l. 35 D. 8. 2 et l. 40 § 1 D. 12. 6. Priori sine molestia abesse potest *incertum* [1]):

> ..... *ex vendito agere potest vel* [incertum] *condicere, ut servitus imponatur.*

Alteri detrahi pernecessarium erit:

> *Si pars domus, quae in diem per fideicommissum relicta est, arserit ante diem fideicommissi cedentem, et eam heres sua impensa refecerit, deducendam esse impensam ex fideicommisso constat: et si sine deductione domum tradiderit, posse* [incerti] *condici, quasi plus debito dederit.*

Certum impendit heres, certum retinere debuit, quidni certum condicat? Ideo non fit quia Papinianus libro IX responsorum scripsit *viri boni arbitratu sumptuum ration(es) deduc(endas)* esse (l. 58 D. 30). Itaque huic Marciani regulae eadem interpolatio subest, quam subesse vidimus (cap. XIV) Iuliani fragmento, quod est hodie l. 60 D. 30. Sin quis dicat, Marciani testimonio magis effici, ut ne Iulianus interpolatus videatur, quum satis appareat hunc simpliciter exscriptum fuisse a Marciano, argumentum per se spectatum firmum est. Enimvero quum tot sint argumenta, veteris iuris conditoribus neque certi, neque incerti neque triticarias condictiones cognitas fuisse, cognitam autem condictionem tantum, propter hoc unum argumentum, quod aliquam vim habere videtur, neminem adsensum cohibiturum arbitror.

Scribebam Traiecti ad Rhenum mense Septembri 1891.

---

1) Pro *incerti* est.

Digitized by Google

AD APOLLODORI BIBLIOTHECAE PARTIS INEDITAE FRAGMENTA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Epitoma Vaticana, e codice Vat. 950, quem saeculo XIV exeunti assignat, a Richardo Wagnero nuper edita Lipsiae apud Hirzelium, partim suppletur partim emendari potest ope fragmentorum Sabaeiticorum, quae e codice Hierosolymitano S. Sabae 366, saec. ineunte aut medio XIII scripto, in Museo Rhenano XLVI, 161 sqq. protulit Papadopulos Kerameus. Huc pertinet quod coniectura reppereram pag. 37 apud Wagn. III. 2 scribendum esse ἡ δὲ Φαίδρα δείσασα μὴ τῷ πατρὶ διαβάλῃ (ipsum Hyppolytus) κατασχίσασα τὰς τοῦ θαλάμου θύρας καὶ τὰς ἐσθῆτας σπαράξασα κατεψεύσατο Ἱππολύτου βίαν pro absurdis lectionibus κατασχοῦσα (quod Wagner p. 141 κλείσασα interpretatur scil.) et βίᾳ. Ad κατασχίσασα cf. Dem. p. 540, 2 et Xen. Anab. VII 1, 16. Sed quia quaecumque collatis fragmentis utrisque quivis reperiat hic commemorare nihil attinet, agam tantummodo de locis corruptis quibus nullam opem ferunt altera.

Initium faciam ab orthographico vitio pag. 54 Wagn. I 3. Θησεὺς δὲ αὐτὸν μετέωρον ἀράμενος ἤρραξεν εἰς γῆν, quod praeterea apparet pag. 57, III 3 κατηρράχθη τὸ ἅρμα, ubi fr. Sab. p. 184 habet κατεάχθη. Verbum ἀρράττω nullum fuit itaque ἤραξεν et κατηράχθη corrigendum esse vix quisquam monendus. Facilius lectorem fallere potest error utrisque fragmentis communis pag. 55, I 8 W. Cf. fr. Sab. p. 184 in fabula de labyrintho: ὁμολογήσαντος δὲ σὺν ὅρκοις Θησέως

Digitized by Google

δεῖται (Ariadne) Δαιδάλου μηνῦσαι (Theseo) τοῦ λαβυρίνθου τὴν ἔξοδον· ὑπεθεμένου δὲ ἐκείνου λίνον εἰσιόντι Θησεῖ διδωσι· τοῦτο ἐξάψας Θησεὺς τῆς θύρας ἑφελκόμενος εἰσῆει. καταλαβὼν δὲ Μινώταυρον ἐν ἐσχάτῳ μέρει τοῦ λαβυρίνθου παίων πυγμαῖς ἀπέκτεινεν (αὐτὸν add. fr. Sab.), ἑφελκόμενος δὲ τὸ λίνον πάλιν ἐξῆει. Quam rectum est priore loco ἑφελκόμενος, *post se trahens*, tam pravum est posteriore, ubi sententia aperte postulat *ad se trahens*, itaque προσελκόμενος. Pherecydes (fr. 106) apud Schol. Hom. λ 320: διδάσκει αὐτόν, ἐπειδὰν εἰσέλθῃ, τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγαθίδος (glomeris) ἐκδῆσαι περὶ τὸν ζυγὸν τῆς ἄνω θύρας καὶ ἀνελίσσοντα (malim ἐξελίσσοντα) ἰέναι μέχρις ἂν ἀφίκηται εἰς τὸν μυχόν, καὶ ἐὰν αὐτὸν καθεύδοντα μάρψῃ, κρατήσαντα τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς τῷ Ποσειδῶνι θῦσαι καὶ ἀπιέναι ὀπίσω ἀνελίσσοντα τὴν ἀγαθίδα.

Pag. 58, VI 3. Θησεὺς δὲ μετὰ Πειρίθου παραγενόμενος εἰς Αἵδου ἐξαπατᾶται. καὶ ὡς ξενίων μεταληψομένους πρῶτον ἐν τῷ τῆς Λήθης εἶπε (i. e. ἐκέλευσε) καθεσθῆναι θρόνῳ, ᾧ προσφυέντος σπείραις δρακόντων κατείχοντο. Facilia haec erunt ad intellegendum, si correxeris: καὶ ⟨ὃς⟩ ὡς ξενίων μεταληψομένους κτέ. Quam proclivi errore ante ὡς exciderit pronomen ὃς = οὗτος, i. e. Pluto, in cuius domum venerant Theseus et Pirithous, cadit in oculos. Mendosa sunt etiam quae statim secuntur: Πειρίθους μὲν οὖν εἰς Ἀϊδωνέα δεθεὶς ἔμεινε, Θησέα δὲ Ἡρακλῆς ἀναγαγὼν ἔπεμψεν εἰς Ἀθήνας. Corrigatur εἰς ἀίδιον δεθεὶς ἔμεινε, κτέ. Debeanturne litterae ϵΑ mero errori, an reliquiae sint lectionis ἐν αὐτῷ vel ἐνταῦθα (ἐνθάδε) non habeo dicere.

Ibidem VIII. Ὅτι Βροτέας κυνηγὸς ὢν τὴν Ἄρτεμιν οὐκ ἐτίμα· ἔλεγε δέ, ὡς οὐδ' ὑπὸ πυρός τι πάθοι. Qui quaeso hoc contendere potuit? Intellegam: ὡς οὐδ' ⟨ἂν⟩ ὑπὸ πυρός τι πάθοι· ἐμμανὴς οὖν γενόμενος ἔβαλεν εἰς πῦρ ἑαυτόν.

Pag. 59, IX 2 dicitur de Hippodamia: οὐδεὶς αὐτὴν ἐλάμβανεν εἰς γυναῖκα (eclogarii potius quam Apollodori culpa pro γυναῖκα)· ὁ μὲν γὰρ πατὴρ οὐκ ἔπειθεν αὐτῇ συνελθεῖν, οἱ δὲ μνηστευόμενοι ἀνῃροῦντο ὑπ' αὐτοῦ. Num fuit: ὁ μὲν γὰρ πατὴρ οὐκ ἐπέτρεπεν αὐτῇ ⟨ἀνδρὶ⟩ (aut ⟨οὐδενὶ⟩ αὐτῇ) συνελθεῖν?

Digitized by Google

Ibidem IX 3 nota insolitum (fortasse Byzantinum) usum verbi ἀπελπίζειν in his: ὡς δὲ ἀπήλπισε τὴν δίωξιν, i. e. cum Paris nullam amplius metueret persecutionem. Aeque insolito usu XVII 5 legitur τὴν πανοπλίαν pro πᾶσαν τὴν στρατιάν.

Vitio carent, sed perperam a Wagnero intellecta sunt quae pag. 63 sic leguntur: ὑποστρεψάντων οὖν τῶν Ἑλλήνων τότε λέγεται τὸν πόλεμον εἰκοσαετῆ γενέσθαι, ubi editor annotavit „γενέσθαι Apollodorus suo more scripsit pro γενήσεσθαι". At si γενήσεσθαι scripsisset, locum non amplius intellegerem. Dicit enim scriptor esse qui bellum Troianum non decem sed viginti annos duravisse dicerent, rationibus scilicet includentes decem annos praeterlapsos inter Helenae raptum et stationem navalem ad Aulidem, in quod temporis spatium incidere priorem expeditionem (contra Mysios scil. et Telephum), quem modo enarraverit. Cf. praegressa et sequentia.

Pag. 65, XVIII προκαλουμένου δὲ Ἕκτορος τὸν ἄριστον εἰς μονομαχίαν, πολλῶν ἐλθόντων Αἴας κληρωσάμενος πυκτεύει. De hoc Aiacis pugilatu nihil novit Homerus, unde haec petita sunt. Vix aliud scripsit Apollodorus quam πΡΩτεύει.

Pag. 68, XXI 10. Compara haec cum fr. Sab. p. 172 et videbis falli Wagnerum pag. 227. In § 13 rectius Papadopulos virgulam posuit post τῆς νυκτός. Cf. § 17 ὡς δὲ ἐγένετο νὺξ κτλ.

Pag. 69, XXI 19. Αἰνείας δὲ Ἀγχίσην τὸν πατέρα βαστάσας ἔφυγε. Wagnerum pag. 238 sq. de hac fabula agentem permiror immemorem fuisse notissimi loci Sophoclei e Laocoonte, fragm. 344 apud Nauckium .ed. II. — Ibidem § 24 iam cl. fr. Sab. p. 173 intelleges ἀποπλοοῦσιν in εὐπλοοῦσιν refingendum esse.

Pag. 71, XXII 5 ἣν καὶ ἀνεῖλε Λεῦκος ἅμα Κλεισιθύρᾳ τῇ θυγατρὶ ταύτης ἐν τῷ ναῷ προσφυγούσῃ. Fortasse Apollodorus addiderat in cuius dei templo hoc acciderit, sin minus, vitiosus est articulus, sive delendus est sive mutandus in pronomen indefinitum.

Fabula de morte Calchantis a Mopso in arte vaticinandi superati multo plenius et partim rectius narratur in fragmentis

Digitized by Google

Sabaiticis p. 174 quam in epitoma Vaticana pag. 70. Est tamen quod in illis non expediam, nempe in verbis: οὗτος ὁ Μόψος περὶ μαντικῆς ἤρισε Κάλχαντι καὶ Κάλχαντος ἀνακρίναντος ἐρινεοῦ ἑστώσης „πόσα ἔχει" (πόσους ὀλύνθους; Φέρει Vat.), τοῦ δὲ εἰπόντος „μύρια (μυρίους Vat.) καὶ μέτρῳ (μέτρῳ om. Vat. recte) μέδιμνον καὶ ἕν (ἕνα ὄλυνθον Vat.), περισσόν", καὶ καταστήσας Κάλχας μυριάδα εὗρε καὶ μέδιμνον καὶ ἓν πλεονάζον κατὰ τὴν τοῦ Μόψου πρόρρησιν (pro his Vat. καὶ εὑρέθησαν οὕτω. Debuerat τοσοῦτοι). Quid latet sub καταστήσας? Non admodum leniter conieceris καταριθμήτας, sed lenissime correxeris κατασείσας scil. τὸν ἐρινεόν, licet me non lateat admodum maturas fuisse ficus, quae concussae arbore omnes deciderint. Sed quo alio modo Calchas rationes subducere potuerit non exputo. Praeterea vero miror ἐρινεοῦ ἑστώσης (ita quoque Vat.) dictum pro ἑστῶτος, quod Apollodorus certe dedisse putandus est.

Quae pag. 76, XXIII 13 epitoma Vaticana habet de Dianae simulacro avecto ab Oreste e Tauride pleniora leguntur in fragm. Sab. p. 178, quorum partem emendaturus ascribam: καὶ λαμβάνει (Orestes) χρησμὸν ἀπαλλαγῆναι τῆς νόσου, εἰ τὸ ἐν Ταύροις μετακομίσειεν (rectius quam μετακομίσοι Vat. An μετακομίσαι?) βρέτας· οἱ δὲ Ταῦροι μοῖρά ἐστι Σκυθῶν, οἳ τοὺς ξένους φονεύουσι καὶ εἰς τὸ ἱερὸν (insere πῦρ) ῥίπτουσι· τοῦτο ἦν ἐν τῷ τεμένει διά τινος πέτρας ἀναφερόμενον ἐξ Ἅιδου. Voculam non describentis errore omissam esse sed revera a codice abesse confirmare videtur nova collatio Dielsii rogatu facta ab H. Acheli et communicata cum viris doctis ab illo in Mus. Rhenano XLVI, p. 617.

Scribebam Traiecti ad Rh. m. Decembri a. 1891.

AD HERODAM A ME EDITUM.

Kenyonis viri egregii, qui denuo papyrum consuluit, benevolentiae debeo aliquot novas lectiones, quarum scitu utiliores noto hasce: I 25 (adn.) pap. λικος, non αικος; 35 -ηναι, et fortasse -θηναι; 46 .....ν ημεων; 48 συνεγγυς; 50 ματακινης,

Digitized by Google

scripto χ supra κ; 53 δε Πισηι egregie pap.; 60 και ταταλίζει, qua lectione confirmatur ταταλίζουσα VI 77; 68 μᾶ τὴν (sic) et καταπλωσιν, quo augetur loci difficultas; 80 χηκτημορους τρεις εγχεασα [του] ακρητου; II 13 τ[ου η]λιου; 17 λιμον (*probably* add. K); 73 Φιλι...; III 19 δᾶι (*may be*); 97 αι ποτνιαι; IV 36 βεβη[κεν]; 47 δι σ εγκισαι; 49 κακις (i. e. κάεις, quod sane praestat); 51 littera ultima voc. τωυσυρος puncto notata, itaque deleta est. V 30 fueritne littera inter εμον et η incertum, deinde *fieri potest* ut pap. habeat ταποψηστρον; 69 μη τατι et parvae litterae velut σ spatium est post μη, sed nulla est supplendi necessitas. VI 34 γυνη γρυξω, cum correctione (imo interpretatione) δικη γρυζειν; 70 αυται γαρ εσμεν (ut prius supplebam). Propter hanc lectionem, quam certam dicit, K. baubonem olisbum esse defendit, simul autem scenae non destinatos fuisse hos mimos (fortasse vere) affirmat. VII 8 extr. .....ν(?) καληι, 9 extr. .....ψ (neutro loco deficientium litterarum numerum plane certum esse dicit K.); 38 τα εργα; 40 .....ναν ...εων; 41 .....ημεθ(?)ον aut ημεων; 42 ...α(?)ι πρ[ος]; 46 υηι (*probably*); 50 τ[ο]υτ ην μη υμιν ανδανηι; 52 [λ]εγει (vel λεγεις) ψευδεα (*possibly*); 53 [σαμβαλ]ουχιδας (*perhaps*); 54 νηθεισας (sic); 64 ηιρας; 69 τουτ οκνις (*probably*); ου σε ρηιδιως (*possibly*); 72 νοσσιην πεποιηται; 109 ες θεους αναπτηναι (*probably, but ἀναστῆναι is not impossible*). Lectiones ita correctae, licet longe maiorem earum partem iam m. Octobri Kenyon volgaverit, sero ad meam notitiam pervenerunt.

Utar autem hac occasione ut simul in editione mea alia quaedam corrigam. I 26 formam κεῖ pro κεῖθι fortasse satis tuetur forma Aeolica κῆ. — II 30 AE adde: Semel tamen Homerus Ψ 581. — II 57 AE Ad Βρικινδήροις Hicks, ut docet me Kenyon, attulit Rossii Inscr. ined. III p. 31 et Köhleri tab. tribut. Ath. p. 184, praeterea Polluc. VI 81 et Athenaeum XIV 652 D. — III 55 fortasse recte habet ὀτῆμος pro ἦμος; 93 revoca ἰσσᾶ (pap. ισσᾶι), coll. ἴσσα ap. Bekk. An. p. 100 et Photium p. 297 (Nab.). Sententia tamen obscura. — VI 23 AE. Melius fortasse Palmer coll. Theocr. VI 22 statuit ellipsin vocis ὀφθαλμούς.

H. v. H.

Digitized by Google

QUAESTIONES AD HISTORIAM SCENICAM PERTINENTES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex Vol. XVIII pag.* 75.)

V. DE NEOPHRONIS QUAE FERTUR MEDEA.

Inter veterum tragicorum nomina comparet, haud ita frequenter sane, sed comparet tamen Neophron quidam Sicyonius, et suum locum obtinet in historiae litterariae breviariis.

Roganti vero: quis fuit? quando vixit? quid scripsit? qua fama usus est? aut nemo respondet aut testes citati sibi invicem ita obstrepunt ut aures tibi obtures et tacere eos iubeas.

Et tamen minime ignobilis fuit poeta, si quidem totum ei drama surripuisse dicitur Euripides, et drama quidem quod inter artis Euripideae documenta resplendet velut inter ignes luna minores.

Hic Bernhardium — ne plures nominando molestus fiam — repugnare video. Non magnus poeta fuerit Neophron; immo „forte fortuna" — quidni dicamus, invitus? — „invenit argumentum Medeae Corinthiae, quod quam felix esset inventum, Euripides demum, qua erat perspicacitate, intellexit" [1]). —

1) Lit. Gesch. II 2, 51: „Wer kann sich wundern, dass ein Mann vom feinsten psychologischen Blick den glücklichen Fund begriff, den Neophron unbeachtet am Thema der Medea gethan hatte? Euripides durfte daher von ihm nicht nur den Stamm der Charaktere, sondern auch die durchgreifendsten Wendungen der Oekonomie borgen; vergl. Welcker p. 629". — Misere in hisce verbis plectitur ars dialectica, et digna profecto quae litteris pinguioribus et diductis insiguiantur sunt verba *unbeachtet* et *daher*.

Digitized by Google

Idem tamen Bernhardius fatetur, mirum esse, quod Neophron ille, qui dramata scripsisset numero centum et viginti, ex hominum memoria prorsus evanuerit, neque quicquam ad nostrum aevum transmiserit nisi tria fragmenta ipsius fabulae Medeae, quam Euripides ei suffuratus esse fertur. Quod vero Bernhardius hinc apparere putat, quanta iis temporibus fuerit praeclarorum dramatum ubertas [1]), pauci opinor ei credent; nam quo tempore Euripidis Medea scenae est commissa, nondum ita magna extiterat tragicorum poetarum caterva. Sub finem demum belli Peloponnesiaci propullularunt sexcenta ista *μειρακύλλια* loquacia, quorum in dies deinde crevit numerus; sed absurdum fere est statuere poetam, qui circa annum a. C. 440 doceret, plus centum fabulas scripsisse, quarum nullam fuisse vitalem. Ut omnes periissent, ut nullum ex iis verbulum aetatem tulisset, — at nomen saltem unum et alterum ex centum illis et viginti tragoediis innotuisset grammaticis, nec fieri poterat quin ad nos aliqua inde notitia redundaret.

Operae igitur pretium est adire fontes, vel potius unicum fontem Suidam. Narrat hic, parum constare nomen poetae fueritne Neophron an Neophon Sicyonius; primum eum paedagogos et servos in scena ostendisse quaestioni traditos; tragoedias scripsisse CXX; Alexandri Magni fuisse comitem, a quo una cum Callisthene philosopho esse necatum [2]). Ultimum hoc in voce *Callisthene* iterum apud Suidam traditur, nisi quod ibi non *Neophron* tragico nomen est sed *Nearchus*.

Iam quivis videt tragicum, quem aemulatus fuerit Euripides, non potuisse in Alexandri Magni castris versari. Itaque in ultimis certe Suidam turpiter errasse et diversissima confudisse apparet. At servorum quoque *βασάνοις* illis, quos Neophron

---

1) „Dass aber ein Tragiker mit 120 Dramen fast spurlos und unbeklagt verhallen konnte, diese Thatsache lässt uns den Ueberfluss ahnen, den Athen in der Tragödie besass". — Addit Bernhardius id, quod verum est sane sed ipsius opinionem funditus evertit: „Uebrigens erinnert Neophrons Diktion merklich an die flüssige Sprache der attischen Konversation".

2) Suidas i. v.: *Νεόφρων ἢ Νεοφῶν Σικυώνιος, τραγικός· οὗ φασιν εἶναι τὴν τοῦ Εὐριπίδου Μήδειαν· ὃς πρῶτος εἰσήγαγε παιδαγωγοὺς καὶ οἰκετῶν βάσανον. ἐδίδαξε δὲ τραγῳδίας ρκ'. συνῆν δὲ τὰ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακέδονι, καὶ διότι φίλος ἦν Καλλισθένει τῷ φιλοσόφῳ, σὺν ἐκείνῳ καὶ αὐτὸν ἀνεῖλεν αἰκισμοῖς.*

Digitized by Google

excogitasse fertur, in tragoedia antiqua nullus est locus, et in nova potius comoedia videntur quaerendi. Nominis denique poetae, de quo loquitur, veram scripturam se ignorare fatetur grammaticus. Ex quatuor igitur rebus, quas refert Suidas, unam videmus manifesto falsam esse, unam veri dissimillimam, unam incertam: itaque quae restat, Neophronem fabulas docuisse CXX, in hac quidem vicinia non potest non esse suspecta, et inspecto Suidae opere incertiores sumus de tragico nostro quam dudum fueramus.

Sed una, quam modo omisi, observatio Suidae restat diudicanda. Cuius prima verba haec sunt: *Neophroni* (sive Neophonti) *tribuunt Euripidis Medeam.* Idem perhibet Diogenes Laertius II 134, qui de Menedemi philosophi studiis litterariis referens haec addit: ὥστε πταίουσιν οἱ λέγοντες μηδὲν αὐτὸν ἀνεγνωκέναι πλὴν τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασίν.

Tertium huius rei testimonium extat in Argumento Medeae Euripidis: τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβεβλῆσθαι παναιόφρονος (sic cod. flor. 32, 2) διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε ⟨ἐν τῷ⟩ περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν. Si quis autem Scenicorum editionem Dindorfianam solam consulat, ne suspicetur quidem hunc locum lectionis corruptela esse impeditum; scripsit enim Dindorfius τὰ Νεόφρονος διασκευάσας, nec quicquam annotavit. Idem fere olim suasit Elmsleius ad Med. p. 68, nisi quod παρὰ Νεόφρονος scripsit (ΠΑ — ΠΛ). Uterque igitur statuit Neophronem scripsisse drama Medeam, Euripidem autem id in suos usus convertisse. Olim tamen prorsus aliter de corruptis his verbis Argumenti iudicabatur; nam qui primus intellexit *Neophronis* hic nomen latitare, Beckius, corrigebat τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβεβλῆσθαι ὁ Σικυώνιος Νεόφρων, et simile quid Mullerus et Matthiaeus inde extundere conati sunt (cf. Kayser Hist. Crit. Trag. p. 304): sic igitur non Euripides sed Neophron fraudis insimulabatur. Elmsleius autem, si quid video, hac sua coniectura, quae ab Hermanno Welckero Pflugkio Dindorfio aliis probata deinde veluti certissima emendatio in editiones fere omnes recepta est, male meritus est de historia litteraria.

Non enim παρὰ aut τὰ in litteris πα latere puto equidem

Digitized by Google

sed δια. Quam si restituimus praepositionem, haec oritur sententia: τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι διὰ Νεόφρονος διασκευάσας: *videtur poeta hanc fabulam postea correxisse et Neophronis nomine iterum dedisse.* Testes sunt Dicaearchus et Aristoteles.

Quid autem sit διὰ τοῦ δεῖνα docere fabulam, ex Aristophanis vita scimus. Poeta, qui quacumque de causa ipse chorum petere non potest, id quod χορὸν αἰτεῖν καθ' ἑαυτόν dicit comicus Equit. 513, per amicum aliquem suum opus scenae committit. De *Philonide Callistrato Ararote* omnia trita sunt; *Eupolis* suum Autolycum διὰ Δημοστράτου docuit (Athen. V 216*d*); de *Aphareo* in vita X Orat. p. 839*d* legimus: δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθελὼν καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναϊκάς, *Sophocles* δι' Ἰοφῶντος complures fabulas scenae commisit (schol. Ran. Ar. 78), *Aeschylus* δι' Εὐφορίωνος quatuor (Suidas i. v.). Ad hoc artificium non ut fallerentur spectatores recurrebatur, hos enim non latebat quis verus pater esset prolis subditiciae, sed ut legibus satisfieret; in monumenta autem publica non poetae nomen referebatur sed eius cui chorus fuerat concessus. Cf. quae de hac quaestione exposui in Mnemos. 1888 p. 252 sqq.

Euripides igitur cum fabula Medea, praeclaro opere, tertias tulisset, indigne hoc ferens postea correctam iterum spectatoribus proponere voluit, quemadmodum Hippolytum velatum post aliquot annos in coronatum mutavit. Sed cum chorum id temporis petere non posset aut nollet — sive extra fines Atticae commoraretur sive alias ob causas, quas indicare hodie non possumus sed fingere facile est, — Neophroni nescio cui Medeam suam tradidit, qui suo nomine eam doceret. Ita factum est ut Aristoteles et Dicaearchus in monumentis publicis *Neophronis Medeam* commemoratam invenirent, quam tamen revera alteram dramatis Euripidei esse editionem perspexerunt et in Commentariis suis annotarunt. Sic etiam Andromacham fabulam, quae Medeae aequalis fere fuit, in Didascaliis non Euripidis nomen tulisse sed *Democratis* cuiusdam, a quo scenae commissa esset, Callimachi auctoritate constat [1]). Viros autem doctos ne-

1) Schol. Vat. Androm. 446: εἰλικρινῶς δὲ τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν, οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν. ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην. — Quid sit ἐπιγράφεσθαι optime ostendunt Anonym. de Com. III 50 et Schol. Ran. 78.

Digitized by Google

glexisse Aristotelis et Dicaearchi observationes huc pertinentes, fuisse enim qui putarent Neophronem illum, quisquis fuit, scripsisse Medeam Euripidis, ostendunt Diogenis et Suidae verba supra allata [1]). Ceterum non ipse Suidas vel Diogenes culpandus est, nam verbo φασίν indicant se relata referre, ipsos huic narratiunculae fidem non habere.

Opinioni nostrae quam maxime favent fragmenta quae ex Neophronis Medea afferuntur. Quorum primum in scholio ad Med. vs. 666 legitur; inde patet in Neophronis dramate Aegeum Corinthum visisse ut Medeam consuleret, cum in fabula Euripidis veluti e nubibus delapsus superveniat. Illud aptius esse et melius sic drama cohaerere apparet.

Alterum fragmentum servatum est a Stobaeo Eclog. XX 34, 1, simillimum noto soliloquio, quo Medea θυμὸν suum identidem increpat, dum secum colluctatur ipsa et meliora videnque probansque deteriora tamen sequi paratam se declarat.

Ultimi denique versus ex Neophronis dramate in scholiis ad Med. vs. 1386 sunt servati, et quamquam corruptissimi, tamen iis qui in nostrae Medeae fine leguntur (vs. 1386—1388) praeferendi videntur.

Nihil igitur est in iis, quae ex Neophronis Medea aetatem tulerunt, quin ipse Euripides id scribere potuerit in nova editione sui dramatis. Ab alio vero quoquam scribi vix potuerunt; nam fragmentum quod Stobaeus exhibet usque adeo simile est versibus quos Euripides suae Medeae tribuit, ut nisi unus idemque poeta utriusque loci auctor est, alter alterum impudentissime compilaverit; auritum vero illud theatrum Atheniensium una voce opinor improbum falsarium confutasset, suo nomine aliena venditantem. Quid vero comicos dicturos fuisse putamus, si eiusdem sceleris teneretur Euripides atque Sthenelus ille, quem Plato comicus derisit ὡς ἀλλότρια ἔπη σφετεριζόμενον (Harpocr. s. v. Σθένελος); quid Aristobulos et Clementes, qui furti litterarii notam optimo cuique scriptori inurere studuerunt? Neque latere poterat ea fraus, si quidem Neophronis Medea non mature oblivione est pressa sed ad Stobaei usque aetatem perduravit!

1) Simillimus est Clementis Alexandrini error, qui Strom. VI 752 τὸν Κάκαλον τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι commemorat, cum δι' Ἀραρότος eam fabulam doctam esse debuisset dicere.

Digitized by Google

Adde quod servilis imitatio in nullius mortalis ingenium minus cadit quam in Euripidis, nova semper appetentis; immo Aristoteles Poet. 14 Medeam Euripidis vocat exemplum mythi feliciter excogitati. Quem mythum si a Neophrone mutuatus esset Euripides, profecto non scripsisset Aristoteles: Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν, neque nasci potuisset fabella de Corinthiis quinque talenta Euripidi donantibus quod piaculum trucidatorum Iasonis filiorum ab ipsis in Medeam transtulisset (Parmeniscus in schol. Med. 10, Aelian. V. H. V 21).

Ceterum hanc quoque narratiunculam fide historica carere intellexerunt Heyne ad Apollod. I 9, 28, Hartung Euripides restitutus I p. 345, alii; ex comicorum iocis natam esse censeo equidem, suspicor autem *Teleclidem* in *Hesiodis*, in qua fabula crebra erat tragicorum mentio, eius auctorem extitisse, vid. Telecl. fr. 38—41 Kock; aptissime autem conferri potest Aristophanis iocus de Cleone quinque talenta evomenti, Acharn. initio, quam pecuniam *in Babyloniorum fabula* a Cleone „redditam" esse olim demonstrasse mihi videor [1]).

Denique quam ludicrum in modum tragicus furem egisset, si materiem Neophroni surripuisset et carminum dispositionem ex Calliae grammatica tragoedia — nam hoc quoque tradunt veteres nugatores [2]) — descripsisset!

Mea igitur facio Wilamowitzii verba Analect. Eur. p. 155: „obsecro viros non omni veri ac pulcri sensu orbos, relegant Neophronis fragmenta, ut tandem desinant talia ante Euripidem scripta credere" [3]). Sic enim statuo: duae olim extiterunt recensiones Medeae Euripidis; quarum priorem, etiamnum superstitem, anno 431 suo nomine docuit poeta; altera, hodie

1) In editione Acharnensium quam patrio sermone edidi anno 1885.

2) Ad imitationem grammaticae tragoediae confectas esse fabulas Euripidis Medeam et Oedipum Sophoclis contendit Athen. 276*a* et 453*e*. Haec quoque opinio ex comici alicuius (fortasse Strattidis in Medea) ioco fluxit; vid. Muff Chor des Sophocl. p. 316, Hense die ABCtragoedie des Kallias in Mus. Rhenano 1877.

3) Adiectivum *talia* ni fallor indicat Wilamowitzium vilissima et Euripide omnino indigna ducere fragmenta, quae e Neophronis Medea afferuntur. Secus me arbitrari e commentatione mea apparet. Nempe libenter quidem assentior, fragmentum quod Stobaeus servavit deterius esse quam verba Medeae quae in ipsa fabula leguntur, sed tamen non usque adeo contemnendum videtur ut seni Euripidi tribui nequeat.

Digitized by Google

deperdita, sub vitae finem a poeta elaborata est et Neophronis nomine scenae commissa. Neophron autem ille quis fuerit hodie nescimus neque quidquam refert; sic etiam inter veteris *Comoediae* poetas unus nominatur, de quo nihil omnino novimus nisi quod drama alienum immutavit et suo nomine iterum dedit; Aristagoram dico, qui Metagenis fabulam Αὔρας correctam scenae commisit novo Μαμμακύθου titulo inscriptam (vid. Meinek. Hist. Com. p. 218 sq.). Tragicum vero ullius momenti poetam Neophronem fuisse non est credibile, quasque Suidas ei largitus est fabulas CXX *Nearcho* relinquere praestat, in tempora enim huius poetae, qui Alexandri Magni aequalis fuisse dicitur, melius quadrat ingenium immodice ferax nec ullam tamen prolem vitalem in lucem proferens. Etiam δούλων βάσανος in ea tempora haud male competit. Eratne autem tragicus an comicus Nearchus? Quis dicat.

Denique non reticebo quod contra meam interpretationem potest proferri. Si recte explicavi verba grammatici, qui Medeae Argumentum scripsit, minus apte ab eo adhibitum est verbum ὑποβαλλέσθαι, quod non de prole, quam quis alienae domui inferat, usurpari solet, sed de alieno fetu, quam suo quis nomini adscribat; vid. Plat. Rep. VII 537*e* Herod. V 41; sic Phrynichum comicum carpsit Hermippus in Phormophoris ὡς ἀλλότρια ὑποβαλλόμενον ποιήματα schol. Ar. Av. 750. Non tamen magnae audaciae esse videtur, eiusmodi peccatum contra linguae indolem sero nato epitomatori imputare.

Haec, quae ante decem annos conscripta in scriniis hactenus retinueram, hisce diebus protraxi, cum in meas manus pervenisset editio Medeae, quam commentario critico et exegetico instructam nuper in lucem emisit vir d. Sacorraphus [1]). Bonae frugis in illo libro multa repperi; in prolegomenis autem de Neophrone et de Medeae duplici recensione fuse disputavit editor. Et de summa quidem rei inter nos convenire vidi cum eius commentationem contuli cum iis quae ipse scripto manda-

1) Εὐριπίδου Μήδεια. ἐξέδωκε καὶ ἡρμήνευσε Γεώργιος Μ. Σακόρραφος Δ. Φ. — ἐν Ἀθήναις ἐκ τοῦ τυπογραφείου Π. Δ. Σακελλαρίου 1891.

Digitized by Google

veram; sed paullo aliter quam ego nodum solvere conatus est ille, coniecit enim in Hypothesi legendum esse τὸ δρᾶμα δεικεῖ ὑποβεβλῆσθαι καὶ Νεόδωρον, sero natum poetam Sicyonium hunc fuisse ratus. Quapropter operae pretium duxi meam opinionem exponere et periculum facere an forte ei aliisque philologis persuadere possim.

VI. DE SOPHOCLIS PRAETURIS.

Acerrime olim Seidlerus, Hermanno usus ἐφέδρῳ, cum Boeckhio disceptavit de quaestione, quam primo adspectu mireris tanti certaminis causam extare potuisse, nimirum utrum Olympiadis 84 anno paenultimo an sequentis Olympiadis anno primo (mense igitur Martio anni 441 aut 439) data fuerit Sophoclis fabula Antigona.

Chronologiae autem scenicae titanomachia illa tunc temporis non multum profuit; incertior enim quam antea res exinde multis visa est, atque fuerunt adeo qui contenderent drama hoc poetam tricenarium potius prodere quam quinquagenario maiorem. Itaque Nauckius in prolegomenis editionis Schneidewinianae auctor est ut omnem fidem denegemus iis quae de tempore quo Antigona scenae commissa est tradita accepimus.

Quod cum in hodierna documentorum ad historiam scenicam pertinentium inopia minus tutum videatur, testimonia quae huc faciunt denuo recensenda videntur et breviter diudicanda.

Sophoclem aliquando praetoris munere functum esse, certissime constat, a pluribus enim testibus affirmatur, neque mirandum est, quippe quem sciamus etiam hellenotamiarum collegio interfuisse (Ol. 84, 2).

Omnibus autem testibus si fides est habenda, TER Sophocles praetor fuit.

Et PRIMO quidem Ol. 81, 3 = 454 una cum Pericle στρατηγῶν Peloponnesi oras vastavit, teste Iustino III 6, cuius verba brevius enunciata ad res, quae hoc anno gestae sunt, referenda esse patet ex Thucyd. I 111, Plut. Pericl. p. 163*c*, Diodor. XI 65.

Digitized by Google

SECUNDA praetura Sophoclis cadit in bellum Samium, quod Ol. 84, 4 et Ol. 85, 1 aestuavit. Priore autem belli anno Sophocles praetor fuisse videtur [1]). A Pericle Lesbum missus est ad auxilia cogenda et Ionem poetam vidit in insula Chio. — Testes sunt Androtio in schol. Aristidis p. 485 Dind., Strabo p. 638, Suidas s. v. Μέλισσος [2]), et ipse Sophocles apud Athenaeum XIII p. 603, quibuscum conferenda est Thucydidis (I 116) et Diodori [3]) (XII 27) enarratio rerum quae in bello Samio gestae sunt.

Praeterea ad hanc praeturam pertinet narratiuncula quam Cicero (Off. I 40) et Plutarchus (Pericl. p. 156*d*) iisdem fere verbis referunt: *bene Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem, eique de communi officio convenissent et casu formosus puer praeteriret dixissetque Sophocles: „O puerum pulcrum, Pericle!", „At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus sed etiam oculos abstinentes habere"*. — Quem puerum si statuimus unum fuisse ex quinquaginta optimatium filiis, quos obsidum loco Pericles a Samiis acceptos Lemnum abduxit, intellegimus quid adiectivum illud *abstinentes* (καθαράς Plut.) sibi velit [4]). Accuratius autem, quam Cicero, Plutarchus loquitur, narrat enim rem accidisse ὅτε συστρατηγῶν ἐξέπλευσε Sophocles cum Pericle.

TERTIAE cuiusdam strategiae memoriam servavit Plutarchus in vita Niciae pag. 533 b: λέγεται ἐν τῷ στρατηγίῳ ποτὲ βουλευομένων τῇ κοινῇ τῶν συναρχόντων, κελευσθεὶς ὑπ' αὐτοῦ (a *Nicia* nimirum) πρῶτος εἰπεῖν γνώμην Σοφοκλῆς ὁ ποιητὴς, ὡς πρεσβύτατος ὢν τῶν συστρατήγων, „ἐγὼ" φάναι „παλαιότατός εἰμι, σὺ δὲ πρεσβύτατος", ad Menoetii apud Homerum verba alludens Λ 786 sq.:

τέκνον ἐμὸν, γενεῇ μὲν ὑπέρτερός ἐστιν Ἀχιλλεὺς,
πρεσβύτερος δὲ σύ ἐσσι.

---

1) Conf. Schultz Vit. Soph. p. 43 sqq.

2) Aristodemus (Fragm. Histor. V p. 17) pro Sophocle Themistoclem nominat, de quo simillimam narratiunculam refert Plutarch. Aristid. 24.

3) Id est Ephori, vid. Plutarch. Pericl. 167a.

4) Eodem respiciunt, verbis tamen minus perspicuis usi, Stob. Flor. 17, 19 Val. Max. IV 3, 1. In Isocratis autem vita p. 839 init. idem narratur, sed ita ut Isocrati illud dictum tribuatur neque qua occasione Sophocli id exprobraverit indicetur.

Digitized by Google

Scilicet veteres male intellegebant hunc locum Homericum, id quod cum aliunde notum est, scimus enim Achillem Patrocli amatorem fecisse Aeschylum, tum ex scholiis luculenter apparet: *γενέᾳ ὑπέρτερος*] *οὐ λέγει ὅτι τῇ γενέσει σοῦ ἐστιν ὑπερέχων, ἵν' ᾖ πρεσβύτερος, ὥς τινες τῶν τραγικῶν ἤκουσαν, ... ἀλλὰ γένους ἀξίᾳ.* Itaque *δημηρικῶς* loqui sibi videbatur Sophocles cum illis verbis, quae Plutarchus affert, significaret natu quidem maiorem se esse, Niciam vero auctoritate [1]). At quoniam Pericle superstite et collega, Nicias non poterat dici ceteros praetores auctoritate vincere, apparet Plutarchi narrationem non pertinere ad tempora belli Samii [2]). Ergo de anno aliquo ex belli Peloponnesiaci parte priore, cum Pericles mortuus esset, Plutarchus l. l. loquitur; infra tempus accuratius definire conabimur.

Iam de fabula Antigona videamus. Argumentum refert: *Φασὶ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης. λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα τοῦτό* $\overline{\lambda\beta}$.

Videmus grammaticum, qui haec scribit, referre rem de qua sibi minime constet. Non poterat igitur probare veram esse. Sed neque falsam esse probare potuit. Nam si ex temporum ratione apparuisset, poetam non potuisse praetorem adversus Samios creari ob Antigonam fabulam magno populi favore exceptam, grammatici Alexandrini, qui sedulo caverunt ne chronologia scenica susque deque haberetur (Eratosthenem puta, vel Aristophanem, cuius nomen fabulae argumento praescriptum est), errorem profecto erant indicaturi. Itaque ineluctabile, ut mihi quidem videtur, dilemma obtinet:

aut Alexandrini ignorarunt annum quo acta est Sophoclis Antigona,

aut brevi ante bellum Samium acta est haec fabula, ita ut fama de Sophocle ob dramatis praestantiam praeturam adepto per temporum certe rationes vera esse potuerit.

Prior autem suppositio veri dissimilis videtur. Fuit quidem

---

1) Ceterum cf. Δ 59.

2) Aliena igitur sunt a consilio nostro, quae apud Plutarchum p. 524*b* leguntur, unde Niciam una cum Pericle aliquando praetura functum esse efficitur.

Digitized by Google

qui spuriam iudicaret Antigonam et Iophonti tribueret [1]), et fortasse inde effecerit quispiam, ab Iophonte eam post patris demum mortem scenae esse commissam, quo etiam inepta Satyri narratiuncula de Sophoclis morte ducere videtur; — sed obstat argumentum ex silentio, meo quidem iudicio gravissimum. Nam si Antigona, omnium fere dramatum Sophocleorum pulcherrimum, in didascaliis non comparuisset, observatum hoc esset opinor ab Aristotele, observatum a grammaticis Alexandrinis, vix autem fieri potuisset quin huiusmodi observationis aliqua fama ad nos perveniret, quemadmodum de fabulis longe vilioribus traditum accepimus, earum nomina in publicis monumentis non esse inventa [2]). Praeterea Euripidis manifesta quaedam ad Antigonae versum 563 allusio [3]) ne dubitare quidem nos sinit quin ante Sophoclis mortem Athenis acta fuerit Antigona; a filio Iophonte igitur denuo scenae committi vel etiam retractari potuit, non potuit primum in certamen proponi.

Itaque nihil reliquum est nisi ut statuamus Antigonam fabulam brevi ante bellum Samium a Sophocle quinquagenario in certamen esse propositam, id est Ol. 84, 3, mense igitur Martio anni 441. Cui opinioni non deroganda est fides propter severa huius tragoediae metra, quae iuvenem potius poetam prodere videantur; quis enim statuere ausit quid post quinquagesimum aetatis annum decuerit Sophoclem, quid non decuerit? Nullum habemus drama quod tricenarius vel quadragenarius scripserit neque postea immutaverit, itaque comparationis Antigonae cum talibus tragoediis instituendae omnis deest opportunitas.

Nuper autem cum hunc commentariolum, ante aliquot annos conscriptum, retractarem ut typothetae tradi posset, et cum egregia editione Antigonae, quam v. d. Jebb anno 1888 edidit eam conferrem, non sine laetitia vidi eius opinionem cum mea prorsus concinere [4]).

---

1) Vid. Anecd Oxon. IV p. 315.

2) Athenaeus VI 270a Metagenis *Thurioperses* et Nicophontis *Sirenas δίδαγτα* esse refert Euripidis *Andromacham* Athenis datam non esse vel videri dicit schol. ad vs. 445; alterarum *Nubium* didascaliam non extare referunt schol. Nub. 549. Videantur etiam quae de *Licymnio* dramate observantur in schol. Aristoph. Av 1242.

3) Eur. Antigonae fragm. 165. 4) Vid. Introduction p. XLV.

Digitized by Google

In testimoniis de Sophoclis praetura afferendis hactenus consulto omisi Biographi verba: *Sophoclem, cum annos natus esset sexaginta novem, septem annis ante bellum Peloponnesiacum, praetorem creatum esse in bello adversus Ananiam.* Corruptissima enim haec esse et adversis frontibus secum pugnare inter omnes constat; nec nisi de ratione corrigendi dubitari potest.

Nempe pro *sexaginta* reponi video *quinquaginta*, pro *novem* ex aliis libris *quinque* [1]), pro *septem* vero *novem* [2]), pro *Ananiam* denique *Anaeam* [3]) vel *Anaeos* [4]) vel *Samios* [5]) vel *Prianicos* [6]). At hoc iudicis est non interrogantis testes sed ultro corrumpentis: miror vero Lessingium, acutissimi ingenii virum, tantae libidinis auctorem extitisse. Equidem agnoscere mihi videor epitomatorem diversa de diversis praeturis testimonia contaminantem et ad unam praeturam, quae maxime nota erat, referentem, id quod etiam in narrationibus de Aeschyli itineribus Siculis factum esse antehac demonstrare studui (vid. Mnemos. 1890 pag. 68 sqq.).

Nam èt anno vitae septuagesimo praetorem fuisse Sophoclem arbitror, èt septem annis ante bellum Peloponnesiacum, èt in bello contra regionem illam, cuius nomen latitat in litteris ἀναιαν vel ἀρανικον, quas praebent codices recentiores unde Sophoclis vita, quae in Laurentiano non extat, haurienda est.

Anno 426, aetatis septuagesimo, belli sexto, cum post Periclis mortem in Nicia summa esset spes, Sophocles TERTIUM praetor est creatus (Plutarch. 533b).

Anno 441, aetatis quinquagesimo quinto, septem annis ante bellum Peloponnesiacum, si ad illud bellum referuntur τὰ κερκυραϊκά, id quod fecit comicus Pac. vs. 990, Sophocles SECUNDUM praetura functus est, cum biennio ante *hellenotamias* fuisset.

---

1) Sic Lessing in Sophoclis vita, item F. Schultz p. 46.

2) Bergk, item Ribbeck ad Acharn. p. 237. — Kolisch vero de Sophoclis anno natali p. 13 τῶν πελοποννησιακῶν ἔτει ζ' proposuit.

3) Turnebus.

4) Boeckh Antigon. p. 142. — Vere Seidlerus observavit, *Anaeorum* vel *Anaïtarum* nomen in Peloponnesiaco demum bello semel et iterum apud Thucydidem commemorari, neque igitur cuiquam in mentem potuisse venire τὰ ἐν Σάμῳ designare mirifico nomine τοῦ πρὸς Ἀναίαν πολέμου.

5) Seidlerus in Hermanni Antigon. p. 24. Huic assentitur Jebb.

6) περὶ Πριανικῶν, Wex Prol. Antigon. p. 19.

Digitized by Google

Anno autem 454, aetatis quadragesimo secundo, praeturae munere PRIMUM ornatus est poeta, si fides Iustino, et tunc eum pugnavisse puto cum incolis regionis cuius nomen in *ἀνανίαν* sive *ἀρανικὸν* corruptum est. Quale igitur nomen latitat? Quid si fuit *Ἀκαρνανίαν*? Quid si Thucydidis et Plutarchi testimoniis confirmatur haec coniectura?

Narrat enim Iustinus, de temporibus ante pacem Pericleam loquens, Sophoclem cum Pericle Peloponnesi oras vastasse; anno autem 454 id factum esse ostendunt Thucydides (I 111), Diodorus (X 65), et qui fusius aliquanto easdem res exponit Plutarchus (Pericl. p. 163c). Haec igitur expeditio si apte dici potest *bellum adversus Acarnaniam*, ad hanc expeditionem referri poterit obscura illa notitia quae in vita Sophoclis reperitur. At rectissime sic vocatur; anno enim 454 Athenienses duce Pericle, vastato prius agro Sicyonio, *διαπλεύσαντες πέραν, τῆς Ἀκαρνανίας εἰς Οἰνιάδας ἐστράτευσαν καὶ ἐπολιόρκουν*, quae sunt Thucydidis verba l.l.; Pericles autem hac expeditione praeclare rem gessit et propter eam *ἐθαυμάσθη καὶ διεβοήθη πρὸς τοὺς ἐκτὸς ἀνθρώπους*, ut Plutarchus l.l. loquitur. Nam non solum, Plutarchus pergit, Peloponnesi oras populatus est, sed factis incursionibus in paeninsulae interiora Sicyonios ad Nemeam profligavit, et deinde Acarnaniam vastavit. Qua expeditione Acarnania primum intermixta est rebus Atticis.

Ergo consentiunt inter se Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Iustinus, anonymus denique ille apud quem biographus *Acarnaniae* nomen commemoratum invenit. Biographus autem quamquam stulte admodum erravit et chronologiae securus inconcinna iunxit, hactenus tamen est laudandus quod numeros et nomina quae invenerat intacta reliquit, ita ut de una praetura iam nobis narrentur quae ad tres praeturas, longis annorum intervallis dissociatas, pertineant.

Hic dicendi finem facere poteram, nisi superesset suspicio quam non nisi haesitanter profero, cum verendum esse intellegam ne in veteres errores dudum explosos relabi videar. Attamen proferendam censeo.

Strategum fuisse Sophoclem simul cum Nicia, supra [1]) statui

1) Pag. 211.

Digitized by Google

fide Plutarchi. „At erravit Plutarchus", dixerit aliquis, „et er-„roris fontem Lessingius ante centum et viginti annos indi-„cavit. Nempe Sophocles is, quem Nicias in praetura habuit „collegam, non poeta erat tragicus sed alius quidam civis „Atheniensis, Sostratidae filius, ut Thucydides III 115 tradit".

Speciosa argumentatio, neque sane Thucydidi, testi gravissimo, fides est deroganda. At alter testis adest, is quoque locuples, ex cuius testimonio contrarium effici posse credo. Aristophanem dico comicum. Prius tamen quam verba comici, quae huc faciunt, perpendamus, ex Thucydide sunt colligenda quae de Sophocle illo Sostratidae filio cognita habemus.

Hic igitur Sophocles vere anni 425 (Ol. 88, 3), belli anno sexto, una cum Eurymedonte praetor mittitur in Siciliam (Thuc. III 115); prius autem cum classe Corcyram tendunt (IV 3), ab itinere vero revocati (c. 8 et 13) intersunt τοῖς περὶ Πύλον γενομένοις, et capta demum Sphacteria Corcyram appellunt (c. 46), ubi optimates a plebecula trucidari sinunt (c. 47, 48) [1]). Deinde in Siciliam abeunt, unde pacto cum Siculis foedere anno sequenti aut initio Olympiadis 89 Athenas reduces simul cum Pythodoro in ius vocantur, quoniam Athenienses putabant praetores a Siculis corruptos pacem fecisse, licuisse enim totam insulam in suam potestatem redigere. Eurymedonti multa dicitur, Pythodorus et Sophocles in exilium pelluntur; immerito autem damnatos fuisse quamquam Thucydides non diserte dicit dum breviter rem refert, satis tamen aperte innuit (IV 65): ἐλθόντας δὲ τοὺς στρατηγοὺς οἱ ἐν τῇ πόλει Ἀθηναῖοι τοὺς μὲν Φυγῇ ἐζημίωσαν Πυθόδωρον καὶ Σοφοκλέα, τὸν δὲ τρίτον Εὐρυμέδοντα χρήματα ἐπράξαντο, ὡς ἐξὸν αὐτοῖς τὰ ἐν Σικελίᾳ καταστρέψασθαι δώροις πεισθέντες ἀποχωρήσειαν· οὕτω παρούσῃ εὐτυχίᾳ χρώμενοι ἠξίουν σφίσι μηδὲν ἐναντιοῦσθαι.

At praetores in exilio non diu permanserunt. Post mortem enim Cleonis crevit rursus Niciae suorumque potestas, qui cum pacem appeterent, non potuerunt non favere viris damnatis a populo, qui insana dominandi spe erectus quaelibet foedera

1) Hoc facinus, turpe sane sed tamen aliquatenus excusandum, ut ex aequalium mente diudicemus, legendum est Herodoti, quem Sophocles poeta habuit amicum, de Corcyraeorum fide iudicium (Herod. VII 168).

Digitized by Google

abhorreret. Revocati sunt igitur, certe redierunt impune. Nam Pythodorus fuit inter eos quorum nomina paci fuere subscripta (Thuc. V 19) itemque foederi quod brevi post Lacedaemonii cum Atheniensibus inierunt (ibid. c. 24); neque hoc mirandum est, quoniam Laches quoque in illorum numero fuit, qui tamen eandem ob causam et eodem fere tempore in ius fuerat vocatus (vid. Ar. Vesp. 240). Denique Ol. 91, 3 Pythodorus rursus praetor creatus [1]) cum Demarato et Laespodia, Lacedaemoniorum agros vastavit et sic pacem dudum labefactatam φανερώτατα tandem ἔλυσεν (Thuc. VI 105).

Duorum igitur praetorum, qui una eademque de causa damnati sunt, alter redit summosque denuo honores in republica capissit: alterumne in exilio permansisse credimus? Immo eum quoque revertisse intellegimus, cum praesertim tertium reum, Eurymedontem, Thuclis filium, aliquot annis post praetorem videamus in Siciliam mitti ut Niciae adducat auxilia (Thuc. VII 16—52), nec non Lachetem, cui item ex Sicilia reduci peculatus crimen intentatum fuerat, post Cleonis mortem magnas in republica egisse partes sciamus.

Sophocles igitur is, qui apud Thucydidem Sostratidae filius vocatur, praetor fuit Ol. 88, 3 et 4, in exilium pulsus est Ol. 89, 1, post Cleonis autem mortem Ol. 89, 3 eum rediisse consentaneum est. Niciam vero Olympiadis 88 annis primo, secundo, quarto strategum fuisse scimus (Thuc. III 51, 91, IV 27), et tertio quoque anno eodem munere functum esse veri est simillimum; ergo collegam in praetura Nicias habuit Sophoclem illum de quo Thucydides loquitur, nec dubium videtur quin ambo simul Athenis fuerint.

At poetam Sophoclem hoc tempore [2]) Niciae collegam fuisse Plutarchus dicit loco supra saepius citato. — Utri credere mavultis, Quirites? Thucydidi, testi oculato, an Plutarcho, sero nato homini, qui ex Satyro aut Carystio Pergameno sapit? Dixeris dubium non esse utrius maior sit fides.

---

1) De alio quodam Pythodoro sermonem esse non est cur suspicemur, quamquam Muellerum Struebingium id contendisse (Aristoph. p. 630 et Staat der Ath. p. 87) non nescio. Argumenta desidero.

2) Niciae praeturam, quam Plutarchus spectat, in belli annum *decimum septimum* cadere, cur statuat Schultz in vita Sophoclis p. 48, me quidem fugit.

Digitized by Google

Et tamen Plutarchum verum referre puto. Dictum enim poetae citat facetum, quod non ab apophthegmatum fabricatoribus fictum sed revera ab ipso Sophocle aliquando prolatum esse libenter credimus propter peculiarem usum adiectivi πρεσβύτατος, tragicis proprium, ut supra exposuimus.

Vera autem si narrat Plutarchus, statuendum est nomen *Sostratidae*, quod praebet textus Thucydideus, errori deberi, et a Thucydide scriptum esse Σοφί(λ)λου. Quae cum per se spectata parum sit probabilis coniectura, aliquanto minus tamen temeraria videtur si reputamus non nisi uno loco (Thuc. III 115) patris illud nomen commemorari; adde quod aliud certe nomen in Thucydidis textum per errorem irrepsisse scimus noto loco I 51, ubi *Andocides Leogorae filius* anno 432 classi Atheniensium praefuisse dicitur, id quod falsum esse inter omnes fere constat hodie [1]). Denique non tam longe, quam primo adspectu dixeris, a se distant nomina Σοφίλου et Σωστρατίδου; suspicor enim nomini ΣΟΦΙΛΟΥ olim superpositam fuisse annotatiunculam τραγικόν, hanc autem per compendium τρχγ scriptam irrepsisse inter litteras nominis proprii, et deinde corruptam vocem ΣΟΦΤΡΑΓΙΛΟΥ gravius etiam depravatam esse in ΣΩΣΤΡΑΤΙΔΟΥ.

Sed haec omnia, utpote nimis incerta, in scriniis potius retinenda censerem, nisi cum coniectura mea concinere putarem dictum quoddam ioculare, quod in Pace Aristophanis legitur et hactenus probabiliter explicari non potuit.

Illo loco Mercurius Pacis nomine, quae modo in lucem protracta est, Trygaeum rusticum de Athenis et alia nonnulla rogat et quae sequuntur (vs. 693 sqq.):

Mercurius.

ὦ ὦ·
οἷά μ' ἐκέλευσεν ἀναπυθέσθαι σου.

Trygaeus.

τὸ τί;

Mercurius.

πάμπολλα καὶ τἀρχαῖ' ἃ κατέλιπεν τότε.
πρῶτον δ' ὅ τι πράττει Σοφοκλέης ἀνήρετο.

---

1) Legendum videtur *Dracontides Lysiclis filius*, quod suasit Muellerus Struebing Aristoph. p. 602 sq. — Videatur etiam Blass Beredsamk. I p. 283, 4.

Digitized by Google

Trygaeus.

εὐδαιμονεῖ· πάσχει δὲ θαυμαστόν.

Mercurius.

τὸ τί;

Trygaeus.

ἐκ τοῦ Σοφοκλέους γίγνεται Σιμωνίδης.

Mercurius.

Σιμωνίδης; πῶς;

Trygaeus.

ὅτι γέρων ὢν καὶ σαπρὸς

κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι.

Deinde de Cratino quaedam percunctatur Mercurius, cuius loci sensum Cobetus ad Platon. Com. p. 87 admirabili acumine aperuit [1]).

Quid vero de Sophocle poeta hoc loco innuatur cum quaerimus, ante omnia observandum est, talia multo aptius rogari posse de absente quam de illo qui assideat in spectatorum cuneis. Plus dico: de homine praesenti ne possunt quidem rogari; Mercurius enim refert, Εἰρήνην sibi mandasse ut inquireret in homines quosdam, quos olim in Attica degentes novisset; scilicet nunc post reditum circumspectans Pax eos non videt: abest summus tragicus Sophocles, abest comicus Cratinus; quid igitur de iis factum sit scire laborat. Ergo ex Mercurii verbis id quidem satis constat, Sophoclem poetam hoc temporis non fuisse Athenis.

Deinde vero quaeritur quo sensu Sophocles audire possit *alter Simonides*.

Scilicet quia ἐπὶ μισθῷ scribebat τὰ μέλη, adnotat scholiastarum unus. Itane vero? Et quis emturus erat? quaenam μέλη vendere poterat Sophocles? Chorine cantica ex suis ipsius tragoediis evulsa? Nugae hae sunt merae, quibus assentiri non debebat Lessingius: „als Sophokles in seinem Alter Gedichte „für Geld machte, wozu ihn vielleicht die Noth zwang, wie „bitter warf es ihm Aristophanes vor!" — Crederes non acutissimum criticum hoc scripsisse sed inanem quendam declama-

1) Non tamen revera mortuum esse Cratinum, quod putabat Cobetus, sed per iocum, qui neminem fallere posset, ab Aristophane h. l. id dici, alludi autem ad Cratini Πυτίνην, ingeniose admodum suspicatus est Muellerus Struebing in Annalibus Fleckeisenii 1890, p. 513—549.

Digitized by Google

torem, neque de summo tragico, qui vicies victor fuit et principe loco natus erat, sermonem fieri sed de misero isto Sthenelo, ὃς διὰ πενίαν τὴν τραγικὴν ἀπέδοτο σκευὴν κακῶς πράττων ἐν τῇ τέχνῃ [1]), cuius dictionem tanquam exemplum τῆς ταπεινῆς λέξεως indicat Aristoteles [2]), cuius verbula sine aceto vel sale devorari posse negabat comicus [3]). Has igitur mittamus gerras [4]), quae ne veteribus quidem commentatoribus satis placuerunt, complusculae enim in scholiis subiunguntur ioci Aristophanei interpretationes diversissimae, inter quas una tantum, de qua mox agemus, videtur notatu digna esse: λέγεται δὲ καὶ ὅτι ἐκ τῆς στρατηγίας τῆς ἐν Σάμῳ ἠργυρίσατο. In transitu autem vitium eximam ex hoc scholio. Apud Dindorfium editur: χαριέντως δὲ πάνυ τῷ αὐτῷ λόγῳ διέσυρε β . . . τοῦ ἰαμβοποιοῦ. Recte lacunam indicavit Dindorfius, quae tamen ni fallor non ante sed post articulum incipit, legendum enim est χαριέντως — διέσυρε δυοῖν, τοῦ <τε τραγῳδοῦ καὶ τοῦ διθυρ>αμβοποιοῦ: *facete Aristophanes eodem ioco et Sophoclem perstringit et Simonidem.* Idem statim aliis verbis dicitur in scholiorum farragine: καὶ Σοφοκλέα καὶ Σιμωνίδην διέσυρεν ὡς μικρολόγους. A scholiasta confundi Simonidem Ceum cum Amorgino, et sanam igitur esse vocem ἰαμβοποιοῦ, vix est credibile. Sed redeamus ad Aristophanem.

Equidem dictum comici sic explicandum puto. Quo tempore fabula Εἰρήνη agitur, paucis igitur diebus ante pacem Niciae [5]), Sophocles exul extra fines Atticae commoratur, sed mox rediturum esse, cum mutata iam sit post Cleonis mortem reipublicae conditio, quivis intellegit. Sed quomodo interim ei est? „Optime", comicus ait, „vivit valetque; quamquam mirum

1) Schol. Vesp. 1313.

2) Poet. 22.

3) In Gerytadis fragm. 151 Dind.

4) Aliquanto sane felicior est Muelleri Struebing coniectura (Annal. Fleckeisen. 1890 p 529), Sophoclem inter eos fuisse qui pacem cum Peloponnesiis fieri nollent, et ideo nunc a comico, qui ceteroquin magnopere eum admiraretur et amaret, benigne et per iocum carpi: »Aristophanes meint natürlich, er habe sich für sein auftreten »gegen den frieden bezahlen lassen — von wem? — ach was kommt darauf an?.. »je unsinniger, desto besser". — Unde tamen Muellero venerit suspicio Sophoclem bellum paci praetulisse, me latet; mera haec est opinio nullo idoneo argumento fulta et me quidem iudice minime probabilis.

5) Vid. Thucyd. V 20.

Digitized by Google

„quiddam est perpessus, senex enim in Simonidem est muta„tus, ita ut lucri causa vel in crate viminea navigare sit pa„ratus". SIMONIDES AUTEM POETA GRANDAEVUS IN SICILIAM ABIIT, auri amore perductus. Illuc etiam Sophocles sub vitae finem navigarat, neque nimis abstinentem ibi se ostendisse ferebatur: quo divitiarum studio nunc in maxima pericula est adductus et patria caret. Sic aptam, ut spero, explicationem habet *navigandi* verbum in locutione illa κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι.

Sophocles igitur poeta tangitur a comico Pacis l.l., sed leniter admodum tangitur. Iamiam rediturus erat tragicus [1]): itaque de absentia eius iocare quid vetabat? immo iis, qui favebant poetae, per iocum potius commemorandum erat eius exilium quam silentio premendum, tanquam senex turpis facinoris poenam lueret ignominiosam. Non credebat fortasse Aristophanes, a Siculis corruptum Sophoclem suis magis quam patriae commodis inserviisse; attamen si abstinentiae fuisset inter omnes notae, ne nasci quidem potuisset talis accusatio; denique *qu'allait il faire dans cette galère?* quid homini grandaevo, poetae summo, opus fuit Musas deserere ut procul a sua patria suaque scena remotus bella gereret neque utilia neque honorifica?

Veram igitur, nisi omnia me fallunt, ioci Aristophanei explicationem protulit commentator is qui annotavit: ὅτι ἐκ τῆς στρατηγίας ἠργυρίσατο, expeditionem Siculam cogitans. Stultissimus vero fuit homo qui postea appinxit verba τῆς ἐν Σάμῳ. Nam Aristophanem Pacis loco non respicere res quae viginti annis ante accidissent, id non nos soli sentimus, opinor, sed quilibet statim intellegit, neque veteres grammatici in tam manifestum errorem poterant incidere.

Aliunde autem constat, Sophoclem poetam grandaevum in ius vocatum esse; nam Aristoteles Rhetoric. III 15, 3 affert dictum facetum illa occasione ab illo prolatum: Σοφοκλῆς ἔφη τρέμειν οὐχ, ὡς ὁ διαβάλλων ἔφη, ἵνα δοκῇ γέρων εἶναι, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης· οὐ γὰρ ἐκόντι αὐτῷ εἶναι ἔτη ὀγδοήκοντα. Hoc igitur certissimo testimonio scimus poetam octogenarium accusatum

1) Hinc, ni fallor, inter dona quae Pax mox est Atheniensibus allatura recensentur etiam μέλη Σοφοκλέους vs. 531.

Digitized by Google

esse: quod vero anno 423 nondum exactum habebat aetatis annum octogesimum, id nemo urgebit opinor. Neque obstant Phrynichi comici de Sophocle verba, qui in Μουσῶν comoediae notissimo fragmento beatum eum praedicat et οὐδὲν κακὸν ὑπομείναντα e vita excessisse dicit. Non enim de vitae curriculo sine ulla calamitate peracto haec dicuntur, sed felix vocatur poeta propter facilem celeremque mortem qua grandaevus sine doloribus extinctus est.

Libenter autem etiam παρανοίας illam litem huc rettulerim, quam Sophocli seni a filio Iophonte apud curiales intentatam esse quis non post Ciceronem [1]) narravit. Hanc fabellam ex Aristophanis comoedia Δράμασι (ἢ Νιόβῃ) fluxisse, acutissima et me quidem iudice verissima est G. Hermanni coniectura; causam autem, cur poeta dementiae senilis a filiis insimulatus fuerit, comicum hanc finxisse suspicor quod γέρων ὢν καὶ σαπρὸς etiamnunc cum remotissimis gentibus bellare marisque inclementiam perpeti mallet quam domi cuticulam fovere Musisque suis sacra ferre. Fortasse autem eandem originem habet insulsissimum commentum, quod in Euripidis quae fertur epistola secunda sine risu legi nequit: Sophoclem in navigatione naufragium fecisse, et ipsam quidem vitam servasse sed dramatum sive aliquot sive cunctorum iacturam fecisse. Hanc quoque τὴν περὶ τὰ δράματα συμφοράν, quam cum cunctae Graeciae detrimento ei accidisse dolet personatus ille Euripides, ex comoedia Aristophanea originem duxisse suspicor [2]).

Sed haec hactenus, finis enim disputandi est faciendus. Omnibus argumentis perpensis statuendum videtur, Sophoclem illum, cuius res gestas Thucydides refert, poetam esse tragicum, et recte in vita Sophoclis tradi poetam cum annos natus esset undeseptuaginta, praetura functum esse; ipso enim aetatis anno septuagesimo in Siciliam abiit. Duodecim annis post, anno 413, fuit inter decem προβούλους, quos Thucydides VIII 1 commemorat, teste Aristotele in Rhetor. III 18, 6: Σοφοκλῆς ἐρωτώμενος

1) De Senectute 7 § 22.

2) Simillimae sunt Aeliani nugae, in rustici epistola (n°. 4) graviter enarrantis ea quae apud Aristophanem Acharn. vs. 995 sqq. leguntur.

Digitized by Google

ὑπὸ Πεισάνδρου εἰ ἔδοξεν αὐτῷ, ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις προβούλοις, καταστῆσαι τοὺς τετρακοσίους, ἔφη. — „τί δέ; οὐ πονηρά σοι ταῦτα ἐδόκει εἶναι;" — ἔφη. — „οὐκοῦν σὺ ταῦτα ἔπραξας τὰ πονηρά;" — „ναί", ἔφη, „οὐ γὰρ ἦν βελτίω".

Nam de poeta tragico hoc loco Aristotelem loqui, certum est. Si alium hominem spectasset quam Sophoclem illum, inter omnes notum, cuius dictum acutum modo ipse in fine praecedentis capitis citaverat, non est dubium quin aliqua ratione id indicaturus fuisset. At hominis obscuri verbula aetatem non erant latura, neque Aristoteli digna poterant videri quae afferrentur. Quapropter in errorem incidisse arbitror Wattenbachium [1]), qui contendit non poetam Sophoclem sed *Sostratidae* filium fuisse inter προβούλους; simul tamen gaudeo, quod idem igitur Sophocles in Sicilia classi praefuisse et postea Athenis probuli munere functus esse Wattenbachio videtur [2]); nam id ipsum ego modo demonstrare studui.

Non reticebo denique quae puto contra meam opinionem, aut si quis mavult suspicionem, afferri posse argumenta. Inter triginta viros anni 404 a Xenophonte [3]) commemoratur Sophocles quidam, quem igitur etiam inter quadringentos viros anni 411 fuisse paene certum est, etiamsi fidem denegas verbis Lysiae [4]), triginta viros cunctos antea fuisse in quadringentorum numero. Sed nihil obstat quominus sumamus tragicum poetam anno 413 probulum fuisse, alium eiusdem nominis virum biennio post in CCCC virorum senatum receptum esse et post belli finem in triginta virorum fuisse collegio [5]).

Gravius videtur argumentum ex silentio. Nam si poeta tragicus classi Siculae aliquantisper praefuit, qui fit ut rem tam insignem diserte commemoret nemo, unus Aristophanes loco quem tetigimus innuere videatur? Quod respondeam non habeo; ego quoque hoc miror, et hac ipsa de causa ut totam disputationem in scriniis denuo absconderem plus semel adductus sum.

---

1) *De Quadringentorum Athenis factione* p. 22.

2) Idem suspicatur Schultz in vita Sophoclis p. 49.

3) Hellenic. II 3 § 2.

4) Agorat. § 74.

5) Non unum eundemque virum ab Aristotele atque a Xenophonte spectari etiam Schultzius in vita Sophoclis p. 49 statuit.

Digitized by Google

Cum tamen mecum reputo Hellenotamiae quoque munere Sophoclem aliquando functum esse, hanc autem rem non referri a veteribus scriptoribus, sed casu nobis innotuisse ex inscriptione [1]), non tantum tribuendum arbitror veterum de Sophoclis hac praetura silentio ut ideo ne commemoratu quidem digna videatur coniectura quam protuli. Quae sitne probabilis necne aliis iam diudicandum relinquo.

1) Cf. Boeckh. Staatshaushaltung II p. 581 (II p. 848 ed. 3ae).

AD PLUTARCHUM: *ἀρίστους — Ἀργείους.*

Inter Laconica apophthegmata hoc affertur in Plutarchi Moral. p. 232 *e*:

ἐπαινοῦντός τινος τοὺς ἀρίστους μαχητάς, Λάκων εἶπεν „ἐν Τροίᾳ".

Haec nihil significare quivis videt. Neque admonitus negabit quisquam requiri nomen proprium alicuius populi, qui cum *πάλαι ποτέ*, ut est in proverbio de Milesiis, fuisset *ἄλκιμος* ideoque in carminibus epicis esset celebratus, postea a prisca virtute usque adeo descivisset ut a Lacedaemoniis posset contemni. Quae optime conveniunt omnia in *Argivos*; nam ex Iliade novimus *Ἀργείων πολλὸν στρατὸν αἰχμητάων* illum (Θ 472) eorumque regem Agamemnonem, postea vero *Ἀργείου ποτὲ εἰπόντος· „πολλοὶ τάφοι παρ' ἡμῖν εἰσι Σπαρτιατῶν", Λάκων εἶπεν· „ἀλλὰ μὴν παρ' ἡμῖν Ἀργείων οὐδὲ εἷς", — ὡς αὐτῶν μὲν πολλάκις Ἄργους ἐπιβεβηκότων, Ἀργείων δὲ τῆς Σπάρτης οὐδέποτε* (p. 233*c*).

Corrige igitur:

ἐπαινοῦντός τινος τοὺς Ἀργείους ὡς μαχητάς, Λάκων εἶπεν· „ἐν Τροίᾳ".

Confusae sunt litterae *Γ* et *ι*, et signum quo *ει* indicatur describentium errore abiit in signum simillimum *ϛ*.

J. v. L. J. f.

Digitized by Google

CICERO.

Verr. II, 1, 15, 38. -- Secundae actionis in Verrem liber primus falso inscribitur „de praetura urbana". Multo plura enim continet flagitia atque facinora, quam quae Verres praetor urbanus commisisse traditur. Totam vitam scelestissimi hominis ante praeturam Siciliensem actam Cicero eo libro persequitur et exagitat. Omnium primum proditionem ei obiicit, cum quaestor consulem suum contra fas deseruit et ad Sullanas partes se contulit, non quo optimatibus potius faveret, sed idoneam causam nactus arcae militaris expilandae. In quo crimine explicando orator sibi temperare non potest, quin locum illum communem ex promptuario artis rhetoricae desumptum intexat, proditores vel iis quibus prosint odio esse solere, idque etiam in Verre apparere demonstret. Melius quidem fecisset, si hoc totum omisisset, quod in contrariam partem magis valet; nam perfidus quaestor a Sulla praediis proscriptorum, proditionis mercede, auctus est. Quod Cicero cum negare non possit, saltem extenuare conatur. Verum haec artificiosa argumentatio in editionibus male distinguitur, ut figura „occupationis" quae dicitur, in qua demonstrationis magnam partem inesse voluit, vix agnoscatur. In luce ponetur, si locum in hunc modum distinxerimus: *Ipse Sulla, cui adventus istius gratissimus esse debuit, ab se hominem atque ab exercitu suo removit; Beneventi esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat, ubi iste summae rei causaeque nocere nihil posset. — 'Ei postea praemia tamen liberaliter tribuit'. — Bona quaedam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit, habuit honorem ut proditori, non ut amico fidem.*

J. S. SPEIJER.

LIVIUS.

Utile exemplum emblematis occurrit apud Livium XXI 34, 2: „Magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt, alienis malis, *utili exemplo*, doctos memorantes amicitiam malle quam vim experiri Poenorum". Risum movent legati ultro philosophantes Hannibalemque docentes felicem esse quem faciant aliena pericula cautum.

H. W. VAN DER MEY.

Digitized by Google

AD SOPHOCLEM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Facsimile of the Laurentian Manuscript of Sophocles, with an introduction by E. M. Thompson and R. C. Jebb. London 1885.

Nobilis codicis Laurentiani XXXII 9 cum nuper data opera inspicerem imaginem autotypam egregia arte confectam, quae Londinii prodiit cura virorum d.d. Thompson et Jebb, primo operam dedi ut vetustissimi huius testis, unde criticis Aeschylum Sophoclemve emendare conantibus proficiscendum est, interiorem aliquam contraherem notitiam, et nonnulla, quae de textu Sophocleo antehac conlenderam, possentne inde sive refelli sive confirmari, investigare coepi. Mox vero mirari subiit quod magna quidem cura viri artis palaeographicae periti examinarunt ea quae ipsi librarii exararunt, quibus textus et scholia debentur, sed eas notulas, quae saeculo demum XIII vel ineunte XIV adiectae sunt, ne commemoratu quidem dignas habuerunt. Sic etiam novissimus scholiorum editor egit, v. d. Papageorgius, eique assentiuntur critici Britanni: „as a rule, the matter which they added is worthless" scribit v. d. Jebb in prolegomenis p. 18. Insunt tamen his quoque quaedam notatu haud indigna. Unum proferam exemplum: plura quaerant alii, qui otio affluunt nec oculis suis parcere coguntur; evanidum enim istiusmodi annotatiuncularum solet esse atramentum, verbaque, quae currente calamo minutissimis litteris signisque tachygraphicis negligenter indicata sunt magis quam exarata, haud raro in membrana attrita diffluunt. Sed ad rem venio.

Digitized by Google

Oraculum, quod Cadmo est redditum de condenda urbe (Oracul. Graec. ed. R. Hendess anno 1877 n°. 1), notum est e scholiis ad Eurip. Phoeniss. vs. 638 (641) et e Tzetza, „ex scholiis „autem in Euripidem tum nondum editis scholiis in Aristoph. „Ranas (vs. 1225) anno 1496 apud Aldum editis inseruit Mu„surus" secundum Dindorfium (vid. schol. Aristoph. ed. Dindorf. II p. 133 in annot.).

At Musurus undecunque oraculum illud sumserit, puriorem certe textum exhibuit quam reperitur in scholiis Euripideis; in versu enim 3 mendum sustulit certissima emendatione, in quam tamen non quilibet incidat: ἠθάδ' pro ἔνθα δ'. Optima autem haec lectio ἠθάδ' extat in codice nostro Laurentiano. Manu enim recenti in margine folii 33r, ubi incipit Oedipi Regis argumentum metricum (λιπὼν Κόρινθον etc.), appictum est hoc oraculum. Totum apponam quale illic legitur (iota subscriptum, quod passim omissum est, adieci):

Φράζεο δή μοι μῦθον, Ἀγήνορος ἔκγονε Κάδμε·
ἡοῦς ἐγρόμενος προλιπὼν ἴθι Πυθὼ δῖαν
ἠθάδ' ἔχων ἐσθῆτα καὶ αἰγανέην μετὰ χερσί
τὴν διά τε Φλεγύων καὶ Φωκίδος, ἔστ' ἂν ἵκηαι
βουκόλον ἠδὲ βόας κηριτρεφέας Πελάγοντος. 5
ἐνθάδε προσπελάσας συλλάμβανε βοῦν ἐρίμυκον,
ἥ κεν δὴ νώτοισιν ἐπ' ἀμφοτέροισι ἔχῃσι
λευκὸν σχῆμ' ἑκάτερθε περίτροχον ἠύτε μήνης·
τὴν δὲ σὺ ἡγεμόνα σχὼν ἀτρέπτοιο κελεύθου.
σῆμα δέ τοι ἐρέω μάλ' ἀριφραδές, οὐδέ σε λήσει· 10
ἔνθα κέ τοι πρώτιστα βοὸς κέρας ἀγραύλοιο
ἥξῃ τε κλίνῃ τε πέδῳ γόνυ ποιήεντι,
καὶ τότε τὴν μὲν ἔπειτα μελαμφῦλῳ χθονὶ ῥέζειν
ἀγνῶς καὶ καθαρῶς, γαίῃ δ' ὅταν ἱερὰ ῥέξῃς,
ὄχθῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ κτίζειν πόλιν εὐρυάγυιαν, 15
δεινὸν Ἐνυαλίου πέμψας Φύλακ' Ἄϊδος εἴσω.
καὶ σύ γ' ἐπ' ἀνοῦς ὄνομα κλυτὸς ἔσεαι αὖθις,
ἀθανάτων λεχέων ἀντήσας ὅλβιε Κάδμε.

Egregiam igitur lectionem codex praebet vs. 3 ἠθάδ' pro ἐνθάδ', non malam vs. 7 ἥ κεν δὴ pro τὴν ἥ κεν, vs. 9 autem non recte quidem habet σχὼν ἀτρέπτοιο, sed multo tamen propius a vero abest hoc quam id quod edi solet σχὲ περιτρέπτοιο

Digitized by Google

vel περιτρίπτοιο. Legendum est ni fallor σχεῖν, id quod in scholiis Aristophaneis et in Barnesii editione Euripidis editur, deinde vero non ἀτρέπτοιο, quod illi cum codice nostro exhibent, sed ἀτρίπτοιο.

At non solum in bonis his lectionibus, in malis quoque concinit codex cum editione Aldina Aristophanis. Utrobique vs. 8 extat σχῆμα pro σῆμα, vs. 12 ἥξῃ τε pro ἵζῃσιν. Differt tantummodo lectio versus 5, ubi κηριτρεφέος est apud Arist., κηριτρεφέας vero in codice nostro, et vs. 8, ubi codex recte habet περίτροχον, scholia vero Aristophanea male περίπλοκον.

Res igitur huc redit: concinunt ea quae in codicis Sophoclei margine leguntur cum iis quae Musurus inseruit scholiis Aristophaneis, non concinunt cum eiusdem oraculi lectionibus aliunde cognitis. Ergo aut anonymus, qui Laurentianum codicem manibus trivit, Musurum excripsit, aut Musurus excripsit anonymum, aut ambo ex fonte communi doctam suam annotationem duxerunt. Id quidem certum est, Dindorfium errasse cum contenderet Musurum e scholiis Euripideis hoc oraculum intulisse in scholia Aristophanea. Musuro vero, id est saeculo XV exeunte, recentiora esse quae praebet codex Laurentianus, non est credibile; nisi fallor, perscripta haec sunt eadem manu, quae in margine allevit versum 800 Oedipi Regis aliunde ignotum, sive genuinus est ille trimeter sive spurius. Numquid igitur Musurus e margine nostri codicis desumsit oraculum? An e communi aliquo fonte hauserunt ambo? Hoc veri similius est.

Nunc de ipsius Sophoclis quodam loco agam, ubi id, quod inter amicos dudum contenderam, codice confirmari vidi.

In fabula Antigona vix ulla pulcrior extat chori cantilena — καλαὶ δέ τε πᾶσαι — quam illa, quae inde a versu 944 incipit. Virginem ut consolentur senes Thebani, quam filiae instar — ὦ παῖ eam alloquuntur — dilectam habent et miserentur, alios heroum liberos ei indicant, quibus sors non minus flebilis obtigerit, utque animo demisso in numinis voluntate acquiescat ei suadent. Hoc quin sit consilium cantici, quo Danaës, Lycurgi, Phineidarum eorumque matris duri casus enarrantur, non est dubium, neque aliter id interpretari solent viri docti. Obstat tamen aliquid — μικρὸν ἡλίκον Μόλων. Nempe ne frustra operam

Digitized by Google

dent senes, in scena adesse debet Antigone: atqui id non sinit fabulae oeconomia. Canendi initium facit chorus eo ipso temporis puncto quo Antigone de scena abducitur; afferam verba ultimi commentatoris, Iebbium dico, quem nisi honoris causa nominare nolim, nam licet in textu constituendo haud raro ab eo dissentiam, verborum consiliorumque poetae felicissimum eum admirari didici interpretem eundemque sagacissimum. Iebbius igitur annotat: „as Antigone spoke the verses ending at „943, the guards were in the act of leading her forth. The „choral ode may have begun before she has vanished; but she „is not to be conceived as still present when she is apostro„phised (949, 987)". Nempe post versum 943 quis ferat cunctabundam etiam vel reluctantem heroinam! Non tragicae sed comicae id foret scenae, nam iam satis diu rex custodes duris verbis impulit, ut puellam in supplicium secum abripiant.

Numquid absentem igitur puellam, ut Orestem Minerva Euripidea, choreutae alloquuntur: κλύεις γὰρ αὐδὴν κἀπέρ οὐ παροῦσ' ἔτι? Non ego credo, recordor enim in Aiace fabula versum 1003 simili laborare molestia, ubi Tecmessam absentem alloquitur Teucer; quam tamen non poetae esse culpam sed librariorum, versuum ordinem turbantium, olim demonstrasse mihi videor, cf. de Aiac. p. 149 sqq. — Idem huic quoque loco afferendum esse remedium, aliter enim ordinandos esse versus, persuasum habeo. Chori hoc canticum, vs. 944—987, alieno loco legitur; collocandum est post versum 882, ita ut post commum, quem singuli choreutae et Antigone alternis vicibus protulerunt, statim subiungatur cuncti chori suprema cohortatio ad virginem morituram.

Qui si recipitur versuum ordo, non solum gravissimum illud incommodum, quod modo indicavi, evanescit, sed simul de ipso Creonte optime actum fuerit. Nam rex, qui versu 780 aedes suas intravit, versu 883 in scenam redit, post chori igitur canticum, si verum versuum ordinem modo restituimus. Vulgatam vero perturbatam esse nisi quis concedit, aut debet arbitrari Creontem post versum 943 intrare regiam sine iusta causa et mox vs. 988 denuo prodire, tunc quoque sine causa, aut solum et otiosum eum in scena adstare et patienter expectare, donec chorus Danaes ceterorumque casus lugubri cantu

Digitized by Google

enarraverit. Quod si factum esset, vox illa ὦ παῖ, quam chorus bis iacit, a spectatoribus ad Creontem, opinor, non sine risu relata esset.

Itaque diu est ex quo mihi persuasi, hoc stasimon loco suo motum esse; dudum quoque causam inde repetebam quod integram paginam archetypi hoc canticum, quod XLIV est versuum, impleverit. En vero, dum codicem Laurentianum perlego, magno cum gaudio vidi eam ipsam formam, quam archetypi fuisse antehac demonstrare studui in commentatione de fabula Aiace, revera esse huius paginae nostri codicis. Nempe Antigonae fabulae in ceteris codicis paginis perscripti sunt versus 43, 45, 46, 47, 48, sed in folio 60^{r} extant versus quadraginta quatuor, et haec pagina canticum nostrum integrum complectitur.

Itaque nunc satis certum duco etiam Laurentiani archetypum hodie deperditum in una aliqua pagina totum hoc stasimon habuisse exaratum; haec autem pagina in alienum locum aberravit.

Ad Antigonae vs. 904 sqq.

καίτοι σ' ἐγὼ ἐτίμησα τοῖς Φρονοῦσιν εὖ.
οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἄν, εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν, 905
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου Φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον· 910
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν,
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

De loco famoso pauca observaturus aliter disputandi initium faciam quam fieri solet. Plerique enim critici, in his etiam cautissimi et textus traditi tenacissimi, concedere solent tam ineptos esse versus quos excripsi ut poetae tribui nequeant; ego contra contendo hanc ipsam ob causam, quod sint ineptissimi et vere absurdi, dubium mihi non videri quin Sophoclem habeant auctorem. Τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; — Argumentatio mea haec est. Aristoteles (Rhet. III 16) locum nostrum novit et pro genuino habuit; quem si spurium duxisset, exemplum

Digitized by Google

inde sibi non desumsisset, opinor, quo Artem suam Oratoriam illustraret. Quos autem ille versus Sophocli sine ulla dubitatione tribuit, esse non poterant insulsi et obscuri, non erant lingua hiulca et vix Graeca compositi, sed tales erant versus quales a summo poeta expectari, certe in summi poetae opere tolerari possent. Ergo philosophus non ea legit quae extant in textu hodierno. Ergo graviter corruptus est locus; qui si pristinum suum nitorem recuperaret, credibile imo verisimile est talem evasurum, qualem scripsisse neque Sophocli neque alii poetae tragico dedecori sit. Quae vero reperiuntur in nostris codicibus quis tandem credat scribi potuisse — non dico a Sophocle, sed a quoquam poeta potuisse scribi aevo quod intercessit inter mortem Sophoclis et Aristotelis aetatem? Iophon ille, cui multi haec tribuunt, ut fuerit frigidus et insulsus poeta, at poeta tamen erat, et aliquando dubitari potuit quid patri quid ipsi tribuendum esset, teste Aristophane in Ranarum fabula. Talis vero vir operi paterno non potuit intercalare nugatoria illa *si maritus meus vel filius mortuus esset, ego eos non sepelivissem*, aliaque eiusdem farinae, quae post alios fuse exponere nihil adtinet.

Si vero tam graviter quam puto corruptus est locus, singula Sophoclis verba ut restitui possint vix ulla spes est. Ut tamen indicem quid fere a poeta profectum esse suspicer, ita refingam hos versus ut possum; nexum autem enunciatorum restituere posse mihi videor, sed ipsa vocabula me non praestare quivis intellegit. Expecto igitur haec fere:

καίτοι καλῶς σ' ἔθαψα [1]) τοῖς Φρονοῦσιν εὖ.
οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκος τὸ Φίλτατον,
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐσήπετο,
οὕτω δικαίως τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι τοῦ θανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἂν ἄλλος, Φῶτος εἰ τοῦδ' ἥμπλακον [2]),
μητρὸς δ' etc.

Talia fere Aristotelem in Antigona legisse et probasse arbitror. Quae neque insulsa neque ab argumento aliena esse concedamus

1) Epicum ἔτισα commendare non audeo.
2) *Si vita mihi erepta esset.*

Digitized by Google

necesse est; si quis autem prolixa nimis et frigidiuscula ratus poetam non statim cum drama suum conderet hos versus fecisse contendat sed postmodo inseruisse, cum menti suae obversaretur narratiuncula, quam in opere amici sui Herodoti legisset aut ex recitantis ore sublegisset, ea opinio, in quam pronus sum equidem, neque refelli poterit, nisi fallor, neque ita comprobari ut omnes ad eam necessarie pertrahantur.

Ad Electrae vs. 1143 sqq.

In nobili *ῥήσει* qua fratris Orestis, quem mortuum putat, suamque miseram sortem Electra deflet, haec flagitiose corrupta extant:

οἴμοι τάλαινα τῆς ἐμῆς πάλαι τροφῆς
ἀνωφελήτου, τὴν ἐγὼ θάμ' ἀμφὶ σοὶ
πόνῳ γλυκεῖ παρέσχον· οὔτε γάρ ποτε 1145
μητρὸς σύ γ' ἦσθα μᾶλλον ἢ κἀμοῦ φίλος,
οὔθ' οἱ κατ' οἶκον ἦσαν, ἀλλ' ἐγὼ τροφός,
ἐγὼ δ' ἀδελφὴ σοὶ [1]) προσηυδώμην ἀεί.

In his quaedam minoris momenti sunt vitia; nempe vs. 1144 sq. sive vulgata defendi posse videtur, sive praestat quod suaserunt vidi dd. Fröhlich et Nauck: *τὴν ἔγωγ', ἀδελφέ*, et *πλρεῖχον*, de sententia quidem constat. Sed quae sequuntur nullo modo possunt explicari. Maximam tamen partem iampridem a criticis sunt emendata. Nempe in fine versus 1146 quin pro *φίλος* rescribendum sit *τέκος*, quod proposuit Dindorf, ne punctum quidem temporis dubito, quoniam sententia aperte flagitat vocem, quae *filium, prolem* indicet; posset etiam *βρέφος* proponi, si satis constaret Sophoclem eo vocabulo usum esse. Dicit igitur Electra: *nunquam matris tu magis fuisti filiolus quam meus;* non Clytaemnestrae sed mea proles esse videbaris. Deinde pergit: *neque ancilla aliqua* — quemadmodum Aeschylus in Choephoris vs. 750 sqq. finxerat — *te educavit, sed ego ipsa pro nutrice tibi fui*; videmus arte iungenda esse omnia huius versus vocabula, neque igitur post *ἦσαν* incidendam esse sententiam. Denique addit:

1) In Laurentiano superscriptum est *σῇ*, idque recepit Dindorf, non recte tamen ut mox apparebit.

Digitized by Google

ἐγὼ δ' ἀδελφὴ σοὶ προσηυδώμην ἀεί,

ego semper soror a te vocabar. Itane vero? Libenter sane credimus Electram Orestis sororem esse dictam, sed nugari puellam quae flebili voce id nobis asseveret nemo non videt. Quapropter fuit cum ἐγὼ τιθήνη tentarem, postea autem vidi Morstadtum ἔγωγε τίτθη coniecisse; quae tamen vocabula post τροφός mire languent, nam quale discrimen quamve gradationem interesse dicemus? Multo melius, atque optime adeo quod ad sententiam, Nauck proposuit ἐγὼ δὲ μήτηρ, attamen audaciorem aequo esse hanc coniecturam ipse non negabit; quod autem praeterea pro adverbio ἀεί tentavit πάσι, id fortasse non fecisset si prior trimetri pars integra ad nos pervenisset. Nempe soror dicit: ego *semper, identidem, perpetuo* a te vocari solebam .... quid? *Matercula tua*, opinor. Quod quo verbulo puer Orestes indicare potuerit si scire cupimus, alios pueros ut interrogemus auctor sum. Et quoniam in scena Sophoclea fieri id nequit — is enim puerulos loquentes vel cantantes non introduxit —, adeamus Euripidem, apud quem Eumelus matrem immatura morte sibi ereptam ita luget:

ἰώ μοι τύχας· μαῖα δὴ κάτω
βέβακεν (Alcest. 394 sq.).

En quam requirimus vocem, μαῖα: hoc in puerorum lingua est abblandientis vel vocantis verbulum. Estne autem magnae audaciae in Sophoclis textum id invehere? Vide quantillum intersit inter litteras

ΔΕΑΔΕΛΦΗ

et ΔΕ ΜΕΑ sive ΔΕΜΑΙΑ.

Confidenter igitur rescribo:

οὔτε γὰρ ποτε
μητρὸς σὺ γ' ἦσθα μᾶλλον ἢ κἀμοῦ τέκος,
οὔθ' οἱ κατ' οἶκον ἦσαν ἀλλ' ἐγὼ τροφός,
ἐγὼ δὲ „μαῖα" σοὶ προσηυδώμην ἀεί.

Quicquid requirebas. — ut centena quotidie requirunt infantuli, — non matrem Clytaemnestram unamve aliquam ex ministrarum caterva tu vocabas, sed me, quae unice dilecta tibi eram, implorare, me materculam tuam balbo ore appellare solebas.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Relegenti mihi nescio quota vice Troiani belli scriptorem complures mihi novae natae sunt *ἀπορίαι*, quas solvere conatus sum. Tam de his quam de veteribus quibusdam pauca scribam.

Γ 273 *ἀρνῶν ἐκ κεφαλῆς* (-*λέων* codd.) *τάμνεν τρίχας*.

Papyrus Mus. Brit. CXXV collatus a Kenyone habet *τάμεν*, unde collato vs. 282 *ἔταμεν* coniecerit quispiam. At in talibus poetam pro lubitu utrovis tempore uti cum alia plurima tum quae in huius ipsius loci vicinia leguntur abunde docent, et vetus illud manuscriptum, ut apparet e reliquis omnibus novis lectionibus, quas inde Kenyon protulit, adeo malum est ut prorsus nulla sit eius auctoritas.

Γ 373 *καί νύ κέ τ' ἐξερέρυσσε καὶ ἄσπετον ἤρετο κῦδος*.

Editores Lugdunenses hic commendatam a Nauckio lectionem Aristophaneam *ἐξείρυσσε* receperunt, idem facere neglegentes loco gemino Σ 165, „quod ibi parum apta sit contextui praepositio." Vix puto, sed, utut est, uterque locus eodem modo tractandus esse videtur, nam si quis alius *ταὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν* dicere solet Homerus. Necessariam quidem praepositionem esse dubito propter Ρ 635, 713; sed *εἰρύειν* pro *ῥερύειν* ferri non posse lubenter concedo.

Δ 465 *εἶλκε δ' ὑπ' ἐκ βελέων, λελιημένος ὄφρα τάχιστα*
τεύχεα συλήσειε.

Ita praeeuntibus Alexandrinis volgo distinguitur. Cf. schol. A. Sed nescio an multo rectius Doederlein virgulam transposuerit

Digitized by Google

ante ὄφρα, ut absolute dictum sit *studiose*, *alacriter*, quemadmodum μεμαότες B 818, quia *cupiendi* verba infinitivum postulant nec admittunt structuram cum coniunctione finali. Quod si ita est, eadem correctio adhibenda est E 690, ubi id facere neglexit Doederlinus.

Δ 473 Ἔνθ' ἔβαλ' Ἀνθεμίωνος υἱὸν Τελαμώνιος Αἴας
ἡίθεον θαλερόν, Σιμοείσιον, ὅν ποτε μήτηρ
Ἴδηθεν κατιοῦσα παρ' ὄχθῃσιν Σιμόεντος
γείνατ' ἐπεὶ ῥα τοκεῦσιν ἅμ' ἕσπετο μῆλα ἰδέσθαι.

Naber noster, cuius ingenio et doctrinae plurima debet crisis Homerica, hoc quidem loco mihi non persuasit nuper Mnem. 1891, pag. 298 corrigens νομεῦσιν pro τοκεῦσιν. Quid enim? Fallorne an νομήων olim erat, ut est hodie, νομεύειν itaque perpetuo comitari greges, ἰδέσθαι contra possessorum, qui interdum spectatum veniant, εἰ εὐθενεῖ τὰ ποίμνια? Quare τοκεῦσιν unice probandum esse arbitror. Filiam autem parentes greges visentes comitatam esse nihil est quod miremur. Parum vero grave argumentum esse quod idem vocabulum primum de matris deinde de Simoisii parentibus usurpatum est, ita vero ut nihil sit in ea re obscuri, facile mihi ipse Naberus concedet.

Δ 527 τὸν δὲ Θόας Αἰτωλὸς ἐπεσσύμενον βάλε δουρί.

Schol. A Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ ᾱ ἀπεσσύμενον, ἀπιόντα τὸν Πείρωα· ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ (i. e. τῇ ὑστέρᾳ, ni fallor) ἐπεσσύμενος, ἵνα ἐπὶ τοῦ Θόαντος λέγηται. ἄτοπος δὲ τέλεον ἡ Φερομένη ἐπεσσύμενον. Est autem ea lectio hodieque in melioribus libris, etiam in papyro Mus. Brit. CXXXVI verso teste Kenyone pag. 97. Nec mihi valde placet, licet non cum Aristarcho τελέως ἄτοπον aut cum editoribus Batavis *absurdam* vocaverim. Pirous Thracum dux Diorem Graecum eminus letali volnere straverat, deinceps ἐπέδραμεν et cominus hastae ictu confecit, tum supervenit Thoas Aetolus ipsumque victorem trucidat. Iam ἐπεσσύμενον non sane potest significare *irruentem in Diorem*, quia ita huic novum illud volnus infligere non potuisset, sed non plane exclusa est haec interpretatio: *hunc Thoas Aetolus irruentem* (in se ipsum sc.) *hasta percussit*. Paullo tamen artificiosiorem esse concedo, itaque fortasse praeferenda est altera

Digitized by Google

Aristarchi lectio, quam a Nauckio receptam esse video, *ἐπεσσύμενος*. Tam hoc quam illo modo facillime intellegitur volneris ratio, nam Thoas Piroi *στέρνον ὑπὲρ μάζοιο* ferit, unde hunc adversum ei stetisse scimus (cf. si opus est Θ 118 sq.), contra si *ἀπεσσύμενος* verum esset, aut alterum utrum latus aut tergum Piroi sauciatum fuisset. Quod senserat, nisi fallor, ipse criticus Alexandrinus ideoque in altera editione meliore consilio dedit *ἐπεσσύμενος*.

Z 251 *ἔνθα τοι ἠπιόδωρος ἐναντίη ἦλυθε μήτηρ,*
Λαοδίκην ἐσάγουσα, θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην.

Data optione inter editorum Lugd. coniecturam *ἅμ' ἄγουσα* et *καλέουσα*, quod nuperrime proposuit Naber, equidem illam praetulerim, quia magis convenit Homeri consuetudini, qui haud raro quis quem comitetur commemorat. Neutra tamen prorsus mihi persuadet et potius inclino in eam partem ut spurium versum existimem, confictum ope loci Γ 126.

Z 285. E lectione Aristarchea *ἄτερ που* leniter sane Naber fecit *ἀΦέρτου*, sed neque lenius quam Platt *ἀτερπέ'* et longe minus probabiliter, quia *ἀτερπής* est vox Homerica quatuor locis obvia, *ἄΦερτος* contra tragica, quae non magis quam *Φερτός* epicorum usu stabilitur. Est autem horum poetarum sermo tam dives ut in emendando Homero a vocabulis aliunde petitis abstinendum esse habeam persuasissimum. Praeterea Zenodoteum ΗΤΟΡ litteras T et P recte traditas esse confirmare videtur. Ii autem critici Alexandrini qui iure vituperati ab Aristarcho scribebant *ἀτέρτου ὄἰζύος* gravissimum sane, sed non graviorem errorem commiserunt quam omnes ii qui ante Nauckium sine offensione in textu Homerico tolerarunt *ἐυτείχεον* pro *ἐυτειχέα* aut *ἔνορχα* pro *ἐνόρχια*, quo de infra videbimus.

In docta Naberi commentatione Homerica Mnem. XIX pag. 293 sqq. permulta reperiuntur singularis acuminis documenta, quae quo magis admiror eo acrius refutanda puto quae speciosius quam verius vir ingeniosus coniecisse videtur. Huc pertinet locus E 395

τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀιστόν

ubi ego primus, ni fallor, observavi ΘΝΤΟΙCΙ vitiosum esse.

Digitized by Google

Conieceram *ἐπὶ τοῖσι praeterea*, quod quamvis sublanguidum esse sentirem confidentius proponebam, quo magis mihi universi loci ratio persuadebat versus 385—404 a poeta nec valde antiquo neque praestanti interpolatos esse. Iam vero Naber certum esse putat vitiosam scripturam celare *ἐνέροισι*, id monstrare autumans O 188

Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισι ἀνάσσων.

At ibi dativum suspensum esse a verbo *ἀνάσσειν* nec Naber ignorat nec alius quisquam, sed demonstrandum fuerat, quod demonstrari nequit, *ἐνέροισι* Graece dici potuisse pro *ἐν ἐνέροισι*, pro qua opinione nemo, sat scio, afferet notum illum usum, quo dicitur v. c. *πεδίῳ* pro *ἐν πεδίῳ*. Aliud igitur quam *ἐνέροισι* latere certum est. Sed vide quaeso quam parum Homerice, ne quid gravius dicam, totus versus scriptus sit. Leve videri potest, quamquam leve non est, quod bellatorum heroum et ipsius Martis epitheton Plutoni tribuitur, sed quam inepte dictum est *τλῆ — διστόν* pro *ἄλγος ἀπ' διστοῦ*. Praeterea post praegressa (385 et 397) *τλῆ μὲν Ἄρης* et *τλῆ δ' Ἥρη* sequi debuerat *τλῆ δ' Ἀΐδης* absolute positum sine obiecto. Homericum sonasset versus sic compositus:

τλῆ δὲ ἄναξ ἐνέρων, κομίσας χροῒ ὠκὺν διστόν,
(εὖτέ μιν αὐτὸς ἀνὴρ, υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο
ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκε).

Non magis mihi persuasit amicus, H 122 coniecturam suam *γηθοσύνου*, quae Menelaum nihil tale meritum infamia aspergit, praestare librorum lectioni *γηθόσυνοι θέραποντες*, quos dilecti principis vitae metuentes huic Agamemnonis consilio obsequi quid quaeso improbabile habet aut absonum? Lubens eidem largior mirabilem esse formam *πῆχθεν* pro *πάγεν* Θ 298

πάντες δ' ἐν χροῒ πῆχθεν ἀρηιδόων αἰζηῶν

sed non nisi exemplo convictus concedam sermonis proprietatem permittere ut iungamus ex ipsius coniectura *ἐν χροῒ ἤφθεν*, quia verbum *ἅπτεσθαι* regit genetivum, sin vero iunctum voluit *ἤφθεν — αἰζηῶν*, verba *ἐν χροῒ* turpiter abundant. Relinquendum esse *πηχθῆναι* poetis Byzantinis (apud hos equidem non repperi) ait Naber, sed Byzantinus non est Euripides, qui in Cyclope scripsit vs. 302:

οὐκ ἀμφὶ βουτόρσισι πηχθέντας μέλη

Digitized by Google

ὀβελοῖσι νηδὺν καὶ γνάθον πλῆσαι σέθεν.

quem locum ne a Schmidtio quidem tentatum reperio. Quam autem aptum sit in versu Homerico verbum πηγνύναι plurimi loci testantur, ut Δ 185, 447, 528, Ε 616, Θ 95, Ν 372, 442, 570' Θ 315, 650, Υ 486, Χ 383, alii multi.

Eodem pertinet locus Λ 678

πεντήκοντα βοῶν ἀγέλας, τόσα πώεα μήλων
τόσσα συῶν συβοσία, τόσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν

ubi metri necessitas poetam coegit vocalem iota producere, ut producitur in ὑπεροπλίῃσι, ὑποδεξίη, ἀκομιστίῃ aliis bene multis, licet nullum aliud mihi innotuerit exemplum, ubi ut hic tale vocabulum proceleusmatici habeat mensuram. Memor eorum quae Naber pag. 304 scripsit de Nauckii erga Cobetum humanitate non repetam quo pacto amicus loco laboranti, ut ipsi videtur, subvenire voluerit. Sed quis tandem infirmitati humanae exemtus omni hora sapit?

Difficilius est iudicium de loco Ξ 454

οὐ μὰν αὖτ' ὀΐω μεγαθύμου Πανθοΐδαο
χειρὸς ἄπο στιβαρῆς ἅλιον πηδῆσαι ἄκοντα,
ἀλλά τις Ἀργείων κόμισε χροΐ, καί μιν ὀΐω
αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἄιδος εἴσω.

De loci sententia satis constat, sed Naber offensus voce αὐτῷ sensu pronominis personalis adhibita coniecit ξυστῷ. Num vero ξυστόν appellare liceat ἄκοντα dubito, siquidem reliquis locis ubi ξυστόν apud Homerum occurrit Δ 469, Λ 260, 565 cominus eo pugnatur, quod etiam per se probabile est, quia hasta et iaculo longius fuisse videtur. Cf. Ο 388 et Ν 497. Accedit quod id vocabulum ubique in secunda thesi reperitur. Quare si quid novandum putarem, scripserim potius τούτῳ, quod etiam lenius substitueretur. Sed enim tot sunt loci Homerici, quibus novitius ille quem crepant usus apparet, ut nihil mutare longe satius esse videatur.

Iis qui litteram Aeolicam verbo ἰδεῖν apud Homerum ubique vindicant multum negotii fecit facitque quod Π 231 et Ω 307 apparet εἰσανιδών. Priore loco est

λεῖβε δὲ οἶνον
οὐρανὸν εἰσανιδών

ubi Naber, aspernatus Bentlei coniecturam εἰσορόων (-άων), minus

Digitized by Google

feliciter coniecit ἄντα ἰδών, collato P 526 ἀλλ' ὃ μὲν ἄντα ἰδὼν ἠλεύατο χάλκεον ἔγχος, qui ipse versus saepe in Iliade repetitus virum praestantissimum a tali coniectura deterrere debuerat. Constanter enim ἄντα ἰδεῖν usurpatur de iis quae *ex adverso* sive *e regione* sibi oblata aliquis conspicit, neque igitur de coelo, εἰς ὃν ἀναβλέπομεν, satis apte usurpari posse videtur.

Peringeniosa est Naberi coniectura Ω 659

τὸν δ' ἐπικερτομέων προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς

ubi quam absurdum sit illud participium ego prius ostendi, coniciens ἐπεὶ ἐκτέλεσαν, *postquam* socii et ancillae, quos Achilles Priamo lectum parare iusserat, *id perfecerant*. Ibi nunc Naber propius ad traditam lectionem coniecit ἐπὶ καρπῷ ἑλών, quamvis aperte loci, quem confert e sequentibus (671)

ὡς ἄρα φωνήσας ἐπὶ καρπῷ χεῖρα γέροντος
ἔλλαβε δεξιτερήν, μή πως δείσει' ἐνὶ θυμῷ,

alia ratio est, si quidem ibi quo consilio Achilles sic agat additur μήπως δείσει' ἐνὶ θυμῷ, et, quod gravius est, non intellegitur, cur poeta, si iam vs. 649 Achilles ἐπὶ καρπῷ εἷλε Priamum, idem vs. 671 repetat. Quare haec suspicio, quantumvis ingeniosa, mihi quidem non ita certa videtur atque eius auctori. Sed quod dixi, permulta in Naberi commentatione reperiuntur, in quibus me habet prorsus assentientem.

Η 24 τίπτε σὺ δ' αὖ μεμαυῖα, Διὸς θύγατερ μεγάλοιο,
ἦλθες ἀπ' Οὐλύμποιο, μέγας δέ σε θυμὸς ἀνῆκε;
ἦ ἵνα δὴ Δαναοῖσι μάχης ἑτεραλκέα νίκην
δῷς; ἐπεὶ οὔ τι Τρῶας ἀπολλυμένους ἐλεαίρεις.

E duabus coniecturis ab editoribus nostratibus propositis δώῃς; οὐ γὰρ et δώῃς; οὔ τι ut leniorem alteram longe praefero, ita tamen ut (positiva enim sententia languet) per interrogationem scribatur

δώῃς; οὔ τι Τρῶας ἀπολλυμένους ἐλεαίρεις;

quales quaestiones exclamatorias Homero in deliciis esse nemo ignorat.

Η 310 καί ῥ' ἦγον προτὶ ἄστυ, ἀελπτέοντες σάον εἶναι.

Antehac de hoc loco disputans putabam primitivam huius versus formam fuisse

Digitized by Google

καί ῥ' ἦγον προτὶ ἄστυ ἀελπέα ἀσπάσιόν τε.

nunc, quia verbum ἀελπτέω recte formatum est, probabilius puto fuisse:

καί ῥ' ἦγον προτὶ ἄστυ ἀελπτεόντων σάον εἶναι

aut si minus placeat talis genetivus, ἀελπτέουσιν. Qui enim in urbe manserant, hi optime dici poterant *desperare Hectoris salutem*. Ceterum ii qui contractionem aut synizesin Homero abiudicant versus 310—312 minime necessarios recentiori poetae tribuere poterunt.

Θ 305 καλὴ Καστιάνειρα, δέμας ἐικυῖα θεῇσι.

Expectes potius Κασσιάνειρα, ut Κασσάνδρη, Κασσιόπεια, Κασσιέπεια. Sed cf. Κάστωρ, Ἐπικάστη, Ἰοκάστη, Μηδεσικάστη, quae cum nomine Κάδμος omnia formantur a radice καδ, unde verbum καίνυμαι, κέκασμαι. Itaque fortasse triplex fuit eiusdem nominis forma Καστιάνειρα, [Κασσιάνειρα], Κασσάνδρη.

I 17 = B 79

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἀάτῃ ἐνέδησε βαρείῃ.

Dignissima est quae in textum recipiatur Aristarchi lectio μέγας, nimis enim incommode μέγα iungitur cum ἐνέδησε aut cum βαρείῃ.

I 182. Dualem numerum hic et saepius in sqq. argumento esse in pristina Iliade duos tantum ad Achillem missos esse legatos verissime observatum est. Praeterea vero cadit in oculos Phoenicem ad Achillem mitti non potuisse, quippe quem cum Patrocle et Myrmidonibus alumni sui partes secutum in eius tabernaculo mansisse probabile foret.

K 5 ὡς δ' ὅταν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠυκόμοιο,
τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον ἠὲ χάλαζαν
ἢ νιφετόν, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας,
ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο,
ὥς πυκίν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστενάχιζ' Ἀγαμέμνων.

Non aliter legisse Aristarchum testatur scholium A: ἡ διπλῆ, ὅτι παραβάλλει τὸν στεναγμόν, ὡς δ' ὅταν ..., οὕτως καὶ ἡ τοῦ Ἀγαμέμνονος ψυχὴ ἐστενάχιζεν. καθ' ἕκαστα δὲ οὐκ ἐπεξείργασται, διότι οὔκ ἐστι πρὸς ἅπαντα ἡ εἰκών. Hoc sane

Digitized by Google

in comparatione Homerica nemo requirat, sed optimo iure requirimus ut apta et perspicua sit imago. Sonitus cum sonitu comparari potest, itaque intellegeremus, si poeta cum gemitu Agamemnonis comparasset *tonitru*, licet risum moveret talis comparatio et Homerus ψολόεντα vocet κέραυνον, non στονόεντα, quod sibi quantumvis inepte permisit Quintus Smyrnaeus II 381. Sed quid quaeso cum gemitu commune habet *fulgur*? Propterea igitur ipsum tertium quod dicitur comparationis iam olim oblitteratum esse suspicor; id vero nihil aliud fuisse quam *frequentiam* qua Iuppiter fulguret gematque dux Graecorum non suspicor, dico, sed scio; ipse enim Doloniae auctor aperte indicavit dicendo

ὥς πυκίν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστενάχιζ' Ἀγαμέμνων.

Dederat ergo, si quid video, priscus cantor, non ὡς δ' ὅτε κε, ut pro ὅταν reposuerunt nostrates, sed:

ὡς δὲ πύκ' ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠυκόμοιο.

Ad πύκα = πυκινά cf. I 588

πρίν γ' ὅτε δὴ θάλαμος πύκ' ἐβάλλετο.

K 468 μὴ λάθοι αὖτις ἰόντε θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν.
τὼ δ' ἐβάτην προτέρω διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα,
αἶψα δ' ἐπὶ Θρῃκῶν ἀνδρῶν τέλος ἵξον ἰόντες.

Sine sententiae damno vs. 469 abesse potest, et suspicetur forsan aliquis verba διὰ νύκτα μέλαιναν provocasse ad eum fingendum interpolatorem nescio quem memorem pulcherrimorum versuum K 297 sq.:

βὰν δ' ἴμεν' ὥς τε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν,
ἀμ φόνον, ἂν νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.

Nihil vero obstat quominus statuamus ipsi Doloniae auctori tantopere placuisse verba sonora, ut felicissimo invento iterum uteretur. Sed manifestum tenemus falsarium, qui olim convictus ab Aristarcho Ψ 806 ineptissime indidem interpolavit versiculum, quem recte in marginem relegarunt nostrates

ψαύσῃ δ' ἐνδίνων διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.

Cui ingeniosius quam verius me iudice nuper Naberus opem ferebat coniectura ἔγκατα. Saepissime enim prorsus ἀδιανόητα interstrepere absurdam interpolatorum nationem satis superque novimus.

Digitized by Google

N 346 Ζεὺς μὲν ἄρα Τρώεσσι καὶ Ἕκτορι βούλετο νίκην,
κυδαίνων Ἀχιλῆα πόδας ταχύν.

Propter praegressum βούλετο malim κυδανέων, ut honoraret. Dubito enim num praesentis participium satis tueatur subsequens ἀλλὰ θέτιν κύδαινε, quia imperfecto voluntatis notionem saepe inesse novimus.

N 737 Τρῶες δὲ μεγάθυμοι, ἐπεὶ κατὰ τεῖχος ἔβησαν,
οἳ μὲν ἀφεστᾶσιν σὺν τεύχεσιν, οἳ δὲ μάχονται
παυρότεροι πλεόνεσσιν κεδασθέντες κατὰ νῆας.

Perfelici coniectura huic loco nuper vitam reddidit Naber corrigendo ὄχεσφιν. Notabilis vero hic obtinet breviloquentia. Verba enim ἐπεὶ κατὰ τεῖχος ἔβησαν manifesto significant „postquam *pars eorum* moenia transgressa est".

O 735 ἠέ τινάς Φαμεν ἔμμεν' ἀοσσητῆρας ὀπίσσω
ἠέ τι τεῖχος ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;

Iam antiquitus fuit inter Alexandrinos controversia, essetne ἄρειον habendum pro comparativo = βέλτιον, an pro positivo = ἀρήιον, *Mavortium*. Pro comparativo habuit Vergilius quoque Aen. IX 781

Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?

Recentiores philologi, exceptis paucis in quibus Heynius et Bothius, ἄρειον *mavortium* interpretati sunt eorumque iudicio calculum suum adiecerunt editores nostrates. Laborat tamen, ni fallor, ea sententia gravissima difficultate. Nempe qui ἄρειον pro ἀρήιον scribere potuit contra constantem Homeri et priscae aetatis usum, is poeta admodum recens fuerit necesse est, attamen quo tandem pacto pro recenti poeta haberi is potest, qui illo sensu vocem usurpans manifeste nondum novit murum a Graecis extructum in libro H itaque antiquiorem quam qua nos utimur Iliadis formam cognovit? Habet praeterea nescio quid quaesiti Mavortius ille murus et longe simplicior et πιθανωτέρα me iudice est haec vetus interpretatio:

An aliquos putamus esse adiutores a tergo?
aut aliquem murum firmiorem (eo scil. qui nunc cecidit)?

ἄρειος autem de *rebus* quoque recte dici docent loci Homerici T 33, ζ 182, ψ 286.

Digitized by Google

Maiorem sanequam exhibet interpretibus molestiam alter locus itidem controversus Δ 405 sqq., ubi Sthenelus Agamemnoni, qui Tydei, prioris belli Thebani duci virtutem Diomedis ignaviae opposuerat, respondet:

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι·
ἡμεῖς καὶ Θήβης ἕδος εἵλομεν ἑπταπύλοιο,
παυρότερον λαὸν ἀγαγόνθ' ὑπὸ τεῖχος ἄρειον.

Attamen hic quoque non deest quod ad comparativum tuendum afferri possit. Negari enim nequit vim verborum non mediocriter augeri interpretatione *pauciores viros ducentes sub* (adversus) *murum firmiorem*, nec vero neglegendum nos veteres illas fabulas Thebanas epicorum poetarum auditoribus notissimas nimis imperfecte nosse quam ut praefracte negare nobis liceat, Thebanos novo imminente bello urbis suae moenia firmius munivisse.

Quaestionem impeditam esse minime nego, sed argumentum e sermonis epicae ratione petitum adeo firmum mihi videtur, ut quin *ἄρειον* utrobique comparativus sit non dubium esse existimem.

Ο 743 *ὅς τις δὲ Τρώων κοίλῃσ' ἐπὶ νηυσὶ Φέροιτο*
σὺν πυρὶ κηλείῳ, χάριν Ἕκτορος ὀτρύναντος.

Locus notabilis, quia nusquam alibi in Homericis apparet adverbialis usus accusativi *χάριν*, unde fere suspiceris quatuor ultimos huius libri versus ab interpolatore adiectos esse. Ita minus offenderet ignavum illud *οὗτα*, quo liber terminatur. Si tamen versus genuini sunt, valde probabilis videtur Naberi coniectura *ἕκτα*, cl. Σ 230. — Miror autem nostrates, contractis vocalibus infestissimos, neque hic neque alibi Nauckii exemplo *κοῖλος* scripsisse, cui rationi praeter metrum, quod praeterquam χ 385 nusquam *κοῖλος* postulat, mire favet Latina vox *cavus* = *κόϝιλος*. Cf. Curt. Etym. 157, Nauck Bull. de l'Ac. Pet. V 476 sqq., alii.

Π 76 *οὐδέ πω Ἀτρεΐδαο ὀπὸς κλύον αὐδήσαντος*
ἐχθρῆς ἐκ κεφαλῆς· ἀλλ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Τρωσὶ κελευόντος περιάγνυται.

Facilius intellegerem *περιηχέει* aut *περιαάχει*, quia vox *undique fracta* minus clarum sonare videtur, et contrarium loci ratio

Digitized by Google

suadet. De voce saxis fracta et sic repercussa in media planitie cogitari non posse vix est quod moneam, neque multum huic loco praesidii est in Scuto Herculis 278 sq.

ταὶ μὲν ὑπὸ λιγυρῶν συρίγγων ἴεσαν αὐδὴν
ἐξ ἀπαλῶν στομάτων, περὶ δέ σφισι ἄγνυτο ἠχώ

ubi nescio an ἠχή sit vera lectio. In loco Iliadis interpretando aliorum sive consilium sive auxilium expecto.

Π 179 τῆς δ' ἑτέρης Εὔδωρος ἀρήιος ἡγεμόνευε
παρθένιος, τὸν ἔτικτε χορῷ καλὴ Πολυμήλη,
Φύλαντος θυγατήρ· τῆς δὲ κρατὺς Ἀργεϊφόντης
ἠράσατ' ὀφθαλμοῖσι ἰδὼν μετὰ τελπομένῃσι
ἐν χορῷ Ἀρτέμιδος χρυσηλακάτου κελαδεινῆς.

Tradita lectio χορῷ mihi quidem perinepta esse videtur. Fac enim χορῷ significare posse ἐν χορῷ, ita Polymele aut in choro filium peperit, quod absurdum, aut pulchra erat in choro, quod multum dubito num Mercurio suffecisset; fac vero χορῷ significare *saltatione*, *in saltando:* is qui ita scripsit, peccavit contra constantem Homeri usum, cui χορός dicitur tantum *locus ubi saltatur*; neque vero ullus exstat locus Homericus, quo probemus χορῷ καλή significare posse καλλίχορος, ut locum explicat schol. A. Homines Homerici constanter audiunt καλοί, numquam addita voce qua indicetur, quid genus pulchritudinis poeta voluerit, nec mirum, quia semper corporis forma, non aptitudo aliqua aut elegantia eo epitheto significatur. Ne multa: vix dubito quin χορῷ originem debeat sequentibus et poetae reddi oporteat:

τὸν ἔτικτε θεῷ καλὴ Πολυμήλη.

Ad dativum de patre usurpatum cff. Β 531, 658, Ζ 22, 196, Ξ 322, Π 150, 175, Υ 385, Ω 497, al. Vide et ipsa praegressa 175 ὃν τέκε — γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Π 787 ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλ', ἐφάνη βιότοιο τελευτή·
ἤντετο γάρ τοι Φοῖβος ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ
δεινός κτἑ.

Alterum τοι, nostram loquendi consuetudinem si spectamus, optime habet; nescio tamen an minus ei faveat Homeri usus,

Digitized by Google

qui prosopopoeam adhibens statim ad tertiam personam reverti solet. Ita Patrocleae auctor vs. 584 sqq.:

ὡς ἰθὺς Λυκίων, Πατρόκλεες ἱπποκέλευθε,
ἔσσυο καὶ Τρώων, κεχόλωσο δὲ κῆρ' ἑτάροιο.
καί ῥ' ἔβαλε Σθενέλαον, Ἰθαιμένεος φίλον υἱόν
αὐχένα χερμαδίῳ, ῥῆξεν δ' ἀπὸ τοῖο τένοντας.

et 692 sqq.:

ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δεύτατον ἐξενάριξας
Πάτροκλος, ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν;
Ἄδρηστον μὲν πρῶτον — — — — —
— — — — — — — — — —
τοὺς εἶλ'· οἱ δ' ἄλλοι Φύγαδ' ἐμνάοντο ἕκαστος.

Ad eandem normam hic expectes:

ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλ', ἐφάνη βιότοιο τελευτή·
ἥντετο γάρ τοι Φοῖβος ἐνὶ πρατερῇ ὑσμίνῃ κτέ.

P 381 τὰ δ' ἐπισσομένῳ θάνατον καὶ Φύζαν ἑταίρων
νόσφιν ἐμαρνάσθην.

Rectissime haec verba explicat prius scholium B, sed posterius προσρύμενοι καὶ προσδοκῶντες μήτε ἀποθνήσκειν τοὺς ἑταίρους μήτε φεύγειν, ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἔμενον τάξεως testatur olim exstitisse perversissimam lectionem οὐδ' ἐπισσομένῳ.

T 183 dicit Agamemnon

ταῦτα δ' ἐγὼν ἐθέλω ὀμόσαι, κέλεται δέ με θυμός,
οὐδ' ἐπιορκήσω πρὸς δαίμονος· αὐτὰρ Ἀχιλλεύς
τῆος μιμνέτω αὖθι, ἑπειγόμενός περ Ἄρηος.

Quamquam Homerus non ἐπισσεῖν sed ἐπίσσυα ἰωνύναι dicere solet, hoc ferendum ducerem, modo expedire possem rationem grammaticam qua vocabula πρὸς δαίμονος cum verbo ἐπιορκήσω iuncta sunt. Constanter enim Graeci deos per quos iurant aut peierant ponunt in accusativo, formulam πρὸς θεῶν, Διός, Ἀπόλλωνος, sim. iungentes cum verbis *orandi* et *obsecrandi*. Vereor igitur ne gravis hic lateat corruptela, quam tollere nequeo. Epicum sonaret v. c.

ἔρκεα δ' εὖτε ἐπίορκα ἐμόσσαμαι κτέ.

sed nihil reperio. Quaerat alius.

Digitized by Google

Φ 126 *θρῴσκων τις κατὰ κῦμα μέλαιναν Φρίχ' ὑπαΐξῃ*
ἰχθύς, ὅς κε Φάγῃσι Λυκάονος ἀργέτα δημόν.

Cum *ὅς κε Φάγῃσι* nihil aliud significare possit quam *qui ederit*, sententia vero aperte postulet *ut edat*, dubium non est quin recte Aristophanes legerit *ὥς κε Φάγῃσι*.

Φ 161 *ὣς Φατ' ἀπειλήσας, ὁ δ' ἀνέσχετο δῖος Ἀχιλλεύς*
Πηλιάδα μελίην· ὁ δ' ὁμαρτῇ δούρασιν ἀμφὶς
ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν.

Videatur de hoc loco Lugdunensium editorum annotatio. Coniecturis accedat haec mea:

ὁ δ' ὁμαρτῇ δοῦρ' ἴει ἄμφω

ut recipiatur *ἄμφω* e libro Massiliensi.

Difficultas quae est in *περιδέξιος*, quod pro *ἀμφιδέξιος* usurpari non potuisse credo cum illis, remota foret scribendo

ἥρως Ἀστεροπαῖος, ὃς ἀμφὶς δεξιὸς ἦεν

nisi iusto violentior videretur tanta mutatio et parum eleganter duo versus cum spondeo ante caesuram bucolicam sese exciperent.

Φ 282 *ἐρχθέντ' ἐν μεγάλῳ ποταμῷ.*

Crates in scholiis Genevensibus (ed. Nicole), qui *εἰλθέντ'* (debebat saltem *ἐλθέντ'*) legebat e nono Solonis axone hanc legem attulit: *ἐξούλης· ἐάν τις ἐξίλλῃ, ὅταν τις δίκῃ νικήσῃ, ὁπόσου ἂν ἄξιον ᾖ, καὶ τῷ δημοσίῳ ὀΦλανῇ καὶ τῷ ἰδιώτῃ, ἑκατέροις.* Pro *ὀΦλανῇ* Nicole correxit *ὀΦλανεῖ*, quod quia syllaba *ϝν* non facit radicis partem barbarum est. Futurum, quod nemo ignorat, est *ὀΦλήσει*, praesens *ὀΦλ[ισκ]άνει*, quod fortasse restituendum. Quod ad *εἰλθέντ'* (*ἐλθέντ'*?) attinet, Homerum in Passivo adhibere tantum aoristum secundum *ἐράλην* norunt omnes.

Φ 477 *ἄντα Ποσειδάωνος ἐναντίβιον πτολεμίζειν.*

In hoc versu cum duobus praegressis haud temere suspecto Aristarcho parum eleganter copulantur *ἄντα* et *ἐναντίβιον*, sed longe peius est quod hoc fortasse loco confisus commisit Quintus Smyrnaeus I 130 sq. scribens:

καί μιν ἐποτρύνεσκε ποδάρκεος ἄντ' Ἀχιλῆος
θαρσαλέως μάρνασθαι ἐναντίον· κτέ.

Digitized by Google

Nam in ἐναντίβιον additur βίας saltem notio, sed ἄντα et ἐναντίον plane idem significant.

Φ 482 χαλεπή τοι ἐγὼ μένος ἀντιφέρεσθαι
ταξιφόρῳ περ ἰούσῃ, ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶ
Ζεὺς θῆκεν.

Depravatum esse λέοντα iure monuerunt editores nostrates. Medelam circumspiciens nihil aptius reperio quam

ἐπεί σέ γε πῆμα γυναιξὶ
Ζεὺς θῆκεν.

Cff. Γ 5, 160, Δ 347, Ζ 282, Κ 453, Χ 288, 431, δ 668, μ 125, ρ 446 et ad locutionem πῆμα τιθέναι Λ 413, Ο 721, λ 555.

Χ 297 ὦ πόποι, ἦ μάλα δή με θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν·
Δηίφοβον γὰρ ἐγώ γ' ἐφάμην ἥρωα παρεῖναι·
ἀλλ' ὃ μὲν ἐν πύργῳ, ἐμὲ δ' ἐξαπάτησεν Ἀθήνη.

Qui tandem Hector scire potuit deum, qui sumta Deiphobi forma ipsum deceperat, esse Minervam? Nonne Ἀθήνη est vetus interpretamentum, et Homero reddendum:

ἀλλ' ὃ μὲν ἐν πύργῳ, ἐμὲ δ' ἐξαπάτησε θεῶν τις
aut — ἐμὲ δ' ἐξαπάτησ' ἄρα δαίμων?

Χ 490 ἦμαρ δ' ὀρφανικὸν παναφήλικα παῖδα τίθησιν,
πάντα δ' ὑπεμνήμυκε, δεδακρύαται δὲ παρειαί κτέ.

Leguntur hi versus in loco spurio 487—494, quem recte Lugdunenses Aristarcho aliisque obsecuti relegarunt in marginem. Misere autem depravata esse verba πάντα δ' ὑπεμνήμυκε sive ὑπομνήμυκε olim intellectum est, nec tamen coniectura veram lectionem quisquam hucusque assecutus est. Mihi quidem contextus ratio suadere videtur

πᾶς δ' ὑπό μ⟨ι⟩ν ἤλυξε, δεδάκρυαται δὲ παρειαί.

Unusquisque eum evitat. Pronominis μιν in arsi producti alia exstant exempla, quae tamen num satis certa sint aliquando dubitavi.

Ψ 48 ἀλλ' ἦ τοι νῦν μὲν στυγερῇ πειθώμεθα δαιτί.

Si vera est Aristarchi lectio πειθώμεθα, pro δαιτὶ expectatur γαστρί, quod cl. η 216 sqq. coniecit Peppmüller, sed nescio fere

Digitized by Google

an praeferenda sit altera lectio τερπώμεθα δαιτί, quia enim τέρπεσθαι Homero est *satiari*, epitheton στυγερῇ huic lectioni non obstat.

Ψ 147 πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν.
Forma ἔνορχος pro ἔνορχις merito suspecta est Nauckio. Vide num scribendum sit:

πεντήκοντα δέ τ' αὐτόθ' ἐνόρχια μῆλ' ἱερεύσειν.

Ψ 180 πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω τὰ πάροιθεν ὑπέστην.
δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς,
τοὺς ἅμα σοι πάντας πῦρ ἐσθίει·

Sic Achilles loqui non poterat; non enim ante vs. 215 sq. flamma ventis in rogo excitatur. Quare aut κ' ἐσθίῃ aut lenius etiam ἐσθίοι correxerim.

Ψ 561 ἥκιστος δ' ἦν αὐτὸς ἐλαυνέμεν' ἅρμ' ἐν ἀγῶνι.
Hanc formam hic tantum obviam permansisse in Ionica dialecto nunc docent recens reperti Herodae mimiambi.

Ψ 646 ἀλλ' ἴθι καὶ σὸν ἑταῖρον ἀέθλοισιν κτερείζε.
Prava est versio Latina: *sed abi, et tuo sodali certaminibus iusta facito.* Ubicumque enim ἴθι est ὁρμητικόν, alter imperativus apud probos scriptores sine copula sequitur, ut in notissimo illo ἀλλ' ἴθι μή μ' ἐρέθιζε. Vocula καί hic est *etiam*, ut scil. filii Amaryncei (vs. 633) patrem suum. Quod tironum gratia moneo. Secuntur haec:

τοῦτο δ' ἐγὼ πρόφρων δέχομαι, χαίρει δέ μοι ἦτορ,
ὥς μευ αἰεὶ μέμνησαι ἐνηέος, οὐδέ σε λήθω.

Lugdunenses de priore syllaba voculae α(ἰ)εί correpta dubitantes pronomen μευ (με) insiticium esse suspicantur. Tuetur autem eam correptionem

M 211 Ἕκτορ α(ἰ)εί μέν πως μοι ἐπιπλήσσεις ἀγόρῃσι

et o 379

ἀγρόνδ', οἷά τε θυμὸν α(ἰ)εὶ δμώεσσιν ἱαίνει.

Praeterea loco de quo nunc agimus dura foret pronominis omissio. Verum aliud est quod in hoc versu male me habet,

Digitized by Google

non enim ἐνηέος sententia postulare videtur sed ἐνηής, quod semper benevolus mei memor es.

Ψ 758 ὦκα δ' ἔπειτα
ἔκφερ' Ὀιλεΐδης, ἐπὶ δ' ὦρνυτο δῖος Ὀδυσσεὺς
ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε ἐυζώνοιο γυναικὸς
στήθεός ἐστι κανών, ὅν τ' εὖ μάλα χερσὶ τανύσσῃ
πηνίον ἐξέλκουσα παρ' ἐκ μίτον, ἄγχι δέ τ' ἴσχει
στήθεος· ὧς Ὀδυσεὺς ἔθε' ἐγγύθεν κτέ.

Non temere nostrates annotant „mirus concursus vocularum inutilium". Ego quin vitium subsit non dubito. Quin poetae reddimus:

ἄγχι μάλ', ὡς ὅτ' ἐν ἴστῳ ἐυζώνοιο γυναικὸς
στήθεός ἐστι κανών, κτλ.

Ω 126 ἦ δὲ μάλ' ἄγχ' αὐτοῖο καθέζετο πότνια μήτηρ.
Habet quo commendetur lectio papyri vetustissimi Mus. Brit. CXXVII Ken. παρίζετο. Cf. A 407, 557 al. Sed procul dubio vera est vs. 288 in eodem ms. [εκεχ]όνδει pro ἐκεχάνδει, quam formam in ἐκεχήδει mutandam coniecerat Nauck. Iam novimus verbum χανδάνω iuxta Aoristum ἔχαδον habuisse perfectum κέχονδα, ut λαγχάνω habet ἔλαχον, λέλογχα et a πάσχω fiunt ἔπαθον, πέπονθα.

Ω 241 ἦ ὄφελ' ὅτι μετὰ Κρονίδῃ Ζεὺς ἄλγε' ἔδωκε
παῖδ' ὀλέσαι τὸν ἄριστον;
Minus mihi persuaserunt viri amicissimi citra necessitatem pro ὀλέσαι reponentes ἐλέσαι. Non enim video cur „aptius sic decurrat sententia" nec cur *amittendi* vis, quam in hoc ipso libro Ω 46 habere hoc verbum ipsi concedunt (cf. autem nubes exemplorum apud Ebelingium Lex. II p. 48), hic minus conveniat. Nulla autem me iudice causa est cur malit Priamus Iovem potius *perdidisse*, i. e. *occidisse*, Hectoris vocare quam summo Deo, quod saepe lugentes faciunt, exprobrare quod filii mortem permiserit. Spero igitur fore ut in ἐκεκάδοι librorum scripturam revocent.

Digitized by Google

Ω 400 τῶν μέτα παλλόμενος κλήρῳ λάχον ἐνθάδ' ἕπεσθαι. Iure iisdem μετὰ cum Genetivo ut alienum a sermone Homerico suspectum est; cum tamen τοῖς pro τοῖσι μέτα non magis ferri possit, sequitur τῶν sanum esse. Est autem genetivus partitivus iungendus cum verbo ἔλαχον. Sitne pro μέτα corrigendum μέν, an τότε, an aliud, aliorum permitto iudicio.

Ω 460 Mercurius ad Priamum, posteaquam ad Achillis tentorium perventum est:

ὦ γέρον, ἦ τοι ἐγὼ θεὸς ἄμβροτος εἰλήλουθα,
Ἑρμείας· σοὶ γάρ με πατὴρ ἅμα πομπὸν ὄπασσε·
[ἀλλ' ἦ τοι μὲν ἐγὼ πάλιν εἶσομαι, οὐδ' Ἀχιλῆος
ὀφθαλμοὺς εἴσειμι· νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη
ἀθάνατον θεὸν ὧδε βροτοὺς ἀγαπαζέμεν' ἄντην·]
τύνη δ' εἰσελθὼν λαβὲ γούνατα Πηλεΐωνος,
καί μιν ὑπὲρ πατρὸς καὶ μητέρος ἠυκόμοιο
λίσσεο καὶ τέκεος, ἵνα οἱ σὺν θυμὸν ὀρίνῃς.

Confidenter versus 462—464 saepsi uncinis, quippe quos spurios esse iudicem, confictos ope locorum Γ 410 et Φ 380, quos editores in margine notarunt. Non enim intellegitur, quidni Mercurius, qui Priamum mortalem et ipsum, neque, ut Achilles erat, deae filium ipsiusque summi Iovis nepotem in nocturno hoc itinere ἄντην ἠγάπαζε, si sic ei libuisset, intraret Achillis tabernaculum. Sed manifeste nulla causa erat, cur deus id faceret, itaque dato sibi a Iove negotio perfunctus, redit ad Olympum. Quod si recte disputavi, non amplius quisquam mirabitur formam vitiosam εἴσομαι, quae pro futuro verbi ἔρχομαι (εἶμι) olim habita est et nunc habetur a multis, neque eam cum Heynio in οἴχομαι aut cum Batavis in ἔρχομαι sive in νέομαι (πάλιν) refingendam esse patebit.

Scribebam Traiecti ad Rh. m. Decembri a. 1891.

Digitized by Google

DE ARISTEAE AD PHILOCRATEM FRATREM EPISTOLA.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Variam ac mutabilem libellis quoque esse fortunam, epistola illa inprimis experta est, quam ab Aristea quodam, Regis Ptolemaei Philadelphi amico, ad fratrem Philocratem scriptum esse, operis titulus perhibet. Nam cum olim editor quidam huius *συντάγματος* summopere laudavisset librum, „in quo praeter multa alia, lectu dignissima, et pii Regis imago et regni optime constituti forma ad imaginem expressa" esset, posthac concidit illa laus et in invidiam gratia versa est, abiectusque libellus „tamquam foetus suppositicius". Nostris vero temporibus qui epistolae scriptori fidem habent, admodum pauci inveniuntur; qui eum acriter oppugnant, eos enumerare non opus erit si unum Cobetum nominavero. Is enim, quod nemo ignorat, *ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ* commentationem de Clemente Alexandrino edidit venustissimam et Atticae gratiae plenam, quam qui hodie iterum legerit, non potest quin tanti viri desiderio et maerore commoveatur: ipsum enim Cobetum subtiliter disputantem, ingeniose urbaneque iocantem audire sibi videbitur. Cobeti autem disputatio cum ad istos Iudaeos, Philonem Aristeam Aristobulum venit, sermo barbarus hominum illorum Graece balbutientium graviter summi viri iram incendit, vix ut verba sufficiant, quibus *Ἰουδαίους* istos *ὀλέθρους* castiget, qui *προσωπεῖα Ἑλληνικὰ περικείμενοι δρᾶμα Ἑλληνικὸν κακῶς ὑποκρινόμενοι ἐπιτρίβουσι*. Nam quidquid ii conscripserunt, *πάντα νόθα καὶ ὑποβολιμαῖα, πάντα μοχθηρὰ, οὐδὲν δὲ τῆς λέξεως ᾗ χρῶνται οἱ*

Digitized by Google

γόητες μιαρώτερον. Neque pluris quam ceteri habendus est Aristeas, ille enim πρωταγωνιστὴς τοῦ κατεψευσμένου τούτου δράματος, aeque ac reliqui ψευδολόγος, et quae conscripsit: „ταῦτ' οὐδ' ὁτιοῦν ἀληθείας μετέχειν δοκεῖ, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως πεπλάσθαι τε καὶ ἐσκευωρῆσθαι".

Tam gravi iudicio obrutum scriptorem relevare difficile videtur. Neque hercle ego tantum mihi sumam, ut Cobeto obloquar; nam est sane barbarae Graecitatis sermo Aristeae, insunt in hac epistola nonnulla, quae cum historia adversa fronte pugnare videntur, pluribus peccat scriptor quam ut certus et fide dignus auctor dicatur. Et tamen — nam quod sentio fateri necesse est — mihi videtur cum illis faciendum esse, quos leniter ipse Cobetus ridebat, eos dico, qui „διατελοῦσι νομίζοντες τοῖς ψεύδεσιν ἴσως ἀληθές τι παραμεμῖχθαι". Etenim, licet ficta sit epistola, — nam ementitum opus esse et falsum concedere nolim — tanta est testimoniorum inopia in rebus Alexandrinis, ut ficta quoque haud contemnenda videantur, dummodo temporis, quo nata sint, terminos circumscribere possimus.

Operae igitur pretium videtur graviora crimina enumerare quibus nostrae epistolae scriptor oppugnari solet, quae si non omnia diluere potero, partim tamen refellere conabor, ut id quod supersit errori potius et neglegentiae, quam turpi fraudi tribuendum videatur.

Nihil est, quod magis a plerisque scriptori nostro vitio datur quam quod Demetrium Phalereum bibliothecae Alexandrinae praefectum dicit, eumque narrat Philadelpho auctorem fuisse, ut Leges divinas Graece vertendas curaret. Monent Demetrium bibliothecae numquam praefuisse, regi Philadelpho eum summo fuisse odio, neque vero etiamsi in aula Philadelphi vixisset, Phalereum philosophum, deorum parcum cultorem, quippe qui Fato deos commutasset, tanti facturum fuisse Iudaeorum religionem, ut Legis divinae vertendae auctor apud regem fieret; fieri ergo non posse, quin longissime a vero epistolae scriptor aberraverit, diuque vixerit post illa tempora, quorum res gestas exponat. Quin non desunt, qui eo progrediantur, ut contendant pseudo-Aristeam illum nominum similitudine in errorem inductum, turpi ignorantia credidisse Phalereum Demetrium eundem fuisse atque Iudaeum illum Demetrium chronographum (de quo

Digitized by Google

Demetrio accuratissime egit Freudenthal Hellen. Stud. I. 35 sqq.).

Ad id quod levissimum est primum respondebo. Haud incerta extant testimonia, Demetrium, Theophrasti discipulum, qui eius philosophi doctrinam „mirabiliter ex umbraculis eruditorum otioque, non modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxit" (Cic. de Legg. III. 6. 14) sedulo dedisse operam ut in rebus humanis ostenderet, quam vere dictum esset illud „τύχη κυβερνᾷ πάντα". Novimus enim, eum scripsisse librum περὶ τύχης, cui libro tribuenda esse quae legimus in Plutarchi Consolatione ad Apollonium c. 6 probabile videtur; Polybius autem se ex eodem libro sumpsisse quae habet L. XXIX 6. c. ipse disertis verbis dicit. Multa iis locis Phalereus disserit de fati imperio; verum etiamsi concederemus, eum qui talem de fortuna sententiam amplectatur, deos tollere (quod ego non concedo, quamquam pluribus verbis nunc non refellam) non tamen quod Demetrius deos esse negaret, id nobis argumento esset, eum exterarum gentium res sacras prorsus contempsisse. Notum est enim omnibus, qui in Demetrii aetate non plane hospites sunt, quanto studio docti omnes et reges et philosophi et poetae, cum semel orbe terrarum subacto latiorem investigationibus campum Alexander aperuisset, nationum et gentium vitas mores religiones persecuti sint. Ita simul philosophiae, quam ab Aristotele et Theophrasto acceperat, ratio incitabat Demetrium, ut agnosceret id, quod Epicurus τὴν κοινὴν θεοῦ γνῶσιν dicere consuerat, simul Lagidae diligentia monebat, ut in subactorum populorum res sacras sedulo inquireret, eodem studio impulsus, quo Hecataeus Abderita, Manetho, alii incitabantur. Quin etiam Demetrius, Lagidae consiliis ut faveret, in Serapidis honorem paeanes composuit (Diog. Laert. V. 76); quidni igitur idem regi suo auctor esse potuit, ut et Iudaeorum Alexandrinorum in usum et ad ornandam regiam bibliothecam Leges divinas Graece vertendas curaret?

„At numquam regiae bibliothecae praefuit Phalereus". Eius bibliothecae, quae erat in museo, praefectum non fuisse Demetrium concedo; verum ne Aristeas quidem disertis verbis id scribit. Non enim προστάτην τῆς βιβλιοθήκης eum vocavit, verum tantum „καταστα θέντα ἐπὶ τῆς βασιλέως βιβλιοθήκης". In qua re ita convenit cum ceteris rerum scriptoribus, ut con-

Digitized by Google

icere possimus, Demetrium, cum Alexandriam venisset, Lagidae in privata bibliotheca condenda sedulo navasse operam (cf. Plut. apophth. reg. II. 48). Quod in Aristotelis discipulo minime mirum est; illius enim bibliothecam quasi exemplo Lagidae fuisse, et peripateticos eum colligendorum librorum artem docuisse Strabo auctor est (L. XIII. 608. D.). Verumtamen errore non vacat scriptor, quisquis fuit, nostrae epistolae, cum narrat Demetrii curae mandatam esse bibliothecam, quae ex numero plus quam ducentorum milium voluminum constaret; is enim numerus et posterioribus temporibus et magnae bibliothecae, quae in museo fuit, tantum convenire videtur.

Gravius alterum crimen plerisque videtur: negant enim viri docti ullo modo fieri posse, ut Demetrius tanto honore unquam apud Philadelphum fructus sit, ut eius bibliothecae sive privatae sive postea publicae praeesset; nam Lagidae regi eum vehementissime dissuasisse ne Cerauno praetermisso (qui filius natu maior erat) regnum Philadelpho traderet, quem ex Berenice, dilectissima uxore, natum, rex prae ceteris filiis amaret; Philadelphum autem, simulac pater mortuus esset, ex urbe Phalereum expulisse, eumque deinde in exilio „aspide ad corpus admota vita esse privatum" (Cic. pro Rab. Post. IX. 23). Haec tradi fateor, verum testimonio nituntur minime gravi. Iustinus enim de Lagidae rebus agens haec scribit: „Is contra ius gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat eiusque rei populo rationem reddiderat; cuius non minus favor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerat"; de Demetrio autem verbum non addit. Quo fit, ut unicus exstet et solus testis Hermippus, cuius ego auctoritatem si Aristeae opponi video, vix satis scio, utri potius fidem denegem. Nam mendax homo est et levis Callimacheus ille, numquam vero minus fide dignus quam ubi philosophorum mortes enarrat. An credemus Hermippo Diodorum illum, qui Κρόνος appellari solebat, mortem sibi conscivisse propter pudorem dialecticae cladis? (Diog. Laert. II. 112). Quod si non res ipsa at temporum iam ratio pro vero accipere prohibet. Non enim alio tempore nisi eo anno, cum Megaris adesset Ptolemaeus Lagi filius — fuit autem annus 307 — coena illa celebrata esse potest, in qua, si audimus Hermippum, tantopere Stilponis acumen obruit Diodorum, ut

Digitized by Google

Κρόνος ille iam mori quam victus vivere mallet. Ecquis credit Diodorum iam anno 307 obiisse? Nonne in eum multis post annis Callimachus epigramma composuit (Schneid. fr. 70. cf. Sext. Emp. adv. math. 620 Bekker), quod in vivum philosophum scriptum esse vel ipsa verba declarant? Sed hoc fuit ingenio Hermippus, ut fertili mente suam cuique philosopho mortem excogitaret. Manus sibi attulit Diodorus; Alexinus, eiusdem scholae alumnus, in Alpheo flumine dum natat (ita enim Hermippo placuit), harundine laesus vita excessit; in cuius rei memoriam Diogenes Laertius (II. 110) carmen condidit tristi casu haud minus quam ipso poetae ingenio dignum. Ac ne quis putet, dialecticos solos ab Hermippo capitis damnatos, legat Menippum Thebis ὑπ' ἀθυμίας βρόχῳ τὸν βίον μεταλλάξαντα (VI. 100), audiat — sed quid attinet plures enumerare, cum video sedulo eos collegisse Susemihlium in egregio libro de litteris Alexandrinis (I. p. 495)! [1])

Restat Heraclidis Lembi testimonium. Qui quamquam nihilo pluris quam Hermippus habendus est (nam eius vestigia premere solet) nostro loco tamen nominandus est, quo appareat neutiquam utrumque testem idem pro testimonio dixisse. Heraclides enim „ἐν τῇ Ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν" narrat Demetrium, cum Lagida regnum Philadelpho concedere vellet, regem prohibere conatum esse, et dixisse: „ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις". Praeclare dictum, opinor, et eo philosopho dignissimum, cui, ut iterum Ciceronis verbis utar, „animi cultus quasi quidam humanitatis cibus" erat! (de fin. V. 19. 54.) Verum hoc mitto; illud tenendum est, de morte Demetrii et exilio verbum non addere Heraclidem, itaque frustra eum in hac re testem adhiberi; ceterum, si eum audias, Demetrium non Philadelphum oppugnasse, sed omnino patrem Lagidam prohibuisse, ne ante mortem imperium deponeret.

Itaque pugnant inter se, qui nobis unici de hac re testes solent citari; si autem semel concessum est Hermippi testimonio diffidere satius esse, corruunt argumenta, quibus probes Demetrium a Philadelpho expulsum esse, et eo res redit, ut

---

1) Iudicium, quod de ipso Aristea habet Susemihlius, cognoscere mihi non licuit; quo tempore enim haec scripsi, nondum eius libri altera pars prodierat in lucem.

Digitized by Google

fateamur hic quoque epistolae scriptorem temporibus fortasse erravisse, verum non esse, quod ei fidem denegemus, cum inter Philadelphi *φίλους* Demetrium numeret.

Aliud argumentum, quo epistola oppugnaretur, attulit Cobetus. Literarum enim, quas Eleazarus ad Ptolemaeum misisse narratur, hoc est initium (corrupta Cobetus emendavit): „*Εἰ αὐτός τ' ἔρρωσαι καὶ ἡ βασίλισσα Ἀρσινόη, ἡ ἀδελφὴ, καὶ τὰ τέκνα, καλῶς ἂν ἔχοι καὶ ὡς βουλόμεθα· καὶ αὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν*" (p. 21. 23 Schm.). Quae verba Latinae epistolae, non Graecae propria seram libelli originem haud dubie indicare videbantur. At oblocutus Cobeto Lumbrosus (quem a multis non auditum esse merito mireris) in actis Academiae Taurinensis anni 1869/70 de papyro quadam disserens (Pap. Louvre 63) exordium epistolae cuiusdam seculi ante Chr. secundi exscripsit nostro simillimum (p. 213): „*ἔρρωται μὲν βασιλεὺς Πτολεμαῖος κτλ. ... εἰ δὲ καὶ σὺ ὑγιαίνις καὶ τἄλλα σοι κατὰ λόγον ἐστὶν, εἴη ἂν ὡς βουλόμεθα καὶ τῷ Διὶ ἱκανῶς ἐπανήγομεν*". Addit idem, eiusdem aetatis exstare epistolas (Louvr. 42. 43. 44. 45) in quibus legitur „*εἰ ἔρρωσαι τὸ δέον ἂν εἴη*" (sive „*εἴη ἂν ὡς βούλομαι*"), „*ἔρρωμαι δὲ καὐτὸς*", sive „*καὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν*". (Quibuscum conferri potest Philopatoris epistola, quae legitur Maccab. III. 7. 1). Merito Lumbrosus, cui multum profuit Aristeae epistola, cum de Lagidarum temporibus praeclarum suum librum scriberet, in eadem commentatione monuit lectorem, acuratissima rerum Alexandrinarum scientia *σύνταγμα* illud contemptum refertum esse. Sed temporum rationes in Eleazari quoque epistola conturbat scriptor, qui Arsinoën sororem Ptolemaei uxorem facit eodem tempore quo Demetrius bibliothecae praeesset. Nam quo anno Philadelphus sororem duxit (273) iam condita erat bibliotheca in museo cui praefuit primus Zenodotus. Itaque aut eo errasse scriptor putandus est, quod ex posteriorum temporum usu honoris causa Arsinoën priorem uxorem „Sororis" titulo ornavit, aut, quod veri magis simile est, nominum similitudine in errorem inductus Arsinoën Lysimachi cum altera permutavit.

Haec fere sunt, quae contra Aristeae epistolam afferri iam diu solebant. Sed multo plura congessit Graetzius, vir Iudaeorum historiae peritissimus. Is, cum in libro qui inscribitur „Monatschrift für Geschichte und Wissenschaft des Judenthums"

Digitized by Google

(tom. XXV p. 289) usque ad imperatoris Tiberii aetatem Aristeae epistolam detrudere conaretur, „Inepte" inquit, „noster interpretes LXX Alexandriam venientes facit, quo tempore Philadelphus victoriam de Antigono Gonata celebrabat, nam ea victoria reportata est anno ante Chr. 262". Esset sane ineptum, nam senis plus quam octogenarii partes non agit Demetrius in nostra epistola; is autem cum rempublicam attingere coepisset quo tempore Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venit (Diog. Laert. II 76) anno fere 350 natus erat. Verum unde annus ille 262 Graetzio venerit, equidem nescio. Ipsum Aristeam audiamus. Narrat regem, interpretum adventu maxime laetatum, blandissimis verbis viros adlocutum esse: „*μεγάλην δὲ τίθεμαι τὴν ἡμέραν ταύτην, ἐν ᾗ παραγεγόνατε· καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημος ἔσται πάντα τὸν ζωῆς ἡμῶν χρόνον. συντέτυχε γὰρ καὶ κατὰ τὴν νίκην ἡμῖν προσπεπτωκέναι τῆς πρὸς Ἀντίγονον ναυμαχίας*" (p. 44. 21 Schm.). Obscura haec dicta esse, et minime diserte Aristeam rem fictam narrare, nemo negabit. Nam profecto ficta erat haec fabula de Iudaeis ex patria accersitis ut leges Graece verterent. Verum epistolae scriptor, ni fallor, fidem his omnibus habuit, et ita rem exposuisse putandus est, ut iis quoque qui legerent, id quod iis traditum erat cum nota rerum historia convenire videretur. De pugna navali anno 262 facta (siquae fuit eo anno victoria Philadelphi) non cogitavit. De quanam igitur? Num de victoria quadam antea a Philadelpho reportata? Non opinor; nam victoria navali Gonatas a Ptolemaeo (quod nobis quidem nunc notum sit) numquam victus est. Verum si quis Aristeae verba accuratius inspiciet, non negabit, aequo iure, immo rectius fortasse, ita ea accipi posse, ut de victoria olim a patre reportata, cuius nunc festum diem agat, rex locutus esse videatur. Tum si, ut in magna inopia documentorum, coniecturam facimus, quaenam illa navalis victoria fuerit, digna ut in Lagidarum fastos referretur et ut laetiore nota insignis festus dies in eius diei memoriam celebraretur, haud procul fortasse a vero aberraverimus, cogitandum suspicati de expeditione quam post notissimam Demetrii (Poliorcetae) ad Cyprum victoriam anno 306 Antigonus Demetrii pater in Aegyptum fecit. Diodorus Siculus enim, postquam res ad ostium Pelusiacum tum gestas exposuit, haec addit (XX. 76) „*Πτολεμαῖος δὲ μετὰ τὴν*

Digitized by Google

ἀπαλλαγὴν τῶν πολεμίων περιχαρὴς γενόμενος καὶ θύσας τοῖς θεοῖς χαριστήρια, τοὺς φίλους εἰστία λαμπρῶς, καὶ πρὸς μὲν τοὺς περὶ Σέλευκον καὶ Λυσίμαχον καὶ Κάσσανδρον ἔγραψε περὶ τῶν εὐτυχημάτων καὶ περὶ τοῦ πλήθους τῶν πρὸς αὐτὸν αὐτομοληκάντων· αὐτὸς δὲ, τὸ δεύτερον ἠγωνισμένος ὑπερ τῆς Αἰγύπτου καὶ νομίσας δορίκτητον ἔχειν τὴν χώραν, ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν". Num ineptum est credere, tanti Ptolemaeum Lagi filium hanc victoriam fecisse, ut et in posterum quotannis celebrandum eum diem instituerit?

Verum supersunt quibus certo certius et Graetzius et alii viri docti efficere sibi visi sunt, epistolam non Lagidarum temporibus sed aliquanto post scriptam esse. Laudat Eleazarus (quem mire peritum rerum Alexandrinarum sibi finxit auctor) regem, quod τοὺς ἐμφανιστὰς, genus hominum impurum et κακοποιητικόν, ignominiosa morte afficere soleret (ed. Schm. p. 42. 14). „Ecce ineptissimum mendacium, quo et fraudem suam et epistolae aetatem stultissimus scriptor aperit; nam et res ipsa et vocabulum ἐμφανιστοῦ a Lagidarum aetate sunt aliena, imperatorum Romanorum vero temporibus maxime conveniunt". Haec fere Graetzius, qui deinde arctioribus etiam finibus rem describit; cum enim Cassii Dionis testimonio (LXIII. 21) constet a Tiberio uno die delatorum notissimum quemque morte multatos esse (τοὺς δὲ ἐπιβουλοτάτους τῶν τὰς κατηγορίας ποιουμένων ἀποθανεῖν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκέλευσε) haud dubium Graetzio videtur Aristeam de hoc Tiberii consilio cogitasse cum Ptolemaei severitatem ab Eleazaro faceret laudari. Mitto quaerere, quid profuisset Aristeae, Alexandriae degenti et scribenti, tantis laudibus imperatorem Romanum tollere; sed hoc rogo: nonne prorsus aliena foret a scriptoris consilio talis laudatio principis aequalis sui, cum semper sedulo id studeret ut, quantum posset, Philadelphi temporum imaginem in opusculo suo redderet? Quod autem ad vocabulum ἐμφανιστὴν attinet, non video, quid viros doctos offendat. Diodorus (XIV. 11) Alcibiadem narrat voluisse ἐπιβουλὴν ἐμφανίσαι τῷ δήμῳ; eodem sensu Polybius vocabulum ἔμφασιν usurpat XXVIII. 4. 8; delatores vero sive eos ἐμφανιστὰς dicis, sive ἐνδείκτας, neque alibi in regum aula unquam defuerunt, neque Alexandriae, ubi plurimas res ipsius regis curae per litteras mandare solebant cives, ideoque et delatoribus facillimus aditus erat ad principem. Quin

Digitized by Google

et in ipsos Iudaeos decretum Philopatoris cognitum habemus ex Maccabaeorum libro III. 3. 28, quo praemia delatoribus constituuntur; et in hac ipsa epistola Aristeas regis *πρόσταγμα* perscribit, in cuius fine haec sunt: „*τὸν δὲ βουλόμενον προσαγγέλλειν περὶ τῶν ἀπειθησάντων ἐπὶ τοῦ Φανέντος ἐνόχου τὴν κυρίαν ἔξειν*" (ed. Schm. 18. 7).

In eodem ephemeridis quam dixi fasciculo, in quo de epistola Aristeae disputavit, lectu dignissimam commentationem inseruit Graetzius de Hierosolymorum arce illa, quae in Maccabaeorum libro primo *ἄκρα* vocatur. Accurata locorum notitia instructus deinde perhibet arcis Hierosolymorum descriptionem, quam dedit Aristeas, unice convenire illi arci, quam ab Antiocho Epiphane conditam postea Maccabaei occuparunt, quam deinde, novis auctam munimentis, Herodes in triumviri honorem Antoniam nominavit. Hanc autem arcem cum Graetzius ab Aristea describi contendit, magis ipse sua loci cognitione instructus quam Aristeae verbis doctus Antoniam agnovisse videtur. Equidem putaverim Aristeae verba confusa et obscura aut cuivis arci aut omnino nulli adaptari posse. Unum in paucis illis et obscuris, unum tantum manifestum est: arx illa *κεῖται ἐν ὑψηλοτάτῳ τόπῳ*, templo autem vicina est (*τοῦ τόπου κατὰ κορυφὴν ὄντος τῶν προειρημένων περιβόλων*. — ed. Schm. 32. 20) quod utrumque, nisi fallor, de omnibus valet munimentis, quae et ante Seleucidarum tempora et postea in Hierosolymorum arce fuerunt. Frustra sive ex arcis sive urbis descriptione quidquam certi efficere coneris nisi hoc: numquam suis oculis epistolae scriptorem Urbem sacram vidisse.

At ianuam templi vidit Aristeas (aut saltem vidisse fingitur) magnifice exornatam. Quod novum argumentum videtur Graetzio, Philonis Iudaei aetate *σύνταγμα* nostrum non antiquius esse. Nam fores templi auro argentoque ornandas et incrustandas curavit Alexander, Philonis Alexandrini frater, qui sub Tiberio Arabarcha fuit et divitiis inter aequales inclaruit. Alexandriae autem cum habitaret Alexander ille (de quo vide Ioseph. Flav. B. I. V. 5) probabile est Aristeam eius aequalem aut vidisse illa ornamenta aut eorum magnificentiam laudari audiisse, saltem libello suo descriptionem eorum addere voluisse. — Ita fere Graetzius. Aristeas vero „*καὶ τοῦ θυρώ-*

Digitized by Google

ματος δὲ καὶ τῶν περὶ αὐτὸ συνδέσμων κατὰ τὰς φλιὰς καὶ τῆς τῶν ὑπερθύρων ἀσφαλείας ἐκδηλος ἦν ἡ τῶν χρημάτων γεγονυῖα ἀφειδὴς δαπάνη" (Schm. 29. 14). Ultima verba Graetzius vertit: „der darauf verwendete verschwenderische Aufwand an Gold", quo aureis illis Alexandri ornamentis verba Aristeae responderent; sed re vera de auro ne verbum quidem addit Aristeas, quod qui concedit, concedat necesse est, ea quae Graetzius de Alexandri donis scribit ad nostrum quidem locum non attinere (cf. Regg. III 6. 27 sqq.).

Theopompi morbum, caecitatem Theodectis, poenas impietatis a Demetrio (p. 68 Schm.) relatas neque ego defendam. Fabellis enim neque Graecorum historia neque Iudaeorum caret, et facili modo in credula gente haec tradita sunt, accceptaque ab Aristeae epistolae scriptore; qui eodem consilio, ut suam religionem a Graecis quoque honoratam esse ostenderet, Menedemo, Eretriensi philosopho partes in ficto dramate tribuit. Quod cum faceret tamen minime, quod viri docti perhibent, coniunxit eos qui temporis spatio distarent. Errori enim Diogenis Laertii debetur, quod dicitur Menedemus Platonis auditor fuisse. Lagidae et Philadelphi quoque fuit aequalis, quin etiam adfuisse eum Alexandriae quodam tempore constat, nam „*ἐπρέσβευσε* (ipso Diogene teste) *πρὸς Πτολεμαῖον καὶ Λυσίμαχον*". Minus vero feliciter scriptorem epistolae sibi Menedemum elegisse, quem Iudaeorum placitis assentientem faceret, equidem non negaverim.

Ficta enim narrare anonymum eum scriptorem, qui Aristeae epistolam composuit, neque mihi dubium videtur, sed aliud est fallere et mentita pro veris venditare, aliud cum veris ita ficta coniungere, ut, quae ficta sint, ea et ipse lector pro fictis accipiat. Quidni credimus epistolarem formam, quae tunc temporis minime ignota erat, a scriptore electam esse, ut elegantia quadam scriptum suum lectoribus commendaret? Artis epistolaris genus, quo cum in Eroticis Ovidius praeclare uteretur, Alexandrinorum exemplum sequebatur, in rhetorum scholis exercitum esse e Demetrii rhetoris libello *περὶ ἑρμηνείας* cognitum est, neque litterae Alexandrinorum artis illius exemplis carent, siquidem Leo ille Pellaeus, cum res Aegyptias conscripsit hanc formam operi suo dedit, ut epistola ab Alexandro Magno ad Olympiadem matrem scripta videretur (cf. Susem. I. 315).

Digitized by Google

Ita et nostrae epistolae scriptor, (quem Iudaeum fuisse, nemo fere, qui σύνταγμα ad Philocratem scriptum perlegit, negat) cum memoriae mandare vellet, quae de Legis versione inter Iudaeos Alexandrinos tradebantur, notum quemdam virum, rerum quas narraturus erat aequalem, de iis rebus per epistolam disserentem fecit, non eo consilio, opinor, ut turpi fraude opus ementitum pro vero venditaret, sed quia delectabat eum forma epistolaris. Condidisse vero opus suum fere videtur iis temporibus, cum pacata Palaestina Aegypto pareret necdum a Seleucidis occupata esset. Neque multo post Philadelphi mortem scriptam esse epistulam necesse est; nusquam enim nisi de legum versione in epistola nostra mentio fit; et cum tam sedulo Moysis libros scriptor sequitur, ut in Philadelpheis donis describendis ipsa saepe Exodi verba adhibeat, in templi descriptione libro Regum usus esse non videtur. Quod minime mirum, siquidem opus suum composuit, antequam ceteri veteris testamenti libri in Graecum sermonem versi sunt.

Verum de hac re videant (et iam diu viderunt) theologi, penes quos de ea quaestione iudicium. Hoc tantum addam, epistolae sermonem huic suspicioni non obstare. Barbarae sane graecitatis orationem et falsa elegantiae specie obscuratam ut non defendo, ita in Iudaeo homine excusandam arbitror; vestigia vero serioris temporis frustra quaero. Multa enim, quae Attici sermonis elegantiae adsuetas aures offendunt, papyris inscriptionibusque adhibitis Lagidarum tempori vindicavit Lumbrosus in ea commentatione quam inscripsit „Dell' uso delle inscrizioni e dei papiri per la critica del testo di Aristea" (act. Acad. Taur. 1868—69 p. 231). In aliis autem cum Aristea peccant eiusdem aetatis scriptores; veluti cum noster παρανέγνω scribit (67. 19) ubi ἀνέγνω scribi oportuerat. Quod idem facit Polybius, qui de Postumii Albini legatis apud Achaeos agens (II. 12. 4) scribit: „καὶ τὰς συνθήκας παρανέγνωσαν ἃς ἐπεποίηντο πρὸς Ἰλλυρίους" (cf. Polyb. III. 21. 5: Ζακανθαίους δὲ παρεδείκνυον οὐκ ὄντας τότε Ῥωμαίων συμμάχους καὶ παρανεγίγνωσκον πρὸς τοῦτο πλεονάκις τὰς συνθήκας) [1]). Ubertate autem praepositionum non Aristeas solus

1) Saepius cum Polybio conferendus est noster ubi ab antiqua dicendi ratione aberrat. Pauca ex primis epistolae paginis dabo exempla, quae facile augebit quicumque data opera epistolam perlegerit. Ed. Schm. 13. 23 πρόκλισις πρὸς τὴν σεμνό-

Digitized by Google

peccat: commune hoc vitium est Alexandrinis scriptoribus, etiam Callimacho et Apollonio. Ut noster p. 13 *συνακοῦσαι*, p. 68 *ἐξεθαύμασε* p. 17 *συναναγκάζειν*; ita Callimachus Dian. 247 *κατακροταλίζω*, Del. 274 *κατέλεξας*, Dem. 50 *ἐκκεραΐζειν*, Apollonius I 665 *παρενήνοθε*, ib. *ἐπισκάζουσα*, 846 *εἰς ἅπαξ ἔβαν*, 1281 *διαγλαύσσουσιν*; plerisque enim horum locorum praepositio fere *παρέλκει*, causa vero, quae illius aetatis poetas adduxit, ut saepius sive praepositionibus verba ornarent, sive longiore forma vim addere verbo studerent, eadem apud ceteros scriptores haud minus valebat: omnes talibus subsidiis firmare et ornare orationem suam conabantur, ubi propria vis et robur sermonem Graecorum deficere coepit.

Mauritius Schmidt cum anno 1868 novam epistolae Aristeae editionem, praefatione ornatam in annalibus qui inscribuntur „Merx' Archiv für wissenschaftliche Erforschung des alten Testaments" publici iuris fecit, duos tantum codices Parisinos adhibuit (Cod. Reg. 1888 nunc Gr. 129, quem littera B in editione sua indicat, et Cod. Reg. 1889 nunc Gr. 5. „C" Schmidtii). Priorem codicem tanti faciendum iudicavit vir clarissimus, ut in libello edendo eum tamquam certissimum ducem sequendum esse constitueret, ubique fere vulgatis antiquarum editionum et codicis Vaticani lectionibus spretis vel in marginem relegatis. Supererant vero, quos non adhibuit Schmidtius, complures codices: septem enim Lumbrosus, vir harum rerum peritissimus, enumerat in appendice libri, quem inscripsit „Recherches sur l'économie politique des Lagides" p. 351, inter quos est Marcianus cod. gr. 534, cuius codicis varias lectiones ibidem adiecit. Quas siquis perlustrat statim videbit permultis locis Marcianum co-

---

τητα cf. Polyb. VI. 10. 10 — 15. 29 *διερμηνεῦσαι* (non interpretandi sed vertendi notione) Polyb. III. 22. 3 — 16. 4 *ὑπερηρκὼς σύμπαντας τοὺς ἀνθρώπους τῇ λαμπρότητι τῆς ψυχῆς* cf. Polyb. XII. 13 collato eodem XXXII. 23. 1. — 16. 23 *δεδοξασμένος* i. e. gloria ornatus: Polyb. VI. 53. 10. — 17. 5 *μεγαλομέρεια* vox, quam Polybius in deliciis habet. — 17. 20 *προπέτεια στρατιωτική*: Polyb. III. 109. — 18. 15 *ἀπομερίσαι distribuendi* significatione Polyb. III. 35. 5. Quibus ex extrema epistola adici potest *λίαν* (68. 8 „*λίαν ἐξεθαύμασε*") quod in Atticorum sermone plerumque „*τοῦ ψέγοντος*" est (Cob. l.l. 180) verum eodem sensu a Polybio haud semel usurpatur (veluti in eo capite — XXIX. 6. c. — ubi Demetrii verba *περὶ τύχης* relaturus scribit: „*ὥστε πολλάκις καὶ λίαν μνημονεύειν*").

Digitized by Google

dicem lectionibus antiquarum editionem ita favere, ut Schmidtium maiore quam debebat religione codici Parisino obtemperasse appareat. Magnopere autem hanc suspicionem auget alius codex a Lumbroso Parisiis collatus. Doctissimus enim Italus, anno post quam Schmidtius editionem suam paraverat, Parisiis forte cum degeret, Parisinum codicem bibl. imp. 128 (Schm. A) quem, quia in Germaniam mitti bibliothecae leges vetabant, inspicere ipse Schmidtius non potuerat, sedulo perlustravit, cuius codicis lectiones edidit Lumbrosus in Actis academiae Taurinensis 1868—69 p. 521 adiecto accurato indice discrepantium lectionum codicis Burneiani 34, quem in museo Britannico ipse quoque contulerat. Cum vero codex ille bibl. imp. 128, quem Lumbrosus omnium, quotquot novimus, Aristeae codicum antiquissimum dicit, ab altero Parisino B quem Schmidtius secutus est, saepissime discrepet, simul conspirans cum Marciano, Burneiano, Vaticano et cum vulgata antiquae editionis lectione, apparet aliquanto nimium codici suo tribuisse Schmidtium, cum antiquarum editionum, Schardianae et Fabricianae (nam Sheldonianam merito contempsit) lectionibus damnatis, Parisini B auctoritate motus, pro planis et haud nimis obscuris saepe reponeret quae vix intellegi possent. Quibus locis si favet, quod saepe fit, antiquarum editionum scripturae codex A, iam restituendum est quod olim legebant editores, quos dixi; neque omnes eos locos nunc ego indicabo, nam supervacaneum est. Verum quia Schmidtius, id agens, ut quantum posset codicis B lectionem servaret, coniecturas sive suas sive aliorum non nisi perraro recepit in textum, supersunt multa tam verborum quam interpunctionis vitia, quorum quaedam indicare et, si possim, tollere conabor.

In epistolae suae exordio ornando et illustrando scriptor noster anonymus dum dignitati studet, ipse sibi fraudi fuit: nam cum longas sententias ordine verborum inverso graves et sonoras reddere vellet, effecit, ut ne librarii quidem satis, quid sibi verborum ille strepitus vellet, intellegerent. Sed totum initium describam:

(Edit. Schmidt p. 13. 1) *Ἀξιολόγου διηγήσεως ὦ Φιλόκρατες περὶ τῆς γενηθείσης ἡμῖν ἐντυχίας πρὸς Ἐλεάζαρον τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα συνεσταμένης, διὰ τὸ σὲ περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι,*

Digitized by Google

παρ' ἕκαστα ὑπομιμνήσκων συνακοῦσαι, περὶ ὧν ἀπεστάλημεν καὶ διὰ τί, πεπείραμαι σαφῶς ἐκθέσθαι σοι κ.τ.ἐ.

Corrupta haec esse quivis videt. Nec multum prodest legere, quod Schmidtius dubitans proposuit, „*παρ' ἕκαστον ὑπομιμνήσκοντος*". In eodem peccasse hoc loco librarii videntur, quo saepius in nostra epistola rem corrumpunt: quae non intellegebant mutarunt, perturbarunt. Transponenda itaque ea, quae de loco suo aberrarunt, verba „*παρ' ἕκαστα ὑπομιμνήσκων*" suspicor et retrahenda post „*διὰ τί*", quo locus ita constituatur: „*διὰ τὸ σὲ περὶ πολλοῦ πεποιῆσθαι συνακοῦσαι περὶ ὧν ἐστάλημεν καὶ διὰ τί, παρ' ἕκαστα ὑπομιμνήσκων πεπείραμαι σαφῶς ἐκθέσθαι σοι*".

Necdum vero prooemium mendis vacat. Vs. 8 enim et seq. ita edidit Schmidtius: „*οὕτω γὰρ κατασκευάζεται ψυχῆς καθαρὰ διάθεσις, ἀναλαβοῦσα τὰ κάλλιστα· καὶ πρὸς τὸ πάντων κυριώτατον νενευκυῖα, τὴν εὐσέβειαν, ἁπλανεῖ κεχρημένη κανόνι διοικεῖ τὴν προαίρεσιν*".

Parvum vitium hoc loco causa fuit, ut oratio iam non intellecta, perverteretur et conturbaretur mala interpunctione. Tum demum, opinor, *ψυχῆς καθαρὰ διάθεσις* nascetur, cum animus non solum *ἀναλάβῃ τὰ κάλλιστα* verum etiam ad pietatem se convertens, ea utetur tamquam norma in voluntate sua regenda. Perperam ergo verba *καὶ* usque ad *εὐσέβειαν* interpunctionis signo a praecedentibus divelluntur; si autem ea verba (*καὶ ..... εὐσέβειαν*) ad praecedentia traxerimus, sequentia, quod nemo non videt, *παρέλκειν* videntur. Verum videntur solum, quia vitium alunt. Codex Burneianus a ceteris discrepans habet *κανόνι καὶ διοικεῖ*. Quod nihilo melius est, verum propter eam causam tamen dignum est, quod notetur, quia saepius codicum discrepantia corruptum esse locum indicat. Equidem putaverim *διοικεῖν* esse legendum, et totum locum ita constituam: „*οὕτω γὰρ κατασκευάζεται ψυχῆς καθαρὰ διάθεσις, ἀναλαβοῦσα τὰ κάλλιστα καὶ, πρὸς τὸ πάντων κυριώτατον νενευκυῖα τὴν εὐσέβειαν, ἁπλανεῖ κεχρημένη κανόνι διοικεῖν τὴν προαίρεσιν*".

Ne vero desit quod hanc coniecturam quodammodo commendare possit, moneo Mathiae Garbitii versionem epistolae Latinam, quae in plerisque editionibus, et Fabricii et Sheldoniana Graecis addi solebat, hic illic aliquid fortasse valere ad corruptorum emendationem. Simon enim Schardius cum epistolae

Digitized by Google

nostrae editionem principem editurus iam in Aristea Latine vertendo versaretur, transmittitur ei conversio, quam Garbitius, paulo ante vita defunctus, curaverat. „Itaque ego", Schardius inquit, „libenter id manibus defuncti concessi, ut debita laboris exhausti laude frueretur eaque conversio meae praeferretur: ita tamen ut ad meum exemplar, quod et integrius et correctius plerisque in locis erat, textus Aristeae Graecus imprimeretur". Constat itaque alium quam Schardio codicem Garbitio praesto fuisse. Qui licet saepe, ubi obscuriora sunt Aristeae verba, nimia usus sit libertate in vertendo, haud uno tamen loco ita epistolam vertit, ut eum alios quam quos novimus codices adhibuisse apertum sit. Is vero favere videtur coniecturae quam proposui; vertit enim locum: „Ita enim informatur animus ad purum habitum, cum colligit optima, et in pietatem, rem omnium praestantissimam, intentus, ea ut regula *minime fallaci utitur in consiliis et actionibus gubernandis*".

Sequitur: (vs. 11) „Ἔχοντες ἡμεῖς πρὸς τὸ περιέργως τὰ θεῖα κατανοεῖν, ἑαυτοὺς ἐπεδώκαμεν εἰς τὸν προειρημένον ἄνδρα πρεσβείαν, καλοκαγαθίᾳ καὶ δόξῃ προτετιμημένον ὑπό τε τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων, καὶ κατεκτημένον μεγίστην ὠφέλειαν τοῖς σὺν ἑαυτῷ καὶ τοῖς κατὰ τοὺς ἄλλους τόπους πολίταις, πρὸς τὴν ἑρμηνείαν τοῦ θείου νόμου, διὰ τὸ γεγράφθαι παρ' αὐτοῖς ἐν διφθέραις ἑβραϊκοῖς γράμμασιν. ἦν δὴ καὶ ἐποιησάμεθ' ἡμεῖς σπουδῇ, λαβόντες καιρὸν πρὸς τὸν βασιλέα περὶ τῶν μετοικισθέντων εἰς Αἴγυπτον ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ βασιλέως, πρώτως κεκτημένου τήν τε πόλιν καὶ τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον παρειληφότος.

Ἄξιόν ἐστι καὶ ταῦτά σοι δηλῶσαι.

In primis verbis quid sit „ἔχειν πρὸς τὸ περιέργως τὰ θεῖα κατανοεῖν" frustra quaero. Nam video Schmidtium interpretari „πεφυκότες πρός", ἔχειν vero idem quod πεφυκέναι non valet nisi adverbio addito. Neque puto locum defendi posse eo, quod iam apud antiquos ἔχειν ἀμφί τι vel περί τι eodem sensu dicatur quo εἶναι ἀμφί τι. Nam quid est nostro loco ὄντες πρὸς τὸ κατανοεῖν? Omnino igitur transponenda videntur ea verba et legendum „ἔχοντες ἡμεῖς περιέργως πρὸς τὸ τὰ θεῖα κατανοεῖν" nam ἔχειν cum adverbio coniunctum in deliciis est Aristeae.

Gravius vero peccatum est in iis verbis quae vs. 17 sequuntur: „ἦν δὴ καὶ ἐποιησάμεθ' ἡμεῖς σπουδῇ κ.τ.ἑ." Solent inter-

Digitized by Google

pretes ita haec explicare, ut pronomen relativum respiciat ad vocabulum πρεσβείαν: „eam (legationem) summo studio obiimus postquam occasione oblata regem adiimus verba facturi pro Iudaeis". Sed illi interpretationi multa obstant. Primum enim durum et ne in hoc quidem scriptore ferendum videtur pronomen relativum referri ad substantivum, quod, longa sententia interposita, tanto spatio ab eo pronomine remotum sit. Sed ut hoc mittam, nonne prorsus alia significatio vocis πρεσβεία est si quis dicit πρεσβείαν ἐπιδιδόναι ἑαυτὸν quam si πρεσβείαν ποιεῖσθαι? Hoc enim legationis munus indicat, illud ipsos legatos; idem ergo valet nostro loco πρεσβεία quod πρέσβεις, neque ad illud recte referas verba „ἣν ἐποιησάμεθα". Si quis autem negat in neglegenti scriptore et vix Graeci sermonis satis perito talia vituperari oportere, aliud superest. Λαβεῖν καιρὸν „occasionem nancisci" significat, non tamen „occasione data de aliqua re disserere": itaque extremae sententiae pars quaedam deest. Quivis videt hoc dicere voluisse Aristeam: „Cum memoratu dignissima sit legationis nostrae narratio, tibi quem talia permagni facere novi, rem exponam. Simul vero, quidnam opera mea Iudaeis apud regem profuerit, narrabo tibi, nam et hoc dignum est quod audias". Eo modo aliquanto melius oratio procedet: perpaucis autem mutatis scriptorem id dicentem habebimus, si in hunc modum sententiam scripserimus: Ἦν δὲ καὶ ἐποιησάμεθ' ἡμεῖς σπουδήν, λαβόντες καιρὸν πρὸς βασιλέα, περὶ τῶν μετοικισθέντων εἰς Αἴγυπτον ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ βασιλέως πρώτως κεκτημένου τήν τε πόλιν, καὶ τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον παρειληφότος, ἄξιόν ἐστι καὶ ταῦτά σοι δηλῶσαι.

p. 14. 7. Φιλομαθῶς γὰρ ἔχοντί σοι περὶ τῶν δυναμένων ὠφελῆσαι διάνοιαν δέον ἐστι μεταδιδόναι, μάλιστα μὲν πᾶσι τοῖς ὁμοίοις, πολλῷ δὲ μᾶλλον σοὶ γνησίαν ἔχοντι τὴν αἵρεσιν, οὐ μόνον κατὰ τὸ συγγενὲς ἀδελφῷ καθεστῶτι τὸν τρόπον, ἀλλὰ καὶ τῇ πρὸς τὸ καλὸν ὁρμῇ τὸν αὐτὸν ὄντα ἡμῖν.

vs. 7. pronomen σοι expungendum videtur. In sequentibus autem transpositis verbis oratio, ni fallor, confusa est, quod saepius in nostra epistola factum esse et alibi et hoc ipso loco codices ostendunt; vulgata enim lectio non est vs. 9 σοι γνησίαν ἔχοντι verum γνησίαν ἔχοντί σοι. Locum corruptum esse Schmidtius quoque vidit; is enim ad extrema: „exspectes" inquit, „dati-

Digitized by Google

vum". Mihi vero aliud subesse vitium videtur. Verbis „τὸν τρόπον", quae de suo loco migrarunt, post „ἀλλὰ καί" retractis scribendum conicio: „οὐ μόνον κατὰ τὸ συγγενὲς ἀδελφῷ καθεστῶτι, ἀλλὰ καὶ τὸν τρόπον, τῇ πρὸς τὸ καλὸν ὁρμῇ τὸν αὐτὸν ὄντα ἡμῖν".

p. 15. 31. ἀλλὰ τελείᾳ καὶ πλουσίᾳ ψυχῇ ἀπόλυσον τοὺς συνεχομένους ἐν ταλαιπωρίαις, κατευθύνοντός σου τὴν βασιλείαν τοῦ τεθεικότος αὐτοῖς θεοῦ τὸν νόμον, καθὼς περιείργασμαι. τὸν γὰρ πάντων ἐπόπτην καὶ κτίστην θεὸν οὗτοι σέβονται, ὃν καὶ πάντες, ἡμεῖς δὲ μάλιστα προσονομάζοντες ἑτέρως Ζῆνα καὶ Δία. οὕτω δ' οὐκ ἀνοικείως οἱ πρῶτοι διεσήμηναν κτέ.

Nonnulla in his verbis lectorem offendunt. Primum enim qui ad significationem, quam apud nostrum vocabula περιέργως et περιεργάζεσθαι habent, animum advertit, ei vix dubium videbitur, quin verba „καθὼς περιείργασμαι" (quae recte Iosephus A.I. XII. 2 reddit: „καθὼς ἐμοὶ πολυπραγμονήσαντι μαθεῖν ὑπῆρξε") cum insequentibus verbis sint coniungenda. Quid enim sedulo studio investigavit Aristeas? Hoc, opinor, quisnam esset ille deus, quem colerent Iudaei. Ad quam quaestionem respondent illa: „τὸν πάντων ἐπόπτην". Quare suspicor ita haec legenda esse: „Καθὼς περιείργασμαι γὰρ, τὸν πάντων κ.τ.λ.". Sed hoc levius fortasse est; gravius in sequentibus corrupta est oratio. Neque verum est, neque etiamsi verum esset, hoc, opinor, scriptor Iudaeus perhibuisset, omnes ad unum homines „τὸν πάντων ἐπόπτην καὶ κτίστην θεὸν σέβεσθαι". Fac vero eum hoc dicere voluisse, nonne scripsisset „ὃν καὶ πάντες οἱ ἄλλοι, ἡμεῖς δὲ μάλιστα"? At neque hoc neglegendum videtur tres illos, quos Lumbrosus contulit, codices non μάλιστα sed βασιλεῦ exhibere. Quae lectio mihi genuina videtur. Expuncto itaque δὲ legendum conicio: „ὃν καὶ πάντες ἡμεῖς, βασιλεῦ, προσονομάζοντες ἑτέρως . . . sed iterum offendimur: nam, quid attinet memorare Deum omnipotentem *alio* nomine (ἑτέρως) a Graecis salutari, nisi quis prius addiderit, quo nomine Iudaei illum Deum salutare solerent? Quod quia non additur, suspectum est illud ἑτέρως. Atque hic laborantibus succurrit, quem Schmidtius Graeci sermonis parum peritum et testem minime gravem iudicat, Flavius Iosephus; quod iusto severius iudicium mihi videtur, nam quamquam neque ego negabo Iosephum saepe, ubi obscurius rem enarret Aristeas, immutasse quae non satis recte intellexisset, et immutando non raro corrupisse, contendo tamen non

Digitized by Google

deesse locos, ubi aliam codicum lectionem, meliorem quam quae cognita esset, servaverit Flavius. Is vero Aristeae manum nostro loco reddit, scribens „Ζῆνα καλοῦντες αὐτὸν ἐτύμως, ἀπὸ τοῦ σύμπασιν ἐμφύειν τὸ ζῆν τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ νοήσαντες". Quo magis quoque, ni fallor, perspicuum fit immerito Schmidtium invitis codicibus edidisse „Ζῆνα καὶ Δία. οὕτω δὲ etc."; nam recte omnes editiones antiquae cum codicibus (etiam Par. 128 Marc. et Burn.) „Ζῆνα. καὶ διὰ τοῦτο δέ". Quamquam pro ultimo δὲ equidem γὰρ legere malim.

p. 17. 17. In regio προστάγματι, quod, licet uberiore oratione conscriptum sit quam qua decreta Ptolemaeorum uti solent, lucide tamen demonstrat nostrum scriptorem eiusmodi rerum minime ignarum fuisse, Philadelphus postquam Iudaeos manu mitti iussit; causam eius decreti addit his verbis: „νομίζομεν γὰρ καὶ παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἡμῶν βούλησιν καὶ παρὰ τὸ καλῶς ἔχον ἠχμαλωτεῦσθαι τούτους, διὰ δὲ τὴν στρατιωτικὴν προπέτειαν τήν τε χώραν αὐτῶν κατεφθάρθαι καὶ τὴν Ἰουδαίων μεταγωγὴν εἰς τὴν Αἴγυπτον γεγονέναι· ἱκανὴ γὰρ ἦν ἡ παρὰ τὸ πεδίον γεγονυῖα ἐκ τῶν στρατιωτῶν ὠφέλεια· διὸ παντελῶς ἀνεπιεικής ἐστι καὶ ἡ τῶν ἀνθρώπων καταδυναστεία. Verba, quae latiore inter literulas spatio indicavi, alii aliter acceperunt: plerisque vero idem videntur significare quod Garbitio. Is autem vertit: „nam quod commodi contigit ex auxilio militum *regionis*, hoc satis magnum fuit," in qua versione non apparet utrum ἐκ τῶν στρατιωτῶν, an solum τῶν στρατιωτῶν legerit Garbitius; illa enim praepositio, quam ex codice B inseruit Schmidtius, non magis in vulgata additur quam in codicibus Lumbrosi. Cogitarunt autem, opinor, ii qui ita ea verba vertunt de usu, quem rex percepit ex militibus Iudaeis, quos Lagi filius „εἰς τὴν χώραν κατῴκισεν ἐν τοῖς Φρουρίοις". Equidem eo minus de praesenti Iudaeorum officio in Aegypto cogitandum puto, quia ex constanti et perpetuo Alexandrinorum usu Aegyptum noster, cum urbi Alexandriae opponit, semper vocat τὴν χώραν. Verum neque orationi convenit talis, qualem volunt, interpretatio, quod vel perfecti participium (γεγονυῖα) arguit, perfecto enim praeterita indicare solet Aristeas. Hominum dominationi (τῇ τῶν ἀνθρώπων καταδυναστείᾳ) quam rex improbat, opponitur id quod ex eius opinione militibus sufficere oportuerat: praeda in ipso Iudaeorum agro (ubi στρατιωτικὴ προπέτεια τὴν χώραν διέφθειρεν)

Digitized by Google

collecta. Haec est, quam ἱκανὴν iudicat Ptolemaeus, ἡ παρὰ τὸ πεδίον γεγονυῖα ὠφέλεια; nam ὠφέλεια praeda est. Quidnam ergo verbis (ἐκ) τῶν στρατιωτῶν faciamus, quae fere abundant? Ne facillimo medicamento usi expungamus, monet nos Iosephus, qui licet sensum verborum non satis cepisse, ideoque verba paullum immutasse videatur, veram tamen lectionem servavit. Scribit ille (A. I. XII. 2. 3) „νομίζω γὰρ αὐτοὺς καὶ παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς προαίρεσιν καὶ παρὰ τὸ δέον ἠχμαλωτίσθαι, τὴν δὲ χώραν αὐτῶν διὰ τὴν στρατιωτικὴν αὐθαδίαν κεκακῶσθαι, καὶ διὰ τὴν εἰς Αἴγυπτον αὐτῶν μεταγωγὴν πολλὴν ὠφέλειαν ἐκ τούτου τοῖς στρατιώταις γεγονέναι". Quid mutaverit Iosephus, sive transposuerit, quivis videt: verum utut confusa, ultima verba dant quod scripsit Aristeas; mihi quidem iam dubium non videtur quin ita locus sit constituendus: „ἱκανὴ γὰρ ἦν ἡ παρὰ τὸ πεδίον ἐκ τούτων (vel ἐκ τούτου) τοῖς στρατιώταις γεγονυῖα ὠφέλεια" [1])

24. 29. Pergit enarrare Aristeas dona, quae Philadelphus Iudaeorum Deo vovenda misit, quorum descriptio ornatissima est et perobscura. Mensam enim votivam rex cum maiorem facere nollet quam per divinae legis praecepta constitutum esset (eam autem mensuram ex libro Exodi (XXV. 22) novit Aristeas) tam splendide ornari iussit, ut frustra quaerat noster, quibus aut quam gravibus verbis mensae dignitatem aequet. Saltem quibus verbis nobis imaginem doni redderet, non invenit. Verum eius verba hic illic mendis magis etiam obscura facta sunt.

Margo (στεφάνη) qua mensam circumdant artifices desinit in κυμάτια στρεπτὰ „τὴν ἀναγλυφὴν ἔχοντα σχοινιδῶν ἔκτυπον, (Ioseph. σχοινοειδῆ, unde conici potest σχοινίων scripsisse Aristeam vel potius σχοινιῶν, vide infra 17. 6 ubi recte Schmidt σχοινιαῖ coniecit) τῇ τορείᾳ θαυμαστῶς ἔχουσαν ἐκ τῶν τριῶν μερῶν. ἦν γὰρ τριγωνία, καὶ καθ' ἕκαστον μέρος ἡ διατύπωσις τῆς ἐνεργείας τὴν αὐτὴν διάθεσιν εἶχεν". — Parvo vitio haec fiunt obscura. Absurdum enim est marginem fingere forma triangulari. Cymation opinor ex tribus lateribus constabat, unde fiebat ut ab omni parte eundem praeberet adspectum (ὥστε καθ' ὃ ἂν μέρος στρέ-

1) Multis vero suspecta sunt verba παρὰ τὸ πεδίον. Parum placet, quod coniecit Schmidtius, παρὰ πόδα. Equidem verba corrupta esse vix putaverim. Si autem vitium alunt, omnino recipienda est Naberi coniectura, quam Vir clarissimus, quae est eius benevolentia, mecum communicavit per litteras „παρὰ τὸν πόλεμον".

Digitized by Google

φοιτο τὴν πρόςοψιν εἶναι τὴν αὐτὴν). Scribendum ergo est ἦν γὰρ τρίγωνα (sc. τὰ κυμάτια) quo ducit quoque Iosephus; scribit enim: „τριγώνων γὰρ ὄντων αὐτῶν κ.τ.λ.".

Iterum rem obscuriorem reddit codex, quem Schmidtius secutus est, in iis quae statim sequuntur: „κειμένης δὲ τῆς στεφάνης τὸ μὲν εἰς αὐτὴν τὴν τράπεζαν ἀπόκλιμα τὴν διατύπωσιν ἔχειν τῆς ὠρχιότητος, τὸ δ' ἐκτὸς κλίμα πρὸς τὴν τοῦ προςάγοντος εἶναι θεωρίαν". Hunc locum non intellexit Iosephus, et adeo mutavit ut quid in codicibus suis invenerit, non appareat. Neque Garbitius, quamquam eadem lectione usus, quam servant codices Lumbrosi (κειμένου δὲ κατὰ τῆς στεφάνης) recte haec verba vertit: „a parte quidem iuxta coronam". Nam recte quidem se habet codicum lectio sed aliud volunt ea verba. Sensum loci hunc esse credo: „cum vero margini superimpositum esset cymation, unum latus mensam spectabat, alterum ad adeuntium (τοῦ προςάγοντος, quod ne cum Schmidtio in προςιόντος mutemus monet Theocriti locus 15. 78) adspectum conversum erat". Nec tamen hac descriptione contentus iterum exponit scriptor quem ad modum τρίγωνον illud κυμάτιον margini impositum esset: „διὸ τὴν ὑπεροχὴν ὀξεῖαν εἶναι τῶν δύο κλιμάτων συνέβαινε, μετέωραν κειμένην": ita igitur cymation impositum erat margini ut basis eum attingeret, ambo vero reliqua latera acclivia in acumen superne abirent; „etenim", sic lectorem, quasi ipse suae descriptioni diffidens, scriptor commonefacit, „ut dixi triangulare erat cymation": τριγώνου κατεσκευασμένου [καθ' ὃ ἂν μέρος στρέφοιτο]. Extrema verba uncinis inclusi; ea enim admodum inepte, a lectore nescio quo, hoc loco addita sunt e praecedentibus repetita. Cum enim semel margini impositum esset κυμάτιον iam στρέφεσθαι non potuit; neque vero, ad quamquam partem vertebatur triangulare erat, verum eandem praebuerat speciem (τὴν αὐτὴν πρόςοψιν) in omnem partem versum.

Sola fere interpunctione laborant quae sequuntur p. 25 vs. 10 de pretiosis lapidibus qui cymation exornabant. Quae edidit Schmidtius in hunc modum: „πάντες δ' ἦσαν διὰ τρημάτων κατειλημμένοι χρυσαῖς περόναις πρὸς τὴν ἀσφάλειαν. ἐπὶ δὲ τῶν γωνιῶν αἱ κατακλεῖδες. συνέσφιγγον δὲ πρὸς τὴν συνοχὴν· ἐκ πλαγίων δὲ κ.τ.ἑ.". Adnotat idem ad calcem paginae: „fortasse verba ἐπὶ τῶν γωνιῶν αἱ κατακλεῖδες post συνοχὴν retrahenda sunt".

Digitized by Google

Expungendum igitur Schmidtio videtur, quamquam de eo vocabulo tacet, δὲ post ἐπί. Mihi vero codices Schmidtii soli peccasse videntur. Omittunt enim, id quod multo praestat, codices Lumbrosi δὲ ante πρός. Quibus obtemperandum est et restituendus locus in hanc formam: „ἀσΦάλειαν· ἐπὶ δὲ τῶν γωνιῶν [αἱ] κατακλεῖδες συνέσΦιγγον πρὸς τὴν συνοχήν". Tum verbis „ἐκ πλαγίων δὲ" nova descriptio incipit.

Huius descriptionis prima verba parvo vitio obscurata sunt: „Ἐκ πλαγίων δὲ κατὰ τὴν στεΦάνην κυκλόθεν τὰ πρὸς τὴν ἄνω πρόςοψιν ὡοθεσία κατεσκεύαστο διάλιθος, ἐκτύπωσιν ἔχουσα προσοχῆς συνοχέσιν ἀναγλυΦαῖς ῥαβδωταῖς, πυκνὴν ἐχούσαις τὴν πρὸς ἄλληλα θέσιν περὶ ὅλην τὴν τράπεζαν". Quid Iosephus hoc loco legerit, difficile erit diiudicare, rem enim non satis planam suis verbis reddere maluit cum scripsit „τὰ δὲ ἐκ πλαγίου τῆς στεΦάνης καὶ ὑπ' ὄψιν ἀνατείνοντα ὠῶν θέσει κατακεκόσμηται, ῥάβδοις τὴν ἀναγλυΦὴν ἐοικότων πυκναῖς, αἳ περὶ τὸν κύκλον τῆς τραπέζης εἵληντο". Neque magis Garbitius rem perspexit. Apertum vero est, etsi Aristeas verbo utitur minus usitato, eam ὡοθεσίαν διάλιθον astragalum indicare variis lapidibus exornatum. Verum quae sequuntur non expedio, si quidem aut codicum lectio προσοχῆς συνοχέσιν tenenda est, aut Schmidtii coniectura recipienda, qui dubitanter proposuit συνοχῆς προσεχέσιν, quod me nihilo magis intellegere fateor. Verum leviter haec verba corrupta esse et codices indicant, quorum alius aliud praebet. Exponere voluit, si quid video, Aristeas ectypomata illa, ova sive baccas, perpetuo ordine virgularum inter se coniuncta fuisse; itaque conicio legendum esse ἐκτύπωσιν ἔχουσα προσεχῇ συνεχέσιν ἀναγλυΦαῖς.

p. 26. 23. κατεσκεύασε δ' ἐκΦύοντα κισσὸν ἀκάνθῳ πλεκόμενον ἐκ τοῦ λίθου σὺν ἀμπέλῳ περιειλούμενον κυκλόθεν τῷ ποδὶ σὺν τοῖς βότρυσιν, οἳ λιθουργεῖς ἦσαν μέχρι τῆς κεΦαλῆς.

Cum plerique codices exhibeant κατεσκεύασεν δὲ, scriptor autem semper artifices plurali numero indicat, haec ita corrigenda videntur: „κατεσκεύασαν δ' (intellege τοὺς πόδας) ἐκΦύοντες κισσὸν ἀκάνθῳ πλεκόμενον ἐκ τοῦ λίθου σὺν ἀμπέλῳ περιειλουμένῳ κυκλόθεν τῷ ποδὶ σὺν τοῖς βότρυσιν, οἳ λιθουργεῖς ἦσαν, μέχρι τῆς κεΦαλῆς".

p. 27. 15. Sequitur craterum descriptio: „τῶν δὲ κρατήρων δύο μὲν ἦσαν (...) τὴν κατασκευὴν, Φολιδωτὴν ἔχοντες ἀπὸ τῆς βάσεως μέχρι τοῦ μέσου τὴν διασκευὴν τῇ τορείᾳ, καὶ τὴν τῶν λίθων

Digitized by Google

ἀνὰ μέσον τῶν Φολίδων σύνδεσιν πολυτέχνως ἔχοντες". Lacunam post „ἦσαν" cum Schmidtio ponere opus non erit si modo hunc in modum interpungemus: τῶν δὲ κρατήρων δύο μὲν ἦσαν τὴν κατασκευὴν Φολιδωτὴν ἔχοντες ἀπὸ τῆς βάσεως μέχρι τοῦ μέσου, τὴν διασκευὴν τῇ τορείᾳ καὶ τὴν τῶν λίθων ἀνὰ μέσον τῶν Φολίδων σύνδεσιν πολυτέχνως ἔχοντες, quae sententia admodum inelegans nec tamen ideo a nostro scriptore aliena est.

p. 29. 6. Peracta narratione de donis venit Aristeas ad sacri loci descriptionem: „τὴν δὲ θέσιν τῆς ὅλης χώρας πρῶτον δηλώσω. Ὡς γὰρ παρεγενήθημεν ἐπὶ τοῦ τόπου (l. τοὺς τόπους sive τούτους τοὺς τόπους) ἐθεωροῦμεν τὴν πόλιν μέσην κειμένην τῆς ὅλης Ἰουδαίας (codd. A. Burn. Marc Ἰουδαίων) ἐπ' ὄρους ὑψηλὴν ἔχοντος τὴν ἀνάτασιν". Succensent viri docti homini locorum, quae describit, tam ignaro, ut in media Iudaea Urbem sacram sitam esse putaverit. Et merito illi quidem; sed nescio num recte scriptori illud culpae tribuatur. Variant enim in ipsis iis verbis codices, quorum alii Ἰουδαίων, alii Ἰουδαίας habent, alii vero, ex quibus pendent antiquae editiones, verba „τῆς ὅλης Ἰουδαίας" omittunt. Neque Garbitium ea in codice suo legisse putaverim, qui vertit: „Cernebamus civitatem in medio *regionis* sitam" (Iudaeae nomine non adiecto). Suspicor sententiam corruptam esse vocabulis τῆς ὅλης e praecedentibus „τῆς ὅλης χώρας" perperam repetitis, quibus postea sive Ἰουδαίας sive Ἰουδαίων adiectum sit. Nam cum statim sequatur „ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς κατεσκεύαστο τὸ ἱερὸν", scriptorem indicare voluisse mihi quidem dubium non est, sitam esse urbem *in medio monte*, at in culmine templum: τὴν πόλιν μέσην κειμένην ἐπ' ὄρους ... ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς κατεσκεύαστο τὸ ἱερόν.

p. 29. 17. Obscurissimus et manifesto corruptus sequitur de templi velamento locus. Textum Schmidtius edidit in hunc modum: „τοῦ τε καταπετάσματος ἡ διατύπωσις θυρῶσι κατὰ πᾶν ὁμοιοτάτη ὑπῆρχε· καὶ μάλιστα διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ὑποδρομὴν (ἀδιάλειπτον κίνησιν λαμβανούσης τῆς διυφῆς, διὰ τὸ ἐπ' ἐδάφους γενομένης τῆς ὑποδρομῆς κατὰ τὴν κόλπωσιν μέχρι τῆς ἄνω διατάσεως) ἡδεῖάν τινα καὶ δυσαπάλλακτον τὴν θεωρίαν ἔχοντος τοῦ πράγματος". Verum cum et ipse locum corruptum censeret, tam acrem medicinam laborantibus verbis administravit, ut fere novam veli descriptionem edidisse videatur. Scribit enim „ὑποδρομὴν ἡδεῖάν

Digitized by Google

τινα καὶ δυσαπάλλακτον θεωρίαν εἶχε, ἀδιάλειπτον κίνησιν λαμβάνουσης τῆς διϋφῆς, διὰ τὸ, ἐπ' ἐδάφους γενομένης τῆς ὑποδρομῆς, κατατείνειν τὴν κόλπωσιν μέχρι τῆς ἄνω διατάσεως τοῦ πετάσματος". Haec quodammodo intellegi posse non negabo, quamquam non video, quid sit *κατατείνειν τὴν κόλπωσιν*. Verum quis credet e talibus ortum esse textum qualem nunc codices exhibent? Leviore medicamento, ni fallor, sententiam restitui oportet. Quae si non elegans, non tamen prorsus obscura erit si legerimus: „*καὶ μάλιστα διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ὑποδρομὴν (ἀδιάλειπτον κίνησιν λαμβανούσης τῆς διυφῆς, διὰ τῆς ἀπ' ἐδάφους γενομένης [τῆς] ὑποδρομῆς, κατὰ τὴν κόλπωσιν μέχρι τῆς ἄνω διατάσεως) ἰδεῖάν τινα καὶ δυςαπάλλακτον τὴν θεωρίαν παρέχοντος τοῦ πράγματος*".

Finem faciam in descriptione *τοῦ θυσιαστηρίου*. Arae descriptio haec est:

p. 29. 23. „*Ἡ τε τοῦ θυσιαστηρίου κατασκευὴ σύμμετρον ἔχουσα(ν) πρὸς τὸν τόπον καὶ τὰ θύματα διὰ τοῦ πυρὸς ἐξαναλούμενα τὴν διοικοδομὴν εἶχε, τῆς δ' ἀναβάσεως τῆς πρὸς αὐτὸ, πρὸς τὴν εὐκοσμίαν ἔχοντος τοῦ τόπου καθηκόντως, τὸ κλίμα τῶν λειτουργιῶν, τῶν ἱερέων κεκαλυμμένων μέχρι τῶν σφυρῶν βυσσίνοις χιτῶσιν*".

Recte Schmidt pro *ἔχουσα* posuit *ἔχουσαν*, quo ducere videntur Lumbrosi codices qui *ἔχουσαι* exhibent. Non audiendus vero est codex B, cui obsecutus Schmidtius ante *πυρὸς* „*τοῦ*" inseruit. Verum haec levia sunt; sive *ἔχουσα* sive *ἔχουσαν* leges, locum non intelleges. Nam durum est cum Schmidtio ad *τὸ κλίμα* „subintellegere: *εἶχε σύμμετρον*". Vitium equidem subesse suspicor; quod natum est cum *ἔχον τοῦ τε* in *ἔχοντος του* corruptum esset. Itaque conicio: „*Ἡ τε τοῦ θυσιαστηρίου κατασκευὴ σύμμετρον ἔχουσαν πρὸς τὸν τόπον καὶ τὰ θύματα διὰ [τοῦ] πυρὸς ἐξαναλούμενα τὴν διοικοδομὴν εἶχε, τῆς δ' ἀναβάσεως τῆς πρὸς αὐτὸ πρὸς τὴν εὐκοσμίαν ἔχον τοῦ τε τόπου καθηκόντως τὸ κλίμα τῶν τε λειτουργιῶν τῶν ἱερέων κ.τ.λ.*

Supersunt nonnulla, tam in templi Urbisque descriptione quam in reliqua epistola, quae minus emendata ad nos pervenerunt. De quibus, si tanti videbitur, posthac disputandi fortasse occasio erit. Nunc quidem hic subsistere praestat.

Scrib. Haarlemi Id. Ian. 1892.

Digitized by Google

AD TERTULLIANI
DE PUDICITIA ET DE PAENITENTIA.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Tertulliani opera. ed. Oehler. ed. maior. vol. I. p. 791—848. — 643—666.
Tertulliani opera. ed. Reifferscheid et Wissowa. pars I. p. 219—278.
Tertulliani de paenitentia, de pudicitia. Herausgegeben von Lic. Erwin Preuschen.

R. 219. 3. *Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, praeiudicium omnibus bonae mentis, quamquam rara nec facile perfecta vixque perpetua, tamen aliquatenus in saeculo morabitur, si natura praestruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit, si quidem omne animi bonum aut nascitur, aut eruditur aut cogitur.* Pro *praeiudicium omnibus bonae mentis*, scribendum videtur *praeiudicium omnibus bonis mentis.* Pudicitia autem est bonum mentis (cf. vs. 8 *omne animi bonum*) quod omnibus reliquis praeiudicat bonis mentis. Ubi pudicitiam inveneris, licet ibi omnes ceteras virtutes expectes. cf. c. 9. p. 236. 30 *exutus bonis mentis*, ubi tamen ludit scriptor in duplici vocabuli significatione: *bona = patrimonium, bona = virtutes. Praeiudicium* cum Dativo iunctum analogiam verbi sequitur, cf. Pud. 15. R. 251. 26. *haec sicuti et praeteritis praescribere, ita et sequentibus praeiudicare debebunt.* adv. Marc. I. c. 9. Oehler p. 57 vol. II. vs. 19 *sin de certis et indubitatis et absolutis regulae partibus incertis et dubiis et inexpeditis praeiudicabunt.* ib. c. 7. p. 54. 23 *si communio nominum conditionibus praeiudicat.*

Digitized by Google

Ceterum huius initii tenorem aliis verbis *Cyprianus* in libello de *habitu virginum* imitatus est: *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes et nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac iugiter Deo vivere, ad promissa caelestia et divina praemia pervenire.* Ad verbum fere verba Tertulliani expressit auctor libelli *de bono pudicitiae* [1]), qui editur in operibus spuriis, quae sub *Cypriani* nomine feruntur, c. 3 *pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum matrimoniorum, fides generis, propugnaculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiae caput.*

p. 219. 15. *sed viderit saeculi pudicitia cum saeculo ipso, cum suo ingenio si nascebatur, cum suo studio si erudiebatur, cum suo servitio si cogebatur — nisi quod infelicior etiam, si stetisset ut infructuosa, quae non apud deum egisset. malim nullum bonum quam vanum. quid prodest esse, quod non prodest? — nostrorum bonorum status iam mergitur, Christianae pudicitiae ratio concutitur cet.* Parenthesis quam indicavi sententiarum tenorem dilucidiorem reddet. Non agitur nunc de pudicitia saeculari; Christiana iam virtus in periculo versatur: viderit saeculi pudicitia: nostrorum bonorum status iam mergitur. Vereor ne ea, quae per parenthesin sunt inserta, misere sint corrupta, neque tamen sanandi rationem invenio. Tantum suspicari licet ex vocubulis *infelix* et *infructuosa* Tertullianum pudicitiam saeculi cum arbore contulisse, quae non quidem prorsus sterilis fuerit, non tamen fructus neque tam copiosos, neque tam laetos tulerit, quam tulisset, si ex deo originem duxisset. Hos autem fructus sprevisse videtur Tertullianus et praetulisse arborem fructuum prorsus expertem fertilitati u. i. d. *saeculari.* Quod si verum erit, fortasse legendum: *nisi quod infelicior etiam,* ⟨quam⟩ *si stetisset ut* (vel?) [2]) *infructuosa, quae non apud deum* ⟨radices⟩ *egisset.*

---

1) Obiter observabo eiusdum libelli c. 8 (ed. Hartel. p. 20. 9) ubi de Iosepho castitatis exemplo agitur, pro: *qui in domo minor cum periculo fuerat, regiae domus sine periculo dominus effectus est*, scribendum videri: *qui in domo* ⟨minoris⟩ *minor* (vel: *ministri minister*) *cum periculo.* Libelli initium, si licet insistere vestigia codicis Parisini sic fere constituerim: *Et ipsi vos scitis* ⟨fratres carissimi⟩, *tunc quando apud vos praesens essem* ⟨quanto⟩ *metu* ⟨essem⟩ (vel: ⟨quantum⟩ *metuerem*, (Libri: *metŭ*) *aliquas officiorum meorum partes praeterisse.*

2) *vel* infructosa i. e. si quidem *veros* fructus ferre non posset. *Vel*, ut hodierno

Digitized by Google

p. 220. 14. *non habet, quibus hoc repromittat, et si habuerit, non repromittet.* Vulgo: *repromittit.*

p. 220. 21. *et enim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam ornarit nocens* ‹constantia›.

p. 222. 17. *talia et tanta futilia eorum, quibus et deo adulantur et sibi lenocinantur, effeminantia magis quam vigorantia disciplinam, quantis et nos et contrariis possumus repercutere.* Suspicor: *quantis* [et] *nos et* ‹qualibus› *contrariis.*

p. 229. 11 sq. *iam et incesta donabis propter Loth et fornicationes cum incesto propter Iudam et turpes de prostitutione nuptias propter Osee, et non tantum frequentatas, verum et semel plures, propter patres nostros.* Lego: *verum et simul plures.* Tertullianus ipse unicas modo nuptias probat, neque propter maiorum incontinentiam, qui non modo plura deinceps matrimonia contraherent, sed polygamia quoque uterentur eiusmodi intemperantiam et posteris concedendam opinatur.

p. 229. 28. *inhaerebat usquequaque libidinis virus et lactae sortes non habentes, idoneae quod nec ipsae adhuc aquae laverant.* Locus conclamatus, nisi quod scriptor cataclysmi, *omnium rerum abolitoris* [1]), aquas dicere videtur, quod vocabulum ipsum fortasse erit inserendum: *quod nec ipsae* ‹cataclysmi› *adhuc aquae laverant. Idoneae* subironice positum significare videtur: exspectandum fuisse, si non alia qua ratione, attamen magni illius diluvii fluctibus peccati maculae fore ut extinguerentur. Tantae hominum impuritati, quae ne cataclysmi quidem aquis emundari posset, si

vocabulo utar, est particula *resignationis*, qua indicatur, si aliud quid vel melius fieri non possit, contentos nos fore eo, quod obtigerit. cf. Adv. Marc. I. 13. O. II. 61. 6 *et tamen, si quale quid fecisse indignum est deo, quanto indignius deo est nihil eum fecisse vel indignum, quo posset etiam digniorum auctor sperari.* Dignum magis deo erit se indignum aliquid fecisse, si quod se dignum sit facere non potuerit, quam nihil omnino fecisse. Qualicumque enim mundo creato, spem dabit se quondam meliora effecturum. Loco plenam suam integritatem reddemus, scribendo: *quanto indignius deo est nihil eum omnino fecisse* ‹quam› *vel indignum* vel adeo: *nihil* [eum] *omnino fecisse* ‹quam› *vel indignum.*

1) D e cultu fem. I. 3.

Digitized by Google

quid video, opponitur Christus (*sermo caro factus*), cuius caro, si quae forte sordes eam inquinassent, aqua baptismi respersa facili negotio emacularetur, neque, quod edi solet, *munditias suas aquis traderet*, sed IM*munditias suas* in aqua deponeret (p. 230. 8).

p. 234. 15. *licet enim filius audiat et Iudaeus et maior, quia prior in adoptione; licet et Christiano reconciliationem dei patris invideat — sed non erit Iudaei dictum ad patrem: ecce quot annis tibi servio et praeceptum tuum numquam praeterivi.* Legendum: *licet enim ⟨et⟩ filius audiat* [et] *Iudaeus et maior.* Quamquam Iudaei et appellantur filii [1]) dei atque ei filii maiores, quia priores eos adoptavit dominus, tamen non sunt adaequandi filio maiori, qui inducitur in parabola filii prodigi, nam cet. De traiectionis genere coniunctionis *et*, de quo egi Mnem. 1891 p. 394, hoc loco cogitandum non erit. In exemplis enim ibi allatis semper coniunctio ab illo vocabulo, cui sua propria vi artissime adhaeret, transfertur ad sententiae initium. Cuius traiectionis exemplis addendum etiam: de Ieiunio. c. 11. R. p. 289. 14. *itaque et hinc in alia specie altercatio diversae partis obducitur*, i. e. hinc *et* in alia specie. Eiusdem insolitae verborum collocandorum rationis exemplum praebet in vocabulo *non* ad Nat. I. 5. R. 65. 22. *cum tamen aliquos de nostris malos probatis, iam hoc ipso Christianos non probatis*, i. e. probatis eos non esse Christianos; in vocabulo *quidem* de Anim. 34. R. 358. 18 *nulla quidem ad hodiernum dementiae huiusmodi sententia erupit*, cet. pro: *ad hodiernum quidem.*

p. 235. 20. *sic et haeretici easdem parabolas quo volunt tribuunt, non quo debent aptissime excludunt.* Posterior periodi pars intellegi nullo modo potest, neque editorum Vindobonensium coniecturis: „*excludunt*] *ex se* (vel *exemplis*) *ludunt* fort. *excudunt* Hartelius", multum lucis his tenebris affulsit. Simplex tamen, nisi erraverimus, emendatio. Legendum: *sic et haeretici easdem parabolas quo volunt tribuunt, non quo debent. aptissime excludunt. quare aptissime? quoniam* cet. *Excludo* in Oehleri glossario ex-

1) cf. Esaias 1. 2 mox ab ipso Tertulliano allatum: *Dominus locutus est: filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me.*

Digitized by Google

plicatur: *abrogare, evertere, reddere irritum* vel *superfluum* (.) *infirmare.* Locis ibidem allatis addenda sunt: Marc. II. 1. Oehl. II. 84. 6. de anima 21. R. 334. 9. ad Nat. I. 2. R. 60. 25 et I. 10. R. 74. 25. Scorp. 5. R. 155. 26. *Aptissime excludunt* scriptum est per *contradictionem in adiectis.* Haeretici parabolas perversa interpretatione infirmant, quamquam interpretatio eorum ad parabolae verba aptissime comparata est; occasionem et causam propter quam olim parabola nata est non satis respiciunt, ut *aliorsum temperetur explicatio, quam quo parabolae cuiusque materia mandaverit*, i. e. aliam insistat viam, quam qua parabolae materia voluerit [1]). Nec mirum, quamquam errant et praepostera interpretatione universam vim et vigorem simulacris sanctis eripiunt, quod haereticorum interpretatio ipsa sibi accuratissime respondere videtur: non enim ex doctrinis interpretantur imagines, sed ex parabolis [2]) confingunt et adaptant doctrinas. Similes sunt histrionibus canticis gestus pulcherrimos et inter se aptissime congruentes associantibus, qui vero a fabula et persona, quas agant, prorsus sint alieni.

p. 236. 6. *sunt autem, quae et simpliciter posita sunt ad struendam et disponendam et texendam parabolam, ut illuc perducANtur, cui exemplum procuratur.* R. „*perducant* fort.". Lego: *ut illuc perducAtur* sc. parabola.

p. 243. 5. Suspicantur (adversarii, quos oppugnat Tertullianus) apostolum Paulum in secunda ad Corinthios eidem fornicatori veniam dedisse, quem in prima dedendum satanae in interitum carnis pronuntiarit, *impium patris de matrimonio heredem, quasi vel ipsum postea stilum verterit, scribens* cet. Reponendum: *quasi vel ipsE postea stilum verterit.* Perhibent fornicationis et moechiae remissibilitatis propugnatores, ipsum Paulum, in altera ad Corinthios, severam sententiam, quam in priore tulisset con-

1) cf. vs. 14. 15 *ne aliorsum temperetur facilitas comparationum, quam quo parabolae cuiusque materia mandavit*, quibuscum comparanda R. 237. 14 *ad propositum domini simpliciter interpretatio gubernabitur.*

2) cf c. 9. R. 235. 25 *nos autem quia non ex parabolis materias commentamur, sed ex materiis parabolas interpretamur.*

Digitized by Google

tra peccatorem quendam, qui novercam suam in matrimonium duxisset, revocasse. *Stilum vertere est:* quae scripseris eradere. Non modo Paulus passus esse fertur Corinthios eiectum in ecclesiam denuo admittere, sed *ipse* disertis verbis mutatae sententiae fecisse professionem. Ceterum cum Tertulliani adversariis facit in locis ex utraque ad Corinthios epistola interpretandis *Pacianus*, Barcilonensis episcopus qui sub Theodosio magno diem obiit. Scribit enim in *Epistola* III *ad Sympronianum* c. 18. *Vis hoc scire? in secunda Corinthiorum hunc ipsum impium idem Paulus absolvit. Nam de ipso ait:* sequuntur II Corinth. II. 6—8. *Item infra*: sequitur II Cor. II. 10. *vides apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem. vides mitissimam lenitatem* cet. Idem Pacianus quamquam in *Paraenesi ad paenitentiam* compluribus in locis Tertullianum describit, in epistula modo citata multo latiorem de paenitentia rationem defendit, quam quae exemplo ipsius placuerat, quamquam sententiae suae stabiliendae causa ad Tertulliani quandam epistolam provocat. cf. c. 24. *Cyprianum loquor, vestra oppugnantem et catholica iura retinentem. Tertullianum post haeresim* (*nam multa inde sumpsistis*) *ipsum epistola sua et ea ipsa, quam catholicus edidit, audies confitentem, posse ecclesiam peccata dimittere. Post haeresim* et *ea ipsa, quam catholicus edidit* inter se sunt contradictoria, nam Catholici opinio ad ecclesiae Catholicae iura vindicanda multo valebat minus quam haeretici. Dissonantia vero coniectura conciliare acutiori relinquo.

p. 243. 22. *de modica scilicet indulgentia agebatur; quae, si forte, nunc aestimaretur, quando maxima quaeque non soleant etiam sine praedicatione donari, tanto abest sine significatione.* Vocabula *nunc aestimaretur* corrupta esse firmiter habeo persuasum, de vera loci scriptura valde haereo. *Scilicet* et *si forte* (= fortasse) documento sunt scriptorem ironice esse locutum. Agi creditur de paterni tori contaminatore [1]). Miratur Tertullianus apostolum in tam gravi delicto neque peccatorem neque quod admisisset scelus accuratius indicasse: nimirum de leviore quodam delicto agebatur, quod fortasse apostolus ne nominare quidem operae existi-

1) cf. de pud. c. 14. R. 249. 8: *venia fit plane, sed incertum cui, quia nec persona nec causa proscribitur.*

Digitized by Google

maret pretium, si quidem maioris momenti admissa non facile sine praedicatione, i. e. nisi manifestis et gravibus verbis expressa [1]), donentur, nedum ne indicentur quidem. In vocabulis: *quae si forte nunc aestimaretur* latere videtur sententia: *ne nomine quidem digna aestimaretur* vel *ne nuncupari quidem operae pretium aestimaretur* vel eiusmodi quid. Accuratam loci scripturam constituant peritiores.

p. 248. 16. *et vos inflati estis et non luxistis potius, ut auferatur de medio vestrum qui tale facinus admisit* (I. Corinth. 5. 2. Vulg. *et vos inflati estis: et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum, qui sic operatus est*). Rogat Tertullianus: *pro quo lugerent? utique pro mortuo. ad quem lugerent? utique ad dominum, ut quo modo auferatur de medio eorum, non utique ut extra ecclesiam detur, hoc enim* cet. Interpunctio sensum obscurat: *pro quo lugerent?* (respondetur:) *utique pro mortuo. ad quem lugerent?* (respondetur:) *utique ad dominum?* (rogare pergit:) *ut quo modo auferatur de medio eorum?* (respondetur:) *non utique ut extra ecclesiam detur. hoc enim non adeo postularetur, quod erat in praesidentis officio, sed ut per mortem hanc quoque communem — plenius de ecclesia deberet auferri.*

p. 252. 22. *age iam, quis omnino vitiatum a deo redintegravit id est traditum satanae in interitum carnis, cum idcirco substruxerit: nemo seducat semet ipsum id est nemo praesumat vitiatum a deo redintegrari denuo posse.* L. *redintegra*BIT. Nullum fere mendulum saepius redit. Etiam vs. 21 *vitiabit* per coniecturam restitutum est pro *vitiavit*, quae editionis principis est lectio.

p. 254. 10. *quam si cui indulsit vel indulget, utique consilium remedii sui infregit et tenebitur iam frenandis continentiae coniugiis, si fornicatio, ob quam permittuntur, non timebitur.* Nisi longior horum verborum meditatio mentis mihi aciem obstrinxerit, haec verba erunt corrupta et reponendum erit vel: *et*

1) Explicui *donare* per: *remittere, dimittere, veniam dare,* quo sensu apud T. frequens est: potest vero: *maxima quaeque donari* et ita intellegi: magna dona non facile sine verborum ornatu, nedum sine ulla significatione offerri.

Digitized by Google

tenebitur iam ⟨inconstantiae⟩ *frenandis* [continentiae] *coniugiis*, vel: *et tenebitur iam* ⟨inconstantiae⟩ *frenandis continentia coniugiis*. Qui fornicationem indulget sed fratribus auctor est: *solutus es ab uxore, ne quaesieris uxorem* eisque, qui habent uxores ut *sint tamquam non habentes*, summo iure inconstantiae arcessitur.

p. 262. 13. *haereticam enim feminam, quae quod didicerat a Nicolaitis docere susceperat, in ecclesiam latenter introducebant et merito ad paenitentiam urgebat.* Non, opinor, sive Ioannes sive spiritus sanctus, qui ex ore eius loquebatur, haereticam feminam latenter in ecclesiam introducebat, sed haereticam feminam, *quae quod didicerat a Nicolaitis docere susceperat* ⟨et⟩ *in ecclesiam latenter introducebat*, [et] *merito ad paenitentiam urgebat.*

p. 262. 26. *denique ea Apocalypsis.* R. „*ea* del. Hartel." L. *eadem Apocalypsis.*

p. 263. 11. *de epistola quoque Ioannis carpunt statim. dictum est: sanguis filii eius emundat nos ab omni delicto.* Distributione verborum leviter immutata legito: *de epistola quoque Iohannis carpunt* (i. e. excerpunt sententias in suam rem facientes): *statim dictum est*, i. e. initio epistulae legitur (I Ioh. 1. 7.) cf. c. 18. 259. 13 *habes statim in Psalmis* (Ps. 1. 1).

p. 264. 9. *ecce enim et rursus, si dicamus, ait, nos non deliquisse, mendacem facimus illum, et sermo eius non est in nobis. eo amplius, filioli, haec scripsi vobis, ne delinquatis cet.* L. *et amplius.* cf. vs. 7 *et rursus.*

p. 265. 27. *ita Iohanni ratio constabit diversitatis, distinctionem delictorum disponentis.* Male spernitur optima lectio (BCD) *Iohanni — disponenti.* cf. adv. Hermog. 17. O. II. 354. 6 *ut illi quoque scripturae ratio constet: quis cognovit sensum domini?*

p. 268. 25. *nondum enim caro a Christo manumissa, cui servabatur,* ⟨ut⟩ *impune contaminabatur, ita iam manumissa non habet veniam.*

Digitized by Google

p. 270. 15. *ipse denique primus in Christi baptismo reseravit aditum caelestis regni, quo solvuntur alligata retro delicta et alligantur quae non fuerint soluta.* Est quidem, teste Matthaeo (3. 16 *et ecce aperti sunt ei coeli*), in Christi baptismo aditus coeli reseratus: sed ea res nihil ad Petrum, utqui tunc nondum dominum sectaretur, cf. Matth. 4. 18. Loci explicatio non petenda ab euangelistis sed ex Actibus Apostolorum. Petrus (vs. 12) dicitur clavem, quam ei Christus commisisset *imbuisse*, i. e. inaugurasse, cum Petrus per dies Pentecostes Iesum resuscitatum Iudaeis nuntiaret. Eadem clavi usus est, cum solveret alligata retro delicta et alligaret quae non fuissent soluta, i. e. actiones, quae antea pro illicitis fuissent habitae permitteret, ut quae tunc non concessisset, in posterum ferri non posse indicaret. *Soluta* est autem *concessa, permissa*. Reseravit autem aditum caelestis regni Petrus, cum non modo Iudaeos sed et eos, *qui praeputium habebant* baptizavit. Solvit autem retro alligata delicta, cum in mentis excessu ei ostendisset Dominus neque *communia* neque *immunda* dicenda, quae purificasset dominus neque Iudaeum deo vetari *coniungi* aut *accedere* ad alienigenam. Haec omnia non facta sunt in *Christi* sed in *Cornelii* centurionis baptismo. cf. Act. Ap. c. 10 et 11. Pro *Christi baptismo* reponendum igitur: *Cornelii baptismo*. cf. quae adtuli Studia Ecclesiastica. I. p. 41. ad *de Idol.* c. 19.

DE PAENIT. c. 6. O. I. 653. 11. *si ergo qui venditant primo nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus neve rasus, ne adulter, etiam dominum credimus paenitentiae probationem prius inire, tantam nobis mercedem perennis scilicet vitae concessurum.* Scaligerus hunc locum integrum non esse sensit, neque simplicem affirmationem *credimus* sententiae vel aptam esse vel sufficere. Medicina vero quam adhibuit violentior est, quam ut libenter aegrum nostrum ei committamus. Legit enim: *credamus poenitentiae probatione ante prius inita, tantam* cet. Equidem putaverim Tertullianum, quod facere solet et adfectat, subironice esse locutum: si venditores nummos, quibus venalia sua permutent, diligenter prius inspiciant et experiantur, verisimile non est dominum peccatoribus vitam perennem i. e. coelum esse conces-

Digitized by Google

surum, nisi tanti boni ante pretii, paenitentiae scilicet, sinceritatis diligenter periculo facto. Quem sensum habebimus, si scripserimus pro: *credimus, crediderimus.*

c. 10. O. I. 661. 10. *ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento eius acquiro, cum ipse hominem quodammodo exhortatur: ne me respexeris, dicens, per te mihi melius est perire.* Immo: *p r o t e.* Aut pudori pereundum est aut homini neque quidquam refert pudoris, utrum *per* hominem pereat an per alium quemcunque vel auctorem vel causam. *Pro* et *per* (*p* et *p*) permutata sunt etiam *de Paen.* 4. O. I. 650. 10. cf. Oehleri adnotationem criticam. *Pacianus*, quem citavit Oehlerus, in *Paraenesi ad Paenit.* c. 8. Migne XIII. 1086 hunc locum imitatus scribit: *an sic illi melius est perire, ne tu pudore (pudori?) timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui p r o t e melius est perire.* Quem locum ut melius periodi membra cohaereant, ita scribendum esse suspicor: *ne tu — moriaris*, ⟨sed⟩ *non faciens pudori locum — acquiras*, ut positiva coniunctio *ut* ex negativa *ne* sit mente supplenda. Verborum Septimianorum quae huius capitis initio leguntur Pacianus etiam memor esse videtur in *Epist.* I ad *Sympronianum* c. 1. *nudari enim eas partes oportet, quibus medicina deposcitur. nunc clauso, ut ita dixerim, litterarum sinu, quae membra nobis potissimum curanda sint non videmus.* cf. Scorp. c. 5. In eodem capite Pacianus nomina aliquot haereticorum et sectarum enumerans, quae a prima origine ecclesiae fidem infestassent catholicam, verba affert Vergiliana: *Simon Magus et Menander et Nicolaus et caeteri q u o s f a m a r e c o n d i t o b s c u r a.* Aen. 5. 302 [1]): *multi praeterea quos fama obscura recondit.* Id ei Sympronianus in proximis litteris obiecisse videtur, cui Epist. II. c. 4. Pacianus ita respondeat: *Quae castigas et agis?* (satagis?) *Quasi ad rhetorem venerimus, aut ars sit tractanda, aut de versibus Virgilii, versus enarrarem?* (l. aut de versibus ⟨agendum?⟩, Virgilii versus enarrarem?) *cum plures haereticos nominassem, addidi: et q u o s*

1) Ceterum, quod iure observavit *Heidtmannus*, versus apud Vergilium cetero contextui aptus non est, nam omnes qui certaminis participes sunt in sequenti narratione nominatim afferuntur. Est igitur aut insiticius aut ipsi poetae, si ultimas curas operi impendere licuisset, tollendus nunc legitur.

Digitized by Google

fama recondit obscura. Et unde tu hoc de Virgilii versu tractum putas, si Virgilium omnino non noveras? Atquin ego non ex [1]) *ordine versum posui. dixi enim: quos fama recondit obscura; ut loquentibus moris est ex copia sermonis humani dicere aliquid quod ante dictum sit. tu vero versum suo ordine sua compage repetisti. adeo Virgilium plus amasti, ut nefas fieri putares, si versum eius infringeres? et tamen ego a parvulo didiceram* [2]*): quid mirum si in ea incidi quae sciebam? in te, frater, tantus est labor, ut ea nunc demum legas, quae lecta quondam ab aliis erubescebas. Latinis institutum, Latine loquentem tam excusare debes, quam Graece Graecum, quam Parthica Parthum*, cet. Hispanus igitur gloriatur adversus Sympronianum, qui sero demum Latinis litteris imbutus esse videtur, quod a puero sermone et litteris Latinis sit institutus. Quod ad versum quem citarat, *„versum"* quem appellat *„poeticum"*, se defendit exemplo Pauli apostoli qui et ipse bis ethnicum poetam [3]) adtulisset: *sic peccamus exemplo: nec rhetores sumus, sed quamcunque vocem copiam dei credimus. Latium, Aegyptus, Athenae, Thraces, Arabes, Hispani Deum confitentur, omnes linguas spiritus sanctus intellegit. Tu ipse cur ais: litteras tuas vivaci cedro perlinam propter cariosos hostes musarum.* Ostendit hoc fragmentum, quam tumido et ambitioso sermone Sympronianus uteretur. *Quarum, oro, Musarum? An quae invenerint litteras et scripserint chartas quas tineae persequentur? dic, oro, frater, Musae litteras repererunt? Nonne per Dominum omnia, et a Deo omnia? Praeter illas centum et viginti linguas fuit adhuc alia Musarum?* Statuerat autem paulo supra Pacianus deum *in ora centum et viginti linguam modulatum esse. Hesiodus istud in Helicone* [4]) *mentitus est, sed Atheniensium studio*, i. e. ut placeret Atheniensibus vel quod amabat Athenienses, *quibus, apostolus ait, nihil vacabat nisi loqui.* — Non optima fide citat Pacianus Act. 17. 21. *Ἀθηναῖοι*

---

1) Dicere videtur, se metrum non servasse.

2) Pacianus Vergilii memor fuit et quum scriberet: Paraenesis c. 4 *haec vero tria crimina — ut letalis arundo metuenda sunt.* Aen. IV. 73.

3) Act. XVII. 28. 29. Tit. I. 12. 16.

4) Fortasse memor fuit vs. 661. 662. Ἔργα καὶ Ἡμέρας.
ἀλλὰ καὶ ἢς ἐρέω Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο,
Μοῦσαι γάρ μ' ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν.

Digitized by Google

δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. cf. I Corinth. 14. 10. τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν ἐστὶν ἐν κόσμῳ, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον. 18. εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν. — *Nos teste apostolo omnium vocum modos, omnium genera linguarum a deo inspirata retinemus. Ignosco tamen, frater, si quid et tu de tuo auctore praesumis, et Novatiani philosophiam, per quam ille in naufragium religionis incurrit, cum Hesiodi auctoritate coniungis. verumtamen apostoli meminisse debueras, qui ait: videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem.* Fusius haec retuli, quia ad veterum poetarum posterioribus saeculis fata cognoscenda aliquid utilitatis afferunt.

c. 11. O. I. 662. 21. *sed enim illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus.* Lego: *qui ambitum obeunt*, ambitum scilicet omnibus, quicunque magistratum capessere voluerint, necessarium. cf. 663. 7 *quod securium virgarumve petitio sustinet.*

In *Studiis ecclesiasticis* p. 10 sq. enumeravi, apud Tertullianum quae deprehenderam vestigia lectionis poetarum. Quae cum sint paucissima, duos tresve adhuc locos, quos addam, habeo. Initio libri *de Pudicitia* leguntur verba: *pudicitia, quamquam rara nec facile perfecta vixque perpetua, tamen aliquatenus in saeculo morabitur*, in quibus scribendis auctor memor creditur fuisse initii sextae *Iuvenalis* Satirae. *De Paenit.* c. 12. O. I. 664. 6 *cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum.* Citant interpretes

hic Venus indigno nati concussa dolore
dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
puberibus caulem foliis et flore comantem
purpureo; non illa feris incognita capris
gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.

Magis est tamen veri simile Tertullianum ea, quae de cervis sibi ipsis medentibus tradat, desumpsisse ex Plinio, ex cuius de H. N. libris omnia quae ad rerum naturam pertineant haurire soleat, praesertim quum quae mox de hirundinibus docet, in eodem capite Pliniano legantur. Praeterea Vergilius pro *cervis* Plinii et Tertulliani *capras* feras memorat. Attamen verba: *fer-*

Digitized by Google

rum et irrevocabiles eius moras poeticum quendam colorem prae se ferunt. Imitator contra Tertulliani *Pacianus* Vergilium in mente habuit, quum scripsit: (Paraen. ad Poen. c. 11) *caprae ferae, ut dicunt, remedia sua noverunt: confixas quippe, audio, venenatis sagittis saltus peragrare Dictaeos, quoad dictamni caule detonso, salutarium virulento latice succorum, pulsa decutiant tela corporibus. Dictamni caulis* libro XII, *saltus peragrare Dictaeos* libro IV (vs. 72. 73) debetur. Manifestum est Pacianum *a parvulo* Vergilium *didicisse*. Postremo *Lucretius citatur:* de Anima c. 5. cf. Lucr. I. 304. *Pacuvius:* de Pallio 3. O. I. 926. Lectionis *Horatianae* quamvis exigua ostendi vestigia *Stud. Eccl.* p. 12; corrigenda igitur, quae scripsit Hertz. Analecta Hor. IV. 5. *Minucius, Tertullianus, Cyprianus — nusquam — lectionis Horatianae vestigia prae se ferunt.*

Traiecti ad Rhenum. m. Febr. 1892.

VOX — NOX.

Passio beatae Katherinae virginis. edid. H. Varnhagen. Erlangen 1892. Vs. 384.

dulci voce domum complent: magnalia Christi
laudibus attollunt multiplicantque suis;
hic odor effragrat dulcis, vox irradiata
luce resplendescit. Gaudia virgo gerit.

In miraculorum quidem mundo *vox resplendescens* — nisi eo sensu, quo Cicero de Sen. § 28. scribit: *canorum illud in voce splendescit etiam in senectute*, vel Brut. § 203 (de Sulpicio) *vox cum magna tum suavis et splendida* — nimis videtur mirabile. Editor: „*ex* st. *vox*", i. e. liber Vindobonensis legit: *ex*. Reponendum: *nox irradiata Luce resplendescit.* Cf. 371:

quem (carcerem sc.) *simul intrantes coelesti lumine plenum*
cernunt.

J. V. D. V.

Digitized by Google

CALLAECI — GALLAECI.

SCRIPSIT

U. PH. BOISSEVAIN.

Qui vel veterum vel recentiorum scriptorum locos, ubi de *Callaecis*, Hispaniae populo, et *Callaecia* sermo est, oculis perlustrabit, horum nominum formas modo per C (*Callaeci*, *Callaecia*) modo per G litteram (*Gallaeci*, *Gallaecia*) scriptas inveniet. Adeo incerti haerent docti, utram formam praeferant, ut vel apud eundem scriptorem veterem nunc hanc nunc illam ferre non recusent. Quaenam praestat? An utraque bene se habet promiscue a Romanis usurpata, differuntve hoc tantum inter se quod altera altera est recentior? Scripsitque e. gr. Plinius in Naturali historia et *Callaeci* et *Gallaeci* prout in fonte suo legerat, habemusque fortasse in ea scribendi inconstantia haud spernendum adiumentum ad scriptores, quibus quoque loco usus sit, investigandos?

De hac quaestione, levioris sane sed tamen non nullius momenti, cum me iudice certo diiudicari possit, non abs re visum est, paucis opinionem meam significare.

Ut saepissime in re orthographica, hic quoque auxilium nobis petendum est ex lapidibus. Quod mirum ei videatur cui forte animo obversantur inscriptionum testimonia a Marquardtio in enchiridio 1², 254 sq. collecta, quo loco de dioecesi Asturicae et Callaeciae agitur, quae postea provincia facta est. Nam ibi quoque formae per C et per G litteram scriptae non aliter variant atque in scriptorum editionibus. Unde etiam magis adducimur ut credamus utramque formam apud Romanos in usu fuisse. Quod contra est. Lapides omnes recensebimus ex ordine, quoad fieri potest, chronologico.

Digitized by Google

C. I. L. 2, 2422 (Bracarae Augustae)	Saec. I a. Chr. exeunte	Callaecia
Dipl. 2	a. 60	Callaecorum (bis)
Dipl. 11	a. 80	Callaecorum
Dipl. 74	a. 84	Callaecorum
Dipl. 12	a. 85	Callaecorum (bis)
C. I. L. 5, 534 (Tergeste)	a. 98—102	Callaeciarum (vid. Mommsen.)
C. I. L. 2, 4211 (Tarracone)	aetate Traiani	Callaec[orum?]
C. I. L. 3, 6065 (Ephesi)	aetate Traiani	Callaecorum
C. I. L. 12, 1855 (Viennae)	aetate Traiani	Callaec(iae)
C. I. L. 2, 2643 (Asturicae)	Saec. II	Callaeciae [1])
Eph. Epigr. 7, 397. C. I. L. 8, 2747 (Lambaesi)	a. 150	Callaeciae [2])
Dipl. 39	a. 154	Callaecorum
Dipl. 46	a. 167	Callaecorum
C. I. L. 6, 1486 = 14, 2941 (prope Romam)	aetate Antoninorum	Callaec(iae) [3])
C. I. L. 6, 1599 (Romae)	aetate Antoninorum	Calleciae [4])
C. I. L. 6, 1620 (Romae)	aetate Antoninorum	Callaeciam
C. I. L. 3, 3664 add. (Crumeri)	a. 198	C[allaec(orum)]
C. I. L. 10, 4750 (Suessae)	Saec. III	Callaec(iae)
C. I. L. 11, 1183 (Veleiae)	aetate Caracallae	Calláeciae
C. I. L. 6, 1507a (Romae)	aetate Severi Alexandri	Callaeciae [5])
C. I. L. 2, 2635 (Asturicae)	Saec. IV	Callaeciae
Bramb. 1232 (in Germ. Sup.)	aetate inc.	Callaecorum

1) Lectio tantum non certa. Ectypum ipse consulere potui ab Aemilio Huebnero insigni liberalitate ultro Groningam mihi transmissum. Vs 9 in. lapidis superficies ita est corrosa ut prima littera satis clare distingui nequeat. Mihi tamen dubium non visum C fuisse non G.

2) Editum est *Gallaeciae*. Sed Ioannes Schmidt, Supplementorum ad C. I. L. VIII editor doctissimus, quem dubitans de lectionis sinceritate per litteras adii, humanissime mihi respondit, C litteram exstare in ectypo non G, et errorem Wilmannsii in supplementi parte altera nondum edita iam esse correctum, atque etiam Eph. Epigr. 7, 397 C in lapide legi.

3) *Gallaec(iae)* 6, 1486, sed recte monuit Dessau 14, 3995 *Callaec(iae)* legendum esse. Kellermann qui lapidem primus descripsit excepit CAIIAIC, vide Henz. n. 6489.

4) *Galleciae* Winghius, quod in textum recepit Henzen. Recte tamen Cittadinius *Calleciae*. — Ferit animum in basi honoraria posita a senatu hac aetate reperiri *Calleciae* pro *Callaeciae*; sed cf. vs. 14 *vigul(um)*.

5) Editur *Calaeciae*. Lapis inter C et l fractus est. Eiusdem viri est titulus Nemausensis C. I. L. 12, 3170 in quo huius vocabuli superest tantum *leciae* (sic).

Digitized by Google

His viginti tribus [1]) titulis cum *Callaecus*, *Callaecia* inveniatur, quattuor sunt qui alteram formam praebere videntur, Hispani omnes, C. I. L. 2, 2553/5; 2634; 2776; 3271. At hos parum aut nihil habere auctoritatis facile poterit demonstrari. C. I. L. 2, 2553/5 duo sunt ex titulis numero septem, 2551—8, pessime corruptis et interpolatis, repertis in castro sancti Christophori in Callaecia, quod ne ubi situm fuerit cognitum habemus, stantque fide hominis cuiusdam itidem prorsus ignoti. Praeterea si 2553 vs. 7 et 2555 Gallaeci comparent, at 2553 vs. 10 et 2556 Callaeci dicti sunt. Itaque hi tituli ad hanc quaestionem solvendam abiciendi sunt. Idem valet de lapidis Castulonensis fragmento male habito (3271), quod solus servavit Ambrosius Morales et de inscriptione Asturicensi 2634 Q. Mamilii Capitolini *leg(ati) Aug(usti) per Asturiam et Gallaeciam* (saeculi tertii), quae, teste Ferrer, fuit *„bien dificultosa de leer"*.

Superest solus lapis Cluniensis 2776 *T. Fraternus matribus Gallaicis v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*. Eum exscripsisse Alfonsum de Castro Smetius noster adnotavit, errore, ut Hubnero visum, pro Casparo de Castro, quem summa et fide et peritia titulos descripsisse notum est. (Cf. C. I. L. 2, p. IX, 12 et p. 53). Si tamen tecum reputaveris, quantillum ductus litterarum C et G inter se differant et quam saepe factum sit ut viri rei epigraphicae quantumvis periti et olim et hodie, cum recens nomen *Galiciae* in animo haberent, in hoc vocabulo eas litteras confuderint, hominem Hispanum in eundem incidisse errorem non miraberis.

Igitur constare mihi videtur in titulis formas *Gallaecus* cet. non exstare. Reperti autem sunt qui adhuc innotuerunt in diversissimis Imperii Romani partibus, Romae [2]) et in Italia, in Pannonia, in Asia, in Africa, in Gallia, ad Rhenum, in Hispania ipsa. Cumque is, quem primo loco citavi, paucis annis ante nostram aeram incisus sit, paenultimus est Saeculi quarti isque Hispanus atque adeo Callaicus.

---

1) In censum venire non possunt C. I. L. 12, 3170. 3172; 14, 2941. 3995.

2) Diplomata militaria in urbe ipsa incisa fuisse vel subscriptione demonstratur: *descriptum et recognitum ex tabula aenea, quae fixa est Romae* cet. Cf. Momms. C. I. L. 3. p. 904.

Digitized by Google

Mirum sane foret si scriptores horum vocabulorum ea forma usi fuissent, quam ignorent inscriptiones. Quod non ita esse non tantum sanae mentis ratione evincitur, sed etiam certo scriptorum ipsorum testimonio confirmatur.

At, dicat aliquis, nonne apud Livium eam quam damnes formam olim lectam fuisse probat periocha libri 56: *Decimus Iunius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallaecos pugnavit* et Iulius Obsequens 62 (123) *Lusitani Gallaeci devicti?* Ita quidem periocharum codices et Obsequentis Aldina, verum Florus Livium secutus 1, 33 (2, 17) 12 *Callaeciae populos* scripsit neque aliter Orosius 5, 5, 12 *sexaginta millia Callaecorum* secundum optimos libros Laurentianum et Rehdigeranum (a prima manu), immerito hoc loco spretos ab editore recentissimo. Rectissime quoque Ovidius, Fast. 6, 461

Tum sibi Callaico [1]) *Brutus cognomen ab hoste*
Fecit

et Gratius, Ovidii aequalis (ex Ponto 4, 16, 34), Cyneg. 514

Callaicis lustratur equis scruposa Pyrene,

nam ita scribendum pro *Callaecis*, quod codices praebent.

Iam afferam ceteros Graecorum et Latinorum scriptorum locos ubi forma per C litteram scripta aut editur aut ex codicibus optimis edenda erat.

saeculo primo:

Strabo: Καλλαικοί novies p. 152. 155. 157. 162. 164. 166; Βροῦτος ὁ Καλλαϊκὸς προσαγορευθείς ibid. p. 152.

Silius Italicus: *Callaecia* 3, 345, *Callaicae telluris* 2, 397, *Callaicae-manus* 2, 417, *Callaico-auro* 2, 602, *Callaici-mariti* 3, 353, *Callaici-tegminis* 4, 328, *Callaici-metalli* 10, 119, *Callaicus Lampon* (nomen est equi) 16, 334, *Callaicum-axem* 6, 377, *Callaicas-vires* 16, 383.

Plinius (nat. hist.): *Callaeci* 3, 28 (Leid. A.); *Callaecia* 33, 78. 80; 34, 158 (Bamb.); *Callaica gens* 8, 166 (Tolet.); *Bruti Callaici* 36, 26 (*Callaeci* Bamb., *Calaici* Voss. Ricc.). — Perperam *Gallaecia* 4, 118 (Leid. A.) 34, 156 (Bamb.), 4, 112 et 19, 10 (ubi boni libri deficiunt). — Ergo ubique forma per C restituenda.

---

1) De forma *Callaicus* mox videbimus.

Digitized by Google

Martialis: *Callaico-auro* 4, 39, 7; *Callaicis-in arvis* 10, 16, 3; *Callaicum-oceanum* 10, 37, 4. 20; *Callaico-metallo* 14, 95, 1.

saeculo secundo:

Plutarchus: Καλλαικοί Caes. 12 (Καλαικοί).

Appianus: Καλλαικοί Hisp. 70.

Ptolemaeus: Καλλαικοὶ Βράκαροι (2, 6, 1. 38); Καλλαικοὶ Λουκήνσιοι (2, 6, 2. 4. 22).

saeculo tertio:

Cassius Dio: Καλλαικία 37, 53, 4.

Itinerarium Antonini: *Callecia* p. 387 W. scribendum ex codice Laurentiano R saec. X „satis bonae indolis", qui solus C litteram servavit, etiam alibi, ut mihi videtur, haud spernendus.

saeculo quarto:

Liber generationis: *Calleci* (ita Mommsen ex codice optimo B) *qui et Astures* I, 215 = *Callaici qui et Aspores vocantur* Chron. Alex. (= Barb. Scal.) 185. (Chron. a. 354 ed. Momms. Mon. Germ. Auct. Ant. IX p. 109) — *Calcecia* (cod. B. „scr. Callaecia" Momms.) I, 88 (l. l. p. 98).

Rufus Festus: *Callaecia* c. 5 scribendum ex cod. B et P (hic: *Callestia*).

saeculi quinti initio:

Claudianus: *Callaecia* Laus Ser. 71. — Serena occisa est anno 408.

Notitia Dignitatum: *Callaecia* Occ. 1, 67; 3, 9; 21, 5. 10; 42, 25 (Seeck = 5* 13* 69* 119* Boeck.). Formam legitimam ubique praebent codices optimi, etiam p. 119* B. — Liber inter annos 411 et 413 compositus.

Orosius: *Callaeci* 5, 5, 12 (vide supra); *Callaecia* 1, 2, 71 (ita Treverensis affinis L(aurentiano) qui hic deficit; 5, 7, 2 (L.: *Callaciae*); 6, 21, 2 (L.: *Calleciae*). — *Gallaecia* 1, 2, 81 et 6, 21, 6 ubi lacunosus L. — Orosio igitur legitima forma reddenda est. — Chronicon scripsit 417/8.

Zosimus: Καλλαικία 4, 25 (ex Eunapio).

Vides exemplorum nubem. Neque iam, opinor, temeritatis argui poterit qui etiam apud Velleium Paterculum, cuius editio princeps nobis codicis instar est, libro 2, 5 *qui* (D. Brutus) ... *Gallaeci cognomen meruit*, primam vocis *Gallaeci* litteram in C commutaverit. Eodem modo in Iustino 44, 3 haec nomina vel

Digitized by Google

invitis codicibus omnibus quater corrigenda [1]). Veronensem denique provinciarum laterculum aetatis Diocletiani 11, 5 et Indicem omnium provinciarum, quam anno 385 conscriptum Polemius Silvius a. 449 in opusculum suum recepit 4, 6, olim veterem formam *Callaecia* exhibuisse tuto asseveraveris.

Ut sine ulla varietate usque ad Saeculi quinti partem priorem formae *Callaeci* et *Callaecia* in usu sunt, ita ab eo inde tempore constanter scribuntur per litteram G. Primus omnium ita loquitur Hydatius [2]), Lemicae in oppido Callaeciae sub finem quarti saeculi natus, († c. 470), episcopus ut videtur Aquiflaviensis (cf. c. 4). Is igitur in chronico, quo res praesertim Hispanas enarrat, patriam suo tempore a Suevis Vandalisque occupatam saepissime commemorat, quam, si fides Sirmondo, nunquam non appellavit Gallaeciam.

Isidorus Hispalensis (saec. VI/VII) qui historias Gothorum Suevorem Vandalorum ex Hydatio desumpsit, eandem formam passim praebet, sed iam scriptores saeculi sexti Iordanes, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis hodierno more *Galliciam* dixisse videntur, ut posteriores omnes.

Formae igitur *Gallaecia* (*Gallecia*) et *Gallicia*, quae ante Germanorum in Hispaniam incursiones non reperiuntur, proprie Latinae appellandae non sunt verum Romanae; possuntque comparari cum Portugallorum [3]) *gamella* pro *camella*, *gavea* pro *cavea* aliisque huius generis vocabulis perpaucis, quae composuit

---

1) Certe in Voss. L. Q. 32 et Voss. L. Q. 101, non eiusdem familiae codicibus, *Gallaecos* cet. legi humanissime me docuit S. G. de Vries in bibliotheca Lugduno-Batava librorum manuscriptorum conservator. Idem Puteaneus.

2) Hydatium scribendum esse, non Idatium et multo minus Idacium, apparet ex Papae Leonis Magni, aequalis eius, epistola ad Turibium episcopum Asturicensem (ep. 91), ubi Hydatius audit, atque ex Sigiberto de Viris Illustribus c. 18, qui eum Ydatium nominat. Neque hoc fugit primum Hydatii editorem Sirmondum, qui ea testimonia attulit, quamquam codicis sui lectionem vitiosam (Idatius) sequi maluit. Unde Idacius postea dictus sit non assequor. Mihi Hydatii nomen a baptismi aqua derivatum videtur. *Signum* est in titulo Hadrumetano C. I. L. 8, 61 dedicato: *T. Fl(avio) Umbrio Antistio Saturnino Fortunatiano c(larissimo) v(iro)*.

3) Galliciorum lingua cum Portugallorum arcte cohaeret, ab Hispanorum aliquanto distat. Ceterum in vocabulorum initio etiam apud Hispanos et Italos et Francogallos interdum, raro tamen, Latinorum c in g abiit, in mediis vero vocabulis et praesertim in eorum exitu apud Hispanos et Portugallos saepissime. Cf. Diez, *Grammaire des langues Romanes* 1, 266.

Digitized by Google

Iulius Cornu, *die portugiesische Sprache* in *Gröber's Grundriss der romanischen Philologie* 1, 766, atque in primis cum nomine ipso *Portugal* hodierno, derivato, ut notum est, a *Portu Cale*. Cum autem in multis vocabulis Latinis nondum exploratum sit quo tempore vestem ut ita dicam Romanam induerint, non inutile erit adnotare *Portu Cale* ab Hydatio p. 34 Sirm. memoratum (et p. 37. 38) in Isidori hist. Gotthorum c. 18 eodem modo scribi, apud Fredegarium vero quem vocant Scholasticum, qui itidem Hydatium exscripsit (c. a. 660), iam audire *Portugale* (2, 54) [1]).

Ceterum *Callaeci* non tantum *Gallaeci* sed etiam *Callaici* a multis viris doctis et olim et hodie appellari solent [2]). *Callaicus* adiectivum est a *Callaecus* derivatum. Vide supra tit. Clun. 2, 2776; Ovid. Fast. 6, 461; Sil. Ital. decies; Plin. 8, 116; Martialis quinquies (4, 39, 7 in versu hendecasyllabo). Unde apparet in versu supra laudato Gratii Cyneg. 514 pro *Callaecis* restituendum esse *Callaicis*. Contra nunquam ubi populi mentio fit scribitur *Callaici*. Nam errore Henzen (Ins. n°. 5430) in diplomate militari n°. 12 extrinsecus *Callaicorum* intus *Callaecorum* incisum esse olim adnotaverat et legitur quidem in omnibus Strabonis Plutarchi Appiani Ptolemaei editionibus vel recentissimis Καλλαϊκοί nec tamen dubium esse potest quin in Καλλαικοί mutandum sit.

Unum est quod addam. Cognomentum, quo D. Iunius Brutus honoratus est, *Callaicus* est, nam Callaecorum est victor non Callaecus. Eo tempore, septimo urbis saeculo [3]) haec cognomina ex certa regula formantur: *Macedonicus*, *Achaicus*, *Callaicus*,

---

1) Hydatius: *Rechiarius ad locum qui Portucale appellatur profugus Theudorico captivus adducitur, quo in custodiam redacto* cet. Fredegarius: *Richiarius ad loco ubi Portugale appellatur profugus regi Theudorico captus ducitur et in custudia redagetur*. Cf. etiam Hyd. p. 37. 38 Sirm. et Fred. 2, 55 (Mon. Germ. Script. rer. Meroving. vol. 2).

2) Vide e. gr. Kiepert. in egregio suo enchiridio *Lehrbuch der alten Geographie* p. 489 ita scribentem: Callaici, *romanisirt* (*mit täuschendem Anklang an* Galli), Gallaeci *heisst die westlichste Gruppe* cet.

3) Cognomina ex victoria parta vetustiora sunt Messalla Valerii Maximi (cf. Sen. de brev. vit. 13; Macrob. 1, 6, 26; Fast. Cons. ad annum 491), Hispanus (Diod. 35, 33 = fr. 605 W.) Africanus, Asiaticus et Asiagenus (cf. Bernays, *Ges. Abh.* 2, 182) Scipionum. Ex his *Hispanus* tantum cum *Callaecus* conferri posset.

Digitized by Google

Balearicus, *Delmaticus*, *Numidicus* sim., ex quibus duo priora a. 146 a. Chr. n., quartum a. 123 natum est: Brutus autem Callaecos a. 136 devicit. *Callaicus* pro *Callaecicus* euphoniae causa atque ad similitudinem Mummii cognominis dictum videtur.

Id autem quod posui veterum loci, ubi Bruti cognomen memoratur, adeo non evertunt ut potius confirmare videantur. Ovidium enim versu supra laudato data opera ita cecinisse crediderim ut ipsum Bruti cognomen in lectorum memoriam revocaret et apud Plinium 36, 26 Bambergensis quidem codex *Callaeci* praebet verum *Calaici* Vossianus, Riccardianus, unus ex Parisinis, deficiente hic libro optimo Leidensi A. Velleium quod 2, 54 *Gallaeci* scribentem faciunt id nullius esse momenti iam supra significavi. Commentator denique Ciceronianus, cuius reliquiae supersunt in scholiis Bobiensibus si saeculo quarto quintove vixit suaque ex Asconio Pediano hausit rectam formam adhibuisse putandus est (p. 359 Or.), quam aut librarius codicis saec. sexto exarati iam corrupit, aut, quod multo est probabilius, Maius neglexit evanidam fortasse et lectu difficilem in libro ut notum est rescripto.

Groningae m. Februario 1892.

Sero vidi, quod dudum me vidisse oportuit, Bruti cognomen quale fuerit in controversiam iam vocari non posse; reperta enim esse duo fastorum consularium Capitolinorum frustula, alterum a. 1872, alterum a. 1873, quorum illud huius cognominis priorem partem CAL, hoc posteriorem IAICVS servaverit. Vide Eph. Epigr. 1, p. 154 et 2, p. 210.

Digitized by Google

AD BELLUM IUGURTHINUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Neminem non in Belli Iugurthini historia offendit confusus annorum ordo, quibus Iugurtham adoptione in regnum pervenisse, pariter cum Micipsae filiis heredem institutum esse, ipsum Micipsam decessisse Sallustius memoriae prodidit, ut nunc quidem loci leguntur quibus de iis rebus sermo est.

In Capite 9. 3 legitur regem post bellum Numantinum cum virtute tum gratia Iugurthae permotum animum suum flexisse et eum beneficiis vincere aggressum esse. *Statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit.* Quod igitur anno 133 a. C. vel paulo post factum esse accipiamus necesse est.

Subsequitur: *sed ipse paucos post annos ... cum sibi finem vitae adesse intellegeret.* Micipsam autem anno 118 a. C. obiisse constat.

In Capite 11. 6 invenimus Iugurtham cum post Micipsae mortem reguli de administrando imperio dissererent, iecisse oportere quinquenni consulta et decreta omnia rescindi: nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsalem placere sibi respondisse: *nam ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse.*

Cum tamen Iugurtham anno 133 adoptatum esse supra dictum sit, Dietsch *adoptatione* delendum esse censet, quem multi editores secuti sunt. At vetat ipsa vocabuli forma vetusta quominus tale quid credamus: non *adoptatione*, sed *adoptione* aliquis lector in margine adscripserit. Sed paulisper cum Dietschio *adoptatione* expunctum puta: quid iam Hiempsal contendit?

Digitized by Google

Nempe Iugurtham tribus proxumis annis in regnum pervenisse. Iam inspice, quaeso, Caput 10. 1. Ibi Micipsa moriturus dicit: *Parvom* ego, Iugurtha, *te* amisso patre sine spe sine opibus *in regnum meum accepi.*

Etiamne dubitari potest num *adoptatione* sanum sit?

Ergo statuendum est Iugurtham, ut affirmavit Hiempsal, adoptatum esse annis ante Micipsae mortem tribus. Unde sequitur alibi latere corruptelam.

Quandoquidem Hiempsalis verba nullo vitio laborant, necesse est verba quibus prorsus contrarium quid perhibetur vitiose legi quivis confiteatur. Sunt autem illa *statimque eum adoptavit et t. p. c. f. h. instituit*, quibus 133 a. C. annum adoptionis fuisse confirmet auctor.

In transitu Iacobsii difficultatis tollendae conamen commemorem. Is ita locum explicat: „*statim* gehört bloss zu *adoptavit*, was also schon 621 (133) oder wenig später erfolgte, und steht dem *testamento* im folg. gegenüber, welches, nach 11. 6 höchstens drei Jahre vor Micipsas Ableben (dies sind die *pauci anni* § 4) verfasst, ihn auch als gleichberechtigten Thronerben anerkannte".

Sed ea qualiscunque interpretatio iam nulla est, nisi *adoptatione* in Capite 11. 6 deleatur, quod fieri non licere satis demonstrasse mihi videor.

Mihi quidem persuasum est in *statimque* sitam esse omnium tenebrarum originem.

Pro *statimque* (praecedere scito *aggressus est*) substituas velim *idemque*, *itaque* vel tale quid: videbis nullam iam manere perturbationem, nulla iam opus esse interpretatione distorta.

Hic enim fuit rerum ordo:

C. 9. 3 rex Scipionis epistula perlecta flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est (anno 133 a. C.) idemque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit (anno 121 a. C.)

C. 9. 4 sed ipse paucos post annos .... cum sibi finem vitae adesse intellegeret (anno 118 a. C.).

Et vide annon optime sese habeant Hiempsalis verba (C. 11. 6) „ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse".

Digitized by Google

C. 14. 20. *Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae parum cognita transvorsos agat.*

Sunt verba quae Adherbal cum ad auxilium implorandum Romam venisset, in Senatu locutus est. In quibus quae sit verborum *parum cognita* sententia neminem fugit: monet Adherbal aliquos amicitia Iugurthae eo perduci posse ut quid iustum sit quid iniustum non curent, idque eo tantum fieri posse quod nondum amicitiam illam satis cognitam habeant.

Si ista Adherbal dicere voluisset, potius expectaveris *cogniti*. Sed et amicitia Iugurthae et ipse rex Romanis notissimus erat.

Illam, amplis muneribus probatam, in dies pluris aestimabant, hunc cotidiano usu ad Numantiam probe noverant. (Cf. 15. 1: Iugurtham ab Senatu petere ne se alium putarent ac Numantiae cognitus esset.)

Timet Adherbal ne quos privata amicitia Iugurthae transvorsos agat, non quod Iugurtha parum cognitus sit sed quod Romani, a legatis regis decepti, sceleribus eius inauditis nondum satis fidei habent. Qui falsos de Adherbale sparserunt rumores (14. 20: „fingere me verba et fugam simulare cui licuerit in regno manere", et 15. 1: „Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum; Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset."), quos tota oratione is refutare contendit.

Quae cum ita sint, nullus dubito quin Sallustius scripserit: Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia *re parum cognita* transvorsos agat.

Cf. 51. 1: cognita re properantes arma capiunt.
52. 6: veritus, ne legatus cognita re laborantibus suis auxilio foret.

C. 32. 1. *Haec atque alia huiusce modi saepe indicundo Memmius populo persuadet uti e. q. s.*

Ita codices mss. optimi. Eussner *saepius dicundo*, Iordan *in contione dicendo* legendum censuit, inter *in* et *dicundo* aliquid excidisse putans. Equidem *incusando* veram lectionem esse arbitror. Tota enim oratione Memmius patientiam populo obicit qua nobilitatis iniurias semper tulerit. Cf. quae de eo affert auctor in C. 30. 3: „at C. Memmius .... inter dubitationem

Digitized by Google

et moras senatus contionibus populum ad vindicandum hortari, monere ne rempublicam, ne libertatem suam desererent, multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum incendebat".

Non possum silentio praeterire emendationem, quam ad l. l. proposuit H. Pratje (Dissert. Gotting. p. 59): *saepe inserendo*, eo ductus quod apud Septimium et Sulpicium Severum, Sallustii imitatores, verbum *inserere* hic illic occurrit. Legat vir doctus quae de hoc argumentandi genere scripsit Hartman in libro de Horatio poeta p. 96 sqq.

C. 34. 1 *ac tametsi multitudo, quae in contione aderat, vehementer accensa terrebat eum clamore voltu, saepe impetu atque aliis omnibus quae ira fieri amat, vicit tamen impudentia.*

Est locus apud Quint. 4. 3. 17 ubi haec leguntur: „Graeca vero translata vel Sallustii plurima, quale est *vulgus amat fieri*".

Ad quae Merivale in editione quam anno 1884 Londinii edidit, haec adnotat: „This passage, apparently corrupt, has been supposed to refer to that before us, and has been variously altered to apply to it," et ipse apud Quint. pro *fieri: facere* corrigendum censet.

At nulla in loco Quint. opus est mutatione, dummodo apud Sall. pro *ira: irata* reponas et sic interpreteris: quae irata (sc. multitudo) fieri amat, ita ut Quint. mutatis verbis sententiam Sallustii recte laudaverit.

C. 53. 5 *at Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi laetique erant, tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt.*

Editores omnes *laetique* corruptum habent, complures tamquam inepte insertum propter sequens *intentique* expungunt. Dietsch vocabulum post *laetique* excidisse (e. g. *victoria*) ac deinde *laeti* in *lassi* mutatum esse arbitratur. Codices enim deteriores dant *lassique*, quod nonnulli receperunt. Postgate (Mnemos. 1883 p. 448) pro *laetique erant* coniecit: *laeti quierant* quod quamquam ad literarum ductum optime convenit, ad sensum, qui requiritur, probari non potest, nam scriptum expectaveris *quieti se dederant.*

Digitized by Google

Vocabulum quale est *victoria* excidisse non credo. Milites, si victoria laetarentur, eo proniores essent ad Metello opem ferendam cum gaudio rei bene gestae facile homines ad labores etiam magis arduos arripiantur. Verbum aliquod desideratur quo vivide exprimatur militum ardor atque amor erga ducem; qui, quamvis defatigati itinere atque opere castrorum et proelio, tamen semper parati sunt ad agendum ubi dux eorum in periculis versatur. Quare locum emendare conatus sum scribendo *fessi fractique*.

C. 63. 4 *Ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur.*

Schmalz (Gotha 1882) ita transferre iubet: „Trotzdem ihn die meisten nicht von Angesicht kannten, war er doch *ziemlich bekannt* und wurde deshalb" etc.

Palmerius coniecit *factis notus*, quod multi editores receperunt. Sed rogo quibus factis Marius adolescens clarus fieri potuerit cuius ne faciem quidem plerique novissent. Legendum esse opinor *fama notus*.

Cf. C. 84. 2 paucos fama cognitos, et Virg. Aen. 1. 383: fama super aethera notus.

C. 90. 1 *igitur consul omnibus exploratis, credo dis fretus, nam .... erat, tamen pro rei copia satis providenter exornat.*

In C. 52. 5 verbum *exornare* cum obiecto (*aciem*) positum est, itemque Cat. 36. 1 (*vicinitatem*), neque usquam absolute adhibitum videtur. Freudenberg post *providenter: iter* excidisse putat e literarum similitudine: ego loco mederi malim pro *tamen: agmen* substituendo.

C. 97. 3 *ita amborum exercitu coniuncto Marium iam in hiberna proficiscentem vix decuma parte die reliqua invadunt, rati noctem, quae iam aderat, et victis sibi munimento fore et si vicissent nullo impedimento.*

Nonne verba *quae iam aderat* post *vix decuma parte die reliqua* ab aliena manu profecta videntur?

Digitized by Google

C. 97. 5 *denique Romani veteres novique, et ob ea scientes belli, siquos locus aut casus coniunxerat, orbis facere atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.*

Wölfflin proposuit *novi veteresque*, quod *et ob ea scientes belli* tantum ad *veteres* spectare possunt; ideo alii *novique* delent: facillimum emendandi genus! Jordano videntur ante *et ob ea scientes belli* quaedam excidisse eisque illa *veteres novique* substituta esse.

Rogatum velim quid novae etiam coniecturae ad l.l. a viris doctis proponantur, cum iam Dietsch corruptelam sustulerit. Verba *et ob ea scientes belli* haud dubie e margine in textum irrepserunt neque id in locum suum, qui erat inter *veteres* et *novique*. Praeterea sciolus scribere debuit *et ob id scientes belli*.

C. 101. 6 *simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis impigre occiso pedite nostro cruentaverat.*

Vide annon pro *pedite*: *equite* scribendum sit.

Est haec proelii descriptio: „Sulla quem primum hostes attigerant, cohortatus suos *turmatim* et quam maxime *confertis equis* ipse aliique Mauros invadunt, ceteri in loco manentes (i. e. pedites) ab iaculis eminus emissis corpora tegere, et, siqui in manus venerant, obtruncare. dum eo modo *equites* proeliantur, Bocchus cum peditibus .... postremam Romanorum aciem invadunt. tum Marius apud *primos* agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. dein Numida cognito Bocchi adventu clam cum paucis *ad pedites convortit* (ex quo eum adhuc apud equites fuisse facile intelligi potest). ibi Latine .... exclamat nostros frustra pugnare, paulo ante Marium sua manu interfectum. simul e. q. s."

In § 10 sequuntur: „interim Marius fugatis equitibus (sc. ab equitatu Romanorum) adcurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat".

C. 105. 2 *is missus cum praesidio equitum atque peditum, item funditorum Balearium; praeterea iere sagittarii et cohors Paeligna cum velitaribus armis.*

Capes (Oxford, Clarendon 1889): „As the 'sagittarii' and 'Paeligni' were infantry, the word 'peditum' is out of place,

Digitized by Google

and Madvig proposes to omit it". Dietsch verba *peditum, item* uncis inclusit tamquam delenda.

Nil tamen mutandum est. Et sagittarii et funditores in auxiliorum numero erant ideoque separatim sunt positi. Cf. Corn. Nepos Datam. 8. 2: „Habebat barbarorum equitum XX, peditum centum milia, quos illi cardacas appellant, eiusdemque generis (sc. cardacum) III milia funditorum".

Scripsi Lugd. Bat. mense Februario 1892.

AD ARISTOPHANIS PACIS VERSUM 18.

Pacis fabulae initio in scena conspicitur servus, qui summa cum festinatione stercus, ceu farinam, in alveo depsit, ut cantharo ingenti, quem dominus alit, praebeat prandium. Ubi primum offam paravit graveolentem, alter servus celerrime eam defert ad animal mirifice vorax, quicquid apponitur statim deglutiens novaque semper appetens. Tandem pergere recusat pistor exclamans:

μὰ τὸν Ἀπόλλω ἐγὼ μὲν οὔ·
οὐ γὰρ ἔθ' οἷός τ' εἶμ' ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας.

Per Iovem, non amplius sustinere possum foetorem huius cloacae. Cui alter servus respondet:

αὐτὴν ἄρ' οἴσω συλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.

Ultimum tamen huius versiculi vocabulum sanum esse nequit. Nam ἀντλία, quod nomen paulo liberius modo verti per *foetorem*, ad litteram autem *sentinam* significat, non potest *corripi* neque *afferri* sive *apponi*. Praeterea admodum invenuste in eandem vocem desinunt duo trimetri deinceps positi. Quapropter illud ἀντλίαν errori deberi apparet, *repetitum* enim esse ex versu praecedenti. *Excidit* igitur vocabulum quod Aristophanes scripserat. Quod quale fuerit quamquam e litteris traditis effici nequit, haud difficile tamen inventu arbitror. Dicere enim debet servus: *quoniam tu molestissimo paniculos apparandi labori imparem te dicis, ego totum simul alveum, in quo polenta tibi pinsenda est, cantharo apponam.* Commodum autem recordamur notissimi versiculi (Ran. 1159):

χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει κάρδοπον,

et haud cunctanter supplemus:

αὐτὴν ἄρ' οἴσω συλλαβὼν τὴν ⟨κάρδοπον⟩.

Idque legit olim grammaticus cui debetur Scholion codicis Ravennatis: ἀντὶ τοῦ τὴν σκάφην. ταῦτα δ' εἰπὼν προσφέρει τὸ ἀγγεῖον ἔνθα ἐφύρα.

J. v. L. J. f.

Digitized by Google

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM CRITICARUM AD SCRIPTORES GRAECOS.

SCRIPSIT

G. M. SAKORRAPHUS.

ANTIPHON. ANDOCIDES. THEMISTIUS.

Nobis qui hodie post labores tantorum virorum artem criticam exercemus illud vel maxime cavendum esse multi censent, ne in quam coniecturam ab alio iam excogitatam incidamus. Sed hoc non ita indignum facinus a me habetur. Quid sentiam dicam non meis sed praestantissimi I. van Leeuweni verbis, quae mihi repetere (e Mnemos. 1886 p. 361) per elegantissimum virum liceat: „*πάντα κοινὰ τῶν φίλων* et amicos esse censeo omnes qui horum studiorum communi vinculo iuncti sunt, neque quis quando dixerit primus, referre arbitror, sed quam vere dictum sit."

Veritatem igitur tantum consideremus, nam qui bono otio abutetur ad revolvenda unius cuiusque scripta verens ne quid dicat, quod ab alio iam occupatum sit, is mihi non intellexisse videtur breve esse temporis spatium, quod nobis a natura est concessum, et in rebus inutilibus *τὸ πολυτιμότατον ἀνάλωμα*, ut recte tempus appellavit Antiphon sophista, non esse consumendum. Caute nunc pergamus ad Antiphontem oratorem.

I, 2. *ἡ γὰρ τύχη καὶ αὐτοὶ οὗτοι ἠνάγκασαν ἐμοὶ πρὸς τούτους αὐτοὺς τὸν ἀγῶνα καταστῆναι.* Falsum esse *τὸν ἀγῶνα καταστῆναι* constat; Hirschigius et Cobetus proposuerunt *εἰς ἀγῶνα κ.* Possis et *εἰς τόνδε τὸν ἀγῶνα κ.* (cf. A, γ, 6) coniicere.

I, 3. *τιμωρῆσαι πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις — δεύτερον δ'*

Digitized by Google

ἐκείνῳ [τῷ τεθνηκότι]. Additamentum esse τῷ τεθνηκότι patet; pronomen enim ἐκεῖνος idem valet. Praeterea forma τεθνηκὼς — κότος non videtur orator esse usus et recte fecerunt editores Turicenses, quod syncopatam quae vocatur formam postulaverunt hic et Γ, γ. 1. V, 10. Eadem medicina utendum in fragm. 70 ed. Blass. Non sum immemor locorum, quales sunt Demosth. XXXV, 44 εἴ τι ἐκείνῳ τῷ τετελευτηκότι ὤφειλεν. XLIII, 84. Isae. II, 47 βοηθήσατε καὶ ἡμῖν καὶ ἐκείνῳ τῷ ἐν Ἅιδου ὄντι. sed hoc loco forma verbi interpolatorem indicat.

I, 7. ὅπου δὲ μὴ ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων, πῶς περί γ' ὧν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι, ἐγχωρεῖ αὐτῷ περὶ τούτων εἰδέναι; πῶς οὖν περὶ τούτων, ἃ διαιτῶντες, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ἂν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε; Schoellius, teste Blassio, duplicis recensionis vestigia apparere putat, ego vero duplicis interpolationis maculas video. Rescribam locum ut eum in archetypo scriptum fuisse puto:

περὶ δ' ὧν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι.
ὅπου δὲ μὴ ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων,
πῶς περὶ τούτων αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι;
πῶς ἐγχωρεῖ αὐτῷ περὶ τούτων εἰδέναι, ἂν γε τὴν ἀλήθειαν
οὐκ εἴληφε;

Haec dormitantes librarii polite miscuerunt additis aut mutatis necessariis particulis. Blassius in secunda Antiphontis editione circumscripsit verba πῶς οὖν — εἰκὸς εἰδέναι, quae debebat eiicere πέραν γε πόντου τεμόντων τ' Ἀτλαντικῶν.

I, 14. ἐπὶ τορνεῖον ἔμελλε καταστήσειν. Graeci in his locutionibus genitivum cum ἐπὶ coniunctum usurpant. Dinarch. I, 23 διότε τὴν Ὀλυνθίαν παιδίσκην ἵστησεν ἐπ' οἰκήματος. Athen. XIII, 569d καὶ Φιλήμων δ' ἐν Ἀδελφοῖς προϊστερῶν ὅτι πρῶτος Σύλων — ἵστησεν ἐπὶ οἰκήματων γύναια πριάμενος. Scribe igitur: ἐπὶ τορνείου.

B, δ, 6. ὁ δὲ νεανίσκος οὐδὲν περιτεὸν τούτων (τῶν ἄλλων παίδων) ἁμαρτὼν ὁμοίως τούτοις οὐκ ἂν ἔβαλεν αὐτὸν ἀτρέμα οὐν τοῖς θεωμένοις ἑστῶτα. Scribe περισσότερον collato notissimo loco Platonis *Apolog.* 20 c οὐ γὰρ δήπου σοῦ γε οὐδὲν τῶν ἄλλων περιττότερον πεπραγματευομένου ἔπειτα τοσαύτη φήμη τε καὶ λόγος γέγονεν.

V, 5. οὐ γὰρ δίκαιον οὔτ' ἔργῳ ἁμαρτόντα διὰ ῥήματα σωθῆναι, οὔτ' ἔργῳ ὀρθῶς πράξαντα διὰ ῥήματ' ἀπολέσθαι· τὸ μὲν γὰρ ῥῆμα

Digitized by Google

τῆς γλώσσης ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἔργον τῆς γνώμης. Postrema verba monstruosa sunt. Alii alia deleverunt et mutaverunt, ego sic locum restituo: τὸ μὲν γὰρ ῥήματι τῆς γλώσσης ἁμαρτεῖν ἐστι, τὸ δὲ ἔργῳ τῆς γνώμης. H. e. in verbis peccare linguae lapsus est, in rebus autem animi vel consilii delictum.

V, 6. ἅπαντα γὰρ τὰ ἐν ἀδήλῳ ἔτ' ὄντα [ἐπὶ] τῇ τύχῃ μᾶλλον ἀνάκειται ἢ τῇ προνοίᾳ. Propositio ἐπὶ, quae e dittographia orta esse videtur voc. ἔτι, delenda est, vitiose enim abundat.

V, 14. καίτοι τούς γε νόμους, οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων, πάντας ἂν οἶμαι ὁμολογῆσαι κάλλιστα νόμων [ἀπάντων] κεῖσθαι καὶ ὁσιώτατα. Delendum est vocabulum ἀπάντων, ut ostendit similis locus VI, 2 καὶ τοὺς μὲν νόμους, οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων, πάντες ἂν ἐπαινέσειαν κάλλιστα νόμων κεῖσθαι καὶ ὁσιώτατα. Similiter reseca idem voc. V, 17 ἔτι δὲ — εἰδέθην παρανομώτατα [ἀπάντων] ἀνθρώπων. Hoc enim observavi. Graeci cum adiectivo superlativo coniungunt promiscue aut ἀνθρώπων aut ἁπάντων (ἀνθρώπων); adverbio autem (pluralem dico neutri) addunt aut (ἁ)πάντων, ut οἰκειότατα πάντων Isae. I, 4. VI, 1. Andoc. IV, 11. aut solum substantivi genitivum. Demosth. XIX, 50. εὐφημότατ' ἀνθρώπων. XXVII, 18 ἀναισχυντότατ' ἀνθρώπων. 26. XXIX, 28. XXXVII, 49. Iso. XVII, 55. Plat. Euthd. 273 D. Theaet. 148 B etc. Alia ratio est locorum, quales sunt Xenoph. Mem. I, 2, 62. Aristoph. Plut. 507 ἀλλ' ὦ πάντων ῥᾳστ' ἀνθρώπων ἀναπεισθέντ' οὐχ ὑγιαίνειν. Lyc. c. Leocr. 134.

Obiter refellenda videtur magni Cobeti sententia, ne cui imponatur. Video enim et sagacem virum Albert. Poutsma (in Quaestion. Aeschin. Amstelodami pag. 120) eam amplexum esse. Cobetus ἀνθρώπειόν τι παθὼν inserendum putavit in Aesch. I, 177 verbis τοὺς μὲν νόμους καλῶς κεῖσθαι participium ἔχοντας, ut fieret καλῶς ἔχοντας κεῖσθαι. Sed nihil fortasse frequentius quam νόμοι καλῶς κείμενοι Antiph. V, 14, 15. VI, 2. Demosth. XXIV, 34, 38, 96. Iso. II, 18. XIX, 50 etc.

V, 91. καίτοι ὅπου ὑμῖν τοῖς ἐξαπατηθεῖσι μετεμέλησεν, ἢ καὶ πάνυ τοι ἐχρῆν τούς γε ἐξαπατῶντας ἀπολωλέναι. Codices pro ὅπου praebent οὔπω et εἰ καὶ pro ἢ καί. Emendavit F. Leo apud Blassium, sed addere debebat et particulam που, ut esset: ἢ που καὶ πάνυ. Cf. Andoc. I, 86 ὅπου οὖν ἀγράφῳ νόμῳ οὐκ ἔξεστι χρήσασθαι, ἢ που ἀγράφῳ γε ψηφίσματι παντάπασιν οὐ δεῖ [γε]

Digitized by Google

χρήσασθαι. § 90. Isae. III, 35. Iso. I, 49. Lyc. c. Leocr. 71.

VI, 2. *καὶ τοὺς μὲν νόμους, οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων, πάντες ἂν ἐπαινέσειαν κάλλιστα νόμων κεῖσθαι.* Suspicor *ἐπινεύσειαν*, quod verbum apud Aeschinem idem fere valet atque *ὁμολογεῖν* (vide ad V, 14). Aesch. III, 59 *τοῦθ' ὁμολογήσας καὶ ἐπινεύσας ἀληθὲς εἶναι.* § 61 *ἐπινεύσατέ μοι πρὸς θεῶν τὸν πρῶτον τῶν τεττάρων καιρῶν μὴ καλῶς αὐτὸν πεπολιτεῦσθαι.*

VI, 26. Insere necessariam voculam *μὲν* incuria omissam in verbis: *καὶ εἰ μὲν πάνυ μὴ παρεγένοντο μάρτυρες, ἐγὼ δὲ παρειχόμην, ἦ τοὺς παραγενομένους <μὲν> μὴ παρειχόμην, ἑτέρους δέ τινας.*

Veniamus nunc ad verbosum Andocidem, cui concedemus illam prope inauditam loquacitatem, qua passim est usus, maxime vero in exordio orationis *de mysteriis*. Verbi causa non dubitavit orator quin diceret I, 1 *ἐκ παντὸς τρόπου καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως*. Ceteri tamen scriptores aut *ἐκ παντὸς τρόπου* dicunt Lys. XVI, 1. Isae. II, 1. Demosth. XLIII, 1. aut *καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως* Dem. XLIV, 35. XLV, 24. Aristoph. Plut. 233. Sed non procul ab Andocidea verbositate distat locus apud Antiph. A, *α*, 9 *οὐδενὶ τρόπῳ οὔτε δικαίως οὔτε συμφερόντως.*

Ut dictiones quasdam apud oratores Atticos illustrem, quas video nonnullos tentare, apponam locos similes Andocidis et Aeschinis, postea vero emendabo quae corrupta mihi inter legendum esse videbantur. Critici enim officium est non solum corrigere sed etiam defendere.

Andoc. I, 3. *εἰκότως δ' ἂν, ὦ ἄνδρες, τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοιτε περὶ τῶν ἐθελοντῶν εἰς τοὺς ἀγῶνας καθισταμένων, ἥνπερ αὐτοὶ περὶ αὐτῶν ἔχουσιν· ὁπόσοι μὲν γὰρ μὴ ἠθέλησαν ὑπομεῖναι καταγνόντες αὐτῶν ἀδικίαν, εἰκότως τοι καὶ ὑμεῖς τοιαῦτα περὶ αὐτῶν γιγνώσκετε, οἵἁπερ καὶ αὐτοὶ περὶ σφῶν αὐτῶν ἔγνωσαν· ὁπόσοι δὲ πιστεύσαντες μηδὲν ἀδικεῖν ὑπέμειναν, δίκαιοί ἐστε καὶ ὑμεῖς περὶ τούτων τοιαύτην ἔχειν τὴν γνώμην, οἵαν περ καὶ αὐτοὶ περὶ αὐτῶν ἔσχον, καὶ μὴ προκαταγιγνώσκειν ἀδικεῖν.*

Aesch. II, 6. *ὅθ' ὑμᾶς ἐπηρώτα* (Δημοσθένης), *εἰ οἷόν τ' ἐστὶν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει Φιλοκράτους μὲν θάνατον καταψηφίσασθαι, ὅτι καταγνοὺς ἀδικεῖν ἑαυτοῦ τὴν κρίσιν οὐχ ὑπέμεινεν, ἐμοῦ δ' ἀπογνῶναι· ἐγὼ δ' ἐπ' αὐτῷ τούτῳ δικαίως* [ἂν] *ὑπολαμβάνω μάλιστα σωθήσεσθαι· εἰ γὰρ ὁ καταγνοὺς ἑαυτοῦ καὶ μὴ παρὼν ἀδικεῖ, ὁ*

Digitized by Google

δὴ ἀπογνοὺς καὶ τὸ σῶμα τοῖς νόμοις καὶ τοῖς πολίταις παραδοὺς οὐκ ἀδικεῖ.

Apud Andocidem Blassius pro ἀδικίαν proposuit ἀδικεῖν, ut legitur infra § 49 σΦῶν αὐτῶν καταγνόντες ἀδικεῖν et in Aeschinis loco. Sed oblitus est summus vir loci apud Demosth. XXXI, 12 δῆλον γὰρ ὅτι καταγνοὺς ἀδικίαν αὐτοῦ ταῦτ' ἐποίεις.

Καταγιγνώσκειν ἑαυτοῦ saepe veteres dicunt omissa re cuius quis sibi conscius est et sim. Dem. XXIV, 173. XXXVI, 25. Antiph. Γ, δ, 1.

Καταγιγνώσκειν ἑαυτοῦ vel τινός τι. Ath. XIII, 595 f κατέγνω διὰ τὸ πρᾶγμ' αὐτοῦ Φυγήν. Lyc. c. Leocr. 22. 145. Idem § 56 εἰ μὴ κατεγνώκει τε αὐτοῦ προδεδωκέναι τὴν πατρίδα καὶ μεγάλα πάντας ἠδικηκέναι. Demosth. XXIV, 87 αὐτὸς αὐτοῦ κατήγορος, ὡς ἀδικεῖ, γεγονὼς Φανήσεται. Iso. XVII, 17 πάντες αὐτοῦ κατεγίγνωσκον ἀδικεῖν καὶ δεινὰ ποιεῖν. XVIII, 16 εἰκότως ἄν μου κατεγιγνώσκετε καὶ περὶ τοῦτοῦ ἐξαμαρτάνειν. XX, 6. Similiter usurpavit Demosthenes v. καταχειροτονεῖν LI, 8 καταχειροτονήσαντες προδεδωκέναι τὰς ναῦς καὶ λελοιπέναι τὴν τάξιν.

De v. προκαταγιγνώσκειν disseremus ad Aesch. II, 7 μηδὲν προκατεγνωκότας ὡς ἀδικῶ.

V. ὑπομένειν usurpatur sive absolute And. I, 4. 9. 19. 21. 121. sive cum accusativo coniunctum ἀγῶνα And. I, 4. τὴν κρίσιν Lyc. c. Leocr. 90. 117. Aesch. II, 6.

Haec omnia ad unam eandemque regulam revocare non audeo, quamquam sententiae non noceas, si ab Andocidis verbis ἀδικίαν et ab Aeschinis ἀδικεῖν et τὴν κρίσιν expellas.

Andoc. I, 17. καὶ ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων καὶ μετέλαβε δικαστῶν τοσούτων οὐδὲ διακοσίας ψήΦους. Legendum καὶ μετέλαβεν ἐκ δικαστῶν τοσούτων ut sensus sit: cum tam multi essent iudices.

I, 81. δόξαντα δ' ὑμῖν ταῦτα εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσιν. De his quid dicam? quis monitu eget?

I, 84. τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράΦειν εἰς τὸν τοῖχον, ἵνα περ πρότερον ἀνεγράΦησαν. Suspicor: ἵνα περ ⟨καὶ⟩ πρότερον ἀνεγράΦησαν.

I, 120. καὶ ἧς μὲν ἐγὼ ἐπεδικασάμην, ἡ παῖς τύχῃ χρησαμένη καμοῦσα ἀπέθανεν. Molestе abundans ἡ παῖς mutandum in ἄπαις. Cf. Isae. XIX, 8 ὥστ' ἀποθανούσης ἐκείνης ἄπαιδος. Ad omissio-

Digitized by Google

nem subiecti, quae in talibus locutionibus frequentissima est, cf. Isae. V, 32 *οὓς δὲ Λεωχάρης προυβάλετο, οὐκ ἔφασαν ἀποφανεῖσθαι.* VI, 14. Iso. XXI, 12. Xen. *Cyrop.* V, 2, 4.

I, 125. *ἡ δὲ τοῦ Ἰσχομάχου θυγάτηρ τεθνάναι νομίσασα λυσιτελεῖν ἢ ζῆν ὁρῶσα τὰ γιγνόμενα.* Excidit voc. *μᾶλλον*, quod insere post *τεθνάναι*. Cf. Iso. Ep. VII, 9 *ἡγούμενον λυσιτελεῖν αὐτῷ τεθνάναι — μᾶλλον ἢ ζῆν.* Id. II, 5. XVIII, 10.

I, 128. *ἀλλὰ γὰρ τῷ παιδὶ αὐτοῦ τί χρὴ τοὔνομα θέσθαι;* Lege: *τί χρή ποτ' ὄνομα θέσθαι*, ut sensus sit *τί χρὴ αὐτὸν ὀνομάσαι* ut mox § 129 ipse Andocides dixit, aut *τί τις καλέσειεν ἄν* (Demosth. LI, 15). Cf. Isae IX, 26 *τί οὖν χρή, ὦ ἄνδρες, ὄνομα θέσθαι τούτῳ τῷ ἀνδρὶ κτἑ.* Demosth. XLIII, 27.

I, 135. *δεῖ οὖν τοῦτον ἐκποδὼν ἡμῖν εἶναι καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως.* Audeo proponere: *ἐκποδὼν ἡμῶν εἶναι.*

I, 140. *μὴ μεταγνῶτε μηδὲ βούλεσθε τὴν πόλιν ἀποστερῆσαι ταύτης τῆς δόξης.* Legendum *βουλήσεσθε*. De *μὴ* cum futuri indicativo constructo diximus ad *Medeam* 1151. Cf. Demosth. XXIII, 117 *μὴ βουλήσεσθε*. Kruegeri Gr. I, 53, 7, 4. Similiter praesens in futurum mutandum videtur § 129 *ὥστ' ἐμοὶ μὲν πειθόμενοι οὐκ ἀποστερεῖσθε* (scr. *ἀποστερήσεσθε*), *εἴ τι ἐγὼ δυνήσομαι ὑμᾶς εὖ ποιεῖν.*

Adde voculam *μὲν* I, 141 *πολλῶν ⟨μὲν⟩ ἕνεκα σΦᾶς αὐτοὺς παρέχοντες τοιούτους, μάλιστα δὲ τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας.*

Post probatos et classicos oratores transeamus ad Byzantinum Themistium dignum mehercule qui a pueris in scholis legatur; nam si nihil aliud, attamen ad excitandos pueriles animos ad seriora studia habet aliquam vim. Quamquam apud eum plurima correxi adiutus a nostra lingua, quae recentior Graeca vocatur et cum Byzantinorum usu multa communia habet, tamen pauca nunc hic dabo plura alias daturus. Aeschinem enim perlegere et si quid possum emendare festino, ut aliquando mihi quoque venustissimus orator prorsus e maculis additamentisque liberatus et prope dicam recreatus longo, immo longissimo intervallo, esse videatur.

Themistii varius est dicendi usus; multa poetica, non pauca obsoleta invenias, sed barbarae falsaeque sive locutiones sive formae non desunt. Sed formae quales sunt *ἀποκτεινύειν, ἐκτεινύειν* et sim. nescio an librariis sint tribuendae. Idem apud Dionem

Digitized by Google

Cassium fecisse librarios docet Naberus in perurbana dissertatione Graece scripta (in Λογίῳ Ἑρμῇ pag. 421 sqq.). Sed praestat singulos locos inspicere.

Pag. 2 d sqq. editionis G. Dindorfii. ἢ πρὸς ταῦτα μὲν ἡ Φύσις ὄμματα ἐξ ἀρχῆς ἐτεκτήνατο, καὶ πάρεστιν εὖ γενομένοις ὁρᾶν ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα καὶ τὸν ξύμπαντα οὐρανὸν, ἐκεῖνον δὲ κατιδεῖν ἀγαπητὸν ὅτῳ καὶ εἰς χρόνον ἐξ αὐτῶν ἐκείνου ἐφίκοιτο. Pro εὖ γενομένοις Iacobsius coniecerat ἀνεῳγμένοις, quod Dindorfius oculis coniventibus in textum recepit. Si maxime corruptum est εὖ γενομένοις, non video simpliciorem emendationem, atque adeo aptiorem quam εὐθὺς γενομένοις. Sic enim oppununtur inter se εὐθὺς et εἰς χρόνον. Pro ὅτῳ Harduinus scripsit ὅστις. Cf. pag. 270 a. Plat. Leg. 653 A.

Pag. 12 b. ἢ λέμβῳ μικρῷ ἐπιπλέοντα δίχα οἰάκων — διανυμαχεῖν πρὸς τριήρη μεγάλην — πονηρὰν γὰρ τὴν ναυμαχίαν ὁ τοιοῦτος ναυτίλλεται, εἰ καὶ βραχύν τινα χρόνον ὑπὸ κουφότητος διαφύγοι τὰς ἐμβολάς. De verbis ναυμαχίαν ναυτίλλεται recte Reiskius annotavit mirabundus: „qualis dictio!" V. πονηρὰν mutandum in πικρὰν, de cuius vocabuli usu videndus Cobetus in epimetro var. lect. Pro praesente requiro futurum ναυτιλεῖται.

Pag. 13 b. Φιλανθρωπίας γὰρ ἴδιον εὖ ποιεῖν ἢ κακῶς, τὴν δὲ αἰτίαν ξυνὴ τούτου ἄμεινον ἐπίσταται Φιλοσοφία. Locus est mirifice depravatus. Verba ἢ κακῶς sine mora mutanda in μὴ κακῶς. Ad v. ξυνὴ viderunt viri docti glossam in cod. A referri: ἀντὶ τοῦ κοινῶς, „quod qui scripsit ξυνῇ legit. Iacobsius annotavit: ex ξυνῆκε videtur ortum, quae glossa voc. ἐπίσταται" (Dindorf.). Omnia sanantur expulsa superflua voce, ut ξυνὴ appellavit Dindorfius, tamen vide ne ξυνὴ ex ξύνοιδε ortum sit, ad quod verbum adscripta erat glossa ἐπίσταται, quae postea in contextum irruit.

Pag. 14 c. ἢ τοῦτό ἐστι τὸ σοφὸν τοῦ κομψοῦ τοῦδε Φαρμάκου, οἷς μὲν προσάγεται οὐκ ἰᾶσθαι, οἷς δὲ οὐ προσάγεται, τούτοις δὴ ξυμφέρειν. Nemo dubitat quin δὴ in δὲ mutandum sit. De ea coniunctionis δὲ repetitione fuse disputarunt Buttmannus ad Demosth. *Midian.* Excurs. XII. Werfer in Act. Phil. Monac. I p. 88 sqq. Cf. et Scheiderum ad Isocr. IV, 1.

Pag. 14 d. ὁ μὲν παλαιὸς νόμος φοβερὸς εἶναι ἂν ἐπιχειρῶν τὸ ξίφος ὡς τὰ πολλὰ ἀνατείνεται. Dindorfius ἂν delendum censebat,

Digitized by Google

Iacobsius in ἄγαν mutabat Lect. Stob. p. 32. Possis et λίαν coniicere.

Pag. 14 d. νόμος οὐκ ἄν ποτε δύναιτο συστῆναι λεπτουργεῖν πρὸς τὰ ἀδικήματα ἐγχειρῶν. Λεπτουργεῖν τι est subtiliter aliquid partiri. Compositio verbi cum praepos. πρὸς falsa est. Coniicio λεπτουργεῖν πως τὰ ἀδικ. i. e. λεπτοτομεῖν, εἰς ἐλάχιστα μέρη διαιρεῖν. Sic cum accusativo composuit verbum Themistius pag. 108 d λεπτουργεῖν ἅπαντα.

Pag. 15 a. καὶ ἐντεῦθεν, οἶμαι, κράτιστον ἐφάνη βραχύ τε καὶ ἓν ἀποφαίνεσθαι (scil. τὸν νόμον) περὶ ἁπάντων τε καὶ ἐφ' ἅπαντα τὸν χρόνον, ὅπως ᾖ δυνατὸν εὖ ἔχειν πρὸς τὰ μηδέποτε γενόμενα· μόνον δ' οὖν ἐν δυνάμει λείπεται τῷ νομοθέτῃ. Pro βραχύ legitur in cod. A τραχύ. Iacobsius pro μόνον δ' οὖν coniecerat: ὃ μόνον δοῦναι, quod quid significet non intelligo. Suspicor ante praepos. πρὸς excidisse particulam καὶ et post νομοθέτῃ infinitivum νομοθετεῖν. Sic clarus est sensus.

Pag. 17 c. Excidit articulus: τούτῳ σφόδρα ὀλίγα τὰ δύο ὦτα καὶ τὼ δύο ὀφθαλμὼ καὶ τὸ σῶμα ἓν ὂν καὶ μία ‹ἡ› ἐνοῦσα ψυχή. Cf. 267 a καὶ τὸ σῶμα ἓν ὂν καὶ μία ἐνοῦσα ἡ ψυχή.

Pag. 20 a. προφήτης μὲν τῶν παλαιῶν καὶ σοφῶν ἀνδρῶν καθεστηκώς. Nonne ὑποφήτης? Cf. pag. 188 b ἐκείνου γὰρ (τοῦ Διὸς scil. ὁ βασιλεύς) ὑποδρηστὴρ καὶ ὑποφήτης. et 209 d.

Pag. 20 c. καὶ ὡς μικρὰ ταῦτα λέγω, τὸ δὲ ἀληθὲς κριτὴς ἁπάντων ἐστὶ καὶ ἐπιστάτης ὁ Φιλόσοφος. Scribe: καὶ ὡς μὴ μικρὰ ταῦτα λέγω, τὸ δ' οὖν ἀληθὲς κτέ. Μικρὰ sunt singulae res. Dicere enim vult Themistius quod Isocr. IV, 51 ἵνα δὲ μὴ δοκῶ περὶ τὰ μέρη διατρίβειν aut simile quid.

Insere omissum vocabulum οὕτως in verbis pag. 32 a. ὥσπερ οὖν οὐδὲ ἐκεῖνοι εὖ ἕξουσι τὸ σῶμα οὕτω θεραπευόμενοι ‹οὕτως› οὐδὲ οὗτοι τὴν ψυχὴν οὕτω φιλοσοφοῦντες.

Pag. 34 a. ὃν (Τυφῶνα) οἱ λόγοι φασὶν Αἰγυπτίων, ὅτι τὸν Ὄσιριν κατακόψας μετεποιεῖτο ἀρχῆς οὐδὲν προσηκούσης καὶ αὐτὸν διὰ τοῦτο ὁ Ζεὺς κεραυνῷ ἐξαναλίσκει καὶ πυρὶ καὶ ῥύεται τοὺς Αἰγυπτίους. In edit. Harduini pro ἐξαναλίσκει καὶ πυρὶ legitur καὶ πυρὶ καταναλίσκει. Legendum igitur puto ὁ Ζεὺς καὶ πυρὶ ἐξαναλίσκει καὶ ῥύεται τοὺς Αἰγ. resecato v. κεραυνῷ, quod glossatori debetur. Ad v. λόγοι, quod posses in λόγιοι mutare secundum Herodot. I, 1 Περσέων μέν νυν οἱ λόγιοι Φοίνικας αἰτίους

Digitized by Google

Φασὶ γενέσθαι, cf. Aelian. *Var. Histor.* A, 15 *Ἰνδοὶ δέ Φασι λόγοι.* B, 32.

Pag. 39 a. *ἀΦήσετε οὖν με*[*λοιπὸν*] *τοῦ συμβολαίου ἢ οὔπω δοκῶ ἱκανῶς ὑμῖν διαλελύσθαι*; Quid sibi velit v. *λοιπὸν* facile intelligas, cum reminiscaris Byzantinorum *συνήθειαν*, apud quos, ut apud nos nunc, *λοιπὸν* pro *οὖν* vel *τοίνυν* in usu erat. Tam futilia et inepta glossemata illi inter legendum adscribebant ad voces antiquas, quas ne puer quidem hodie ignoret. Sic in cod. A pag. 131 a ad v. *ταύτῃ* annotavit Byzantinus homunculus *τοῦτον τὸν τρόπον*!

Pag. 58 a sqq. *τῆς μὲν Ἀλεξάνδρου εὐτυχίας Πέλλα οὐδὲν συναπώνατο* [*ἢ συναπέλαυσεν*], *ἀλλὰ τοσαύτην γῆν κτησάμενος ἐν ἑαυτῷ πλέθρῳ ἐνὶ μείζω οὐκ ἐποίησε τὴν πατρίδα.* Manifestum emblema eieci. Cf. 108 c. *ἀπώνατο.* 143 c. (Sic in cod. A pag. 131 a legitur post *εὐθύνει· ἢ κακίζει, αἰτιᾶται*). Pro *ἐν ἑαυτῷ* pessime Iacobsius coniecerat *ἐνὶ ἀγῶνι.* Deleta praepositione *ἐν* clarus efficitur sensus, opponuntur enim v. *ἑαυτῷ* et *τὴν πατρίδα.*

Pag. 83 b. *εὐτυχέστερον δὲ ... καὶ τοῦ καθελεῖν τὸν ὄντα κοινωνὸν τῆς ἀρχῆς τὸ προελέσθαι τὸν κοινωνήσαντα.* Emenda: *τὸ προσελέσθαι τὸν κοινωνήσοντα.*

Pag. 85 a. *ἀγαθοὶ μὲν οὖν καὶ μοχθηροὶ καὶ ἐπαίνων ἄξιοι καὶ τοὔμπαλιν* [*κατηγορίας*]. Dele *κατηγορίας*; sequitur *μακαριστοὶ ἢ τοὐναντίον.*

Pag. 88 d. *τοῦ δὲ* (*Πώρου*) *Φήσαντος ἐν τῷ βασιλικῶς πάντα εἶναι.* Lege *ἐνεῖναι*, ut pag. 89 a *ὅτι πάντα ἔνεστιν — ἐν τῷ βασιλικῶς.*

Pag. 89 a. *μεμνημένον μάλιστα* [*πρὸ πάντων*]. Hoc illud, quod ad pag. 39 a diximus. *Βυζάντιος ἀνὴρ παραΦθέγγεται.*

Pag. 90 a. Dele *λίαν* e dittographia natum: *ΤυΦῶνα* [*λίαν*] *ἀνιάμακτὶ κατειργάσω.*

Pag. 98 c. *διό Φησιν Ὅμηρος τοὺς μὲν ἄλλους θεοὺς τρεπτοὺς εἶναι.* Homericum vocabulum est *στρεπτοί.*

Pag. 102 c. *ἢ πάλαι ποτὲ ἐπὶ τὰς μάχας οἱ Ξέρξῃ στρατευόμενοι.* Adde praeposit. *ξὺν*, ut sit: *ξυστρατευόμενοι.*

Ibid. *καὶ εὐΦημοῦσι μὲν ἄνωθεν* [*ἀπὸ τῆς γλώσσης*], *τὰ δὲ εἴσω μεστὰ ὀδυρμῶν.* Emblema esse v. *ἀπὸ τῆς γλώσσης* ostendit locus 102 d *ἐπιτρέχει δ' ὁ γέλως ἄνωθεν.*

Pag. 107 d. *Φιλοσοφεῖν μὲν τῷ βασιλεῖ οὐχ ὅπως ἀναγκαῖον*

Digitized by Google

εἶναι Φάσκων (Aristoteles) ἀλλὰ καὶ ἐμποδὼν, τὸ δὲ Φιλοσοφοῦσιν ἀληθινῶς ἐντυγχάνειν εὐπειθῆ καὶ εὐήκοον κτέ. Pro τὸ δὲ scribe τοῖς δὲ coll. loco pag. 108 b τοῖς δὲ Φιλοσοφοῦσιν ἀληθῶς εὐπειθὴς καὶ ὑπήκοος (malim εὐήκοος ut pag. 108 d ἀλλ' ἐὰν ἔχῃ τὸ εὐπειθὲς καὶ εὐήκοον).

Pag. 111 d. De Agamemnone agitur, qui αἰχμαλώτου γυναίου χάριν atrocia iurgia nexit cum Calchante et Achille: τοιγαροῦν ᾤσθετο οὐκ εἰς μακρὰν ὁ γεννάδας ἐπὶ πολλῶν χαλεπήνας. Ridicula est Dindorfii interpretatio: *coram multis professus est poenitentiam suam!* Emenda: ἐπὶ πολλῷ, quod apud Demosth. VIII, 53 legitur et ab editoribus eius explicatur: ἃ δέδοιχ' ὅπως μήποθ' ἡγήσησθ' ἐπὶ πολλῷ γεγενῆσθαι.

Pag. 112 c sqq. ἅπαντες γὰρ οἱ παρ' ὑμῶν κομιζόμενοι τὰς δωρεὰς ἢ κέκτηνται γῆν καλῶς πονοῦντες ἢ κτήσονται. Corrige καλῶς ποιοῦντες. Cf. pag. 210 d. Demosth. I, 28: τοὺς μὲν εὐπόρους, ἵν' ὑπὲρ τῶν πολλῶν ὦν καλῶς ποιοῦντες ἔχουσι. Hermannum ad Lucian. de *conscrib. histor.* pag. 29, nos ad *Medeam* vs. 558.

Pag. 164 b. πόρρω ἐχρῆν τοὺς πολλοὺς τοῦτον ἀσπάζεσθαι. Scribe sine mora πόρρωθεν et cf. pag. 211 b καὶ τὸν Ἄρην πόρρωθεν ἀσπαζόμενοι προσεύχονται Δήμητρι. Eurip. *Hippol.* v. 102 πρόσωθεν αὐτὴν ἁγνὸς ὢν ἀσπάζομαι.

Pag. 179 c. τί ἄν τις τώδε ἐπονομάζοι τὼ αὐτοκράτορε, τὼ ἀναστέλλοντε μὲν Γερμανούς, Φοβεῖτον δὲ Ἀχαιμενίδας, Γέτας δὲ ἐξαιρεῖτον καὶ Σαυρομάτας, λαμπράν τε εἰρήνην παρασχόντε κτέ. Muli sunt haec non hominis, ut Bentleii verbis utar. Lege Φοβοῦντε — ἐξαιροῦντε quae incuria in Φοβοῦντει — ἐξαιροῦνται mutata postea doctus sane librarius *correxit!*

Pag. 199 c. καὶ ταῦτα εἴδομεν ὕπαρ καὶ ἐναργῶς, ἃ τέως ἐπὶ τῶν πινάκων γράφοντες ἐγενόμεθα. Fortasse: γράφοντας ἐθεώμεθα.

Pag. 203 c. τιμὴ γὰρ — εἰ διδῷτο ἐξητασμένως, ἀπείρως παραμένει καὶ τῷ δόντι καὶ τῷ λαβόντι, καὶ τῷ μεῖζον τι παραδόντι, ὅσῳ καὶ τὸ διδόναι τὰ μέγιστα τοῦ λαμβάνειν μακαριώτερον. Sic libri sine sensu. Dindorfius proposuit: καὶ τοσούτῳ μεῖζον τῷ δόντι. Simplicius: καὶ τοσούτῳ μεῖζον (= μᾶλλον) παρὰ τῷ δόντι.

(*Continuabitur*).

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 196).

XXV.

DE CONDICTIONE CERTI.

Superioribus argumentis quum satis mihi demonstravisse videar, prorsus incognitam esse veteris iuris auctoribus condictionis ut aiunt triplicem distinctionem, quam hodie perhibent èt Digesta èt libri eorum, qui haec sine interpolationis suspicione legunt [1]), tamen unum argumentum addam, in Codice Iustiniano, ubi tot servata sunt imperialia rescripta, decreta, edicta quae pertineant ad condictionis iura quibusque nominatim condictionis mentio fiat, huius distinctionis nec volam usquam nec vestigium apparere, ut dubitari fas non sit post annum 529 quo prior Codicis editio luce potita est, tunc demum hanc pestem ius Romanum invasisse. At ne quid etiamnunc a me desideretur neve deseruisse videar Ottonis Lenel salutare consilium, sic statuentis, in toto hoc interpolationum genere neminem sibi plaudere debere quum docuerit quam plane abhorreat a meliorum temporum usu iuris regula vel agendi quaedam formula, nisi praeterea demonstraverit, id ipsum quod a Gaii vel Ulpiani doctrina longissime abesse sumpserit, optime convenire cum Triboniani ratione operis

1) E. g. Baron, *die Condictionen* (1881) p. 87: „*die den classischen Juristen geläufige Eintheilung der* Condictio *ist die in* cond. certi, triticaria, incerti". Unde novit vir clarissimus?

Digitized by Google

et cum ea prudentia quae a Iustiniani aequalibus expectari possit [1]), dicam, qualem actionem veteris iuris Compilatores sub specie condictionis certi in medium proferre studuerint. Qua de re novam quum nuper opinionem ediderit Baron libro qui in manibus multorum versatur: *die Condictionen* (1881), ab hac initium mihi sumere liceat. Quamvis enim ille non dubitet Ulpiano hanc actionem adscribere, potuit sane vel sic ipsam actionis naturam, quae actio proponitur l. 9 D. 12. 1, ita ad veritatem exprimere, ut Tribonianus partum agnosceret. Baron igitur ad praesentem usum eo converso quod de cautione exstat l. 25 § 4 D. 22. 3 certi condictionem actionem esse ait, quae *indiscrete loqu(a)tur*, planius ut dicam, actionem esse qua non statim ab initio petendi causa demonstretur. Nam demonstranda utique erit, antequam iudex sententiam proferat, quamvis tunc quum lis edatur in obscuro relicta sit. At in cautione, quae *loquitur indiscrete*, quae causa subsit non requiritur, nisi ex tali cautione ius dici lex vel senatusconsultum vel constitutio vetuerit. Est enim perquam credibile iustam causam debendi subesse, ubi se debere reus scripserit [2]), et propria standum est confessione. Non perinde fit credibile iustam causam petendi subesse, ex eo solo quod actionem quis intenderit.

Pridem vidimus (supra p. 112) formulam qua certam petimus pecuniam *indiscrete loqui*, quod constat Ciceronis in Rosciana causa testimonio. Porrigendum id esse ad ceteras quoque formulas, quibus intendimus *dari nobis oportere*, ut credam Gaius efficit (IV § 33) interse opponendo *formulas quibus pecuniam aut rem aliquam nobis dari oportere intendimus* atque *actiones commodati, fiduciae, negotiorum gestorum* rel. Siquidem hae a causa proposita nomen traxerint, illae ni fallor ideo ab effectu nominatae sunt, quia sine causae demonstratione procedebant. Idem iure novo in libello obtinet. Recte in iudicium rem deducit, conventionis libellum qui transmittat adversario, *licet generaliter nullius causae mentionem habentem* (c. 3 C. 7. 40).

---

1) *„Jede aufgefundene Interpolation stellt uns vor die Frage nach dem Warum und Woher, und erst wenn diese Frage beantwortet ist, fühlen wir das Ergebniss gesichert"*. (*Zeitschr. der Sav.-St.* IX p. 182).

2) In eam sententiam et ex contraria parte quae adferri solent argumenta examini subiecci cap. V.

Digitized by Google

Quod vero antiquitus ad eas formulas tantum pertinebat, quibus *dari oportere* intendebatur, idem iure novo omnibus commune est; certe ab hac licentia nulla excipitur [1]). Itaque concedendum est omnino condictionem certi actionem esse quae *indiscrete loqu(a)tur*, aut, ut minimum, loqui possit. Sed idem valet in ceteris condictionibus. Hanc ob causam non placet definitio, quam Baron protulit. Neque enim sic definienda est condictio certi, ut ostendas, quid illi sit commune cum ceteris condictionibus, sed quid intersit.

Habet igitur certi condictio illud proprii, quod competat *ex omni causa* (l. 9 pr. D. 12. 1) quum ceterae condictiones suam quaeque causam sibi habeant adsignatam. Hae speciales sunt, illa *generalis* rectissime dicitur. Nam sola praestat omne quodcumque coniunctim praestare possint *indebiti condictio* (R. D. 12. 6), *condictio sine causa* (R. D. 12. 7), ceterae condictiones, quibus in Digestis singuli tituli sunt attributi. Concurrit enim cum quacumque earum generalis condictio, at eadem ibi deficit, *ubi deficit actio specialis quae praebeat causam agendi certi condictione, siquis ea experiri malit*, sicuti recte, ni fallor, observavit Cuiacius [2]), dummodo excipiatur, ex verborum obligatione certi condictionem nasci, licet deficiat specialis actio. Etenim ex certa stipulatione specialis actio ne nasceretur, effecerunt Compilatores interpolatione facta l. 24 D. 12. 1, qua de re vidimus supra cap. XVII. At subsistit ex eadem causa generalis actio. Cui iuri accommodatum est pr. Inst. III. 15.

Haec actio quare olim a Compilatoribus desiderata sit, valde quaeritur. Quid enim attinebat de ea re de qua iam agi poterat per aliquam specialem condictionem novam actionem tribuere eiusdem potestatis? Electio datur actori ut vel certi condictione agat, vel condictione indebiti, sine causa, causa data causa non secuta; at nulla res est cur alteram utram potiorem habeat. Ne illud quidem praecipuum est certi condictionis, quod libellum *indiscrete* concipere liceat; id enim in omni condictione permittitur. At si nihil praecipui habeat nova actio, Imperiale

1) At est credibile non cogitasse Iustinianum nisi de iis actionibus, quibus certum petatur.

2) *Ad animadv. Io. Roberti* II. 8.

Digitized by Google

beneficium cuius id igitur pretii est? Nonne iure meritoque respuere id licebit? Quod, etiamsi verum videatur, tamen meae verecundiae id esse non putarem, nisi rei fiduciam adderet universa Gallorum nationis conspiratio, auctoritasque Roberti Pothier, plus qui caeteris ad huius aevi usum Romanarum legum flectendo indolem, utilia ab inutilibus secernendo, non peritura praecepta ab intermortuis segregando praestitisse videtur. Is igitur demonstrato, quod iure Iustiniano indebitum solutum repeti possit sive condictione certi sive condictione indebiti, ita pergit: *„la distinction de ces différentes actions qui ont un même (fondement et un même) objet n'est pas d'usage dans notre droit français"* [1]). Huius est non mea audacia ab altera utra actione omnem utilitatem abiudicantis. Firmat me praeterea Friderici Caroli Savigny apud Germanos maior etiam quam Roberti Pothier apud Gallos auctoritas, qui eo usque est progressus, ut non tantum vetere iure sed etiam Iustiniano neget generalem dari condictionem [2]). Quem redarguit et ipse quo nihil clarius fragmenti de condictione certi contextus èt interpolatio l. 24 D. 12. 1, ubi nominatim ad hanc actionem Tribonianus nos remittit [3]). Sed ducit eum ni fallor rectus sensus novae actionis abundantiae et inutilitatis.

At vero huius culpae pars a Triboniano in eos quos nactus est interpretes deflectenda videtur. Quippe qui non tulerint Imperatoriis legibus eam opem quam èt ferre facile erat, èt in re simili Decemviralibus legibus veteres illi sponte tulerant. Nam quum Decemviri iussissent generalem esse actionem sacramenti, ut ex omni causa sacramento agi posset, hanc otiosam esse generalem actionem veteres passi non sunt, statuerunt, *de quibus ... rebus ut aliter ageretur lege cautum non e(sset), de his sacramento ag(endum esse)*. Quam servavit interpretationem Gaius IV § 13. Tales interpretes non contigerunt legibus Imperatoriis, neque ipse forte Imperator tales futuros expectavit. Si contigissent, facile constitisset, speciales condictiones ad unam omnes

1) (*Ed.* Bugnet) V p. 108. = *Traité du prêt de consomption* n° 139.

2) *System* V. p. 581 fg.

3) Itidem ad eam remittit l. 3 § 4 D. 12. 4. Quam paragraphum ideo inseruisse videtur, nam inseruisse Tribonianum constat (vid. supra cap. XVI), ut crederemus ex novo negotio nasci certi condictionem.

Digitized by Google

exclusas videri, ut sit locus certi condictioni ab ipso legis latore promptae. Neque huius rei argumenta in ipsa lege desunt; resecta penitusque a iudiciis remota ex stipulatu certi actio (l. 24 D. 12. 1) nonne testificatur, voluisse Compilatores solam in usu esse certi condictionem, omni speciali condictione cessante? Hoc igitur quasi voluntatis Compilatorum indicium magni interpretis fuisset subsequi, qua de re olim haud sane magno negotio convenire quum potuisset, at nunc fortasse serum est.

Ea ni fallor certi condictionis proponendae causa fuit, ut simplex inde nasceretur ius, non, quod partim Compilatorum incuria, partim interpretum socordia effectum est, ad alias multas nova actione accedente sed multarum vicem subeunte. Hanc certe causam fuisse triticariae proponendae condictionis, res ipsa demonstrat. Occupavit enim triticaria condictio duarum, ut minimum formularum locum, èt eius qua sic intendebatur *si paret hominem Stichum dari oportere*, èt eius qua *tritici tantum dari oportere* intendebatur antea (vid. supra cap. XXI). Hac enim actione èt quantitates petuntur èt corpora, iura denique, id est omnia omnino quae dari deberive possint. Sola excipitur numerata pecunia. At certi condictione numeratam pecuniam, nihil praeterea petimus. Idque diserte tradunt Compilatores l. 1 pr. 13. 3 iis verbis quae supra (p. 184) exscripsi. Quamquam fatendum est, in hac parte parum sibi constare Tribonianum. Etenim l. 17 § 2 D. 25. 2 corpora amota non per triticariam sed per certi condictionem repetere eum vidimus. Iura vero, quo numero sunt servitutes tam personarum quam praediorum et obligationes non uno loco [1]) incerti condicuntur, quum sufficiat triticaria.

Hac ducor observatione, ut dicam duplicem subesse Pandectis interpolationem. Ulpiano qui subdiderit fragmentum de condictione triticaria, ei cordi erat, condictiones omnes ad certi condictionem et ad condictionem triticariam redigere; ceterarum auctores interpolationum (nisi quod commune opus videatur ipsum de certi condictione fragmentum) triticaria ab-

1) L. 16 § 2 D. 4. 4; l. 5 § 1 D. 7. 5; l. 35 D. 8. 2; l. 22 § 1 D. 12. 6; l. 3 D. 12. 7; l. 5 § 1 D. 19. 1; l. 8 pr. D. 19. 1; l. 46 pr. D. 23. 3; l. 2 § 3 D. 39. 5; l. 12 D. 46. 2.

Digitized by Google

iecta certi condictioni incerti condictionem adiunxerunt, quod maxime confirmatur l. 12 D. 46. 2. Quumque illi condictio certi ea sit actio qua pecunia certa peti debeat, his vero actio, qua èt pecuniae èt res petantur corporales, interesse debet inter illius triticariam et horum incerti condictionem. Triticaria nempe ille èt res condicit èt iura, incerti hi iura tantum [1]). Hac ni fallor distinctione opus est, ut intelligamus, quo pacto modo concurrere videantur modo discrepare certi condictio et triticaria, item triticaria et incerti condictio. Illas enim concurrere in rebus corporalibus Cuiacius [2]), has vero in rebus incorporalibus Savigny [3]) pridem docuit. Sed neuter intellexit fucum sibi facere interpolatorum duplex genus. Simile nuper Lenel passus est. Dum sapienter restituit Praetorum edicta, certi condictionem, qua de agitur l. 9 D. 12. 1, actionem sibi certae creditae pecuniae videri esse, ait [4]), postea Palingenesiam absolvens, iam sibi magis placere Ulpianum *non de sola certae pecuniae sed generaliter de certi condictione agere* [5]), neque huc illuc animadvertit a diversis interpolatorum veluti sectis rapi sese. Quod non ideo dico, ut detrectem de tanti viri laudibus, quibus adderem si quid possem, sed ne meae commentatiunculae tale desit adminiculum.

Scribebam Traiecti ad Rhenum mense Aprili 1892.

---

1) Singularis est ratio l. 40 § 1 D. 12. 6; l. 12 § 2 D. 13. 1; l. 60 D. 30; l. 19 § 2 D. 43. 26. Vid. supra p. 103 (l. 60 cit.), p. 104 (l. 19 § 2 cit.), p. 195 (l. 19 § 2 cit.), p 196 (l. 40 § 1 cit.).

2) Ad African. l. 23 D. 12. 1.

3) *System* V p. 628.

4) *Das* E P. p. 185.

5) Paling. II p. 569[4].

Digitized by Google

AD TRAGICOS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

EURIP. Hecub. 239. Hecuba rogat Ulyssem:

οἶσθ' ἡνίκ' ἦλθες Ἰλίου κατάσκοπος
δυσχλαινίᾳ τ' ἄμορφος, ὀμμάτων τ' ἄπο
φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν.

K. Bussche in *Neue Jahrbücher* 1891, p. 515 sq. bene intellexisse videtur, sententiam esse „quantum oculis iudicari poterat, gravis volneris guttae a mento tuo destillabant". Quis vero quaeso spectatorum verba Graeca ita accipere potuit, nisi sic reficta

δυσχλαινίᾳ τ' ἄμορφος, ⟨ὥς⟩ τ' ἀπ' ὀμμάτων
φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν;

ut dixit, quem ipse Bussche attulit, Sophocles O. C. 15. Quod ad vs. 270 attinet, quem idem vir doctus delet, sero venit, nam olim de ea re monui, quod idem valet de vss. 820—823.

SOPHOCL. Trachin. 102

ποθουμένᾳ γὰρ Φρενὶ πυνθάνομαι
τὰν ἀμφινεικῆ Δηιάνειραν ἀεί,
οἷά τιν' ἄθλιον ὄρνιν
οὔποτ' εὐνάζειν ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον, ἀλλ'
εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα τρέφουσαν ὁδοῦ
ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι τρύχεσθαι, κακὰν
δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν.

Quin *ἀνανδρώτοισι* depravatum sit nequit dubitari, quia hoc adiectivum nihil aliud significare potest in vetusto sermone quam *non adultus*.

Circumspicienti autem medelam nihil aptius succurrit, quam ut leni manu corrigamus:

εὐναῖσι πανδύρτοισι τρύχεσθαι κτλ.

Digitized by Google

quo quasi manu ducunt verba opposita οὔποτ' εὐνάζει ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον. Est enim πάνδυρτος *fletu* sive *gemitu plenus*. Cf. Aesch. Pers. 940 sq., Sept. 968, Soph. El. 1077, Eur. Hec. 212.

Trach. 311 Deianira ad Lichan:

τίς ἡ τεκοῦσα (Iolen), τίς δ' ὁ Φιτύσας πατήρ;
ἔξειπ'· ἐπεί νιν τῶνδε πλεῖστον ὤκτισα
βλέπουσ', ὅσῳπερ καὶ Φρονεῖν οἶδεν μόνη.

Non sufficere Axtii coniecturam Φρονεῖν δοκεῖ μόνη, quia praecipua loci difficultas sit in μόνη, non fugit Nauckium in novissima huius fabulae editione. Mihi venit in mentem:

ὅσῳπερ καὶ Φρενῶν ἔνδον μένει.

Eurip. Heracl. 709:

τῶν Φρενῶν οὐκ ἔνδον ὤν.

Trach. 370

καὶ ταῦτα πολλοὶ πρὸς μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ συνεξήκουον ὡσαύτως ἐμοί.

Inepta praepositione fortasse olim librarius veterem lacunam explevit. Fuisse suspicor:

καὶ ταῦτα πολλοὶ ⟨δὴ 'ν⟩ μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ συνεξήκουον ὡσαύτως ἐμοί.

Cf. Nauckii annotatio.

Trach. 385

τί χρὴ ποεῖν, γυναῖκες; ὡς ἐγὼ λόγοις
τοῖς νῦν παροῦσιν ἐκπεπληγμένη κυρῶ.

Quia non magis quam editor παροῦσιν sanum esse duco, conieci:

τοῖς νῦν Φανεῖσιν κτέ.

Cf. O. R. 848 ὡς Φανέν γε τοὔπος ὧδ' ἐπίστασο, 525 πρὸς τοῦ δ' ἐφάνθη — ὅτι, Ant. 621 κλεινὸν ἔπος πέφανται, Trach. 1 λόγος — Φανείς.

Trach. 964 ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.

Venit mihi in mentem:

ξένων γάρ ἐστ' (πάρεστ'?) ὀπαδὸς ἥδε τις βάσις.

Ad eosdem Hercules infra 1264: χαίρετ' ὀπαδοί. Cf. ad h. l. Nauckius.

Scribebam Traiecti ad Rh. m. Decembri a. 1891.

Digitized by Google

ADNOTATIONES CRITICAE

AD

THEOPHRASTI CHARACTERES.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Antequam experiar possimne Theophrastum corrigendo paulo sui reddere similiorem, iuvat breviter exponere quid mihi de libelli origine satis tuto statui posse videatur. Ac primum omnium constat, compositum opusculum fuisse circa Olymp. 115 vel non ita multo post, deinde lepidus et venustus sermo quo scriptor quisquis fuit, utitur, Atticas Athenas redolet; nec per se quidquam impedit quominus credamus ipsum Theophrastum fuisse, qui hoc scribendi genus excoluerit. Eo ducit quod Athenaeus tradidit p. 21 A: *Ἕρμιππος δέ φησι Θεόφραστον παραγίνεσθαι εἰς τὸν περίπατον καθ' ὥραν λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, εἶτα καθίσαντα διατίθεσθαι τὸν λόγον οὐδεμιᾶς ἀπεχόμενον κινήσεως οὐδὲ σχήματος ἐνός. Καί ποτε ὀψοφάγον μιμούμενον ἐξείραντα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη.* Praeterea afferrem Plutarch. Sympos. II 1, si id quod aliquando Theophrastus iocose dixisse fertur, melius intelligerem, sed apertum est quod invenio Plutarch. Sympos. V. 5: *Θεόφραστος ἄοινα συμπόσια παίζων ἐκάλει τὰ κουρεῖα διὰ τὴν λαλιὰν τῶν προσκαθιζόντων.*

Verum estne tale opusculum Peripatetico philosopho dignum? Nimirum novimus quantam curam Aristoteles impenderit ut ostenderet inter bina vitia unam virtutem in medio esse collocatam: sic inter *ἀλαζονείαν* et *εἰρωνείαν* media est *ἀλήθεια*, inter *μικροπρέπειαν* et *ἀπειροκαλίαν μεγαλοπρέπεια*, inter *κόλακα* et

Digitized by Google

δύσεριν vel δύσκολον ὁ φίλος, alia eiusmodi. Hanc magistri doctrinam secutum fuisse Theophrastum, comparet ex Stobaei Ecl. Eth. p. 302 Heeren., ubi συζυγίαι memorantur ἀκολασία, σωφροσύνη, ἀναισθησία· ὀργιλότης, πραότης, ἀναλγησία· θρασύτης, ἀνδρεία, δειλία· ἀσωτία, ἐλευθεριότης, ἀνελευθερία, aliae. Itaque quum definitiones a quibus singula capita incipiunt, exiliter scriptae sint et nil tale contineant ac saepe minime conspirent cum exemplis, quae deinceps afferuntur, concedendum est illas definitiones, etiamsi stulta praefatione sint aliquanto vetustiores, tamen Theophrasto non esse obtrudendas et post fuisse allitas ab eo, qui Characteres in eam formam redegit quam hodie servant.

Caput secundum est περὶ κολακείας et videmus quomodo hoc argumentum Theophrastus aliquando tractaverit apud Athenaeum VI p. 254 d: Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ κολακείας φησὶν ὡς Μύρτις ὁ Ἀργεῖος Κλεώνυμον τὸν χορευτὴν ἅμα καὶ κόλακα, προσκαθίζοντα πολλάκις αὐτῷ καὶ τοῖς συνδικάζουσι, βουλόμενον δὲ καὶ μετὰ τῶν κατὰ τὴν πόλιν ἐνδόξων ὁρᾶσθαι, λαβόμενος τοῦ ὠτὸς καὶ ἕλκων αὐτὸν ἐκ τοῦ συνεδρίου πολλῶν παρόντων, εἶπεν· οὐ χορευσεῖς ἐνθάδε οὐδ' ἀμῶν ἀκουσεῖ. Itaque occurrendum est iis qui fortasse propterea suspicabuntur me etiamnunc in ea opinione esse quam olim multi tenuerunt, ex amplo Theophrasti opere de virtutibus et vitiis triginta notationes esse excerptas; sed equidem potissimum Gomperzium sequar, qui luculenter demonstravit ipsam libelli formam obstare, quominus statuamus lepidas illas descriptiones olim per spissum volumen dispersas, postea in unum fuisse collatas. Cum Academico Austriaco planissime ὑπομνήματα agnosco, non librum summa cura perfectum et ad umbilicum perductum.

Quantum quidem in obscura re conicere licet, ipse Theophrastus commentariolum conscripsit ut exemplis lepide fictis, quibus etiam hodie delectamur, in praelectionibus suis uteretur. Argumentum placere debuit homini, cuius etiam singularis liber fuit περὶ τοῦ γελοίου, cf. Athen. VIII 348 a. Veluti quum ὀψοφάγον describeret, quemadmodum dicit Hermippus, videtur habuisse ὑπόμνημα, quod, sicubi opus esset, consuleret. Non mihi persuadeo exilem opellam doctorum lectorum oculis destinatam fuisse, sed libellus post mortem, credo, in scriniis re-

Digitized by Google

pertus fuit. Hinc si quaeris, cur tandem in magna reliquorum iactura Characteres servati sint, audi quid respondeam.

Quomodo in philosophorum scholis postea hominum mores describerentur, efficere possumus ex Philodemi fragmentis, qui, dum ipse Aristonem laudat, haud obscure arguit huiusmodi notationes olim in magno honore fuisse; sed Rhetores fuerunt, qui iuxta subtiles et spinosas reliquorum enarrationes, Theophrastei ingenii lepidissimum foetum ab interitu servarunt. Efficio hoc ex Rutilio Lupo, qui hoc modo Χαρακτηρισμὸν interpretatur et commendat: „Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic *orator* hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat". Deinde ex Lycone philosopho peripatetico ebriosi hominis descriptionem affert. Magis etiam eodem pertinet locus in Rhetoricis ad Herennium IV 50. 63, ubi ostenditur quomodo *apud iudices* notari possint gloriosi hominis mores, qui in tenui re pecuniosus velit haberi. Refert orator vere Atticos lepores ac facile foret omnia ita redigere in breviorem formam, ut caput exiret non valde dissimile ἀλαζονείας descriptioni in capite 23 apud Theophrastum. Postrema Cornificii de eo argumento verba sunt: „Huiusmodi notationes, quae describunt, quid consentaneum sit uniuscuiusque naturae, vehementer habent magnam delectationem; totam enim naturam cuiuspiam ponunt ante oculos, aut gloriosi, ut nos exempli causa, coeperamus, aut invidi aut timidi, aut avari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris; denique cuiusvis studium protrahi potest in medium tali notatione".

Apparet quid velim. Rhetor aliquis forte nactus Theophrasteum ὑπόμνημα, quidquid Aristotelis more de singulorum vitiorum origine et natura disputatum fuerat, tanquam aridum ac rhetoribus inutile resecuit et satis habuit breves praemittere definitiones, quas modo ex Theophrasto ipso negligenter admodum descripsit, modo ipse imperite composuit; sed quidquid lepide dictum erat ac ridicule, diligenter retinuit, ut discipuli haberent quod in declamationibus suis copiose ornarent et explicarent. Ipse quoque Cicero huius artificii vim minime ignoravit, quod cum aliae orationes declarant, tum Pisoniana reliquis etiam luculentius ostendit. Sed rhetor ille quem fingo, sive ipse multa turbavit, sive turbatum codicem nactus est, sive postea omnia

Digitized by Google

confusa sunt, quod Parisini codices cum Palatino collati liquido demonstrant, sive tres causae deinceps inciderunt: hodie certe multa loco mota esse deprehendimus. Verum ordinem ut restitueret, Ribbeckius quinquies decies plura pauciorave verba ex uno capite transponere voluit in alterum, adeo ut ex triginta capitibus tredecim tantum non sollicitarentur: quid attinet dicere nihil horum cum evidentia quadam fieri posse? Contenti simus oportet laciniis quae supersunt: id tantum restat ut videamus in magno corruptelarum numero possintne quaedam etiam hodie probabiliter restitui in integrum.

Cap. 1. *εἰρωνείας.*

Ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν λαλεῖν οὐ μισεῖν καὶ ἐπαινεῖν παρόντας οἷς ἐπέθετο λάθρα. Hic facile est magnum suspicionum numerum undecumque corradere, sed nihil hucusque repertum fuit quod possit satisfacere. Blochius scripsit: *ὡς οὐ μισῶν*, Schneiderus *Φιλεῖν οὓς μισεῖ*, cum codex Florentinus habeat: *ἐθέλειν Φιλεῖν οὐ μισεῖν.* Indidem profectus Ribbeckius supplevit *ἐθέλειν λαλεῖν (καὶ προσποιεῖσθαι) Φιλεῖν οὐ μισεῖν.* Ussingi inducere placuit molesta verba *οὐ μισεῖν*, quae est expeditissima corrigendi ratio. Herwerdenus commendavit *οὐ δοκῶν μισεῖν* et alii fortasse alia excogitaverunt, sed nihil horum eiusmodi est ut assensum extorqueat. Sentit unusquisque *odii* hic perinepte fieri mentionem. Superiore hieme convenerat inter Allardum Piersonum et me ut Theophrasti Characteres attentissima cura examinaremus. Ibi forte explosis tentaminibus quae dixi, postquam intelleximus in ipso illo *οὐ μισεῖν* vitii sedem inesse, „quin rescribimus", Piersonus inquit, *ὁμιλεῖν*, quo facto *λαλεῖν* verbum sponte excidet". Ita est: lectio *οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν ὁμιλεῖν καὶ ἐπαινεῖν παρόντας*, omnes habet veritatis numeros. Sunt etiam in sequentibus bene multa, quae non nisi Piersono duce et acerrimo suspiciuncularum mearum censore, mihi contigit reperire.

Cap. 2. *κολακείας.*

Καὶ συνωνούμενος κρηπῖδας τὸν πόδα Φῆσαι εἶναι εὐρυθμότερον τοῦ ὑποδήματος. Hic ferri nequit participium *συνωνούμενος*, nam si emti calcei, non adulator emit, sed patronus cui adulatur; deinde quam ridiculum est verbum *coëmendi!* Vertunt: Crepidas *ementi* si comes adsit, pedem dicet ipsius calceo esse

Digitized by Google

concinniorem, quasi nominativus ullo modo ad patronum referri possit. Nec quidquam causae video cur ille solus sibi soleas emere (vel coemere) nequeat. Est tamen expedita res. Haec intus aguntur: forte post convivium dominus crepidas poposcit, quas dum induit, adulator formosum pedem stulte laudat. Quid igitur latet? Nempo ὑποδουμένου et superest vestigium praepositionis ὑπό, nam in Parisinis libris est: συνωνούμενος ἐπὶ κρηπῖδας.

Ibid. καὶ τῶν ἐσιωμένων πρῶτος ἐπαινέσαι τὸν οἶνον καὶ παραμένων εἰπεῖν· ὡς μαλακῶς ἐσθίεις, καὶ ἆρας τι τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης Φῆσαι· τουτὶ ἄρα ὡς χρηστόν ἐστι. Est uniuscuiusque corrigere: τουτὶ ὄρα ὡς χρηστόν ἐστι, quod viros doctos hucusque nescio quomodo latuit. Cum in Rhedigerano legatur παρακειμένων, Gronovius καὶ τῷ παρακειμένῳ scripsit, Astius autem παρακείμενος, sed quantum novi Rhedigerani illius nulla auctoritas, nec traditur accubuisse parasitum iuxta coenae patrem. Unice quaerendum est quid illud παραμένων intus celet. Hominem dixerim patrono aliquid insusurravisse in aurem, ne alii exaudiant: hoc obtinebimus sic: καὶ ῥῆμα εἰπεῖν· ὡς μαλακῶς ἐσθίεις.

Cap. 3. ἀδολεσχίας.

καὶ ὡς Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι τὰ μυστήρια, Πυανεψιῶνος δὲ Ἀπατούρια. Anno 1852, quod meminisse iuvat, cum amico meo Kiehlio Parisios profectus sum, plane ut Horatio obtemperaremus et utilia dulcibus misceremus. Itaque horis antemeridianis ut palaeographicam scientiam confirmaremus, in publica bibliotheca codices aliquot Graecos inspeximus et contulimus, deinde per reliquum diei tempus animum relaxabamus. Est apud me collatio codicis Parisini 2977, quam Kiehlius diligenter confecit ita ut multa scripturarum compendia quam accuratissime delinearet. Quid igitur est in codice? Minutissima scriptura est, sed agnosco articulum: Πυανεψιῶνος δὲ τἀπατούρια, quae lectio etiamsi alios, quod nescio, fortasse non latuerit, latuit certe Ussingem.

Cap. 4. ἀγροικίας.

ὅταν δ' ἴδῃ βοῦν ἢ ὄνον ἢ τράγον ἑστηκὼς θεωρεῖν. Hic additum aliquid oportuit, quo rusticitatis crimen magis pateat, nam bovem vel asinum spectasse per se non est improbandum. Suppleo τράγον (ὀχεύοντα) ἑστηκὼς θεωρεῖν, vel, si id mavis

Digitized by Google

quod etiam facilius excidere potuit: τράγον (ἐξυκότα) θεωρεῖν.

Ibid. καὶ τὴν σιτοποιὸν πειρῶν λαθεῖν καταλέσας μετ' αὐτῆς τοῖς ἔνδον πᾶσι καὶ αὐτῷ τὰ ἐπιτήδεια. Hic locus quantum novi nondum bene constitutus fuit. Veluti Coraeus, qui in Theophrasto non fecit operae praetium, nam μονότροπος ὢν et αὐθέκαστος numquam facetias didicit aestimare, totum locum ita vertit: *C'est encore dans le caractère d'un tel homme, d'entrer furtivement et à l'insu de sa ménagère dans l'office, pour y devorer quelque morceau, et pour avaler quelques rasades de vin pur; de moudre avec elle le bled, et de distribuer les rations de pain à toutes les personnes qui composent sa famille.* Quid attinet dicere nihil horum in Graecis inesse neque σιτοποιὸν eam esse quam Franci *ménagère* appellant? Paulo melius est quod in Latina versione invenio: „ancillam autem panificam clam attrectat, deinde cum illa molit ad victum tum sibi tum universae familiae necessarium". Sed cur tandem ancillam *clam* attrectat? Pudetne τὸν ἄγροικον? Melius tamen hoc quam Ussingis interpretatio, qui interpretando fecit ut nihil intelligeret: „et dum pistricem pellicit, non animadvertit, se interim una cum ea universae familiae et sibi omnia, quae opus erant, moluisse. — Nihil mutandum. Ancillam infimi generis non solum ad stuprum pellicit, sed tam familiariter cum ea agit, ut etiam molas cum ea verset, quod tantum dedecus, si ipse animadvertisset, vix fecisset". Ain tu? non animadvertit rusticus se molam versare? Quid tandem credi non poterit, quum hoc credatur? Apparet erroris origo: librarii qui dederunt πειρῶν λαθεῖν, confuderunt verba πειρᾶν et πειρᾶσθαι habentque in eo pudendo errore ipsum Casaubonum socium, qui vertit: „et vinum meracius potat, diligenter interim, ne hoc ancilla panifica resciscat, cavens". Sed sciendum est in codicibus κἄτ' ἀλέσας legi, unde expuncto infinitivo λαθεῖν, iam emergit vera lectio: καὶ τὴν σιτοποιὸν πειρᾶν κἄτ' ἀλέσαι μετ' αὐτῆς τοῖς ἔνδον πᾶσι καὶ αὐτῷ τἀπιτήδεια. Rem vides: rusticus ancillam subagitat: clamne an palam, ciccum non interduit.

Ibid. καὶ ἀργυρίδιον (ita Cobet., vulgo τὸ ἀργύριον) παρά του λαβὼν ἀποδοκιμάζειν, λίαν λέγων λυπρὸν εἶναι καὶ ἕτερον ἀνταλλάττεσθαι (ita Cobet., vulgo ἅμα ἀλλάττεσθαι). Hic Ussinx omnium longissime a recta via aberravit; etenim explicat: „si

Digitized by Google

nuptias aut aliud quod convivium facturus vasa argentea ab amico utenda sumit, ea, quae amicus offert, aspernatur et reiicit nimis futilia dicens, et simul, permutatione facta, alia sibi sumit". Nec coelum, nec terram haec tangunt, ut aiunt; sed cur tam improbabilia commentus est? Ipse dicet: „vulgo nummos intelligunt, hominemque putant nummos tenues iustoque leviores reprobasse et postulasse, ut aliis permutarentur; sed nec λυπρὸν leve significat, nec ἀλλάττεσθαι postulare, nec omnino rustici, sed accurati hominis est videre, ut, si quae pecunia sibi debeatur, recta et proba reddatur." Consensit Ribbeckius, qui contendit non rusticum notari sed μεμψίμοιρον laudataque verba proinde tranferenda esse in cap. 17. Equidem ad Astium recurrere malo, qui, etiamsi verum non invenerit, hoc tamen recte observavit: „Egregie rusticus exprimitur diffidens et fraudem undique suspectans". De diffidentia assentior, sed dum ipse ἀργυρίδιον illud λυπρὸν quaerit ἀνταλλάττεσθαι, cur alii cives minus suspicaces ei morem gerunt et bonos nummos permutant aliis vitiosioribus? Rustici et urbani adulterinos nummos pariter oderunt. Mihi crede: id quod est λυπρὸν in mendo cubat: accepit rusticus ἀργυρίδιον non λυπρὸν sed λαμπρὸν· ipse diffidit, nam inusitata species ferit animum et metuit ne nummus adulterinus sit; amicus autem libentissime ἀνταλλάττεται. Ceterum locus apud Aristophanem in Ranis vs. 718 specie convenit, reapse tamen discrepat. Contra ὁ μικροφιλότιμος studet reddere ἀργύριον καινόν, c. 21.

Cap. 5. ἀρεσκείας.

τὰ δὲ (παιδία) ἐπὶ τῆς γαστρὸς ἐᾶν καθεύδειν ἅμα θλιβόμενος. Quam hoc languet ἅμα θλιβόμενος! Commode Achillis et Phoenicis mihi venit in mentem et rescribo: καταβλυζόμενος. Tam fit eius vestis maculosa quam est nutricis pallium apud Plautum.

Ibid. καὶ ἀγοράζειν αὐτῷ μὲν μηδὲν, ξένοις δὲ εἰς Βυζάντιον ἐπισάλματα καὶ Λακωνικὰς κύνας εἰς Κύζικον. Viri docti variis modis tentarunt illud ἐπισάλματα, sed etiamsi sine exemplo ita adhibitum videatur, equidem tamen non sollicitabo et cum Astio res per literas mandatas intelligam. Excidit autem quid homo obsequiosus Byzantium miserit; *vinum* fuisse Demosthenes docebit c. Lacritum § 36: εἰς τὸν Πόντον ὁ οἶνος εἰσάγεται ἐκ τῶν τόπων τῶν περὶ ἡμᾶς.

Digitized by Google

Ibid. καὶ πίθηκον θρέψαι δεινὸς καὶ τίτυρον κτήσασθαι καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ δορκαδείους ἀσραγάλους. Hic duplex est offensio, quum τίτυρος itidem πίθηκος fuisse dicatur, sed μικρὰν ἔχων οὐράν, nec satis appareat cur homo ineptus πίθηκον θρέψαι malit, sed κτήσασθαι τίτυρον cum columbis. Hinc Astius verba transposuit et delevit πίθηκον· commode quidem, sed nimis operose. Paulo lenior est Ribbeckii ratio, qui itidem verba transponit sed ut simiam possit servare, τίτυρον eliminat et reponit τέταρον, quod est phasiani genus. Fortasse transpositio non necessaria erit. Quod Alexis docet apud Athen. IX p. 395 Siculas columbas *domi* alebant, metu credo ne avolarent: περιστερὰς ἔνδον τρέφων τῶν Σικελικῶν τούτων πάνυ — κομψάς. Hinc coniicio verum esse: καὶ πέτευρον κτήσασθαι καὶ Σικελικὰς περιστεράς· est enim sec. Hesychium πέτευρον σανίς, ἐφ' ἧς αἱ ὄρνιθες κοιμῶνται, sed latius patet significatio apud Photium, cui πέτευρον est πᾶν τὸ μακρὸν καὶ ὑπόπλατυ καὶ μετέωρον ξύλον. Diligenter de hoc vocabulo Coraeus retulit Ἀτάκτ. IV p. 419.

Cap. 6. ἀπονοίας.

δυνατὸς καὶ ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα καὶ προσωπεῖον ἔχων ἐν κωμικῷ χορῷ. Arena sine calce, nec multum proficitur Casauboni coniectura, qui οὐκ ἔχων commendavit, vel Ussingis qui μὴ ἔχων maluit, nam est quidem verum, saepe negationem excidisse, sed elumbis sententia est, quam ut vertas, necessarium erit verba transponere, quemadmodum Coraeus fecit: *Il est capable de se mêler, sans masque avec un choeur de comédiens, et de danser avec eux la cordace de sang-froid et sans être ivre.* Videor mihi intelligere quid dicere scriptor debuerit: quod choreutae eique personato vix conceditur, id inter amicos etiam sobrius faciet ὁ ἀπονενοημένος. Id quomodo obtinebimus? Credo sic: δυνατὸς καὶ ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα ὥσπερ προσωπεῖον ἔχων ἐν κωμικῷ χορῷ. Haud dissimile est ἀπονοίας exemplum apud Demosthenem de F. L. § 287, ubi Cyrebion dicitur ἐν ταῖς πομπαῖς ἄνευ τοῦ προσώπου κωμάσαι.

Ibid. καὶ ἐν θαύμασι δὲ τοὺς χαλκοῦς ἐκλέγειν καθ' ἕκαστον παριὼν καὶ μάχεσθαι τοῖς τὸ σύμβολον φέρουσι. Praestigiatores sunt qui σκηνὰς πηγνύασι κατ' ἀγοράν, ut est apud Platonem Legg. VII 817 C, deinde homo ineptus aera colligit non καθ'

Digitized by Google

ἕκαστον παριών, sed περιιών. Eodem modo victores περιαγείρονται, non παραγείρονται, de quo more est perdocta Boethi adnotatio apud Photium.

Ibid. καὶ τούτων ἂν εἶναι δόξειε τῶν περιισαμένων τοὺς ὄχλους καὶ προσκαλούντων, μεγάλῃ τῇ Φωνῇ καὶ παρερρωγυίᾳ λοιδορουμένων καὶ διαλεγομένων πρὸς αὐτούς. Non προσκαλεῖν sed προσλαλεῖν hoc Theophrastus amat appellare, veluti cap. 7 προσλαλεῖν τοῖς παιδοτρίβαις, cap. 11 τῷ πωλοῦντι et cap. 19 προσλαλῶν ἀπορραίνειν ἀπὸ στόματος. Nec magis probo διαλεγομένων, ubi exspecto διατεινομένων, quemadmodum c. 10 πρὸς τοὺς γραφεῖς διατείνεσθαι, uti et cap. 29, ad quem locum Ussinx p. 102 de huius verbi usu quaedam adnotavit.

Ibid. καὶ μεταξὺ οἱ μὲν προσίασιν, οἱ δὲ ἀπίασιν πρὶν ἀκοῦσαι αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῖς μὲν τὴν ἀρχήν, τοῖς δὲ συλλαβήν, τοῖς δὲ μέρος τοῦ πράγματος λέγει. Quae est ista orationis scabrities? Quod rerum natura flagitat, alii ridiculae orationis exordium audiverunt, alii quaedam ex reliquis, alii nihil praeter finem; nemo omnibus ab initio usque ad finem affuit, sed alii aliis auditoribus deinceps successerunt, et nemo quidquam percepit nisi particulatim. Itaque scripturae vitium in aprico est quod frustra Coraeus obtegere conatus est: *Ceux-ci n'ont entendu que le début de son discours;* ceux-là qu'une partie *ou quelques mots seulement.* Utinam apud Theophrastum tam certa et evidenti ratione omnia possent corrigi: lege: ἀλλὰ τοῖς μὲν τὴν ἀρχήν, τοῖς δὲ συναφήν, τοῖς δὲ τέλος τοῦ πράγματος λέγει. Invenio id quod est συναφή in aliis operibus Theophrasto frequenter usurpatum fuisse.

Cap. 7. λαλιᾶς.

καὶ μεταξὺ δὲ ἀποκρινομένῳ ὑποβάλλειν· ita Ussinx, cum in Cod. Parisino 1983 legatur ἀποκριναμένῳ ἐπιβάλλειν et Cod. 2977 ἀποκρινάμενος ἐπιβάλλειν. Equidem id arbitror praestare quod olim edebatur: μεταξὺ δὲ ἀποκρινομένου ὑποβάλλειν.

Ibid. μὴ ἐπιλάθῃ ὃ μέλλεις λέγειν. Fieri potest ut nodum in scripo quaesiverim; sed mihi quidem illud: noli oblivisci quod dicturus es, absonum videtur et praeter rei veritatem. Si mei arbitrii foret, scriberem: μὴ ἐπιτέμῃ.

Ibid. προσδιηγήσασθαι δὲ καὶ τὴν ἐπ' Ἀριστοφῶντός ποτε γενο-

Digitized by Google

μένην τοῦ ῥήτορος μάχην καὶ τὴν Λακεδαιμονίοις ὑπὸ Λυσάνδρου. Hic iamdudum repositum est τῶν ῥητόρων, spectatur enim nobilis causa quae a. 330 inter Demosthenem et Aeschinem acta fuit. Etiam Cobetus eam scripturam comprobavit, sed deinde vetuit ne quis attingeret sequentia verba, cum nulla emendandi spes reliqua esset. Videbo tamen numquid enucleare possim. Non est sane cogitandum de pugna ad Aegos flumen, sed respicitur aliquid admodum memorabile quod circa ea tempora Athenis *in urbe* actum fuit: καὶ τοῦτο μὲν καὶ τυφλῷ δῆλον. Deinde haud libenter credemus Lacedaemoniorum hic factam fuisse mentionem et Λακεδαιμονίων et Μακεδόνων nomina facile commutari potuerunt, quamquam ipsa Theophrasti verba non praestiterim, cum stulta illa τὴν Λακεδαιμονίοις ὑπὸ Λυσάνδρου in utroque Parisino libro legantur. Praeterea invenio c. 23 Alexandri et Evandri nomina confusa fuisse a librariis, unde nunc quoque haud inepte suspicari possumus Lysandri nomen Casandro cedere debere. Rogas quid tandem Athenis in populi comitiis circa annum 316, qui annus sequenti capite respicitur, admodum memorabile actum sit? Respondebit Diodorus Siculus XVIII. 74, sed paulo plura excerpenda erunt: Ἀθηναίων δὲ μὴ δυναμένων ἀποτρίψασθαι τὴν Φρουρὰν μήτε διὰ Πολυσπέρχοντος μήτε δι' Ὀλυμπιάδος, ἀπετόλμησέ τις τῶν ἐπαινουμένων πολιτῶν εἰπεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ διότι συμφέρει πρὸς Κάσανδρον διαλύσασθαι. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐγένετο θόρυβος, τῶν μὲν ἀντιλεγόντων, τῶν δὲ συγκατατιθεμένων τοῖς λόγοις· ὡς δὲ ἀνεθεωρήθη τὸ συμφέρον, ἔδοξε τοῖς πᾶσι πρεσβεύειν πρὸς Κάσανδρον καὶ τίθεσθαι τὰ πρὸς αὐτὸν ὡς ἂν ᾖ δυνατόν. Tandem legimus urbis praefectum a Casandro designatum fuisse Demetrium Phalereum. Res mihi certa videtur, sed ipsa Theophrasti verba quae fuerint, non habeo dicere.

Cap. 8. λογοποιίας.

ὁ βασιλεὺς μάχῃ νενίκηκε καὶ Κάσανδρος ἐζώγρηται. Pertinent haec ad eos menses, quorum servata memoria est apud Diodorum Siculum XVIII 64. Sed quemadmodum post nobilem ad Trasimenum pugnam M. Pomponius praetor in concione dixisse fertur: Pugna magna victi sumus, eodem modo malo: ὁ βασιλεὺς (μεγάλῃ) μάχῃ νενίκηκε.

Cap. 9. ἀναισχυντίας.

Digitized by Google

καὶ ἐσηκὼς πρὸς τῷ σαθμῷ μάλιστα μὲν κρέας, εἰ δὲ μὴ ὀσοῦν εἰς τὸν ζωμὸν ἐμβαλεῖν. Fieri potest ut propter Henricum Heynium *und seine ganz vorzügliche Krafthrühen* illud εἰς τὸν ζωμὸν multis lectoribus eximie placeat, sed etiamsi ὀσοῦν εἰς τὸν ζωμὸν fortasse recte dicatur, nunc tamen ridicule ita scribitur, cum εἰς τὸν ζωμὸν magis iungendum videatur cum verbo ἐμβαλεῖν. In deterioribus libris invenitur εἰς τὸν ζυγόν, quae multis de causis prorsus absurda lectio est. Ussinx εἰς τὸν σωρὸν scripsit, quod paulo quidem rectius se habet, nec tamen ab omni parte sufficit. Commendabo equidem: εἰς τὸν ὦνον. Est sane ὦνος pretium quod emptor persolvit venditori, sed dixerim etiam ipsum id quod emeris ὦνον potuisse dici. Impudens homo non exspectat lanii benevolentiam, sed si potest, carunculam, si minus potest, certe os rapit magis quam lanium rogat. Mantissam vel cumulum Romani appellant, *la réjouissance* matronae apud Heynium, Plutarchus autem παρενθήκην Conviv. p. 151 E: γένοιτο γὰρ ἂν πλείονος ἀξία τῆς ἐμπορίας ἡ παρενθήκη, h. e. mantissa obsonia vincit, uti Lucilius loquitur.

Ibid. καὶ ὅσα ἐωνημένος ἄξιά τις φέρει, μεταδοῦναι κελεῦσαι καὶ αὐτῷ. Nil curat homo ille quo quis quidque pretio emerit et, si curat, cara quam vilia malet. Emendo: ὦρια. Veluti finge te in foro pruna emisse quo tempore primum provenerunt et venalia sunt; supervenit homo impudens et tanquam vile munusculum propemodum flagitat quod tibi magno constitit et post aliquot dies demum vilescet.

Ibid. καὶ ἐπὶ τὴν ἀλλοτρίαν οἰκίαν ἐλθὼν δανείζεσθαι κριθάς, (ποτὲ μὲν κριθὰς Herw.) ποτὲ δὲ ἄχυρον καὶ ταῦτα (τοὺς inser. Cobetus) χρήσαντας ἀναγκάσαι ἀποφέρειν πρὸς αὐτόν. Propter proverbium apud Photium: ὄνος εἰς ἄχυρα· παροιμία ἐπὶ τῶν παρ' ἐλπίδας εἰς ἀγαθὰ ἐμπιπτόντων καὶ τούτοις ἀπολαυστικῶς χρωμένων, asinum hic dici putes; sed quid impudenti homini cum palea? Nempe modo hordeum petit, modo quid? ἄλευρον arbitror. Neminem hoc vidisse!

Cap. 10. μικρολογίας.

καὶ συσσιτῶν (Parisiis legitur ὁ συσσιτῶν) ἀριθμεῖν τὰς κύλικας πόσας ἕκαστος πέπωκε. Nunc quoque animadverto quod saepe usu venit, interpretes dum verbis adhaerescant, ipsas res indiligenter tractare. Veluti Coraeus hic de collaticia coena

Digitized by Google

cogitavit, deinde verbis transpositis ne absurda sententia oriatur, ita vertit: *L'homme sujet à cette passion ne fait aucune difficulté d'exiger de ses amis, qui s'assemblent chez lui pour souper en commun, qu'ils lui paient quelque chose à titre de loyer, ne fût-ce que la moitié d'une obole*". Ussinx hoc scilicet probat et addit: „ad talem coenam pertinet quod, quot quisque pocula bibat, numerat". Neuter horum, credo, umquam ἀπὸ συμβολῶν ἐδείπνησεν. Locus leviter corruptus est: ne lege καὶ συσσιτῶν vel καὶ ὁ συσσιτῶν, sed καὶ ξένους ἐρανῶν. Repetenda est uti vides corruptelae origo ex maiuscularum literarum usu. In hoc ipso capite invenitur ἐρανᾶν τοὺς δημότας et cap. 24 ἐρανᾶν τοὺς φίλους. Adde Lys. c. Erat. § 8.

Ibid. καὶ τῆς γυναικὸς ἐκβαλούσης (ἀποβαλούσης?) τρίχαλκον οἷος μεταφέρειν τὰ σκεύη καὶ τὰς κλίνας καὶ διφᾶν τὰ καλύμματα. Hic unusquisque meminit Luc. Evang. XV 8, sed quid est διφᾶν? Vetus verbum Ionibus relinquemus, sed quid latet? Credo: καὶ τῶν δίφρων τὰ καλύμματα.

Ibid. μήτε ὀρίγανον μήτε οὐλάς. Requiro Atticam formam ὀλάς.

Cap. 11. βδελυρίας.

ἔρι γὰρ παιδιὰ ἐπιφανὴς καὶ ἐπονείδιστος. Recte Herwerdenus ἐπιμανὴς rescripsit, sed quid est παιδιά? Opinor ἀναίδεια.

Ibid. καὶ δεικνύειν δὲ τοῖς ἀπαντῶσι τὰ ὠψωνημένα καὶ παρακαλεῖν ἐπὶ ταῦτα De sententia loci nemo umquam dubitavit: postquam impurus homo in foro obsonatus est, ostendit amicis forte obviis quae illinc retulit, non ut ad coenam vocet, sed ut hiantes destituat, nam solus ipse domi genio indulgebit. Ut hoc in Graecis insit, scribam: ὥσπερ καλῶν.

Cap. 13. περιεργίας.

οἷος ἐπαγγέλλεσθαι ἀναρᾶς, ἃ μὴ δυνήσεται. Supple: ἐπιτελέσαι.

Ibid. καὶ ὁμολογουμένου τοῦ πράγματος δίκαιον εἶναι, ἔν τινι ῥᾲς ἐλεγχθῆναι. Hic interpretes frustra desudarunt, quod vide apud Astium p. 128. Ne ipse quidem Casaubonus in illo ἔν τινι ῥᾲς scopulum superare potuit. Plerique explicant fere quemadmodum Bruierius explicavit: *dans une chose que toute une assemblée juge raisonable, et où il ne se trouve pas la moindre difficulté, d'insister long-temps sur une légère circonstance, pour*

Digitized by Google

être ensuite de l'avis des autres. Proxime a vero Ussinx afuit, qui correxit ἀντιςάς, quod tamen ut reliqua taceam ferri non potest, quum ἀναςάς proxime praecedat. Unice commendo ἀντειπας· etenim noli exspectare ἀντειπών, nam aoristus primus in hoc libello identidem recurrit. Frequenter confundi π et στ, omnibus fere notum esse arbitror.

Cap. 16. δεισιδαιμονίας.

καὶ ἐὰν (ὅταν Cobetus) ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐὰν μὲν παρείαν, Σαβάζιον καλεῖν, ἐὰν δὲ ἱερὸν, ἱερῷον εὐθὺς ἱδρύσασθαι. De anguibus Ussinx satisfaciet, sed quid est ἱερῷον? Audi eundem p. 113: „ἱερῷον, si verum est, significat aediculam sacri serpentis. Sed vox aliunde non nota adeo offendit interpretes, ut plerique ἱερὸν scriberent, quod iusto latius patet, Duebnerus ἡρῷον, quod probarem, si constaret, talibus serpentibus visis manes defunctorum apparere creditos esse. Nunc codicis scripturam reliqui; nec forma verbi incredibilis, nam quum ἱερεῖον aliud significaret, iis, qui hoc volebant, alio et graviore exitu utendum erat". Dixeris molestum fuisse aedes, non amplas fortasse, aediculis illis obstruere? Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. *Découvre-t-il*, Coraeus ait, *quelque serpent chez lui, il élève une chapelle dans l'endroit même de la maison où il l'aura aperçu.* Une chapelle, dii boni! Pone januam? sub lecto? mediis scalis? Apage ineptias. Si quod erat piaculum susceptum, late patebat usus aquae lustralis. Veluti, quod Hesychius scribit et aliunde comperimus, in funesta domo γάςραν πρὸ τῶν θυρῶν ἐτίθεσαν ἐξ ἄλλης οἰκίας λαμβάνοντες καὶ πληροῦντες ὕδατος. Proprie ἀρδάνιον appellabatur, quod apponebatur πρὸ τῆς θύρας τῶν τετελευτηκότων τοῖς εἰσιοῦσι καὶ ἐξιοῦσιν, ἵνα περιρραίνωνται, ut est in Anecd. Bk. p. 441. 31. In Inscriptione Cea quam edidi Mnem. 1862 p. 82 tota domus περιρραίνεται et lustratur. Ad eundem usum respicit Aristophanes in Eccles. vs. 1033:

παράθου τὰς ληκύθους
ὕδατός τε κατάθου τοὔςρακον πρὸ τῆς θύρας.

Similiter superstitiosus: ubi anguem viderit, collocat non aediculam, non ἱερῷον, sed quid putas? ὑδρεῖον opinor.

Ibid. καὶ ταῖς τετράσι δὲ καὶ ταῖς ἑβδομάσι προστάξας οἶνον ἔψειν τοῖς ἔνδον, ἐξελθὼν ἀγοράσαι μυρσίνας λιβανωτὸν πίνακα (Cobetus πόπανα) καὶ εἰσελθὼν εἴσω ςεφανοῦν τοὺς Ἑρμαφρο-

Digitized by Google

δίτους. Itane τοὺς Ἑρμαφροδίτους? Latet aliquod Mercurii cognomentum veluti τοὺς Ἑρμᾶς ἐνοδίους.

Cap. 17. μεμψιμοιρίας.

καὶ πρὸς τὸν εὐαγγελιζόμενον ὅτι „υἱός σοι γέγονεν" εἰπεῖν ὅτι· „ἂν προσθῇς· καὶ τῆς οὐσίας τὸ ἥμισυ ἄπεσιν, ἀληθῆ ἐρεῖς". Immo ἀπόλωλεν, Cobetus ait. Recte ad sententiam, quam tamen cum minore molimine recuperare licebit. In codice Palatino non ἄπεσιν est, sed ἀπέσην, quod manu ducit ad ἀπέπτη, quemadmodum apud Alciphronem II 2 aliquando pro ἀνασᾶσα reposui ἀναπτᾶσα. Attice dicendum fuisset ἀπέπτετο, sed qui scriptor pro εἰπεῖν perpetuo εἶπαι dixit, quod ipse Cobetus apud Theophrastum toleravit Mnem. 1874 p. 48, ei quoque πτῆναι pro πτέσθαι poterimus relinquere.

Cap. 18. ἀπιστίας.

καὶ τὴν γυναῖκα τὴν αὐτοῦ ἐρωτᾶν κατακείμενος (παρακείμενος Herw.), εἰ κέκλεικε τὴν κιβωτὸν καὶ εἰ σεσήμανται τὸ κυλιούχιον. Vere mihi correxisse videor κλειδούχιον, sed sero comperi diu ante me iam Sylburgium in eandem suspicionem incidisse. Similiter quo tempore una cum Kiehlio Theophrasto operam dabam, eximie is mihi emendavisse visus est c. 20: ἀνάγεσθαι δὴ μέλλοντας κωλύειν καὶ προσελθὼν δεῖσθαι ἐπισχεῖν ἕως ἂν περιπατήσῃ, cum reponeret ἀποπατήσῃ, sed hoc quoque Sylburgius iam reperit. Verum cur tandem hoc ab omnibus spernitur?

Ibid. ἂν δ' ἄρα τις οἰκεῖος ᾖ καὶ ἀναγκαῖος μόνον οὐ πυρώσας καὶ σήσας καὶ σχεδὸν ἐγγυητὴν λαβὼν χρῆσαι. Praeter unum πυρώσας reliqua aperta sunt: tenemus hominem minime credulum, qui antequam amico argentea vasa commodet, ponderat in trutina nec tradit nisi sponsore adhibito. Sed quid est μόνον οὐ πυρώσας? Audiamus Ussingem: „πυρώσας corruptum videtur, nam quod Blochius vertit, „ad obrussam exigens", id nec igne fit, nec igne adhibito vasa sua corrumpere studet. Orellius coniecit ὄνομα ἐντυπώσας· sed ne hoc quidem sine detrimento vasorum fieri potest, nisi forte ἐγχαράξας scribas; praeterea μόνον οὐ cur tentetur, nulla causa est. Equidem conieci: μόνον οὐ τρυτάνῃ σήσας". Nec lenissima mutatio est et quid mirum si ille fecerit quod, uti opinor, diligentem patrem familias minime dedecet. Verum non difficile inventu est. Ne amico

Digitized by Google

quidem vasa tradet, nisi interposito iureiurando: id quomodo Graece? Credo: *μόνον οὐχ ὀρκώσας καὶ ςήσας καὶ σχεδὸν ἐγγυητὴν λαβών*. Ceterum Coraeus p. 268 ipse fatetur se lectiones codicis Palatini sero accepisse indeque quum urgente fame et omnium rerum indigentia properaret ad finem, nihil mirum est editionem claro Coraei nomine prorsus esse indignam. Sed olim dixi quanti in aliis rebus Coraeum faciam, iustum hercle virum ac propositi tenacem.

Cap. 19. *δυσχερείας*.

καὶ χιτωνίσκον παχὺν καὶ ἱμάτιον σφόδρα λεπτὸν καὶ κηλίδων μεςὸν ἀναβαλλόμενος εἰς ἀγορὰν ἐξελθεῖν. Hoc nemo, ut opinor, umquam concoquere potuit. Requiro: *ἱμάτιον σφόδρα ἁπλυτον*. Etiam in iis quae proxime praecedunt remanet vitium: *ἐλαίῳ ἐν βαλανείῳ χρώμενος σφύζεσθαι*· ut in incerta re commendo *ἀποξύεσθαι*. Rancidum oleum enecat eos qui una lavantur.

Cap. 21. *μικροφιλοτιμίας*.

καὶ κολοιῷ δὲ ἔνδον τρεφομένῳ δεινὸς κλιμάκιον πρίασθαι καὶ ἀσπίδιον χαλκοῦν ποιῆσαι ὃ ἔχων ἐπὶ τοῦ κλιμακίου πηδήσεται. Mitto Astii ineptias p. 177, sed quis vidit umquam aviculam cum scutulo aeneo? Id quomodo bestiolae corpusculo adaptari poterit? Latet longe aliud, non *ἀσπίδιον*, sed *πιλίον*.

Ibid. *καὶ ἀναθεὶς δακτύλιον χαλκοῦν ἐν τῷ ἀσκληπιείῳ τοῦτον ἐκτρίβειν .... ὀσημέραι*. Hic locus graviter corruptus est nihilque reperio satis certum praeter unum. Ridiculus homo digito laborarat, neque annulum consecravit, non *δακτύλιον* sed *δάκτυλον*. Exemplum est in Epidauria inscriptione recens reperta: *ἀνὴρ δάκτυλον ἰάθη ὑπὸ ὄφιος. Οὗτος τὸν τοῦ ποδὸς δάκτυλον ὑπὸ τοῦ ἀγρίου ἕλκεος δεινῶς διακείμενος*· reliqua quae describere non vacat, vide apud Prellwitzium p. 155. Notus mos est effigiem consecrandi membri quo quis laborarat.

Cap. 23. *ἀλαζονίας*.

καὶ ἅμα ταῦτα πλεθρίζων πέμπειν τὸ παιδάριον εἰς τὴν τράπεζαν δραχμῆς αὐτῷ κειμένης. Varia tentata fuerunt: *πλατυγίζων, πλατίζων, πλεισηρίζων*, quorum nihil cuiquam probabile visum est nisi ipsi suspicionis auctori. Nescio mihine res melius successerit, sed commendabo *πλεονάζων*· memini certe me hoc verbum similiter usurpatum legere apud Thucyd. II 35: *ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεςέρως πρὸς ἃ*

Digitized by Google

βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι, ὅ τε ἄπειρος ἔσειν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ Φύσιν ἀκούοι.

Ibid. γράμματα — λέγοντα παραγίνεσθαι αὐτὸν εἰς Μακεδονίαν. Supple: (ὡς) αὐτόν.

Ibid. καὶ ποσῶν καθ' ἑξακοσίας καὶ κατὰ μνᾶν καὶ προστιθεὶς πιθανῶς ἑκάστοις τούτων ὀνόματα ποιῆσαι καὶ δέκα τάλαντα. In numeris hic aliquid turbatum fuit et parum prodest cum Ribbeckio corrigere: καὶ ποσῶν ἑξακοσίας κατὰ μνᾶν — ἑκάσαις κτἑ., nam quis serio credat in ea computatione sexcentos calculos fuisse adhibitos et totidem nomina propria ficta a glorioso homine fuisse prolata? Satis tamen constat corrigendum esse ποιῆσαι ὡς δέκα τάλαντα, nec coniunctio cum Casaubono eliminanda est.

Cap. 24. ὑπερηΦανίας.

καὶ εὖ ποιήσας μεμνῆσθαι Φάσκειν. Imo μεμνήσεσθαι.

Ibid. ἀμέλει δὲ καὶ λογιζόμενος πρός τινα τῷ παιδὶ συντάξαι τὰς ψήΦους διωθεῖν καὶ κεΦάλαιον ποιήσαντι γράψαι αὐτῷ εἰς λόγον. Quid est διωθεῖν? Ussinx respondet: „traiicere; abaci enim, in quibus calculos ducebant antiqui, sulcis instructi erant, per quos calculi movebantur". Non mihi persuadeo *traiicere* vel *subducere* umquam a quoquam διωθεῖν potuisse dici, nec magis arridet Astianum διαθεῖν, cui *percurrendi* tribuit notionem. Rem nobis ponamus ante oculos. Est puer quem calculatorem sive a rationibus Romani appellabant, Graeci διαψηΦιστήν, cf. Coraeus p. 302. Hic puer iubetur calculos *disponere* (*opzetten*) in abaco, qualem Marquardfius descripsit eo loco quem Ussinx apposite laudavit. Non dissimile est quod apud Iuvenalem invenitur IX 40: *ponatur* calculus, adsint cum tabula pueri, numera sestertia quinque. Iam illud disponere quomodo Graece dicetur? Credo διαθεῖναι, sicuti in vicinia c. 23 itidem legitur: κελεῦσαι θεῖναι τὰς ψήΦους. Admirabile est tantulum vitium per tot saecula non potuisse corrigi.

Cap. 27. ὀψιμαθίας.

κἄν που κληθῇ εἰς Ἡρακλεῖον, ῥίψας τὸ ἱμάτιον τὸν βοῦν αἱρεῖσθαι ἵνα τραχηλίσῃ. Hic haeret Ussinx: βοῦν αἱρεῖσθαι· interpretantur scilicet *bovem capessere*, *bovi manum iniicere*, sed rectissime offendit eum verbi media forma. Perfacilis est correctio: αἰτεῖσθαι.

Digitized by Google

Ibid. καὶ μακρὸν ἀνδριάντα παίζειν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀκόλουθον. Non novi hoc ludi genus, sed verosimiliter latere puto adverbium in *-ίνδα*, de quibus adverbiis et alii egerunt et Cobetus Mnem. 1858 p. 448. Ipsum adverbium non possum praestare; quoniam autem apud Athen. XIV 629 C μακτρισμὸς numeretur inter τὰς γελοίας ὀρχήσεις, cogitavi de μακτρίνδα παίζειν, sed hoc ludere est. Paulo maiore cum evidentia Anacreon emendari poterit apud Athen. X p. 427 D: Σικελικὸν κότταβον, ἀγκύλῃ δαΐζων. Non prorsus haec intelligo, sed pellucet ἀγκυλίνδα παίζων.

Cap. 29. Φιλοπονηρίας.

ἐὰν βούληταί τις εἰς π.... Lacuna est in codice. Supple: εἰς πεῖραν ἐλθεῖν.

Cap. 30. αἰσχροκερδείας.

ὑποπρίασθαι Φίλου δοκοῦντος ἐπιλαβὼν ἀποδόσθαι· ita Ussinx edidit, sed prorsus sine sensu. Forte hic locus tum in Parisinis libris invenitur, tum in libro Palatino. Illic est ὑποπρίασθαι Φίλου ἐπιλαβὼν ἀποδόσθαι, Romae autem: ὑποπρίασθαι Φίλου δοκοῦντος πρὸς τρόπου πωλεῖσθαι. Quaeritur quid tandem Theophrastus dederit. Audiamus Cobetum: „Duplex scriptura et emendari potest et in unum componi sic: ὑποπρίασθαι Φίλου δοκοῦντος πρὸς τρόπου τι ὠνεῖσθαι εἶτα λαβὼν ἀποδόσθαι. Non egent haec interprete; πρὸς τρόπου est ὀρθῶς, καλῶς, προσηκόντως, ut ἀπὸ τρόπου significat κακῶς, ἀτόπως. Sic et κατὰ τρόπον saepissime dicitur. Ecquid autem turpius est et sordidius quam Φίλου δοκοῦντός ὠνεῖσθαί τι πρὸς τρόπου ὑποπρίασθαι εἶτα λαβόντα ἀποδόσθαι?" Quod Cobetus πωλεῖσθαι rescripsit emendavitque τι ὠνεῖσθαι, poterit ea primo obtutu medicina nimis violenta videri, sed non est ita, nam crebrius quam putaveris ὠνεῖσθαι et πωλεῖσθαι confunduntur, cuius rei etiam apud Flavium Iosephum exemplum est. De reliquis Cobeto non assentior; primum enim, si locum recte fuisset interpretatus, requireretur δοκοῦντος πρὸς τρόπου τι ὠνήσεσθαι, deinde, quantum video, verbum ὑποπρίασθαι perperam accepit. Quid enim? secundum summum virum ὑποπρίασθαι dicitur de eo *qui quod quis commode et ex animi sententia emere parat dato maiore pretio praeripit.* Turpe hoc esto; sed ubi est τὸ αἰσχροκερδές? Si pluris emeris, quam emturientes ipsi solvere parati fuerunt, periculum est ne damnum potius

Digitized by Google

accipias quam lucellum: qui enim vendes? Sed ipse Cobetus provocat ad Var. Lect. p. 138. Locum describam omissis iis, quae ad rem minus necessaria sunt. „Editur in Phrynichi προπαρασκευῇ σοφιστικῇ p. 67. 32 Bk. ὑποψωνεῖν· τὸ ἀγοράζοντός τινος ὄψον ἕτερον τῇ τιμῇ ὑπερβάλλοντα ὠνεῖσθαι. Viden id ipsum esse quod Theophrastus dicit ὑποπρίασθαι, quod genus est βδελυρίας etiamnunc satis notum et frequens". Deinde p. 364 agnovit Cobetus Phrynichum ante oculos habuisse Aristoph. Acham. 842 :

οὐδ' ἄλλος ἀνθρώπων ὑποψωνῶν σε πημανεῖ τι.

Id autem me male habet quomodo id quod Phrynichus scribit de pretio *maiore*, quod oblatum fuerit, inesse possit in praepositione ὑπό· deinde minime negligendum est τῷ ὑποπρίασθαι secundum Cobetum βδελυρίας inesse notam, secundum Theophrastum αἰσχροκερδείας. Quomodo Romani appellarunt τὸ ὑποπρίασθαι? *Praemercari* apud Plautum est Epid. III. 3. 25: Edepol nae istam tempore gnato tuo sumus *praemercati*. Ne hic quidem senex maius dedit pro fidicina pretium, sed praevertit filium. Similiter in Aristoph. Eqq. 1161 ὁ ὑποθέων non currit celerius, sed alterum currentem praepedit atque sic antevertit. Apud Thucydidem I 121 δάνεισμα γὰρ ποιησάμενοι ὑπολαβεῖν οἷοί τ' ἐσμὲν μισθῷ μείζονι τοὺς ξένους αὐτῶν ναυβάτας, nisi diserta fieret mentio lautioris mercedis, id ipsum per se ex verbo ὑπολαβεῖν non eliceremus. Confirmabit hoc Plutarchus in vita Catonis c. 11, ubi legimus Scipionem quo tempore Cato in Hispania degeret, τὰς Ἰβηρικὰς πράξεις ὑπολαβεῖν, in quo composito praepositio idem denotat quod in τῷ τοὺς λῃστὰς ὑποδραμεῖν apud Xenoph. Cyrop. I 2. 12. Quod ξένους ὑπολαβεῖν Thucydides appellavit, id hodie apud Iosephum Antiqq. XIII § 414 est ἀποξενολογεῖν, sed equidem ὑποξενολογεῖν verbum ei redditurus sum. Apud Aristophanem in Ranis vs. 1227:

ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν, ἀποπρίω τὴν λήκυθον
ἵνα μὴ διακναίσῃ τοὺς προλόγους ὑμῶν,

cum nullibi exstet ἀποπρίασθαι, commendo ὑποπρίω, h. e. praemercare tu antequam emat alter. Si quis quid emere parat, dum deliberat, dum cunctatur, dum moras nectit, supervenit alter et ὑπωνεῖται. Nunc postquam apparuit nobis nihil esse cur de *maiore pretio* cogitemus, age videamus quid tandem τὸ αἰσχροκερδὲς sit, quod notavit Theophrastus. Invenit aliquis

Digitized by Google

in foro rem vili pretio venalem; antequam emat, deliberat secum, cunctatur; quod dum animadvertit notus quidam homo sed *αἰσχροκερδής*, licet non habeat quod utatur, rem *eodem illo vili pretio* emit, statim ut pluris vendat sive amico emturienti sive alii cuidam, nam hoc eius nihil refert. Iam redeamus ad Theophrastum: *ὑποπρίασθαι φίλου δοκοῦντος πρὸς τρόπου τι ὠνεῖσθαι*. Satin certum est rescribendum esse: *φίλου ὀκνοῦντος πρὸς τρόπου τι ὠνεῖσθαι*? Mihi quidem evidens correctio videtur. Ferri fortasse potuisset hominis impudentia, si ipsi opus fuisset ea re, quam amico tantum non surripuit; sed inhiat lucello et statim care vendit quod *ἀξίως ἐπρίατο*. Nimirum *τὸ αἰσχροκερδὲς* cernitur potissimum in eo quod additur: *εἶτα λαβὼν ἀποδόσθαι*. Hoc autem intelligi recte potest, sed Coraeus eleganter scripsit: *εἶτα ἐπιβαλὼν ἀποδόσθαι*. Ut stabiliret usum verbi *ἐπιβάλλειν* Astius laudavit Aristotel. Polit. I 4 § 5: *ὀλίγου μισθωσάμενον ἅτε οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος*, nam ibi certe *ἐπιβάλλειν* esse addere ad pretium pretium, intendere, pluris aliquid indicare vel vendere. Sed etiamsi hoc non satis certum sit, de meo utique *ὀκνοῦντος* pro *δοκοῦντος* plane non dubito.

Amstelodami, d. 3 m. August. 1891.

PARTHEN. EROTIC. 14.

Parthenius de Antheo ita scribit: *Ἐκ δὲ Ἁλικαρνασσοῦ παῖς Ἀνθεὺς ἐκ βασιλείου γένους ὡμήρευσε παρὰ Φοβίῳ*. Ferrem si puer sordido loco natus esset nec requirerem patris nomen, veluti recte editur c. 26: *παιδὸς Ἀπριάτης Τράμβηλος ἐρασθείς*, sed nobilis adulescens memoratur c. 5: *Λεύκιππος Ξανθίου παῖς, γένος τῶν ἀπὸ Βελλεροφόντου*. Eundem puerum cecinit Alexander Aetolus, quod Parthenius itidem memoriae prodidit: *Ἀσσησοῦ βασιλῆος*, inquit, *ἐλεύσεται ἔκγονος Ἀνθεύς*. Quin igitur supplemus: *Ἐκ δὲ Ἁλικαρνασσοῦ (Ἀσσησοῦ) παῖς Ἀνθεύς*. Sunt alia multa in Parthenio corrigenda; v. c. cap. 12, quo tempore Ulysses apud Circen degebat, venit ad eam alius amator Calchus nomine, quem immortalis dea *ἐκώλυσε ἐπιβαίνειν τῆς νήσου*. Falsum hoc est, nam *οὐκ ἀνίει Φοιτῶν* indeque corrigendum: *ἐπιβαίνειν τῆς εὐνῆς* (ΝΗΣΟΥ — ΕΥΝΗΣ). S. A. N.

Digitized by Google

DE TEMPLIS ROMANIS.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

§ 1. DE VOCABULIS NONNULLIS AD LOCORUM INAUGURATIONEM PERTINENTIBUS.

Cum antea absolverim inaugurationes actionum et sacerdotum (Mnemos. 1891. 19 pag. 405 sqq.), superest ut agam de inauguratione locorum. In ea inprimis valet quod antea dixi (l.l. pag. 407 sq.), nomine „inaugurationis" etiam comprehendi solere alia sollemnia, quae praeter auspicia simul peragi debeant; quemadmodum in inaugurationibus hominum eo vocabulo comprehendebantur responsum auguris, lex curiata, patrum auctoritas, quae omnia pertinebant ad confirmationem regni aut sacerdotii, sic in hac re de qua agimus inauguratio dici poterat tota caerimonia qua templa terrestria constituebantur; eo sensu „locum inaugurare" nihil aliud est quam „templum constituere" sive „locum augurato condere" [1]); locus inauguratus enim proprie dicitur „templum" [2]), et hoc genus templi a nobis *terrestre*

1) Gell. 14. 7. 7 (e Varr.): „locus *per augurem constitutus*, quod templum appellaretur"; ibidem: „templa esse *per augures constituta*"; Serv. Aen. 11. 235: „tectum augustum, i. e. *augurio conditum*"; ibid.: „senatus nonnisi ad publica et *augurato condita* loca convenire consuevit"; ibid.: „Palatii atrium quod *augurato conditum* est"; Cic. Catil. 1. 13. 33: „tu Iuppiter (Stator) qui *eisdem* quibus haec urbs *auspiciis* a Romulo es *constitutus*"; Tac. hist. 3. 72: „sedes Iovis O. M. (aedes Capitolina) *auspicato* a maioribus pignus imperii *condita*". — 2) Serv. Aen. 7. 174: „curia templum, quia, ut diximus supra curia non nisi in inaugurato loco". Praeterea fere omnes loci quibus de templis et de hac opera augurum sermo est, afferri possunt. Nonnumquam etiam vocabulo „templum" adiungitur illud „inauguratum" tamquam

Digitized by Google

dici potest ut id distinguamus ab illo templo *aërio* quod in aëre constituebatur virga aut lituo ab eis qui ex avibus aut de caelo auspicabantur. Praeterea pro „locum inaugurare" nonnumquam etiam eodem sensu dicitur „templum sive locum effari", quod nomen sumptum est ab una parte caerimoniae longe gravissima; hoc legitur apud Livium et Ciceronem (vid. infra). Ab inauguratione diligenter distinguenda est consecratio, quae fiebat a pontifice iussu magistratus, qua locus reddebatur sacer, et certo alicui deo quasi in possessionem tradebatur, ut is ibi habitaret; sed cum saepe accideret ut loca quae inaugurata erant, postea, cum in eis aedes aut sacellum (ara) factum esset, etiam consecrarentur [1]), hae duae res nonnumquam verbis quoque coniunctae sunt, ita ut loca quae primum inaugurabantur, deinde consecrabantur, nonnumquam dicerentur „augurato consecrari". Ea locutio recte se habet et ferri potest, si revera qui ea utitur duarum caerimoniarum longe diversarum rationem habet, ut in adnotationibus quae Servii nomine feruntur nonnumquam recte factum est [2]); eadem vero vitiosa est, si adhibetur ad inaugurationem solam designandam. Ubi de inauguratione sola sermo est, non licet eam designare vocabulis quae ad consecrationem pertinent, nam religio, quae locis infigatur per inaugurationem, multum discrepat a religione quae inferatur per consecrationem, et natura utriusque caerimoniae prorsus diversa est, et fuerunt aliquot loca inaugurata quidem, non vero consecrata — veluti Curia Hostilia [3]) et Rostra et locus in quo muri urbis aedificandi erant —, alia vero nonnulla loca fuerunt consecrata, non vero inaugurata,

---

epitheton ornans; Liv. 8. 5. 8: „in tuo Iuppiter templo inaugurato (aede Capitolina)"; Cic. Vatin. 10. 24: „in rostris, in illo augurato templo ac loco"; Cic dom. 53. 137: „in templo inaugurato"; Ael. Lampr. Al. Sev. 6. 2: „aedes Concordiae, templum inauguratum". — 1) Serv. Aen. 1. 446: „antiqui ... aedes sacras ita templa faciebant, ut prius per augures locus liberaretur effareturque, tum demum a pontificibus consecraretur ac post ibidem sacra ederentur". Cfr. Liv. 1. 55. 2: „fana sacellaque ... quae aliquot a T. Tatio rege primum ... vota, consecrata inaugurataque postea fuerant ...". Varro ll. 7. 10: „in urbe Roma pleraeque aedes sacrae sunt templa". — 2) Serv. Aen. 7. 153: „templum Vestae non fuit *augurio consecratum*" (i. e. „fuit consecratum sine inauguratione"). Etiam quod scribit Livius 1. 10. 6: „haec *templi* est origo, quod primum omnium Romae *sacratum* est", ita explicari potest ut recte se habeat. — 3) Curiam Hostiliam a. 154 vel 153 Concordiae consecrare in animo habuit C. Cassius censor, neque tamen id perficere potuit, Cic. dom. 50. 130 sq.

Digitized by Google

ut aedes Vestae [1]). De natura consecrationis nulla apud antiquos umquam fuit dissensio; de significatione vocabulorum eo pertinentium, quae sunt *sacrum sacrare consecrare*, hodie ne dubitari quidem potest [2]). Nihilominus in ea re aliqua scriptorum licentia aut neglegentia fuit, quae cernitur non in rebus sed in vocabulis. Haud raro vocabula ad consecrationem pertinentia a scriptoribus ad inaugurationem perperam adhibita legimus [3]). Consimili errore scriptores haud raro ad consecrationem et loca consecrata adhibuerunt vocabula quae a consecratione prorsus aliena sunt, veluti „templum" et „sanctus". Loca consecrata, etiamsi inaugurata non fuerunt, nonnumquam „templa" dicta sunt, veluti aedes Vestae, quod recte reprehendit Varro [4]). Quid „sanctum" sit, infra ostendam; sed utique constat, hoc vocabulum nequaquam ad consecrationem pertinere, nam loca quaedam „sancta" fuerunt quae tamen *non* erant consecrata, veluti muri et portae urbis, neque idem esse „sanctus" quod „sacer" ostendit universus utriusque vocabuli usus, nam homo sacer minime est sanctus, neque sacrae fuerunt leges sanctae [5]). Itaque in errorem incidit ipse Varro; qui cum recte teneret quid

1) Aedem Vestae fuisse consecratam, cum per se manifestum est, tum affirmatur a Festo pag. 262: „rotundam aedem Vestae Numa Pompilius rex Romanorum consecrasse videtur, quod ..."; cfr. pag. 339 adn. 2. — 2) Vid. loci collecti apud Marquardt-Wissowa Röm. Staatsverw. 3 p. 145 sq. — 3) Exempla huius vocabulorum confusionis praebent multi auctores. Sic Livius 1. 44. 4: „locus, ait, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant ..., in augurato consecrabant ..." (pro: „inaugurabant" aut: „inaugurato constituebant"); idem ibidem dicit terminos pomerii „consecratos", pro „inauguratos" aut „sanctos"; Suet. Aug. 7: „loca religiosa, et in quibus augurato quid consecraretur, augusta dicuntur"; Serv. Aen. 3. 463: „loca sacra, i. e. ab auguribus inaugurata, effata dici"; Fest. pag. 367: „templum significat ... aedificium deo sacratum". Cicero quoque, cum Campum Martium diceret „auspiciis consularibus consecratum" (Catil. 4. 1. 2), ad auspicia adhibuit vocabulum quod ab auspiciis prorsus alienum est. — 4) Cic. Scaur. 48: „cum templum Vestae arderet"; Hor. Od. 1. 2. 16; cfr. Gell. 14. 7. 7 (e Varr.) „non omnes aedes sacras templa esse, ac ne aedem quidem Vestae templum esse"; Varr. l.l. 7. 10: „sed hoc ut putarent, aedem sacram templum esse, factum quod in urbe Roma pleraeque aedes sacrae sunt templa, eadem sancta". Etiam in verbis Servii (Aen. 1. 446: „erant tamen templa, in quibus auspicato et publice res administraretur et senatus haberi posset, erant (alia) tantum sacra; hic ergo et sacrum templum, quod in luco, i. e. in loco sacro, conditur, docet" e. q. s.) vocabulum „templum" perperam extenditur ad loca sacra non inaugurata. — 5) Cfr. etiam Ulpian. Dig. 1. 8. 9. 3: „quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi deo non sit consecratum"; Fest. pag. 278.

Digitized by Google

esset templum et quomodo differret ab aede sacra, tamen abusus est vocabulo „sanctus", quod idem significare credebat quod „sacer"; quo errore perductus primum iniuria vituperavit glossatores, qui recte *templa* „sancta" esse dixerant, cum putaret templa ab eis *sacra* esse habita; deinde perperam negavit Curiam Hostiliam sanctam esse, cum sciret eam sacram non fuisse [1]). Nos igitur ab hac vocabulorum confusione diligenter cavebimus.

Iamvero cum in sermone Romano vulgato paulatim sublatum esset discrimen verborum quae ad inaugurationem quaeque ad consecrationem pertinerent, vocabulum nullum in promptu habuerunt auctores nostri, quo designari certo scirent religionem quae in loca inferretur per inaugurationem, eodem modo quo quidquid deo alicui consecratum erat sacrum dici soleret; alii enim vocabulum „sacer" perperam transferebant ad loca inaugurata, alii vocabulum „sanctus" ad loca sacra. Sed fuerunt inter viros doctos imperatori Augusto aequales, qui aliud aliquid huiusmodi vocabulum quaererent quo loca inaugurata designarent; his vocabulum *augustus* aptissimum visum est quod hac vice fungeretur, cuius rei fortasse auctor fuit Verrius Flaccus. Itaque a Festo, Ovidio, Suetonio, Servio hoc vocabulum quod ab *avium gestu* aut *gustu* aut ab *augurio* derivabant, ea ratione explicari magis quam usurpari videmus.

Fest. pag. 1: „*augustus*, i. e. locus sanctus, ab avium gestu, id est, qui ab avibus significatus est."

Ovid. fast. 1. 609—612:

„Sancta vocant *augusta* patres; *augusta* vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Huius et augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope."

Suet. Aug. 7: „*augustus*, quod loca quoque religiosa, et in

---

1) Varr. l.l. 7. 10: „quod addit augur, templa ut sint tesca, aiunt sancta esse qui Glossas scripserunt. *Id est falsum; nam Curia Hostilia* templum est et *sanctum non est*. Sed hoc ut putarent, aedem sacram templum esse, factum quod in urbe Roma pleraeque aedes sacrae sunt templa, eadem sancta". In his falsa sunt quae litterarum forma distinxi. Praeterea in fine vocabula „eadem sancta" perperam posita esse videntur pro „eadem consecrata", quod melius convenit sententiae. — Animadverto de hoc errore Varronis iam recte iudicavisse virum doctum Karlowa (der Röm. Civilprozess zur Zeit der Legisactionen Berlin 1872) pag. 385 adn. 2.

Digitized by Google

quibus augurato quid consecraretur, augusta dicantur, ab auctu vel ab avium gestu gustuve." (cfr. Dio 53. 16. 8).

Serv. Aen. 11. 235: „tectum *augustum*, i. e. augurio conditum."

Vocabulum „augustus" etiam ab antiquioribus scriptoribus nonnumquam ad vocabulum „templum" appositum legimus [1]). Quamquam ea res argumento non est, hoc vocabulum eis revera visum esse omnem inaugurationis religionem comprehendere et idem significare quod „inauguratus", tamen fieri potest ut iam hi auctores, permoti quadam similitudine soni [2]), huic vocabulo attribuerint notionem caerimoniae *auguralis* et confirmationis ab *avibus* petitae. Sed tamen dubium non est, quin hic usus vocabuli „augustus", si umquam fuit, fuerit factus et ex arbitrio arreptus. Vis universa huius vocabuli tam multo longius pertinet, praeterea eius etymon (ab augendo) tam dilucidum est, ut facile appareat non illam esse veram et propriam eius significationem. Sed tamen fieri non potest quin aliquando fuerit aliquod eiusmodi vocabulum, quo sacerdotes proprie usi sint ad significandam religionem locorum inauguratorum; hoc vocabulum autem „sanctus" fuisse censeo. Minime quidem nego, ne hoc vocabulum quidem ab etymo pertinere ad auspicia, neque ei deesse vim aliquam longissime pertinentem, qua sanctum dici possit quidquid sanctione legis aut sanctione iuris divini ab omni violatione defensum sit, vel etiam quod tali sanctione dignum esse videatur [3]); concedo quidem, multas res et personas hanc ob causam dici potuisse sanctas, a quibus longe aliena esset inauguratio; alia enim potuerunt *sacro* (i. e. iure iurando) sancta esse, alia *lege*, alia vero religione aliqua aut metu vel existimatione et reverentia hominum. Sed in iure divino et sermone sacerdotali eas res et personas solas sanctas dictas esse contendo, quae per inaugurationem inviolatae factae essent; quatenus hoc

1) Cic. dom. 53. 137: „in templo inaugurato ... in loco augusto"; Liv. 1. 29. 5: „templa augusta"; 3. 17. 5: „augustissimam illam domum Iovis O. M."; 42. 3: „templum augustissimum". — 2) Cfr. versus Ennii: „augusto augurio postquam inclita condita Roma est". — 3) Eatenus recte hoc vocabulum definiunt iuris periti; Marcian. Dig. 1. 8. 8 pr.: „sanctum est quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est"; Ulpian. Dig. 1. 8. 9. 3: „proprie dicimus sancta, quae ... sanctione quadam confirmata sunt"; Isidor. Orig. 15. 4. — Cicero (Rab. Post. 4. 8) dicit, in lege quadam multa „*severius et sanctius scripta esse quam in antiquis legibus*, i. e., „gravibus poenis melius confirmata".

Digitized by Google

vocabulum significaret condicionem manentem, quae in iure et in sacris valeret et certo modo acquiri posset, id totum pertinere contendo ad confirmationem ex auspiciis petitam. Sed eam vim specialem vocabuli „sanctus" in sermone vulgato ita neglectam et omissam esse credo, ut eam non amplius sentirent viri docti Romani, utque hi inscii tantum et fere inviti pauca eius vestigia reliquerint quae postea afferam. Ratio ipsa qua ad res et personas nonnullas hoc vocabulum adhiberi solet, etiamsi sola non satis probat quod posui, tamen minime ei obstat. Quod iurisperiti dicunt, *leges* sanctas esse, *quia sanctione quadam sint subnixae* [1]), id certe non cadit in leges imperfectas quae sanctione carent; si nihilominus omnes leges sanctae dicuntur [2]), id vocabulum potest quidem generaliter ibi adhibitum esse, quod omnes leges reverentia et obsequio dignae sint, potest vero etiam specialiter, quod leges sint *auspicato* (olim *inaugurato*) factae. Si reges, sacerdotes cum alii tum Virgines Vestales [3]), magistratus, imperatores denique, sancti interdum dicuntur, id quoque totum eo referri potest quod hi omnes partim inaugurato partim auspicato magistratum aut sacerdotium inibant. Sed argumenta mea inprimis pertinent ad *loca*, de quibus solis in sequentibus agam.

Primum vocabulo „sanctus" nihil melius refert id quod templis proprium est. Caerimonia loci inaugurandi tota spectat ad *locum aliquem publicum*, qui reipublicae gerendae aut sacris administrandis destinatus est, *per auspicia condendum et constituendum* (vid. pag. 338 adn. 1 et infra § 5), quemadmodum in hominibus et in actionibus id valet inauguratio ut *auspiciis confirmentur*; atqui „sancire" est „religione confirmare". Praeterea condicio manens in quam loca publica per hanc caerimoniam redigantur, nulla alia est quam haec, ut ab omni iniuria et mutatione defensa sint, quod ipsum dici potest „sanctus".

Deinde hoc vocabulum, quod ut modo dixi potest adhiberi tamquam generale quoddam locorum, rerum, hominum epitheton, tamen revera etiam habuisse vim specialem et τεχνικήν, longe diversam ab illa significatione generali, facile demonstrari potest; nam quod nemo nescit, cum grammatici tum iurisperiti, de

1) Ulpian. Dig. 1. 8. 9. 3. — 2) cfr. Hor. Sat. 2. 1. 81; Serv. Aen. 8. 382; Macr. Saturn. 3. 3. 6. — 3) Hor. Od. 1. 2. 27.

Digitized by Google

rerum et locorum proprietatibus agentes, docent certum genus fuisse locorum, quod a ceteris distinguendum esset vocabulo „sanctus", quamquam quae fuerit eius significatio specialis, ipsi nesciunt.

Fest. pag. 278: „inter sacrum autem et sanctum et religiosum differentias bellissime refert (Aelius Gallus); sacrum, aedificium consecratum deo; sanctum, murum qui sit circum oppidum; religiosum, sepulcrum ubi mortuus sepultus aut humatus sit, satis constare ait".

Cai. Dig. 1. 8. 1 pr. (Instit. 2. 8): „divini iuris sunt res sacrae et religiosae; sanctae quoque res, veluti muri et portae, quodammodo divini iuris sunt".

Ulpian. Dig. 1. 8. 9. 3: „*proprie* dicimus sancta, quae neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata".

Iustin. Instit. 2. 1. 7: „nullius autem sunt res sacrae et religiosae et sanctae; quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est".

Duplicem huius vocabuli fuisse significationem, generalem et specialem, inprimis clare affirmat Trebatius apud Macrob. Sat. 3. 3. 5: „sanctum est *interdum* idem quod sacrum idemque quod religiosum, *interdum* aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum".

Constat igitur, certum quoddam fuisse locorum genus, quod τεχνικῶς sanctum diceretur. Huius generis cum exempli gratia specimen afferre vellent viri docti, nihil aliud habuerunt quod afferrent quam muros et portas [1]); hos etiam in sermone sacerdotali sanctos fuisse affirmant cum Cicero tum alii [2]). Atqui cum locus in quo aedificati erant muri fuerit inauguratus et per inaugurationem factus sit templum terrestre, ut infra § 6 demonstrabo, apparet exemplum illud quo omnes viri docti utuntur sumptum esse ex templis; hoc egregie quadrat cum eo quod statui, loca sancta esse loca inaugurata. Praeterea cum appareat vocabulum „sanctus" significare certam condicionem

1) Fest. pag. 278; Cai. Instit. 2. 8; Iustinian. Inst. 2. 1. 10; Dig. 1. 8. 1 pr.; 1. 8. 9. 4. — 2) Cic. nat. deor. 3. 40. 94: „muri urbis, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis"; Fest. pag. 285: „rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus praescriptum est, quo ritu condantur urbes, arae sacrentur, qua sanctitate muri"; Fest. pag. 278; Plut. Q. Rom. 27 (e Varr.): τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν ..., ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον.

Digitized by Google

locorum ad sacra pertinentem — nam res sanctae dicuntur fuisse iuris divini —, habemus tria vocabula quibus eiusmodi condiciones locorum significentur; cum vero tria tantum habeamus caerimoniarum genera per quae loca in talem condicionem redigi possint, quarum duae (consecratio, et actiones quibus loca fiunt religiosa) respondent duobus vocabulis „sacer" et „religiosus", nihil aliud superest quo referamus tertium vocabulum „sanctus" praeter tertiam caerimoniam, inaugurationem.

Antequam de ea re agere pergam, pauca animadvertenda sunt de rebus quae „divini iuris" esse dicuntur, quo nos perducunt definitiones quas attigi. Primum vix opus est monere, etiamsi divisio quam faciant iurisperiti qua res et loca sint aut publica aut privata, non longius pertineat quam ad res humani iuris, tamen res et loca quae divini iuris sint etiam partim dici posse ab origine esse publica, partim privata. Dubium non est, quin loca sacra et loca sancta omnia fuerint eadem loca publica [1]); loca religiosa vero partim fuerunt originis privatae, veluti sepulcra in locis privatis facta et sacella privata, partim vero publicae, veluti locus ille in Comitio sub ara Cereris (mundus), et loca ubi fulgur conditum erat, et loca quae ex decreto pontificali religiosa habebantur (Doliola in foro boario, Casa Romuli, alia). Nulla loca autem consecrari neque sancta fieri potuerunt nisi iussu publico [2]); loca religiosa vero potuerunt constitui cum iussu publico, veluti si in loco publico fulgur condebatur vel sepulcrum fiebat vel mundus (ara Cereris) constituebatur, tum decreto pontificali, tum vero etiam voluntate domini, si quis in loco suo privatim sacellum constituebat [3]) aut mortuum in eum inferebat [4]). Omnia loca autem quae divini iuris erant hoc commune habebant, quod secundum praecepta sacerdotalia *fas non erat* ea violari aut privato usu occupari. Sed huiusmodi prae-

1) De locis sacris cfr. Frontin. Agrim. pag. 56: „luci sacri, quorum solum indubitate populi Romani est"; cfr. Mommsen Staatsr. 2 pag. 60. De locis sanctis cfr. Serv. Aen. 11. 235: „senatus nonnisi ad *publica et augurato condita* loca convenire consuevit". — 2) Marcian. Dig. 1. 8. 6. 3: „si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum"; Fest pag. 321: „quod autem privati suae religionis causa aliquid earum rerum deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum". — 3) Cfr. Marq.-Wissowa Staatsverw. 3 pag. 147 et 153. — 4) Iustin. Institt. 2. 1. 9: „religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum"; Marcian. Dig. 1. 8. 6. 4.

Digitized by Google

cepta sacerdotalia, si confirmata non erant a iure publico, per se parum valebant, cum sacerdotes non possent sua vi et coercitione defendere iussa sua neque ab invitis et contumacibus possent veras poenas repetere, si quis piaculum a se commissum solvere nolebat neque impium se fieri verebatur. Quod sacerdotes dicebant, fas non esse violari loca sacra sancta religiosa, quamvis id certe grave et insuperabile per se quoque visum esset hominibus piis et religiosis, tamen solum non potuisset tenere et cogere homines religionem aspernantes, nisi se immiscuisset ius publicum. Nam hac in re quoque aliqua ex parte factum est quod saepe in multis aliis rebus, ut praecepta sacerdotalia confirmarentur novis iussis publicis, quo fieret ut qui ea migrasset obnoxius fieret poenis. Sed non de omnibus generibus locorum in quibus aliqua religio haerebat, idem valuit, non ad omnia pertinuit cura iuris publici. Si omittimus ea quae de sepulcrorum violatione paullatim sunt constituta, praeterea a locis religiosis, sive publicam habebant originem sive privatam, se abstinuit ius publicum; haec *religione* tantum, non *iure* defensa et inviolata fuerunt; haec qui violabat, piaculum committebat, non lege tenebatur [1]). Sed loca sacra et sancta omnia defensa sunt a iure publico. Hoc est quod Aelius Gallus dicit apud Festum: *„sed, ut pro ratione quadam et temporibus, eadem videri posse* (sacrum et sanctum); *siquidem quod sacrum est idem lege aut instituto maiorum sanctum esse putat, ut violari id sine poena non possit"* [2]). Sed apertum est, Aelium Gallum, cum sacrum et sanctum pro ratione idem esse posse diceret, miscuisse duas significationes vocabuli „sanctus", hoc vocabulum, quatenus significat „poena legis defensus" (quemadmodum id interpretari solent iurisperiti, vid. supr. pag. 342 adn. 3) sane etiam cadit in loca sacra [3]); quoniam vero loca sancta τεχνικῶς distinguuntur

1) Fest. pag. 278: „(Aelius Gallus ait) religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat, *adversus deorum voluntatem* videatur facere". Cfr. quod de loco quodam religioso (Doliolis in foro boario) scribunt auctores; Varro (l.l 5. 157) et Festus (pag. 69): „ubi *non licet* despuere"; rectius Livius (5. 40. 8) „ubi nunc despui *religio est*". Vid. etiam Paulli Sent. 1. 21. 4: „qui corpus perpetuae sepulturae traditum ... nudaverit ..., *piaculum committit*". Sero demum leges factae sunt quae violationem sepulcrorum gravibus poenis prohiberent. — 2) Fest. pag. 278. — 3) Idem vocabulum, quatenus significat „sanctione qualicumque defensus" etiam cadit in loca religiosa, eam ob causam Trebatius apud

Digitized by Google

a locis sacris, hoc vocabulum etiam aliam significationem specialem et iustam habeat necesse est, quam neglexit et ignoravit Aelius Gallus. Quod autem ad loca sacra pertinet, omnis eorum violatio antiquitus comprehensa esse videtur crimine sacrilegii; huc igitur pertinet lex antiquissima quam ita refert Cicero: *„sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve parricida esto"* [1]). Violatio locorum sanctorum quomodo a iure prohibita sit, non satis clare apparet. Grammatici et iurisperiti nihil aliud affirmant, quam eos, qui muros urbis violaverint, capite puniri [2]); hanc legem ad antiquissima tempora referunt, statuunt enim Remum, cum muros Romae quadratae transiluisset, secundum eam legem a Romulo esse necatum [3]); neque dubium esse videtur quin haec fabula de morte Remi revera facta sit ut imagine quadam demonstraretur sanctitas illius loci, in quo muri urbis aedificati essent. Sed de reliquis locis sanctis in universum tantum affirmatur ea *fuisse* iure inviolata, quod faciunt Aelius Gallus l. l., et iurisperiti cum dicant „sanctum" esse „quod sanctione legis defensum et munitum sit"; de singulis nihil tradunt, neque legem afferunt neque poenam impositam definiunt; e similitudine tantum nobis suspicari licet, etiam reliqua loca sancta qui violasset, capite puniendum fuisse, et hanc poenam institutam esse eadem illa lege quae de muris urbis esset, quam Romulus initio dedisse fertur; quod si verum est, haec lex non de violatione muri specialiter, sed de locis sanctis universis egit. Iuris periti quidem alia loca non habent quae sancta fuisse dicant, praeter muros urbis Romae et municipiorum et coloniarum [4]); quin etiam vix unum alterumve locum invenias, ubi diserte dicant etiam alia fuisse loca τεχνικῶς sancta [5]); sed tamen numquam dicunt, loca sancta nulla fuisse praeter muros; immo de universis semper locis sanctis agentes, muros tamquam exemplum tantum afferunt.

Macrob. 3. 3. 5 scripsit: „sanctum est *interdum* idem quod sacrum idemque quod religiosum", supr. pag. 344. — 1) Cic. leg. 2. 9. 22. — 2) Pompon. Dig. 1. 8. 11; Iustin. Inst. 2. 1. 10: „poena capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint". — 3) Pompon. Dig. l.l.; Plut. Q. Rom. 27; cfr. Liv. 1. 7, Dionys. 1. 88. — 4) Vid. Marcian. Dig. 1. 8. 8. 2. — 5) Ex. gr. Hermogen. Dig. 43. 6. 2: „in muris itemque portis, *et aliis sanctis locis*, aliquid facere ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur".

Digitized by Google

Ius publicum igitur, cum iam antiquissimis temporibus et ab ipso fortasse rerum Romanarum initio coepisset defendere poenis et lege loca sacra et loca sancta, voluit ex his nominibus pendere condicionem inviolatam locorum; quo magis etiam factum est ut haec condicio specie videretur niti sola *religione*, cum tamen satis constet, eam revera niti *iure* solo; quam ob causam qui accuratissime loqui velit, non dicat locum aliquem sacrum aut sanctum iure inviolatum esse quod a sacerdotibus sit consecratus aut inauguratus, sed quod lex publica violari vetuerit loca quae rite consecrata et inaugurata essent, et sacerdotes ex iussu publico eum locum in tutela eius legis reposuerint consecratione aut inauguratione. Sed ab altera parte multo magis etiam cavendum est ab alio errore qui valde in promptu est. Facile enim adduci possumus, ut loca sacra et sancta, quae a lege facta sint inviolata, etiam ab hac lege demum sacra et sancta facta esse putemus, utque eo modo non solum condicionem inviolatam locorum, sed etiam ipsam eorum sacertatem et sanctitatem repetamus ab iure et lege. Hoc certe verae rationi repugnat. Lex publica adhibuit tantum haec vocabula sacrum et sanctum, quae non ipsa constituit sed repetivit et desumpsit ex antiquo iure pontificali; condicio sacertatis et sanctitatis locorum nititur *religione*, non *iure*; caerimoniae quibus loca facta sunt sacra et sancta, etiamsi non sine permissu et iussu civitatis, ne sine auxilio quidem et opera et iussu magistratus alicuius, peragi potuerunt, tamen totae pertinent ad ius divinum et ad doctrinam sacerdotalem; hoc confirmatur primum ipsis illis vocabulis, deinde eo quod iurisperiti dicunt, res sacras et sanctas esse *iuris divini*, non minus quam res religiosas; lex publica hoc tantum *addidit* ad sacertatem et sanctitatem, ut ea loca insuper etiam essent iure inviolata. In eum errorem autem, quantum pertinet non ad loca sacra, sed ad loca sancta, inciderunt grammatici et iurisperiti antiqui omnes, qui definire conarentur hoc vocabulum, cum hoc temptarent, *„sanctum esse quod sanctione quadam subnixum esset"*, vel *„quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est"* [1]). Haec definitio etiamsi ab universa vi vocabuli „sanctus" non aberrat (supr. pag. 342 adn. 3), tamen prorsus

1) Ulpian. Dig. 1. 8. 9. 3; Marcian. Dig. 1. 8. 8 pr.

Digitized by Google

deficit cum de locis τεχνικῶς sanctis dictis quaeramus, et tota orta est ex illo errore quem notavi. Manifestum quidem est, qui dicant loca sanctione fieri sancta, respicere sanctionem *legitimam* solam, non vero etiam sanctionem aliquam religiosam aut privatam, ita enim ea definitio tota ad absurdum redigeretur, et omnia loca fere sancta essent, etiam religiosa et multa privata (supr. pag. 346 adn. 3). Sed ita revelatur vitium quod dixi, sanctitatem locorum ad legem, non ad religionem, referri. Ab eo vitio diligenter caveri solet in locis sacris; haec enim *consecratione*, i. e. actione sacerdotali, non vero lege, sacra facta esse omnes consentiunt. Itaque definitionem illam reiciendam esse constat; vitia eius hoc modo brevi resumemus:

a non solum loca sancta, etiam loca sacra sunt defensa sanctione legitima, itaque haec definitio tollit omne discrimen locorum sanctorum et sacrorum.

b Alia loca etiam fuerunt defensa sanctionibus legitimis, nonnulla etiam poena capitali, ut vallum castrense [1]), quae tamen inter loca sancta non numerantur; itaque haec definitio aliquid tribuit sanctioni legitimae, quod ei tribui non debeat, cum non tantum valeat ut sola possit loca facere sancta.

c Haec definitio tollit naturam religiosam sanctitatis; nam si sanctitas oritur ex sanctione legitima, non solum non pertinet ad sacerdotes sed omnino ne cum religione quidem cohaeret. At constat sanctitatem locorum niti religione, et Cicero id etiam diserte dicit [2]); hoc igitur perperam neglexerunt iurisperiti. Nihilominus ipsi docent, loca sancta fuisse iuris divini. Cum perspicerent, hoc prorsus repugnare ipsorum definitioni, rem in medio reliquerunt, addito vocabulo „quodammodo", quasi hoc tolleret repugnantiam, si dicerent loca sancta esse quodammodo iuris divini. Iam qui de perversitate huius definitionis sibi persuadere velit, satis habeat relegisse hunc locum Iustiniani (Instit. 2. 1. 10):

„sanctae quoque res, veluti muri et portae, quodammodo iuris divini sunt, et ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta sit in eos qui aliquid in muros deliquerint".

1) Dig. 49. 16. 3. 17. — 2) Cic. nat. deor. 3. 40. 94: „urbis muri, quos vos pontifices sanctos esse dicitis, diligentiusque urbem *religione* quam ipsis moenibus cingitis.

Digitized by Google

Itaque *poena capitis*, quae constituta est in violatores murorum, *effecisse* dicitur ut muri eximerentur ex locis quae in bonis alicuius esse possent et divini iuris fierent; hoc sane nihili est.

Reiecta igitur hac definitione, nihil aliud invenimus apud auctores iurisperitos, quo quid sanctum τεχνικῶς dictum fuerit cognoscamus. Ut clarius etiam appareat, quid in hac re desideremus, afferam definitiones locorum sacrorum et religiosorum. Ad haec vocubula definienda, fuerunt qui, cum uti vellent enumeratione simplici rerum in quas caderent haec vocabula singula, neque tamen possent omnes res enumerare quae eo pertinerent, paucas tantum exempli gratia afferrent, quod genus definitionis, quamvis sit utile si cum aliis coniunctum est, per se est infirmissimum; hoc solo utitur Aelius Gallus apud Festem pag. 278 (supr. pag. 344). Multo melius haec vocabula ita definiuntur, ut ostendatur quomodo acquirantur proprietates quae per singula vocabula designentur. Cum ea definitione cohaeret tertius modus definiendi, quo demonstrentur ipsae illae proprietates insignes, quae in omnes res ad singulas species pertinentes, et in eas solas, singulae cadant; haec duo definitionum genera cum inter se connexa sint, tum maxime idonea sunt ad cognoscendam vim vocabulorum. Denique addi possunt aliae proprietates, quas cognoscere utile sit, etiamsi forte non singulae ad singulas species, sed ad binas, pertineant. Itaque secundum hos quatuor modos si definimus vocabula illa, quid desideretur statim apparet:

A. ex exemplis:
   1 *sacrae* sunt arae et aedes;
   2 *sancti* sunt muri;
   3 *religiosa* sunt sepulcra.

B. ex origine:
   1 *sacra* fiunt loca cum consecrentur;
   2 *sancta* fiunt loca ....
   3 *religiosa* fiunt loca cum in ea cadaver inferatur, vel mundus (ara Cereris) in eis constituatur, vel cum per aliam caerimoniam sacerdotalem (veluti per fulgur conditum) vel decreto sacerdotali vel actione privata (velut consecratione privata) aliqua religio in ea inferatur.

Digitized by Google

C. ex proprietate praecipua:

1 *sacer* est omnis locus qui dei alicuius est [1]);

2 *sanctus* est ....

3 *religiosus* est omnis locus in quem illata est aliqua religio quae non pendeat ex consecratione aut inauguratione [2]).

D. ex proprietate accedente:

1 *sacra* loca sunt iure et lege inviolata;

2 *sancta* loca sunt itidem iure et lege inviolata;

3 *religiosa* sunt loca non iure sed sola religione inviolata.

Hac in re igitur deficere apparet definitiones iurisperitorum, qui cum doceant loca sancta habuisse certam proprietatem, tamen neque sciant quae sit ea proprietas, neque quomodo acquiratur. Verum huic vitio accedit alterum; etiam in alia parte peccaverunt iurisperiti. Nam cum de rebus agant, quas divini iuris esse dicant, nullam mentionem faciunt locorum *inauguratorum*; cum ad caerimoniam consecrationis referant originem rerum sacrarum, et ad illationem cadaveris originem locorum religiosorum, de tertia caerimonia, *inauguratione*, altum agunt silentium. Tamen dubium non est, quin etiam per inaugurationem res factae sint divini iuris, et etiam templa sint inter res divini iuris numeranda. Nam quamquam desunt directa testimonia quibus id demonstremus [3]), tamen hoc unum sufficit, quod *locus murorum*, quem tamquam *locum sanctum* inter res divini iuris referre solent iurisperiti, nulla alia re factus esse potest divini iuris quam inauguratione; inde constat etiam Curiam Hostiliam et Rostra Vetera (quae sola nominare possumus e templis quae non eadem fuerint consecrata) fuisse iuris divini [4]).

Itaque utrumque vitium, quo laborant definitiones iurisperitorum, quod loca sancta *quomodo* divini iuris facta sint nesciunt,

---

1) cfr. Macrob. Sat. 3. 3. 2. — 2) Iurisperiti solent loca religiosa ita definire, ut sint „loca quae Dis Manibus relicta sint" (Cai Instit. 2. 4); sed, ut animadvertit Marq. Wissowa Staatsverw. 3 pag. 146 adn. 6, hoc non in omnia loca religiosa cadit. — 3) Non prorsus sufficit, templa ab auctoribus dici „inviolata", Liv. 2. 1. 4; 42. 3 et aliis locis; cfr. Cic. Verr. 1. 1. 18. 47: „templis manus impias ac sacrilegas afferre"; vid. supr. pag. 343. — 4) De Rostris Veteribus vid. etiam Cic. de imp. Cn. Pomp. 24. 70. — Arx, quae erat templum, simul fuisse videtur consecrata, et Iovi quidem, cfr. Mnemos. 1891. 19, pag. 409 adn. 2.

Digitized by Google

et quod loca *inauguratione* divini iuris fieri potuisse tacent, tollitur ipsa ea coniectura quam supra proposui, *loca inaugurata fuisse sancta*. Ex illa coniectura prorsus necessaria hoc modo supplemus quod supra vacuum relictum est:

B. 2 *sancta* fiunt loca cum inaugurentur;

C. 2 *sanctus* est omnis locus qui ab augure auspicato constitutus est neque mutari potest sine auspiciis, i. e. omne templum.

Hoc autem quod adhuc coniecturae loco proposui, prorsus certum fit, si colligimus vestigia quaedam ab auctoribus nostris relicta, quae nunc demum recte aestimari possunt, postquam doctrinam iurisperitorum non modo eis obstare, sed ne carere quidem eis posse demonstratum est. Ea vestigia probant, vim specialem vocabuli „sanctus" pertinere ad templa, quamquam ipsi auctores id non perspexerunt. Primum „sanctus" nonnumquam tamquam epitheton ornans apponitur ad nomina templorum [1]); deinde quod plus valet, viri docti cum vocabulum „augustus" ita interpretari vellent, ut ad loca inaugurata id referendum esse dicerent, aliud vocabulum invenire non potuerunt quo brevius et clarius ea loca designarent, quam hoc ipsum „sanctus".

Fest. pag. 1: „augustus, i. e. locus sanctus".

Ovid. fast. 1. 609: „sancta vocant augusta patres, augusta vocantur templa ..."

Praeterea glossatores, cum proprietatem templorum definire vellent, hoc vocabulo usi erant. „Templa aiunt sancta esse qui Glossas scripserunt"; hoc testimonium a Varrone nobis servatum, firmissimum nunc factum est postquam id vindicavimus a vituperatione Varronis, qui vim vocabuli „sanctus" non assecutus, idem quod sacer id esse credebat (supr. pag. 341 adn. 1). — Eodemmodo denique Isidorus (Orig. 15. 4) „sancta ait iuxta veteres exteriora templi sunt"; his opponit partes templorum secretiores, quas sancta sanctorum dictas esse perperam affirmat.

---

1) Cic. Rab. perd. 4. 11: „Campus Sanctus (scil. Martius)"; Mil. 24. 66: „sanctissimum templum", cfr. Liv. 45. 5; Cic. Verr. 1. 1. 18. 47. Locus in arce, e quo verbenam tollebat fetialis a magistratu iussus, qui quod erat in arce erat inauguratus, dicebatur locus sanctus in formulis fetialium, Fest. pag. 321.

Digitized by Google

E sermone vulgato fere excidisse hanc significationem specialem vocabuli „sanctus", auctores ipsi indicant cum dicant eam ad pristina tempora pertinere, Ovidius: „*patres* vocant ...", Isidorus: „iuxta *veteres* ..." Superest igitur ut quaeramus, quomodo factum sit ut Romani tempore Varronis, etiamsi forte sciebant hoc vocabulum ad templa potissimum pertinere, non amplius sentirent eius veram vim, qua significabatur inauguratio. Causa inest in eadem re quam saepius memoravi, quam tamquam fontem erroris ipse Varro attulit [1]), quod aedes sacrae fere omnes *simul* erant templa, paucis exceptis ut aede Vestae et Herculis et aliis, et quod templa quae consecrata *non* essent nulla erant praeter Curiam Hostiliam et Rostra Vetera et locum murorum. Vocabula „sanctus" et „sacer" igitur aeque cadebant in longe maximam partem templorum et aedium sacrarum, ad quae promiscue adhiberi poterant; praeterea significatio generalis vocabuli „sanctus" (= „inviolatus") utique pertinebat ad omnia loca consecrata. Inde factum est ut eius vis specialis neglegeretur et in oblivionem veniret, adeo ut ipse Varro, quamquam recte tenebat quid interesset inter templum et aedem sacram, prorsus ignoraret eam vim, neque dispiceret quid interesset inter utrumque vocabulum. Alii, quamquam noverant „sanctus" potius ad templa esse referendum, tamen huius rei ratione non perspecta de inauguratione non cogitabant. Definitiones diffusae et sibi repugnantes, quas protulerunt grammatici, ostendunt eos nesciisse quid huic vocabulo faciendum esset [2]). Iurisperiti quidem ut in eundem errorem inciderent quam Varro, fieri non poterat, cum in doctrina pontificali certa indicia servata essent quae admonerent ne sacrum et sanctum idem esse crederent; eis ignotum esse non poterat, quaedam loca τεχνικῶς sancta esse; sed tamen ne hi quidem eo perveniebant ut redirent ad veram interpretationem huius vocabuli. His muri, *quos* (ut ait Cicero) *vos pontifices sanctos esse dicitis*, soli praebebant exemplum loci sancti de quo dubitari non posset; sed forte fortuna acciderat, ut locus murorum quamquam erat inauguratus, inter *templa* numerari non soleret a pontificibus (de qua re

1) Supr. p. 341 adn. 1. — 2) Supr. pag. 346 adn. 2 et 3.

Digitized by Google

vid. infra). Itaque loca nulla supererant temporibus Cai et Ulpiani, quae, quod essent inaugurata *neque* consecrata, eos admonere potuissent ut inter modos quibus loca fierent divini iuris etiam rationem haberent inaugurationis. Nam Curia Hostilia iam a. 52 deleta erat; Rostra Vetera circa a 44 diruta sunt; Rostra Iulia autem — fortasse etiam Rostra Nova — quamquam erant templa, tamen *etiam* erant inaugurata; inter loca in quae postea senatus vocari solebat, quae maxima ex parte secundum morem illius temporis etiam fuerunt consecrata, si forte fuerunt quae consecrata *non* essent, tamen in antiquis pontificum libris mentionem de eis factam nullam invenire potuerunt iurisconsulti; ita eis ignotum mansit, res etiam inauguratione fieri divini iuris.

§ 2 DE RITU INAUGURATIONIS LOCORUM.

Actiones sollemnes, quibus continebatur caerimonia loci inaugurandi, pertinebant 1° ad auspicia de loco capienda; 2° ad locum liberandum; 3° ad locum terminandum; 4° ad templum minus constituendum; 5° ad locum effandum. Difficile dictu est, quo ordine haec sollemnia ab auguribus peracta sint; de singulis agam eo ordine, quo ea nominavi, quem mihi commendare videtur ratio rei. — Eaedem actiones, quas nominavi, etiam peragebantur cum coloniae conderentur, quod ipsum satis probat constitutionem coloniae nihil aliud fuisse quam inaugurationem aliquam loci; sed tamen species inaugurationis, qua coloniae condebantur, habebat nonnulla propria quibus differebat a reliquis locorum inaugurationibus, et ob eam causam de ea singillatim agere mihi proposui, et ei reservavi paragraphum sextam. Nihilominus necesse mihi erit iam hoc loco, in describendis singulis partibus inaugurationis universae locorum, interdum rationem habere actionum similium quae in urbibus condendis peragebantur, et afferre locos auctorum nonnullos quae ad ritum urbium condendarum pertinent, quia ex his rebus, et imprimis ex multis locis auctorum eo pertinentibus, saepe aliqua lux afferri poterit cum de universa locorum inauguratione quaeramus.

Digitized by Google

I. De auspiciis.

Vix necessarium est locis allatis demonstrare, inaugurationem locorum factam non esse sine auspiciis; his augures exquirebant num hic locus deis probatus esset ut in eo templum fieret, in quo a magistratibus et sacerdotibus Romanis auspicato (i. e. cum bona venia deorum) agi posset quidquid ad rempublicam gerendam et ad sacra publica administranda pertineret (vid. infra). Sine his auspiciis templum esse non posse, recte indicavit Varro, cum *templum in terra* (terrestre) *ab auspiciis esse* diceret [1]). Praeterea auspicia memorantur omnibus locis illis, ubi templa *auspicato* vel *inaugurato condi* dicuntur (supr. pag. 338 adn. 1); deinde maxime huc facit quod Servius tradit de inauguratione templi Capitolini [2]). Auspicia autem de loco inaugurando habebantur ab auguribus Romanis non in ipso eo loco qui inaugurandus erat, sed in Auguraculo in Arce. Quod huius rei ratio habita non est a viris doctis recentioribus maxime obstitit quominus recte intellegeretur natura huius caerimoniae; nam cum accederet ut confunderentur templa *aëria*, quae fiebant cum auspicia captarentur, cum templis *terrestribus* quae fiebant auspicato, opinio praevaluit quasi augur, cum faceret templum (aërium) lituo suo et formulis, hac ipsa caerimonia simul etiam faceret templum (terrestre) quod maneret, itaque necesse videbatur statuere, eum id facere in ipso loco; revera illa opinio sublata est, cum appareat auspicia non habita esse in loco ipso. Hoc autem nititur his argumentis [3]). Primum paulo ante locis allatis a nobis demonstratum est, augures Romanos omnino nusquam nisi in

1) Varr. l.l. 7. 5; Mnem. 1889. 17 pag. 278 sq. — 2) Serv. Aen. 9. 448: „in urbe Roma Iovis templum non fuit; quod cum iam devotum a Tarquinio Prisco vellet Tarquinius aedificare, coepit auguria captare, qui mons huic templo esset aptissimus. Et cum in omnibus Tarpeius esset inventus (in quo erant multa diversorum numinum sacella), factum est ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere et sine piaculo templum Iovis exaedificare. Cumque omnes dei libenter inde migrassent, Terminus solus hoc est limitum deus descendere noluit sed illic remansit" e. q. s. — 3) Fuerunt qui afferrent ad sententiam probandam locum Liv. 3. 20: „augures iussos adesse ad Regillum lacum fama exierat locumque inaugurari ubi auspicato cum populo agi posset", et Dionis 41. 43. Locus Livii nihil probat; augures certe adesse debebant in loco qui inaugurareturr, sed ut eum liberarent et effarentur, non vero ut auspicia ibi captarent. De loco Dionis vid. Mnemos. 1890. 18 pag. 236 sqq. et pag. 238 adn. 1. — Cfr. Varr. l.l. 5. 47: „augures ex Arce profecti per sacram viam solent inaugurare".

Digitized by Google

Arce auspicia captavisse [1]). Deinde cum sciamus, auspicia ex avibus non nisi *in templo* (*terrestri*), in loco inaugurato, capi potuisse [2]), fieri non potest ut haec auspicia ab auguribus capta sint in loco quem etiam inauguraturi erant ipsi. Praeterea ipsa loca, quae inaugurabantur in urbe, nonnumquam eiusmodi fuisse necesse est ut de auspiciis *in eis* captis ne cogitari quidem possit; haud pauca eorum enim fuerunt admodum parvo circuitu, aedificiis altis urbanis circumdata, in valle aut in humili loco recondita, ubi augurem tabernaculo posito versus Orientem se dirigere et caelum quod vix conspicere posset observare potuisse recte neges. Denique quod posui etiam confirmatur loco Servii modo allato (pag. 355 adn. 2), nam cum Servius putet, locum templo idoneum a Tarquinio etiam quaesitum esse auspiciis, constat auspicia ei in alio loco capta esse videri. Auspicia autem quae *in urbibus condendis* captabantur ab augure qui destinatus erat sacris novae coloniae, non magis habebantur in eo loco quo muri ducendi erant, sed alibi in templo. Iam quod Varro scribit (l. l. 5. 143) „hoc (aratrum circumducere) faciebant religionis causa *die auspicato*", ostendere videtur auspicia non in eo loco capta esse in quo aratrum circumducebatur. Sed maximum argumentum petitur ex fabula quae de urbe a Romulo et Remo condita ferebatur. Forma fabulae antiquissima haec fuisse videtur, Romulum solum fuisse conditorem urbis, et de loco Palatino inaugurando ab eo solo auspicia capta esse [3]). Ennius et Livius tradunt, non de loco eligendo auspiciis certavisse Romulum et Remum, cum de Palatino eligendo satis inter eos convenisset, sed de nomine novae urbis et de regno [4]); verba Messallae auguris quae servavit Gellius non declarant, qua de re auspiciis certavisse Romulum et Remum putaverit Messalla, de loco urbis futurae an de nomine urbis et de imperio [5]); alii narrant Romulum in Palatino, Remum aut in Aventino aut in Remoria

1) Mnemos. 1891. 19 pag. 408 sq. — 2) Mnemos. 1890. 18. pag. 239, cfr. ibid. pag. 243 adn. 1. — 3) Vid. Mommsen „die Remuslegende" (Hermes 1881. 16 pag. 1—23) pag. 14. — 4) Liv. 1. 6. 4: „ut dei, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatium Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt"; Enn. Ann. vs. 80 (Luc. Müller): „certabant, urbem Romam Remoramne vocarent". — 5) Gell. 13. 14. 5: „in eo monte (Aventino) Remus urbis condendae gratia auspicavit avesque irritas habuit".

Digitized by Google

colle urbem condere voluisse, et de ea re auspiciis esse certatum [1]). Igitur de urbe *in Palatino* condenda, secundum Ennium Romulus auspicia captavit *in Aventino* [2]), secundum Livium vero, qui mutato illo Enniano Romulum in Palatino auspicantem facit, tamen Remus *in Aventino* auspicia captavit *de Palatino*. In antiquissima forma fabulae, quae servata non est, Romulum in Palatino auspicia cepisse coniecit Mommsen, cum id necessarium esse crederet; mihi magis verisimile videtur, id quod in antiquissima forma fabulae fuerit in hac parte servatum esse ab Ennio quam a Livio, cum praesertim nihil haberet Ennius cur id temere mutaret; sed apertum est, etiamsi hanc rem in medio relinquimus, tamen teneri non posse quod vulgo hodie statuunt, loca facta esse urbibus condendis idonea per auspicia *in eis* habita, quia ita ad absurdum redigitur quod de Romulo tradidit Ennius, de Remo Livius. — Paullo difficilior est quaestio de deis, quorum in auspiciis de loco inaugurando captis ratio habita sit. Constat quidem, templa, si destinata erant sacris publicis, et ob eam causam postea consecrabantur, habuisse suos deos, qui eis praesidebant et in eis habitare putabantur, quorum simulacra aut imagines in illis templis dedicata aderant. Sed hoc totum referendum est ad consecrationem; inauguratio nihil pertinebat ad deos quos postea in eo templo culturi erant sacerdotes; cum de inauguratione quaeramus, diligenter cavendum est ne perducti ratione consecrationis de ea statuamus quod falsum sit [3]). Deus qui auspiciis praeesset, qui signa et aves mitteret, nullus alius ab auctoribus nostris nominatur quam Iupiter [4]). Satis constat

---

1) Plut. Rom. 9; collem Remorium nominat Dionys. 1. 85 et 87. — 2) Enn. Ann. vs. 78 sq.:

„.... at Romulus pulcer in alto
Quaerit Aventino laevum genus altivolantum".

— 3) Assentiri non possum viro clarissimo Nissen, haec scribenti (Templum pag. 8, pag. 166): „die Constituirung eines Templum hat sofort zur Folge, „dass der also eingehegte Raum von einem Geist in Besitz genommen wird. Dieser Geist ist gewisser Massen eine Abspaltung des endlosen Naturgeistes, der die ganze Schöpfung erfüllt. Darum hat ... jeder Raum ... seinen eigenen Geist Deshalb gewinnt jeder Geist, der in einen Raum gebannt ist, eine Individualität und einen bestimmten Namen, bei dem der Mensch ihn anrufen kann. Dies ist die räumliche Ableitung jener unendlichen Reihe von Abstractionen..." u. s. w. In litteris antiquis nihil esse credo, quod his sententiis fundamento esse possit. — 4) Mnemos. 1891. 19. pag. 409 adn. 1.

Digitized by Google

Iovem solum invocatum esse in auspiciis cum inaugurarentur personae aut actiones; de auspiciis quae captabantur cum templa fierent, nihil quidem diserte tradunt auctores, sed similitudo suadet ut haec auspicia quoque ad Iovem referamus, nam Iovis solius interpretes erant augures. In urbe condenda auspicia rogata esse a Iove, ostendit Cicero cum dicat haec auspicia eadem fuisse quibus templum quoddam Iovis esset constitutum, quae certe ad Iovem pertinuerunt [1]). Sed tamen aliquot indicia sunt quibus adducar ut credam, in inaugurationibus locorum etiam alia numina invocata esse praeter Iovem. Cicero in oratione quadam invocat deos quosdam, quos *„huic loco temploque* (scil. in quo stabat, rostris) *praesidere"* dicit [2]); rostra autem fuerunt e numero templorum non consecratorum, neque habebant suum deum ex consecratione, itaque si dei quidam praesidere dicuntur rostris, id templum ex inauguratione ad eos pertinuisse necesse est. Livius, cum describat prima auspicia a Romulo et Remo habita, dicit templa ab eis capta esse ad inaugurandum, „ut dei quorum tutelae ea loca essent auguriis legerent qui nomen novae urbi darent." Per se quoque verisimile est, in inaugurationibus locorum rationem habendam fuisse aliorum numinum praeter Iovem, quorum in inaugurationibus hominum et actionum nulla ratio haberetur; nam inter utrasque hoc interest, quod hae prorsus solutae erant a solo, inaugurationes locorum vero a solo solvi non poterant; atqui Romani solebant omnibus partibus soli cogitatione attribuere deos quosdam vel numina divina, quae eis locis praesidebant quamquam nulla consecratione in ea vocata erant; prout loca ab hominibus occupabantur et certo usui destinabantur, haec numina locorum appellari coeperant nominibus quibusdam generalibus diversis; plerumque lares dicebantur, nam hoc nomen quamvis proprie pertineret non ad numina locorum, sed ad deos procreationi humanae praesidentes (quam ob causam lares habitare putabantur in *focis*, sacratum sibi habebant *ignem*, referebantur imagine *fascini*), tamen etiam translatum est ad numina locorum, et haec numina dicebantur lares quatenus affixa

1) Cic. Catil. 1. 13. 33: „tu Iuppiter (Stator) qui eisdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus". — 2) Cic. de imp. Cn. Pomp. 24. 70: „testor omnes deos, eosque maxime qui huic loco temploque praesident".

Digitized by Google

erant domibus et viis et compitis et partibus maris et aliis locis; praeterea alii dei qui privatim domibus, publice toti urbi praesidebant, dicebantur penates privati et publici; qui, etiamsi nunc quaerere omittimus utrum *origine* et *natura* sua magis ad homines in locis habitantes an — quod mihi verius videtur — ad loca ipsa pertinuisse putandi sint [1]), tamen facto et usu apud Romanos ita habebantur, ut a nobis inter numina locorum numerari debeant; denique loca singula suum quisque habebant genium aut fortunam suam aut tutelam. Itaque ratio suadet ut credamus, inaugurationes locorum recte fieri non potuisse sine his vel huiusmodi numinibus et geniis. Id convenit verbis illis Livii et Ciceronis quae modo laudavi. Livius ibi hos deos, quorum in auspiciis de urbe condenda captis ratio habita sit, dicit: „deos quorum tutelae ea loca essent". Hi dei secundum Ciceronem alii non fuisse videntur quam Penates Publici, cum dei tutelares illius loci in quo urbs conderetur Penates dicti esse videantur postquam in eo urbs condita esset. Penates Publici, quamvis habitarent in aede Vestae cum Lare Publico, et postea etiam suam aedem haberent in Velia, tamen tota urbe regebant. Cicero eos saepe in orationibus appellat; veluti hoc modo: *„patrii penates, qui huic urbi et reipublicae praesidetis"* [2]), vel ita: *„testor omnes deos qui huic urbi praesident"* ubi penates non nominatim appellat [3]), vel aliis verbis [4]). Hi quoque fuerunt soli dei qui praeter Iovem universis templis urbanis praesidere putari possent; dubium non est quin Cicero, cum in rostris stans invocaret „omnes deos, et eos maxime qui huic loco temploque praesident" (pag. 358 adn. 2), etiam respexerit eosdem illos deos, Penates Publicos. Alia sententia, ab Ciceronis sen-

1) In fabulis quidem quae de adventu Aeneae ferebantur, penates publici ex oppido Troia Romam delati esse narrabantur; sed haec fabula cum originem habeat Graecam, idonea non est ad definiendam naturam horum deorum Romanam. Cum coloniae conderentur, non apparet penates a colonis eo deductos esse ex urbe, sed coloni ibi inveniebant *novos* penates. Camillus apud Livium (5. 53. 9), cum Romanos admoneat ne Veios transmigrent, eis persuadet ut potius „*inter sacra penatesque suos*" maneant quam „exulatum publice eant". — 2) Cic. dom. 57. 144, cfr. Sest. 20. 45. — 3) Cic. Phil. 13. 9. 20. — 4) Cic. Sull. 31. 86: „vos di patrii ac penates, qui huic urbi atque huic reipublicae praesidetis, qui hoc imperium, qui haec tecta atque templa me consule vestro numine auxilioque servastis, testor". Dei patrii sunt ipsi penates, cfr. Macr. Saturn. 3. 4. 13.

Digitized by Google

tentia de deis tutelaribus urbis aliquantum discrepans, quae Varronis auctoritate nititur [1]), affirmat deum in cuius tutela urbs Roma esset fuisse unum tantum, quem essent qui dicerent Genium Romae [2]). Varro et auctores qui eius sententiam referunt, statuunt hunc deum habuisse certum nomen proprium, quod sacerdotibus solis notum esse deberet neque cuiquam fas esset vulgare. Causam huius rei afferunt hanc, quod sacerdotes cavere voluissent ne is deus, si eius nomen vulgo notum esset, eo facilius ab hostibus posset evocari [3]). Eidem auctores addunt, etiam urbem Romam habuisse alterum nomen proprium magis verum et *latinum*, quod eodem modo a sacerdotibus celaretur [4]). Hoc confirmant exemplo Valerii Sorani cuiusdam tribuni plebis, quem capitis poenam dedisse tradiderat Varro quod hoc nomen urbis temere enuntiavisset [5]). Haec omnia nulla fide digna esse facile apparet. Primum ratio illa reticendi nominis Genii urbis,

---

1) Varronem auctorem affert Servius Aen. 1. 277; eandem sententiam post eum etiam a Verrio Flacco et aliis esse relatam, indicat Plinius h. n. 28. 11. — 2) Servius (Aen. 2. 351) ut hanc sententiam confirmet, affert, in Capitolio fuisse clipeum consecratum, cui inscriptum esset „*genio urbis Romae sive mas sive femina*". Sed Servius nihil addit quo tollatur suspicio, hunc clipeum fuisse aetatis valde recentis. — 3) Plin. n. h. 28. 18: „et durat in pontificum disciplina id sacrum (quo dei evocantur), constatque ideo occultatum in cuius dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent". Macrob. Sat. 3. 9. 3: „nam propterea (propter evocationem) ipsi Romani et deum, in cuius tutela urbs Roma est, et ipsius urbis latinum nomen ignotum esse voluerunt". Plut. Q. R. 61: *διὰ τί τὸν θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σώζειν προσήκει καὶ φυλάττειν, εἴτ' ἐστὶν ἄρρην εἴτε θήλεια, καὶ λέγειν ἀπείρηται καὶ ζητεῖν καὶ ὀνομάζειν κ.τ.λ.* Serv. Aen. 2. 351: „et iure pontificum cautum est, ne suis nominibus dei Romani appellarentur, ne exaugurari possent. Inde est quod Romani celatum esse voluerunt, in cuius dei tutela urbs Roma sit". Serv. Georg. 1. 498: „nam verum nomen eius numinis quod urbi Romae praeest, sciri sacrorum lege prohibetur". — 4) Plin. n. h. 3. 65: „Roma, cuius nomen alterum dicere arcanis caerimoniarum nefas habetur, optimaque et salutari fide abolitum enuntiavit Valerius Soranus, luitque mox poenas". Macrob. Sat. 3. 9. 3 sq. (h. p. adn. 3). Solin. 1. 4: „traditur etiam proprium Romae nomen et verum magis, quod numquam in vulgus venit, sed vetitum publicari, quandoquidem quominus enuntiaretur caerimoniarum arcana sanxerunt". Serv. Aen. 1. 277: „urbis illius verum nomen nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus pl. quidam Valerius Soranus, ut ait Varro et multi alii, quia hoc nomen ausus esset enuntiare, ut quidam dicunt raptus a senatu et in crucem levatus est; ut alii, metu supplicii fugit et in Sicilia comprehensus a praetore praecepto senatus occisus est. Hoc autem urbis nomen ne Hyginus quidem, cum de situ urbis loqueretur, expressit". Serv. Aen. 5. 737: „latet enim ut supra diximus verum urbis nomen". Lydus de. mens. 4. 50. — 5) Plin. n. h. 3. 65; Serv. Aen. 1. 277 (h. p. adn. 4); Plut. Q. R. 61.

Digitized by Google

quam produnt auctores, est vana ac falsa; satis enim constat, si quis deum ignotum invocare aut deum hostilem evocare vellet, eum id etiam recte facere potuisse sine nomine, modo aliis verbis aut signis eum deum designaret; ipsi Romani saepe suos deos verbis incertis invocabant [1]), et in formula quam exhibet Macrobius (Sat. 3. 9. 7), qua a Romanis evocatos esse dicit deos tutelares Carthaginienses, hi dei non designantur suis nominibus sed verbis incertis: „si deus si dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela" e. q. s.; itaque Genius Romae etiam hoc modo ab hostibus evocari potuit, etsi eius nomen proprium nesciebant. Deinde quod dicunt auctores, urbis nomen *verum* et *latinum* vulgo ignotum fuisse, id ab eis tantum excogitari potuit qui, cum crederent Romam esse nomen *graecum* ortum a vocabulo graeco quod est Ῥώμη (Valentia) [2]), desiderarent nomen latinum; hi temere coniunxerunt nomen urbis latinum quo careri non posse putarent cum nomine Dei tutelaris quod lectoribus suis prodere nequirent, et utrumque a sacerdotibus celatum esse finxerunt, quo factum est ut postea fuerint, qui inani arcanorum cupidine perducti haec nomina divinando eruere conarentur [3]); sed haec omnia concidunt cum nomen Romae, etiamsi de eius etymo etiam parum constet inter viros doctos [4]), tamen quin sit vere latinum nemo dubitare possit. Omnino hoc coactum et paene absurdum videtur, nomina, quae non solum extra sacra, sed ne in sacris quidem a sacerdotibus enuntiari licuisset [5]), quae certe non magis essent scriptis mandata neque extarent in libris sacerdotum — nam ita Varro et alii ea cognoscere potuissent — tamen potuisse servata manere quamvis neque scripta neque dicta umquam essent. Hoc solum verum est, ut videtur, nomina propria Deorum tutelarium sive Genii Urbis *nemini*, ne sacerdotibus quidem, nota fuisse, quod idem est ac si statuamus, eos nomina propria

1) Cfr. Serv. Aen. 2. 351: „et pontifices ita precabantur: Iuppiter O. M. sive quo alio nomine te appellari volueris"; Macrob Sat. 3. 9. 10: „dispater Veiovis Manes, sive quo alio nomine fas est nominare". Vid. etiam Preller-Jordan Röm. Mythol. 1 p. 62 adn. 1. — 2) Locos collegit Schwegler Röm. Gesch. 1 p. 419 adn. 10. — 3) Macrob. Sat. 3. 9. 4 sq.; Lyd. d. mens. 4. 50, cfr. Becker Röm. Alt. 2. 1. pag. 15 adn. 26. — 4) Cfr. Iordan. Topogr. 1. 1. pag. 197. — 5) Serv. Aen. 1. 277, supr. pag. 360 adn. 4.

Digitized by Google

non habuisse; hoc prorsus convenit verbis Livii qui loquitur de „deis quorum tutelae ea loca essent", et Ciceronis qui Penates publicos eos deos dicere videtur, cum praesertim etiam deis penatibus publicis nomina propria non fuisse memoriae traditum sit [1]). Varro, ut videtur, cum aliorum oppidorum aliquot deos tutelares cum magna diligentia conquisita nominasset [2]) neque credere posset deorum tutelarium Urbis nomina nulla extare, rationem huius rei quaerens, ita sibi et lectoribus suis satisfacere conatus est, ut coniceret ea nomina propter evocationis periculum esse occulta, sed in falsam coniecturam incidit. Itaque statuendum esse videtur, deos quorum ratio habenda esset cum de urbe condenda auspicia captarentur fuisse Iovem et deos tutelares illius loci quos futurum erat ut mox tamquam Penates Publicos colerent novi Sacerdotes, deos vero qui invocarentur in locorum urbanorum inaugurationibus fuisse Iovem et Penates Publicos qui tuerentur urbem [3]). — Hoc loco etiam de ratione exaugurationis locorum mentionem facere necesse est; in ea enim voluntatem divinam, quae signis et auspiciis declararetur, non solum Iovis et Penatium fuisse apparet, sed etiam aliorum deorum, et eorum quidem, quorum fuerant templa quae exauguranda erant. Sic cum area Capitolina liberaretur a Tarquinio rege, de Termino *aves non addixisse* narrat Livius [4]), et cum Novae Curiae aedificatae essent septem Curiarum numina e vetere aedificio evocari non potuisse tradit Festus [5]). Sed ea res specie tantum, non vere, apta est ad diluenda ea quae modo statuimus. Templa enim de quibus his locis sermo fit, ara Termini in colle Capitolino et Veteres Curiae, non solum erant inaugurata sed etiam consecrata, quod

---

1) Serv. Aen. 3. 12: „quod eorum (penatium) nomina nemo sciat". — 2) Varr. ap. Tertull. ad Nat. 2. 8, Apol. 24, cfr. Preller-Iordan Röm. Myth. 2 pag 200 adn. 3. — 3) Notum est saepe in formulis sacris copulari Iovem O. M. cum Deis penatibus, veluti in iureiurando, Cic. Acad. pr. 2. 20. 65, lex tab. Bant. lat. 17 Bruns pag. 51. — 4) Liv. 1. 55. 2 sq.; Cato Origin. 1. fr. 23; Fest. pag. 162; Serv. Aen. 9. 448; Lactant. de f. rel. 1. 20. Dionysius (3. 69) addit etiam Iuventatem cedere noluisse, quod idem tradit Livius 5 54. 7. Augustinus dicit (civ. d. 4. 23): „atque ipsi inde cedere omnes voluerunt praeter illos quos commemoravi, Martem Terminum Iuventatem". — 5) Fest. pag. 174. — Loca plerumque *exaugurari*, dei vero *evocari* dicuntur; sed apud Servium (Aen. 2 351, supr. pag. 360 adn. 3) etiam *dei* dicuntur exaugurari.

Digitized by Google

item cadit in omnia fere templa paucis exceptis; atqui mirum non est, loca quae suos deos ex consecratione haberent non potuisse profanari nisi hi dei quoque qui in eis habitarent hoc fieri permisissent. Sed hanc ob causam quod in exauguratione locorum consecratorum fiebat, ut etiam alii dei de ea consulerentur, transferri non potest ad ceteras exauguratione locorum non consecratorum neque ad inauguratione locorum.

II. De loco liberando.

Templa libera esse debebant, eiusque rei perpetua cura mandata erat auguribus. *„Augures urbem et agros et templa liberata et effata habento"*, ait Cicero [1]). Quod ut fieri posset, loca quae templa fierent a principio liberarentur necesse erat, et actiones caerimoniaeque eo pertinentes occupabant insignem partem inaugurationis.

Serv. Aen. 1. 446: „antiqui ... ita templa faciebant, ut per augures locus liberaretur effareturque".

Liv. 5. 54. 7: „... cum augurato liberaretur Capitolium ..."

Serv. Aen. 9. 448: „factum est, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere et sine piaculo templum exaedificare Tarquinius".

Iam ex his locis apparet, liberationem loci magna ex parte constitisse in caerimoniis. Tollenda erat omnis labes et macula, qua forte is locus aspersus esset, abluendum omne contagium flagitii aut mortis quod forte ei inhaereret; hoc fere sacrificiis et piaculis variis factum esse crediderim. Comparari possunt caerimoniae quibus templa, si quando certis vitiis inquinata erant, purgabantur; sic a. 390 post Gallos eiectos fana in urbe restitui debebant quod ea hostis possedisset; tum omnia templa non solum de integro terminata sunt, sed etiam purgata et liberata; quam caerimoniam, a Livio *expiationem* dictam, duoviris ex libris peragendam mandavit senatus [2]); et a. 69 p. C. post Vitellium devictum totum Capitolium purgatum est [3]); tam magna quidem opus non erat diligentia cum templum conderetur, sed tamen tum quoque aliquid sacrificando actum esse videtur ab auguribus, quod ad eundem finem spectaret.

1) Cic. leg. 2. 8. 21. — 2) Liv. 5. 50. 2; Plut. Camill. 32. — 3) Tac. hist. 4. 53.

Digitized by Google

Praeterea inde removendi erant dei, si qui forte in eo loco habitabant et eius loci partes sibi antea consecratas tenebant, quod fiebat exauguratione. Huius caerimoniae ritus ab auctoribus nostris non accurate describitur; Livius loquitur de *avibus* observatis [1]), Servius de *sacrificiis* [2]), Dionysius etiam de *precationibus*, et hoc certe manifestum est, precibus supersederi non potuisse [3]); haec omnia autem ab auguribus in Arce peracta esse crediderim tum ipsum cum auspicia de novo templo ab eis captarentur, etiam antequam in eum locum ipsi se contulissent (supr. pag. 355 adn. 3).

Sed erant etiam alia quibus opus esset ad locum liberandum, quae non in caerimoniis consisterent. Area templi futuri etiam debebat pura et aperta reddi, necesse erat aut manibus aut instrumentis tolli, divelli, erui si quid in eo loco aut terra genuerat, ut vepres, herbam, arbores, aut homines inaedificaverant, et solum debebat complanari; hoc opus fortasse iam a ministeriis absolvebatur antequam augures adveniebant; abhinc auguribus providendum erat, ut locus sanctus maneret purus ab omni humano cultu, ne quid in eum inferretur quod ab eius religione alienum esset, ne locus privatis occuparetur, ne situ et incuria squaleret herbis ultro nascentibus obsitus. Quod Livius scribit de loco muri, cautum esse „ut puri aliquid ab humano cultu pateret soli", factum esse „spatium quod neque habitari neque arari fas esset" [4]), et quod de eodem loco apud agrimensores legitur, eum non debuisse „privatis operibus inverecunde pervadi aut arari" [5]), id sane omnibus templis commune fuit, et inprimis observandum erat in eis templis quae sine aedificio manerent sub divo. — Sed quamquam necesse habebatur ut locus qui inauguraretur antea purus et liber redderetur, tamen extra ordinem fieri poterat ut aliquid quod in eo loco antea aedificatum esset intactum servaretur, si id pertineret ad ipsum usum huius templi et si hoc ageretur ut illud aedificium ipsum templum fieret. Nonnumquam enim factum est, ut extra ordinem [6]) aedes aut curia, primum in loco profano

---

1) Liv. 1. 55. 3. — 2) Serv. Aen. 9. 448, supr. pag. 355 adn. 2. — 3) Dionys. 3. 69, cfr. etiam Liv, 5. 21. 3. — 4) Liv. 1. 44. 4. — 5) Agrim. pag. 17, — 6) Cfr. Serv. Aen. 1. 446, supr. pag. 339 adn. 1.

Digitized by Google

aedificata, postea demum inauguraretur; sic Varro scribit: „et in Curia Hostilia, et in Pompeia et post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta" [1]).

In sententia Ciceronis, quam modo attuli (pag. 363 adn. 1), hoc quoque auguribus mandatur, ut urbem et agros liberata habeant. Quia constat, neque urbem ipsam totam neque agros ipsos ullo modo liberata haberi potuisse, *urbs et agri* per translationem dictum esse videtur pro eo quod erat inter urbem et agros, scil. pro *loco muri*. Vocabulum *liberatum habere*, de loco muri dictum, partim quidem eodem modo intellegi debet quo de aliis templis, vid. pag. 364 adn. 4 et 5. Sed partim etiam *liberatum habere* proprio et novo aliquo sensu de loco muri dictum esse videtur, quo sensu id a reliquis templis alienum erat. Augures enim cavere debebant, ne quis aedificando coartaret aut mutaret prospectum ex Arce, qui inde capiebatur ad auspicia observanda, neve quid ita aedificaretur ut officeret auspiciis urbanis. Eo pertinent hi duo loci:

Cic. Off. 3. 16. 66: „Ut, cum in arce augurium augures acturi essent, iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedes in Caelio monte habebat, demoliri ea quorum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripsit insulam, emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est .... M. Cato sententiam dixit ..." (Hoc factum est paullo ante a. 91, quo anno M. Cato mortem obiit).

Fest. pag. 344: „Summissiorem aliis aedem Honoris et Virtutis C. Marius fecit, ne is (legendum: *si*) forte officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerent".

Prospectus ex Arce habebat duas partes, superiorem sive aëriam et inferiorem sive urbanam, quarum utriusque in auspiciis ratio habenda erat, ut antea exposui Mnemos. 1890 18 pag. 246—249; linea qua hae partes separabantur, quam Gellius (13. 14. 1) dicit finem urbani auspicii, Varro (6. 53) dicit finem auspiciorum caelestium, erat pomerium. Ipsi termini quidem pomerii ex Arce conspici non poterant, sed eius tractus indicabatur aedificiis et tectis nonnullis urbanis, quae in formulis sive effatis auguralibus descripta erant (vid. infra); horum

1) Gell. 14. 7. 7.

Digitized by Google

tectorum fastigia, quae adhibebantur ad pomerium ex Arce definiendum, non debebant superari novis aedificiis altioribus extra pomerium (in agris) exstructis, neque vero celari novis aedificiis urbanis altioribus, quia si hoc fieret inutilia facta essent effata sive formulae augurales de pomerio constituta. Haec cura augurum inprimis a Cicerone videtur designari, cum dicat eos *urbem* et *agros* liberata servare debere. Cum vero appareat, hanc curam non proprie pertinere ad ipsum locum muri, sed potius ad loca adiacentia, i. e. ad partes quasdam urbis et agrorum, in ea re cernitur probabilis ratio illius translationis qua usus est Cicero. *Urbs et ager*, quam augures liberata tenere debent, nihil aliud est quam *prospectus ex Arce in urbem agrosque* quem Livius memorat 1. 18. 7, qui ipse est *prospectus in pomerium*.

III. De loco terminando.

In condendis templis hoc inprimis agebatur, ut *fines* eorum quam accuratissime constituerentur. Ea re nihil plus valebat ad rationem templorum, sine ea omnis tollebatur utilatis inaugurationis et amittebatur id ipsum quod consequi voluerunt Romani templis constituendis. Consilium enim, quo templa a Romani fiebant, hoc ipsum erat (secundum id quod § 5 a nobis demonstrabitur) ut loca haberent quae deis ipsis idonea visa esse certo scirent in quibus res publice gereretur a magistratibus et sacerdotibus; hoc consilium peribat, nisi plenissime cautum erat ut ea loca ne possent pro arbitrio humano a quoquam clam mutari neve moveri, utque possent statim restitui si opus esset. Inde factum est, ut hoc ipsum esset proprium templorum insignissimum, in quo fere omnis consisteret eorum ratio, ut essent immota, stabilia, sempiterna. Hoc ut provideretur, nihil magis necessarium erat quam ut fines, e quibus pendebat forma loci, ita ut a principio ab augurībus concepti essent, essent accurate constituti et certis indiciis plenissime cogniti. Haec indicia partim consistere poterant in *signis* conspicuis; actio qua primum eiusmodi signa in finibus loci ponebantur, vel certe qua indicabatur ubi ponenda essent, dicebatur terminare locum. Sed signa semel posita, quantavis licet cura ea tuerentur augures, poterant auferri et destrui; aliis indiciis insuper opus erat quorum maior etiam esset fides,

Digitized by Google

quae consisterent in *verbis* et *formulis* manentibus, quae scriptis mandata sedulo asservarentur; actio qua conficiebantur et pronuntiabantur hae formulae, quae continebant omnia quibus opus esset ad formam loci cognoscendam et ipsa signa ablata restituenda, dicebatur locum effari.

Quantopere in constitutione finium versaretur summa inaugurationis, indicatur vocabulis duobus huc pertinentibus. Primum in ipso vocabulo *templum* nulla alia praeter hanc inest notio. Templum, a τέμνω, est quivis locus certis lineis circumscriptus et quasi abscisus. Hinc primum applicatum est hoc vocabulum ad prospectum quem in aëre certis lineis de terra et de caelo quasi desecat is qui auspicatur, et ita templum dictum est illud quod nos diximus aërium [1]). Deinde vero applicatum est ad loca terrestria quae certis lineis circumscripta de terra quasi desecabantur, ut in eis publice et auspicato gererentur res publicae et sacrae [2]). Sed ceteroquin uterque usus huius vocabuli prorsus per se stat neque ulla ratione praeterea ex altero pendet alterum; quod unum vocabulum ad duas res prorsus diversas (nam etiam modus quo fines constituebantur in utraque nequaquam idem erat) adhibitum est a Romanis, id non debet nos perducere ut has res male confundamus. In ea significatione de qua agimus, vis vocabuli templum prorsus convenit sensui nativo vocubuli τέμενος [3]). — Deinde memorabile est vocabulum Graecum, quo „inaugurare" a Dionysio redditur 3. 70, quod est τεμενίζειν. Augur, ait Dionysius, qui iussu Tarquinii liberavit Capitolium et inauguravit templum, ὁ τῶν οἰωνοσκόπων ἐπιφανέστατος ὁ τοὺς βωμοὺς μενθιδρυσάμενος καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τεμενίσας .... erat Atta Navius. Hoc vocabulum quoque ostendit, cum intellegere velimus rationem templi Romanam, opus nobis non esse doctrina aliqua obscura et mystica Romanis ignota, quo nonnumquam aberraverunt recentiores, sed totam rem inesse in finibus augurato constitutis.

---

1) Mnemos. 1889. 17 pag. 281. — 2) In reliquis significationibus huius vocabuli, quamquam notio linearum ductarum et spatii abscisi aliquatenus repressa est, et magis prodit notio loci sanctitate quadam aut magnificentia insignis, tamen hoc semper inest, eum locum esse certum, definitum. — 3) Cfr. Nissen Templum pag. 1. Vir clarissimus hoc agnovit, quamquam id minime convenit opinionibus quas de templo Romano ipse in eo libro prodidit.

Digitized by Google

Sed ut illuc revertar, antequam perficerentur hae actiones terminandi et effandi, fines ab auguribus debebant mente concipi et constitui; quin etiam, quoniam de certo loco cum deis agendum erat in auspiciis, fines mente concepti esse debebant antequam auspicia captarentur. Huius rei mentionem fecit Livius:

1. 10. 6: „(Romulus) simul cum dono (spoliorum) designavit templo Jovis fines.... Juppiter Feretri, inquit, tibi... templum his regionibus quas modo animo metatus sum, dedico (neglegentius dictum pro „voveo")".

et 1. 12. 6: „hic ego tibi templum Statori Jovi.... voveo". Fines huius templi quos mente conceperat Romulus, mox etiam ab eo esse *effatos*, quo facto templum perfectum esset et in eo ara consecrari posset, addit Livius 10. 37. 15: „Fabius scribit in ea pugna (a. 294) Jovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat; sed fanum (= sacellum) tantum, id est locus templo effatus, fuerat".

Quid sit „terminare", non per se clarum est. Nam quamquam hoc vocabulum certe significare potest „terminos ponere", tamen constat id etiam universe dici potuisse pro: „definire", „certis finibus circumscribere". Loci qui huc pertinent probant quidem *omnia templa fuisse terminata*, sed non satis declarant, quo sensu id accipiendum sit:

Liv. 5. 50. 2: „(Camillus) Sen Ctum facit, fana omnia, quod ea hostis possedisset, restituerentur, terminarentur, expiarenturque".

Plut. Camill. 32: „*οἱ δὲ τοὺς ἱεροὺς τόπους ἀναλαβεῖν καὶ ὁρίσαι ταχθέντες ὑπὸ τοῦ Καμίλλου, συγκεχυμένων ἁπάντων ...*".

In *loco muri* quin veri positi fuerint termini (lapides, cippi) dubium non est, quia terminorum pomerii frequentissima est mentio; sed in reliquis templis termini et collocationes terminorum numquam distincte memorantur. Quod Livius (45. 5) tradit, templum Delphicum stetisse „intra sacratos terminos", ad templa Romana transferri non licet. Ea autem quae infra exponemus de templo minore et de saeptis templorum etiam obstant ne credamus, in finibus templorum, ne in quatuor angulis quidem, veros terminos fuisse positos, cum termini apti tantum sint ad loca aperta terminanda. Itaque statuendum esse videtur, locis laudatis Livii et Plutarchi *terminare* et *ὁρίζειν* nihil aliud

Digitized by Google

significare quam fines constitutos signis quibusdam indicare; id autem fiebat in inauguratione *palis* aut *metis*, quae postea tollerentur cum muri aedificati aut cancelli positi essent.

Deinde considerandum est quid de finibus templorum constituendis in iure sacro praescriptum fuerit. Iam ex eo quod modo attuli, apparet templa semper fuisse circumscripta lineis rectis; si recte affirmavi fines omnium templorum iam statim in inauguratione indicatas esse palis aut metis (quod etiam infra confirmabitur), necesse est eos fines fuisse rigores semper ab uno palo ad proximum palum pertinentes, qui interversuram aut curvaturam nullam admittebant; etiam vocabulum *regiones*, quibus templa terminata esse dicuntur, ostendit fines habuisse angulos, et tot quidem quot pali collocati essent, sed curvaturas nullas. Hoc etiam confirmant auctores:

Fest. pag. 157: „templum est locus ita effatus, aut ita saeptus, ut ex (ita Mommsen Staatsr. 1. pag. 105 adn. 2 pro *ea*) una parte pateat, angulosque (sic Mommsen pro *angulos quod*) affixos habeat ad terram". In hanc Festi sententiam inserendum etiam esse mihi videtur vocabulum „quatuor", ita ut pro *angulos quod* legamus „angulosque IIII", propter hunc locum Servii:

Serv. Aen. 2. 512: „omne aedificium aedes dicuntur, sed Varro locum quatuor angulis conclusum Aedem docet vocari debere". De hoc loco consentio cum viro d. Marquardt, qui adnotavit „Varro hatte offenbar vom templum geredet" [1]).

Sed cum omnia templa quadrangula esse debuisse hinc appareat, statim eximendus est *locus muri*, in quem ea lex non cadit, qui etiam a multis partibus intrari poterat. Locus muri, quamvis etiam determinaretur lineis rectis, et binas oras (exteriorem et interiorem) semper parallelas haberet, tamen longe aberat a forma quadrata templorum. Haec causa esse videtur cur is locus inauguratus inter templa numerari non soleat ab auctoribus nostris, sed suo nomine proprio (quod est *pomerium*) aut aliis modis (sicuti Cicero eum dicit „urbem et agros", vid. supra pag. 365 sq.) designetur, quamquam id non obstat quominus a nobis is locus, quia reliquas templorum proprietates habet, cum templis componatur et pro singulari templi specie

1) Marq. Wissowa Röm. Staatsv. 3 pag. 156 adn. 4.

Digitized by Google

habeatur. In reliquis templis autem omnes anguli *recti* faciendi fuisse videntur, quo fieret ut locus constitueretur in formam quadrati oblongi aut aequilateralis. De ratione Cardinis et Decumani, qua lineae ducebantur, infra agemus.

Sequitur ut videamus de formula „locum regionibus determinare". Hac utitur Messalla apud Gellium ubi de *loco muri* agit. Vocabulum „regio" tam ambiguum est, ut difficile sit pro certo dicere, cum ad templa adhibeatur, utrum dictum sit pro *linea* an pro *loco* an pro *caeli partibus*; eadem difficultas etiam invenitur ubi ad alias res hoc vocabulum adhibitum legimus [1]). Etiam ubi de auspiciis captandis et de templo aërio sermo est, regiones sunt aut *lineae* quae lituo ducuntur, i. e. fines prospectus quem sibi determinavit auspicans, aut *caeli partes* [2]). Sic etiam in hac re de qua agimus, in consti-

1) Regiones plerumque sunt *fines* sive *lineae terminantes*; Cic de Orat 2. 16. 67: »assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus"; leg. agr. 2. 35. 97: »regionibus officii se continere"; pro Arch. 10. 23: »res quas gessimus orbis terrae regionibus definiuntur" (cfr. Sest. 67: »qui imperium populi R. orbis terrarum *terminis* definisset"); Lucret. 6. 120: »artis regiones exire". Sed alibi regiones sunt *partes terrae*, *loca terrestria*; Cic. prov. cons. 12. 31: »possum de omni regione, de omni genere hostium, dicere"; deor nat. 1. 10. 24: »terrae maximas regiones inhabitabiles videmus" et passim. Alibi vero regiones sunt *quatuor vel plures partes caeli*, Varro l.l. 5. 31: ut omnis natura in caelum et terram divisa est, sic caeli regionibus terra in Asiam et Europam, Asia enim iacet ad meridiem et austrum, Europa ad septentrionem et aquilonem"; Cic. leg. 2. 8. 21: »caeli fulgura regionibus ratis temperanto"; sic »media regio caeli" est meridies, Cic. Arat. 193, Lucret. 6. 722. Denique regiones sunt *partes alicuius loci terrestris quae secundum regiones caeli constitutae sunt* et ab eis nomen acceperunt, Cic. nat. deor. 2. 3. 9: »Attius lituo regiones vineae terminavit", divin. 1. 17 31: »quae sit ab Attio Navio per lituum regionum facta discriptio", cfr. Mnemos. 1889. 17 pag. 450 sq. Regionem alias esse lineam, alias locum in terra aut in caelo, explicatur si hinc proficiscimur, regionem esse proprie directionem, i. e. viam brevissimam qua aliquid versus certam partem moveri posse cogitetur. Si *punctum* se movere cogitamus versus alterum punctum, via qua punctum movetur est *linea*, sin vero linea movetur, *spatium* sive *locus* oritur; itaque regio puncti est linea, regio lineae est locus, et inde unum vocabulum in se recepit duas significationes valde diversas. Si lineam aliquam transversam recta via se movere cogitamus ultra fines orbis terrarum versus caelum, pars caeli quam attinget est illius lineae regio, hinc regiones etiam dictae sunt partes caeli quarum nomina adhibentur ad definiendas directiones rerum terrestrium. — 2) *Lineae*: Varr. l.l. 7. 9: »et intra eas regiones, qua oculi conspiciant", cfr. Liv. 1 18. 9: »inter eos *fines* quos feci", Mnemos. 1889. 17 pag. 280; Cic. div. 1. 17. 30: »nempe eo lituo Romulus regiones direxit tum cum urbem condidit", hanc formulam »regiones dirigere" Plutarchus (Cam. 32 et Rom. 22) graece perperam

Digitized by Google

tutione templi terrestris, dubitari potest quid sit „locum regionibus determinare", utrum „locum lineis rectis, i. e. distantiis palorum aut metarum quae in angulis posita sunt (in *loco muri*: distantiis terminorum) circumscribere", an „fines loci secundum caeli partes definire" [1]). Optio eo difficilior est, quo magis constat in illa formula, si recte eam interpretemur, inesse *utramque* notionem. Nam cum lineae ducantur, quibus templum circumscribatur, manifestum est has lineas potuisse defininiri secundum regiones caeli, exempli gratia si in templo quodam quadrato lineae terminantes dextra et sinistra ductae sunt a Meridie Occidentali ad Septentrionem Orientalem, lineae terminantes antica et postica ab Oriente Meridionali ad Occidentem Septentrionalem, hoc templum non solum regionibus rectis, sed etiam regionibus caeli determinatum esse dicendum erit. Constat, fines templorum interdum definitos fuisse secundum regiones caeli. Exemplum huius rei memorabile extat apud Dionysium, ubi narratur quomodo Olenus haruspex determinaverit imaginem vel formam templi, quam in solo adumbraverat. Scilicet cum fundamenta templi Capitolini a Tarquinio ponerentur, et caput humanum inventum esset, legati in Etruriam missi esse traduntur qui de eo portento consulerent haruspices. Tum Olenus Calenus haruspex, fatum in suam gentem transferre cupiens, fertur conatus esse legatos interrogando circumducere ut verbis affirmarent caput illud non Romae sed in Etruria esse inventum. Itaque scipione adumbravit in solo formam templi, et ita legatos interrogavit: „hoc ergo dicitis, Romani, hic templum Iovis O. M. futurum est, hic caput invenimus"? Sed legati a filio haruspicis praemoniti evitarunt dolum et responderunt: „non plane hic sed Romae inventum

---

vertit „τὰ πλινθία διαγράφειν" perductus ambiguitate vocabuli. Mnemos. 1890. 18 pag. 268. — *Partes caeli*: Liv. 1. 18. 7: „augur regiones lituo ab Oriente ad Occasum determinavit", Mnemos. 1889. 17 pag. 284. — 1) Eadem locutio etiam utroque sensu ad alias res adhibetur. Cic. Arch. 11. 29: „si, quibus *regionibus* vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes *terminaret* suas (animus), non tantis se laboribus frangeret"; hoc loco *regionibus terminare* est *finibus* (quasi *lineis*) *circumscribere*. Aliter Cic. Cat. 3. 11. 26: „Pompeius fines vestri imperii non terrae sed *caeli regionibus terminavit*", et Catil. 4. 10. 21: Pompeius, cuius res gestae atque virtutes eisdem quibus solis cursus *regionibus* ac *terminis* continentur"; his locis regiones sunt partes caeli, Oriens et Occidens.

Digitized by Google

caput dicimus". Olenus igitur, ut posset legatis imponere, in eo loco ubi cum eis agebat templi imaginem facere debuerat [1]). Quomodo hoc fecerit, his verbis a Plinio narratur:

Plin. n. h. 28. 15: „Olenus ... id in suam gentem transferre temptavit scipione determinata prius templi imagine in solo ante se ..."

Apud Dionysium vero (4. 60) filius haruspicis multo accuratius legatis exponit quomodo pater imaginem a se descriptam determinaturus sit, non solum regionibus rectis (ut est apud Plinium), sed etiam regionibus caeli:

„περιγράψει τῷ σκήπωνι τῆς γῆς μέρος ὅσον δή τι· ἔπειθ' ὑμῖν ἐρεῖ, Τουτὶ μέν ἐστιν ὁ Ταρπήιος λόφος, μέρος δὲ αὐτοῦ τουτὶ μὲν τὸ πρὸς τὰς ἀνατολὰς βλέπον, τουτὶ δὲ τὸ πρὸς τὰς δύσεις, βόρειον δὲ αὐτοῦ τόδε καὶ τοὐναντίον νότιον. Ταῦτα τῷ σκήπωνι δεικνὺς πεύσεται κ.τ.λ.

Secundum Dionysium igitur etiam imago templi, lineis adumbrata, determinatur *regionibus caeli*, quae verbis indicantur, et hoc saepe fit cum templa determinentur. Sed quamquam de significatione universa illius formulae dubitari non potest, quaeritur tamen etiam utrum in ea vocabulum ipsum *regiones* significet *lineas rectas* an *partes caeli*. Loci quos afferre possumus disceptandi copiam non praebent:

Messall. apud Gell. 13. 14. 1: „Pomerium est locus ... regionibus certis determinatus".

Liv. 1. 10. 6: „tibi templum his regionibus quas modo animo metatus sum dedico".

Romulus non minus dici potuit metatus esse lineas rectas quam partes caeli. Neutra notione libenter caremus. Mihi videtur hoc modo nodus dissolvendus esse, ut statuamus duas notiones quas postulamus in unum vocabulum collatas esse. Regio est proprie directio, sive via brevissima qua punctum aliquod

1) Manifestum est, non verum templum ab Oleno factum esse. Quod de ea re scripsit vir cl. Nissen (Templum pag. 5): „der Etruskische Seher Olenus Calenus zeichnet mit dem Stab ein Templum an den Boden, und sofort ist dasselbe verzaubert", quatenus intellegi possit, parum recte dictum esse videtur. Vis qua fatum transferebatur non erat in descriptione templi, sed in interrogatione et responso; fabula facta est ut demonstraretur *quam magna esset in sacris vis verborum*, ut optime filium haruspicis monentem facit Dionysius: *μοῖρα δ' οὐκ ἐλαχίστη τῶν ἐν μαντικῇ θεωρημάτων ἐρώτησις ὀρθή*; Plinius quoque eam affert ubi de vi verborum agit.

Digitized by Google

se movere posse cogitetur aut versus alterum punctum aut versus aliquam caeli partem (vid. pag. 370 adn. 1.) At, quandoquidem punctum quod moveatur versus alterum punctum, *simul etiam* versus certam caeli partem se moveat necesse est, fieri potest ut in hac formula in uno vocabulo utraque notio insit, utque regiones h. l. sint *nomina partium caeli* posita pro *lineis versus eas partes caeli tendentibus*. Tum hoc vocabulum ipsum h. l. proprie neque lineam solam designat neque partem caeli solam, sed reddendum est per vocabulum *directio:* sed directiones sive regiones punctorum, quibus locus clauditur, necessario simul sunt lineae rectae, simul vero nomen suum accipiunt a caeli partibus quo hae lineae tendunt, et eatenus ipsae sunt caeli partes. Veluti in exemplo quod modo attuli, templum cuius orae dextra et sinistra tendunt in Meridiem Occidentalem, dici potest a parte dextra, quae spectat in Septentrionem Occidentalem, determinatum esse regione (directione) Meridiana-Occidentali, quae regio simul est pars caeli, simul est linea in hac dextra parte templi ab uno angulo ad proximum angulum ducta et in Meridiem Occidentalem tendens. Eodem modo etiam *locus muri*, quamquam eius orae parallelae habebant angulos neque rectos neque quatuor tantum sed plures, dici poterat determinatus esse regionibus, i. e. nominibus plagarum caeli certo ordine enuntiatis, modo haec nomina semper significarent eas partes caeli in quas tenderent lineae ab uno termino ad proximum semper ductae, ita enim haec nomina simul etiam significabant lineas rectas. Partes caeli igitur sive regiones, quibus apud Romanos determinabantur latera locorum inauguratorum, non erant eae partes caeli in quas *spectarent* singula latera (qua ratione nos uti solemus ad definiendos situs locorum), sed erant semper partes caeli in quas tenderent orae laterum singulorum. (Vid. Addendum in fine huius paragraphi.)

IV. De templo minore.

Templa non potuerunt esse aperta; omnia templa debuerunt esse continuo saepta, neque ad templum redactus erat locus antequam saeptus esset. Ea re quoque *locus muri* discrepabat a reliquis locis inauguratis, quod solus saeptus non erat.

Varr. l. l. 7. 13: *„omne templum esse debet continuo saeptum* (i. e. sine intervallo, ita ut ab altera parte ostii ad alteram circum

Digitized by Google

totum locum tendat saepes) *nec plus unum introitum habere*". Templa cum iam perfecta et magistratibus aut sacerdotibus tradita paterent usui publico, omnia aliquo modo saepta fuisse constat; quamquam quaenam ad ea semper adhibita fuerint saepimenti genera, neque facile dictu est neque ad nostram quaestionem pertinet; itaque pauca verba sufficiant. Templa in quibus *aedificia* erant exstructa, in duo genera dividi posse videntur; alterum genus est templorum quorum area tota occupabatur aedificio; in his ipsi muri pro saepimento esse poterant. Eo pertinuisse videntur multae Aedes sacrae et Curiae, veluti Curia Hostilia, cui Porciam Basilicam *iunctam* fuisse tradit Asconius [1]), fortasse etiam Rostra, quod templum infra in solo maceria cinctum fuisse haud credibile est. Aedes quae huc pertinent, si columnas tantum a fronte habebant, ab ea parte saeptae erant caulis quibus intercolumnia claudebantur, et unus tantum aditus a gradibus ad vestibulum relinquebatur; si columnis cinctae erant, caulas sive cancellos habebant in extremo ordine columnarum [2]). Ad alterum genus refero aedes quae aream ampliorem habebant, extra muros aedificii in unam vel plures partes longius productam, ut aedes Capitolina et aliae. Harum areae saeptae fuisse videntur aut muris lapideis humilibus aut cancellis, quae unum tantum aditum praeberent [3]). Templa vero quae *sine aedificio* erant, quae *sacella* dicebantur, veluti Vulcanar supra Comitium et Ara Martis in Campo Martio, omnia cincta fuerunt saepimentis, quae erant et dicebantur *maceriae*, *caulae*, *cancelli*, *concamerationes ferreae* [4]), quibus ab omnibus partibus ita circumdatum erat templum, ut efficeretur forma quadrata oblonga aut paribus oris, utque ad aram in medio templo positam unus aditus pateret. Ita observatum erat praescriptum quod refert Varro, omnia templa esse debere continuo saepta. — Sed eo die quo locus inauguraretur, manifestum est neque quid-

1) Schol. Cic. pag. 84. — 2) Cfr. lex de XX quaestoribus § 40, Bruns pag. 84: „ad aedem Saturni, in pariete intra caulas". — 3) Fortasse licet comparare murum humilem qui hodie extat Pompeis in foro quod dicitur triangulari, qui ab una parte terminat aream templi, de quo Overbeck (Pompei pag. 71): „Wahrscheinlich ist diese niedrige Mauer ursprünglich eine Schranke gewesen, welche den geweihten Boden des Platzes um den Tempel und seine Altäre von dem Profanterrain längs der Säulenhalle abgrenzte ...". Sed hic murus ab *una* tantum parte terminat aream templi. — 4) Vid. loc coll. apud Marq. Wissowa 3 pag. 152 adn. 6.

Digitized by Google

quam in eo fuisse quod aedificatum esset, neque illa saepimenta iam perfecta esse potuisse; tamen locus ab auguribus relinqui debebat consaeptus, ut esset templum neve irrita caderet inauguratio. Eam ob causam eo die ab auguribus sive administris eorum exstruebatur rudimentum quoddam saepti, quod postea ab operis et fabris tolli posset postquam muri aedificati essent aut cancelli positi. Haec saepta auguralia constabant ex palis et tabulis aut linteis; pali, qui in angulis positi erant ad locum terminandum, inter se ita iungebantur tabulis aut linteis, ut totum templum munitum esset quasi cingulo quodam unum aditum praebente, quod infra quidem ad solum pertineret, sed valde humile, vix paucos pedes altum, fuisse videtur; haec imago saepti dicebatur templum minus. Nam cum ea quae in locis inauguratis postea aedificarentur ipsa quoque dici solerent *templa*, et aliquid in templo aedificare ipsum etiam diceretur *templum facere* [1]), consentaneum erat id quod ab auguribus in tempus construeretur designari hoc nomine *templi minoris*, ut distingueretur ab rebus firmius et ornatius factis quae postea ab operis inferri deberent.

De hac re egit Festus pag. 157: „Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis saepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. Itaque templum est locus ita effatus, aut ita saeptus, ut ex una parte pateat, angulosque quatuor affixos habeat ad terram".

Etiam extat locus Servii, ubi de eadem re sermo est; ibi Servius dicit non solum *id quod claudi possit*, i. e. aedificium quod portam habeat et valvas quibus possit claudi, veluti aedem sacram et curiam, si in loco inaugurato factum sit, templum dici, sed etiam *id quod palis aut hastis aut aliqua tali re, et linteis aut loris aut simili re saeptum sit* [2]). Sed eodem loco etiam

1) Sic apud Varr. l.l. 6. 87 „templum facere" dictum est pro „tribunal facere in templo". — 2) Mommsen (Staatsrecht 1 pag. 105 adn. 2) aliter interpretatus est verba „*id quod potest claudi*", nam eis adnotavit: „das heisst der durch gedachte Linien, nicht durch reale Grenzen, eingeschlossene Raum". Quamquam vix affirmare ausim, me recte assecutum esse sententiam viri clarissimi, tamen verba Servii mihi videntur ab eo referri ad *templum aërium*; hoc autem a Servio dictum esse censet locum *qui claudi possit*, quia revera *non sit clausus*. Sed etiamsi concedere possem, *claudi posse* idem esse quod *clausum* non *esse*, tamen nihil haberem cur id referrem ad templum aërium, quod lituo discriptum et cogitatione clausum est.

Digitized by Google

mentio facta est de tabernaculo quod captaret augur in Arce et magistratus qui extra urbem auspicaturus esset, de quo antea egimus (Mnemos. 1889. 17 pag. 281 sq., et 1890. 18 pag. 242 sqq.). Verba Servii sunt haec (Aen. 4. 200):

„Alii templum dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis aut alique tali re et linteis (sic Nissen Templum pag. 4 pro *lineis*) aut loris aut simili re saeptum est, quod effatum (sic Mommsen l. l. pro *et factum*) est; amplius in eo uno exitu esse non oportet, cum ibi sit cubiturus auspicans".

Hic locus, ut nunc legitur, vix recte se habere videtur, et in eo aut aliquid omissum sit necesse est aut in locum alienum aliquid perperam insertum est quod ad alium locum pertineret. Primum quamquam hoc loco de templo *minore* loqui voluisse Servium apparet si eius verba comparamus cum verbis Festi modo laudatis, tamen hoc ipsum *minus* in eo non legitur; deinde hinc ad ultimum sententia aberrat ad tabernaculum in quo auspicia capiebantur, neque tamen verbo indicatum est cur eo subito transiretur, praeterea omnia nimis breviter dicta sunt neque ullo modo cohaerent. Servius mihi videtur comparare voluisse *templum minus* cum *tabernaculo auspicantis*, quia utrumque esset in loco inaugurato, et fieret ex palis et linteis, et templum quidem appellaretur sed tamen eodem modo opponi posset aedificiis et stucturis manentibus quae ab operis in templis fieri solerent; fortasse tabernaculum auspicantis tamquam genus quoddam templi minoris recte definire voluit Servius. Hoc recte se habet, modo ne neglegamus magnum discrimen quod a Servio fortasse memoratum erat sed nunc eo loco non legitur, primum tabernaculum auspicantis fuisse *tectum*, ut ipsum vocabulum ostendit, templa minora vero fuisse sine tecto, ut res ipsa probat, deinde ea templa, in quibus tabernacula facere solerent auspicantes, ipsa etiam saepta fuisse tum cum tabernaculum nullum inesset, denique in uno templo compluria tabernacula poni potuisse.

In *urbe condenda* nihil factum esse constat in loco in quo muri aedificandi essent, quod simile esset templis minoribus. Hoc sane supervacuum erat, quia locus muri etiam postea futurum non erat ut saepiretur, sed ut terminis definiretur. Sed

Digitized by Google

finis exterior eius loci alio modo constitui et conspicuus reddi solebat, quae res ipsa huic loco propria et a reliquis templis aliena erat, ibi enim aratrum circumducebatur et sulcus fiebat. Caerimonia aratri circumducendi fere idem valebat in urbe condenda, quod in reliquis locorum inaugurationibus valebat caerimonia templi minoris faciendi.

V. De loco effando.

Minus etiam quam de terminatione, de caerimonia effandi ab auctoribus traditum est. Primum apparet, quod templa dicantur *effari*, id non proprie ad ipsa templa, sed ad eorum fines tantum pertinere, cum res a parte ad totum translata sit:

Varr. l. l. 6. 53: „effari templa dicuntur ab auguribus, effantur qui in his fines sunt".

Deinde quid significet vocabulum *effari*, ostendit Festus pag. 157 (vid. supr. pag. 375), qui ei vocabulo substituit formulam hanc: „certis verbis definire". — Denique nonnulli loci ubi de *loco muri* sermo est, docent, in formulis quibus hoc templum effatum esset non solum mentionem factam esse de lineis templum terminantibus, sed etiam de locis quibusdam extra templum sitis. Haec loca, quatenus sermo est de loco muri, erant ab interiore parte aedificia urbana, ab exteriore vero agri adiacentes. Manifestum autem est, si quis describere velit fines alicuius loci, et ob eam causam simul partim describat fines locorum adiacentium, haec quoque *effata* dici posse, eodem iure quo ipsa templa. In loco muri effando autem agri adiacentes quantum fieri poterat *nominatim* ut videtur percensebantur, ut eo facilius cognosceretur tractus finium loci inaugurati et situs terminorum:

Varr. l. l. 6. 53: „augures finem auspiciorum caelestum extra urbem (i. e. finem exteriorem pomerii) agris sunt effati ubi esset".

Hinc agri loco muri confines dicti sunt *agri effati*, et locus muri totus est *intra agrum effatum*:

Serv. Aen. 6. 197: proprie *effata* sunt augurum preces; unde ager post pomeria vocabatur effatus, ubi captabantur auguria (scil. a magistratibus extra urbem auspicantibus, Mnemos. 1890. 18 pag. 241 adn. 2)".

Gell. 13. 14. 1 (e Messall.): „pomerium est locus intra agrum

Digitized by Google

effatum per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus".

Cic. leg. 2. 8. 20 sq.: (augures) urbemque et agros et templa liberata et effata habento"; i. e. augures asservanto formulas in quibus describuntur fines loci muri; hi fines, qui ab interiore parte simul sunt fines urbis, ab exteriore parte sunt fines agrorum, designantur vocabulis „urbs et agri"; in his formulis nominatim significabantur aedificia urbana nonnulla intra pomerium sita, et agri confines extra pomerium siti. „Urbem et agros *liberata habere*" est „prospectum ex arce in pomerium, vel in ea aedificia urbana quae pomerium definiunt, pertinentem, immutatum servare, *ne quid auspiciis urbanis officiat*" (vid. supr. pag. 365 sq.); „urbem et agros *effata habere*" nihil aliud est quam „locum muri effatum habere".

In reliquis templis effandis, quin eodem modo ratio habita sit fundorum aut aedificiorum adiacentium, dubitari non potest, quamvis testimonia desint.

Huiusmodi formularum (quas *effata* dictas fuisse docet locus Servii modo laudatus et Varr. l.l. 6. 53: „hinc, a fando, *effata* dicuntur") duo fragmenta valde memorabilia nobis praebent tabulae Iguvinae. In tabula VI duae eiusmodi formulae leguntur, insertae quod earum ratio haberi deberet ab eo qui auspicaretur (cfr. Mnemos. 1890. 18 pag. 248). Altera (VI A 8—12) continet descriptionem finium illius templi, in quo versabatur flamen qui expiationi (lustrationi) arcis praeerat; altera (VI A 12—15) praebet descriptionem pomerii. Hae formulae, etsi ex libris sacerdotalibus petitae esse videntur, tamen non videntur referre ipsa *effata*; ex his pauca excerpta sunt, sed nihil omittitur quod pertineat ad tractus linearum (regiones) secundum loca adiacentia definiendos. Ex priore formula apparet, templum in quo versaretur flamen fuisse quadratum, et unum latus eius templi cadere in partem limitis interioris pomerii (finis urbici), quo fiebat ut duos angulos tantum definiri opus esset. Hi anguli dicuntur *imus* et *summus*; lineae ab eis ad pomerium ductae referunt latera templi dextrum et sinistrum; linea qua ipsi inter se iunguntur praebet quartum latus templi. Haec duo angulorum puncta autem definiuntur locis aut aedificiis adiacentibus nominatim designatis, quae ita ipsa quoque effata

Digitized by Google

sunt [1]); alterum definitur *ara divorum* a qua proxime abest, alterum *sellis auguralibus* [2]). — In altera formula, qua linea interior pomerii describitur, quamvis multa non satis intellegi possint, tamen simili ratione lineas secundum loca adiacentia demonstratas esse apparet [3]).

Animadvertendum est etiam, in templorum *effatis* fuisse indicatum e qua regione pateret aditus ad templum, nam templum debebat „ita esse effatum ut ex une parte pateret", (Fest. pag. 157 vid. supr. pag. 375). Praeterea quomodo in formulis auguralibus Romanis definita fuerint templa singula, veluti Rostra, Curiae, Aedes, Sacella, quorum pleraque admodum parvo erant circuitu, ignoramus. Si quid conicere licet, haec fere contineri solebant formulis auguralibus:

1° longitudines linearum sive distantiae angulorum, certo aliquo mensurae modulo definitae.

2° directiones linearum.

3° significationes locorum adiacentium et confinium, veluti fundorum aedificiorum sacellorum, quae inprimis apta essent ad angulos templi definiendos.

4° pauca verba quibus demonstraretur e qua regione pateret aditus templi, i. e. qua esset pars *antica*, qua *postica*.

---

1) Eodemmodo apud Tac. Ann. 12. 24 demonstrantur fines loci muri qui fuit circa urbem quadratam. Eam formulam quoque ex libris auguralibus deductam esse suspicatur Iordan Topogr. 2 pag. 269, cfr. 1. 1. pag. 38. — 2) Tab. VI A 8 sqq. (secundum translationem viri cl. Buecheler): »templum ubi flamen versatur arcis piandae, id stativum sic finitum est: ab angulo imo qui proxime ab ara divorum est, ad angulum summum qui proxime ab sellis auguralibus est, et ab angulo summo ad sellas augurales ad urbicum finem, ab angulo imo ad aram divorum ad urbicum finem". — 3) Tab. VI A 8 sqq.: fines urbici: ab sellis auguralibus ad ostia ad oosercium ad praesiolas Nurpii ad vasirsium ad smursim ad delubrum Miletinae ad tertiam pracum pracatarum, ab sellis auguralibus ad fanum Vesticii ad randem Rufri ad delubrum Noniae ad delubrum Salii ad fanum Hoii ad ianum Patellae". — Cum haec descriptio lineae pomerii in duas partes divisa sit, quarum utraque incipiat ab eodem puncto (sellis auguralibus), cum vero hoc punctum fuerit proxime a templo in quo flamen versaretur (vid. adn 2), apparet his verbis non *partem* lineae pomerii descriptam esse (ut antea Mnemos. 1890. 18 pag. 248 perperam affirmavi), sed totam lineam pomerii Templum flaminis videtur fuisse in parte Occidentali urbis; duo puncta in quibus desinunt formulae, *tertia pracum pracatarum* et *ianus Patellae*, videntur fuisse in Oriente, e regione illius templi. Eiusmodi aedificia tantum nominata esse videntur, quae tam alta vel libera essent ut possent de templo conspici; inde factum ut tam pauca nominarentur.

Digitized by Google

Quae sub 1° et 2° et 3° posui, facile in unum coniungi potuerunt sic: „A primo angulo L pedes in aedificium illud, inde XL pedes in aedificium illud", et ita deinceps. Hoc modo loca erant *determinata certis regionibus* (vid. supr. pag. 373 et Addendum pag. 390).

Hae formulae quae semel confectae primum in inauguratione recitabantur (quod est effari templa) deinde asservabantur (quod est templa effata habere), continebant summam omnium rerum quae in inauguratione erant factae ad fines constituendos. Si locus aliquis habebat sua *effata* apud augures, templum erat. Inde factum est, non solum ut hoc vocabulum, locus effatus, in quo inerat ipsa inaugurationis ratio, notio immoti et sempiterni, sufficeret quo designaretur templum quodvis, sed ut etiam vocabulum effari comprehendere posset totam caerimoniam inaugurationis, et esse posset pro inaugurare. Nam auspicia, quamvis necessaria essent et cardo rei quodammodo in eis versaretur (quam ob causam Varro templa terrestria *ab auspiciis* esse dicit, vid. pag. 335 adn. 1), tamen diserte memorari non semper necesse erat, quia augures augurato agere consentaneum erat:

Serv. Aen. 3. 463: „effatus, ergo verbo augurali usus est, quia scit loca sacra (male pro *sancta*) i. e. ab auguribus inaugurata, effata dici".

Cic. Att. 13. 42. 3: „Scripseram iam; ecce tibi orat Lepidus ut veniam. Opinor augures vult habere *ad templum effandum*. Eatur. Μίασμα δρυός" [1]).

Liv. 10. 37. 15: „Sed fanum tantum, id est locus templo effatus, fuerat".

Loci quos attuli, ubi ab optimis auctoribus summa ratio templorum refertur ad duas res, quod sint loca quae a deis *auspiciis* sint confirmata et quae habeant *fines certis formulis demonstratos*, gravissimi sunt non solum propter id quod in eis affirmatur, sed multo magis etiam propter id quod in eis negatur

1) Lectionem huius loci constituit et locum explicavit vir cl. Boot. M. Aemilius Lepidus a. 45 cum magister equitum esset, aedem Felicitati aedificare constituit, partim in eo loco ubi antea fuerat Curia Hostilia, cfr. Dio 44. 5. 2 Ad eum locum inaugurandum auguribus ei opus erat, hanc ob causam expetebat operam Ciceronis auguris. Cicero notat illo proverbio Graeco (quod ad quercum Dodonaeam pertinet) levitatem qua solum sanctum Curiae novo usui destinabatur.

Digitized by Google

et omittitur. Si verum esset quod scripsit vir cl. Nissen: „die Constituirung eines Templum hat sofort zur Folge, dass der also eingehegte Raum von einem Geist in Besitz genommen wird" (supr. pag. 357 adn. 3), si verum esset quod alii coniecerunt inaugurationem esse caerimoniam qua loca auspiciis captandis idonea fierent [1]), fieri non posset ut vocabula „locum augurato condere", „locum inaugurare", „τεμενίζειν", „effari", sola et singula apta essent ad describendam hanc caerimoniam. In his vocabulis nihil inest quod spectet ad certum usum neque sacrum neque profanum cui omnia templa idonea esse deberent, nedum ad auspicia in eis captanda; nihil quod suspicari nos sinat constitutionem templorum constitisse in artibus magicis et incantamentis (supr. pag. 372 adn. 1), nihil quod referri possit ad doctrinam mysticam; ipsa declarant, templa *nihil aliud* fuisse quam loca deis probata quorum fines in perpetuum constituti essent.

VI. De ratione Decumani et Cardinis observata in templis terrestribus.

Restat ut consideremus, quomodo fines templorum ab auguribus sint constituti. Regiones dirigendae erant; hoc in inauguratione non eodem modo fieri poterat quo in constitutione templi aërii, ubi lituus aptus erat lineis imaginariis ducendis (supr. pag. 370 adn. 2); in templo terrestri verae regiones ducendae erant, quae ut supra dixi (pag. 380) continebantur formulis huiusmodi: *„a primo angulo tot pedes in illum locum"* et ita deinceps; ad eas regiones inutilis erat lituus, itaque apparet omnes locos, ubi in inauguratione locorum de litui sermo sit, pertinere ad

1) Müller-Deecke Etrusker 2 pag. 142: „dem Begriffe nach ist Templum ein für Augurien bestimmter Bezirk"; Rubino (Untersuch. 1. p. pag. 53) refert templa vocabulo „Beobachtungsorte"; Mommsen reddit „templum condere" per „das Abstecken eines Visirraums" (Staater. 1. pag. 103), „templum" per „ein zur Auspication eingerichteter Platz" (ibid 3 pag. 926), et auspiciis *ex avibus* quidem capiendis templa destinata esse censet (ibid. 3. pag. 935); qua de re cum eo non facit Müller, Etr. pag. 146: „dies alles sint Templa im eigentlichen Sinne des Wortes, ohne Zweifel konnte man auch in allen, wenn auch nicht den Himmel, doch andere Auspicien, z. B. die heiligen Hühner, beobachten" (cfr. supr. pag. 356). Iam Niebuhr Röm. Gesch. 2. pag. 700: „die Kirchen der Götter waren nicht nothwendig Tempel: nicht in allen konnten Auspicien genommen werden" Hoc a templo aërio perperam in templum terrestre translatum esse, manifestum est.

Digitized by Google

auspicia antea ab auguribus capta, non vero ad constitutionem finium; etiam ubi in *urbe condenda* de lituo mentio fit, nihil aliud respicitur quam observatio auspiciorum [1]). Ad regiones veras ducendas aliis rebus opus erat, veluti pertica qua mensura ageretur, et palis qui in angulis ponerentur. Hoc loco etiam de groma mihi mentio facienda est, qua in mensuris agendis uti solebant agrimensores, *„qua fixa"*, ait Nonius, *„viae ad lineam dirigebantur"* [2]). Omnia quae de groma ex auctoribus cognosci potuerunt collecta exposuit v. cl. Rudorff [3]), quae non retractabo; satis habeo dixisse, usum gromae duplicem fuisse videri; partim enim hoc instrumentum, quod consistebat ex pedamento ferreo statura humana paulo humiliore, *ferramento* dicto, et ex duobus bracchiis ferreis superimpositis, figuram crucis aut stellae referentibus, adhibebatur a mensoribus, ut *conspiciendo* vel *perspiciendo* secundum singula bracchia quasi per διοπτραν indicarent locum quo palus (*meta*) in rigore ponendus esset, quod dicebatur *metas dictare*; quod ut fieret, instrumentum saepe locum mutare et *transferri* et novis locis *figi* debebat, et bracchia, quae filis et ponderibus ad libidinem *perpendi* sive dirigi poterant, saepe debebant aliquantulum dimitti aut erigi si solum declive aut inaequale erat; partim vero, cum iam constitutae essent viae duo principales, machina in medio loco limitato ponebatur ut inde cognosci posset directio viarum; sic in castris groma locum suum constitutum habebat [4]), in agris nonnumquam eandem utilitatem praebebat [5]), in coloniis condendis [6]) et in agris assignandis groma in decussi viarum

---

1) Lutat. Daphn. fragm. 5 (Peter Hist. Rom. fragm. pag. 126): „... clavam in ruina Palatii incensi a Gallis repertam, qua Romulus urbem inauguravit". Cic. divin. 1. 17. 30: „nempe eo lituo Romulus regiones direxit tum cum urbem condidit". Lituum a Romulo ad auspicia tantum adhibitum esse, confirmat Plut. Rom. 22 et Cam. 32. Bene imprimis Dionysius 14. 2. 5: τὸ σύμβολον τοῦ συνοικισμοῦ τῆς πόλεως ..., ᾧ Ῥώμυλος ὀρνιθευσάμενος διέγραψε τῶν οἰωνῶν τὰς χώρας, ὅτε τὴν πόλιν οἰκίζειν ἤμελλε. — 2) Non pag. 63. — 3) Agrim. 2 pag. 335—341. — 4) Agrim. Hygin. 1 pag. 180: „sic et in castris groma ponitur in tetrantem, qua velut ad forum conveniatur". — 5) Fest. pag. 96: „groma appellatur genus machinolae cuiusdam, quo regiones agri cuiusque cognosci possunt"; Non. pag. 63: „grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur et conveniunt viae". — 6) Agrim. Hygin. 1. pag. 170: posita auspicaliter groma, ipso forte conditore praesente, proximum vero ortum comprehenderunt, et in utramque partem limites emiserunt ...". Vocabulum auspicaliter, quod alibi esse potest „boni ominis causa",

Digitized by Google

maximarum eodem consilio posita non tollebatur antequam peracta mensura forma loci in aes incisa adesset [1]); in his omnibus groma suo loco posita demonstrabat directionem limitationis, cum indicaret qua essent partes *dextra* et *sinistra*, *antica* sive ultrata et *postica* sive citrata, et nonnumquam in extremis bracchiis etiam notis designatae erant caeli partes, in quas bracchia tenderent [2]). — Quaerentibus nobis num etiam augures adhibuerint gromam, difficile est responsum invenire. Pro ea sententia hoc afferri non potest, in *urbibus condendis* gromam esse adhibitam (pag. 382 adn. 6), nam cum urbes conderentur constitutio viarum, ad quam groma adhibita est, nihil pertinebat ad augures, qui *locum muri* solum condebant, sed ad magistratus. Quod alii obiecerunt, hoc instrumentum e Graecia in Italiam translatum esse, quod ostenderet nomen a vocabulo γνώμων sive γνῶμα deductum, neque id antiquissimis temporibus, vix ante saeculum tertium a. C., in Italia cognitum esse potuisse, neque certe ad antiquissimum ritum auguralem pertinuisse [3]), id parum valet, siquidem constat rem aut sub hoc aut sub alio nomine ab initio Etruscis cognitam fuisse cum in Italiam venirent (vid. M. Cantor, die Röm. Agrimensoren, Leipzig 1875, pag. 70—76); quin etiam affirmandum videtur, apud Etruscos duo instrumenta antiquitus, fortasse iam aliquanto antequam Graeci ea cognovissent cfr. Herod. 2. 109, in usu fuisse, quorum altero lineas ducerent (gromam), altero umbram captarent (apud Graecos γνώμωνα). Sed gromam a constitutione templorum alienam esse arbitror, quia vix dispici posse mihi videtur utilitas ulla, quam hoc instrumentum praebere potuerit auguribus in construendis templis, quorum tam exiguus esset circuitus, quaeque haberent solum aut natura planum aut certe antea arte complanatum. Praeter palos et perticam vix ulla alia re opus fuisse videtur ad fines templorum constituendos nisi tetrante (aequamine rectangulo, vid. Cantor ll. pag. 112) quo recti anguli fierent, et

---

hoc loco, ubi de positione gromae sermo est, significare manifestum est *sita ut habeat eandem directionem quae in auspiciis sollemnis est. scil. Orientalem*". Fuerunt qui hoc vocabulum perperam interpretarentur quasi significaret *auspicato* (Nissen Templum pag. 166); Bursian in indice (Agrim. 2 pag. 435) perperam addit: i. e. *loco auspicato*. — 1) Agrim. 1 pag. 295. 11. — 2) Agrim. 1 pag. 225. 7, Rudorff 2 pag. 337. — 3) Müller-Deecke Etrusker 2 pag. 155 sq., Rudorff Agrim. 2 pag. 335 sq.

Digitized by Google

funibus, quae res sane numquam defuerunt auguribus [1]). — Sed ab usu gromae, quam a constitutione templorum alienam fuisse censeo, diligenter distinguenda est ratio quam dicimus Decumani et Cardinis. Hac ratione etiam utebantur gromatici; sed quamquam hi ad eam exsequendam adhibebant gromam, ipsa tamen non pendet ex usu illius machinae.

Ratio Decumani et Cardinis nititur tribus rebus: primum figura crucis (si licet mihi exemplum agrimensorum secuto usurpare hoc vocabulum eo sensu qui nobis usitatus est) sive stellae, confecta duabus lineis, Decumano et Cardine dictis, quae singulae parallelae erant cum binis finibus parallelis loci, et in loco constituto (decussi) rectis angulis se secabant, et locum decussabant; deinde nominibus quatuor plagarum ita confectarum, quae, quia locus per Cardinem in partes *anticas* (ultratas) duas et *posticas* (citratas) duas, per Decumanum in *dextras* duas et *sinistras* duas dividebatur, ipsae dicebantur antica (ultrata) dextrata, antica (ultrata) sinistrata, postica (citrata) sinistrata, postica (citrata) dextrata [2]); quae nomina, si forte

1) Comparandi causa adscribo partem verborum, quae ex scriptione quadam Aegyptia attulit Brugsch, Aegyptologie, 1891 pag. 425, quae attribuuntur regi fines templi constituenti: „So werden z. B. dem König in einem Texte neben der Abbildung der Grundsteinlegung die Worte in den Mund gelegt: „Ich habe die Holzstange genommen, ich halte den Schlägel (Hammer) an der Spitze, ich fasse die Schnur zusammen mit der Göttin ..., ich richte meinen Blick nach der Bewegung der Dekansternbilder (sidera quadam ad signa Zodiaci pertinentia), ich lasse eintreten mein Auge in das Sternbild des Grossen Bären (... eine Variante dafür: „ich beobachte das Culminiren des Grossen Bären"). Der Zeitmesser (als Gott Thot gedacht) steht neben seiner Wasseruhr. Ich stecke die 4 Ecken des Tempels ab" ... Wie man sieht, wurde die Axe des ganzen Baues astronomisch genau bestimmt, wobei die Stellung des Grossen Bären am Nordhimmel, und des Orion am südlichen, für die Linie der Hauptrichtung massgebend blieb". — 2) Piget notare levissimum errorem in quem incidit Rudorff v. cl. vel fortasse typographus aliquis, quo legitur Agrim. 2 pag. 341: „die Hälfte vor dem auf der Groma stehenden Feldmesser, *ante* oder *citra* mensorem, ist die *antica* oder *citrata* pars; die Hälfte *post* oder *ultra* mensorem, die *postica* oder *ultrata* pars". Haec falsa sunt; immo quod ante est, est ultra, non citra; quod post est, est citra, non ultra. Hoc probatur primum ipsis vocabulis, deinde locis auctorum. Agrim. Hygin. 1. pag. 166: „a media (linea) ultra antica, citra postica nominaverunt"; Agrim. Iun. Nips. 1 pag. 291: „si numerus cardinum crescet in Occidente(m), erit pars ultrata; decumanorum vero numerus si crescet in parte(m) Septentrionis, erit pars dextrata". Scil. qui septentrionem a dextra habet, habet occidentem ante se, atqui pars occidentalis dicitur ultrata; ultrata igitur est antica. Recte Nissen vocabula adhibuit Templum pag. 15.

Digitized by Google

locus etiam in plures regiones dividendus fuerat, et alii decumani et cardines certis intervallis ducendi fuerant paralleli cum illis lineis primariis Decumano et Cardine maximis, etiam adhiberi poterant, additis numeris, ad nuncupandas et denotandas illas regiones minores; denique directione alterutrius lineae primariae, quam in certam caeli partem tendere oportebat, qua simul definiebatur directio omnium linearum et finium. Directio linearum in ratione Decumani et Cardinis non semper neque apud omnes qui eam adhibuerunt, ne in singulis locorum limitatorum generibus quidem, eadem fuit, itaque haec diversitas rationis qua directio constituebatur efficit discrimen gravissimum inter modos limitandi. Sed multo etiam maior discrepantia inter loca limitata cernitur in hac re, quod nonnumquam omnis certa directio abest, quandoquidem prout casus ferebat ducebatur alterutra linea primaria, nulla ratione habita partis caeli in quam forte dirigeretur (vid. § 4). Nihilominus constat, etiam cum hoc fieret, lineas primarias retinere potuisse nomina sollemnia Decumani et Cardinis, regiones per Cardinem confectas nomina anticae et posticae, et hunc quoque esse modum limitandi. Distinguemus igitur duas rationes; alteram dicemus *rationem Decumani et Cardinis cum certa directione*, alteram *rationem D. et C. sine certa directione.*

Loca quae constituta erant adhibita hac ratione Decumani et Cardinis, *limitata* dicuntur. Sed cum deinceps quaeramus, fuerintne templa terrestria inter loca limitata, non supervacaneum est monere, hoc vocabulum a nobis novo neque prorsus iusto sensu usurpari. Limitare enim est proprie limites ducere; limites sunt viae, quales erant in castris, in vineis, in agris assignatis, in nonnullis oppidis quoque; quae viae, cum ductae essent secundum rationem Decumani et Cardinis, ipsae quoque accipiebant haec nomina, et dicebantur Decumani, quorum unus erat Maximus reliqui Minores, et itidem Cardines, Maximus et Minores. Huiusmodi limites autem a templis prorsus alieni erant; aedificia quae in eis ponenda erant, arae in medio positae, omnino cum usus tum habitus templorum non patiuntur de veris limitibus in eis ductis cogitare. Sed cum ab errore caverimus, licet nobis vocabulum limitare etiam hoc sensu adhibere quo nihil significet quam „fines loci constituere secundum

Digitized by Google

rationem Decumani et Cardinis". Ita igitur quaeremus, num templa Romana numeranda sint inter loca limitata; neque id affirmare dubitabimus. Sed tamen iure miretur quispiam, cum videat quanta sit paucitas argumentorum quae in promptu sint ad confirmandam rem multis viris doctis tam certam visam ut vix argumentis opus esset. Testimonia auctorum diserta *nulla adsunt*. Numquam, cum de templis terrestribus sermo fiat, ab auctoribus nostris memorantur illa vocabula sollemnia „Decumanus et Cardo", ne vocabula „antica" et „postica" quidem ita ut appareat ea ad limitationem pertinere [1]). Ab altera parte, ab auctoribus, cum de locis limitatis agant, nulla fit mentio templorum, nulla auguralis disciplinae. In Corpore eo, quod continet fragmenta scriptorum Agrimensorum, e quo inprimis cognoscitur ratio Decumani et Cardinis, vocabula *inaugurare* et *augur* non leguntur [2]). Quodsi nihilominus affirmamus, augures ad templa constituenda adhibuisse rationem illam, his argumentis nitimur:

1° Quod, ut supra vidimus (pag. 369), omnia templa terrestria habere debebant formam quadranguli recti. Verisimile est, sententiam huius praescripti hanc fuisse: rationem Decumani et Cardinis adhiberi debere ad templa. Nam adhibita ea ratione, necesse erat locum redigi in formam illam optatam. Iamvero quamvis non praecise negari possit, loca etiam in illam formam redigi potuisse si figura crucis non esset adhibita, tamen vix credibile est, cum tot loca fuerint apud Romanos quae quadrangulam formam habere deberent, templa, castra, agros adsignatos, vineas, in reliquis omnibus huic legi subesse

1) Si sermo est de parte postica Aedis (Varr. l.l. 5. 42), non constat hoc vocabulum ad limitationem pertinere, nam idem cadit in Basilicam et alia. — Quod multos fefellit, in templis *aëriis* saepe mentio fit de partibus et signis anticis et posticis, quae nomina ibi desumta sunt de templo caelesti. Templum aërium habebat partem suam laevam ad Septentrionem et dextram ad Meridiem (Liv. 1. 18. 7), inde factum est ut in templo aërio pars dextra simul diceretur antica, laeva simul postica, Serv. Aen. 6. 191: „moris erat ut captantes auguria certa sibi spatia designarent ... quod spatium templum appellatur, et extremae partes antica et postica vocabantur", Fest. pag. 220: „et dexteram anticam, sinistram posticam dicimus", Serv. Ecl. 9. 14. Vid. Mnemos. 1889 17. pag. 286 sq. — Haec omnia nihil pertinere ad templum terrestre, nihil ad Decumanum et Cardinem, apertum est. — 2) Voc. *templum* legitur pag. 167, de quo loco vid. pag. prox. *Fines templares* qui memorantur pag. 303, ad loca inaugurata non pertinent, vid. Rudorff 2 pag. 268.

Digitized by Google

figuram crucis, in templis solis eidem legi subesse aliam aliquam rationem ceteroquin nobis ignotam. Itaque statuendum est, hanc ob causam loca inaugurata *terminari* debuisse *certis regionibus*, sine flexuris et curvaturis, quod fines terminantes paralleli esse deberent cum Decumano et Cardine. Manifestum est hoc argumentum non cadere in *locum muri*, qui cum ipse non esset quadrangulus, etiam exigendus fuisse non potest ad rationem Decumani et Cardinis [1]).

2° Hoc idem, formae quadrangulae rectae templorum subesse rationem Decumani et Cardinis, confirmatur etiam eo, quod apparet stellam, quae est ipsa imago huius rationis, neque alienam esse ab augurali doctrina neque ab templis. Quod primum ad augures attinet, apud scriptores quidem numquam stellae mentio fit tamquam signi artis auguralis, hi lituum solum tamquam insigne eis attribuunt (Mnemos. 1890. 18 pag. 259 adn. 2 et 3). Sed hodie extat lituus ferreus, stella ornatus, quem antea descripsi (l.l. pag. 258 adn. 1) [2]); in eo instrumento lituus est imago templi aërii et artis auspiciorum, itaque dubitari non potest quin stella superimposita, quae est imago limitationis, etiam referat partem aliquam artis auguralis, quam tamen minus gravem et minus insignem quam alteram fuisse ostendunt auctores cum eius rei numquam mentionem faciunt. — Non dubitavi affirmare stellam illam in lituo positam esse *imaginem*. Esse quidem possit qui hoc neget, et dicat eum lituum stellatum fuisse ipsum instrumentum quo fines ab auguribus constituerentur, et inde progressus arguat *regiones ducere* in templo terrestri fuisse idem quod in templo aërio, quia utrumque eodem instrumento fieret, et ita conetur evertere quae antea attuli ad distinctionem faciendam. Revera fuerunt qui a tali argumento non abhorrerent; lituus stellatus nonnumquam excitatus est quo demonstraretur, templa terrestria esse lituo constituta. Sed qui etiam dubitaverit, an stella exigua, quae quod manu teneretur mobilis esset et omni stabilitate careret, potuerit adhiberi in loco verae gromae, ut conspiciendo

1) Etiam si urbs forte erat quadrangula (ut Roma quadrata), locus muri tamen habebat suam formam longe diversam, neque, quamquam ad eum constituendum tum adhiberi poterant Decumanus et Cardo, dici poterat ex ratione Decumani et Cardinis esse conformatus. — 2) Vid. inprimis descriptio ap. Cantor. l.l. pag. 197 adn. 141.

Digitized by Google

et perspiciendo per eam metae dictarentur, mox intelleget hoc prorsus ineptum ac ridiculum esse, postquam rei veritatem paulisper cogitando persequi conatus, reputaverit quid revera auguribus utile esse potuerit cum in parvo loco pali ponendi essent ita ut anguli recti fierent; facile perspiciet augures, si forte attulissent hoc instrumentum, tamen cum res ageretur nihil citius habuisse quod facerent quam ut, abiecto instrumento inepto et prorsus inutili, ad alias res, amussim rectangulam (tetrantem) et funes, se converterent, vel etiam si nihil aliud praesto esset, potius confiderent oculis quibus directionem aestimarent. Utique constat lituum stellatum nihil aliud esse quam imaginem duplicem; imago stellae undenam petita sit, statim apparebit. — Deinde quod ad templa attinet, auctores artis mensoriae periti nos certiores faciunt, stellae signum positum fuisse in liminibus templorum:

Agrim. Hygin. 1 pag. 167: „primum haec ratio mensurae constituta ab Etruscorum disciplina ...; ex quo haec constitutio liminibus templorum adscribitur".

Agrim. Dolabell. 1. pag. 303 sq.: „Quare per aedes publicas in ingressus antiqui fecerunt Crucem, Antica et Postica? Quia aruspices secundum aruspicium in duabus partibus orbem terrarum diviserunt; una parte ab Oriente in Occidentem, alia a Meridiano in Septentrionem. Ideoque si qui imperatorum aut consulum ... pro voto suo dis templum aedificaverunt ..., secundum aruspicium signum fecerunt in aedes deorum suorum, ut scriberent *antica* et *postica*".

Quid vocabulo templorum significare voluerit Hyginus, non patet; consuetudo sermonis vulgati, et verba Dolabellae, nos adducunt ut credamus Hyginum quoque de aedibus sacris solis cogitavisse. Sed hoc falsum esse ostendit Festus qui diserte dicit hoc signum proprium fuisse locis inauguratis:

Fest. pag. 351: „Stellam *....* [1]) auctoritatem secutus P. Servilii auguris, stellam quae ex lamella aerea adsimilis stellae locis inauguratis infigatur".

1) Pro verbis quae post „stellam" leguntur: „*significare ait Ateius Capito laetum et prosperum*", quae ex proxima paragrapho („sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito laetum et prosperum") huc in alienum locum perperam irrepserunt, lacunam indicare malui.

Digitized by Google

Quod aiunt Hyginus et Dolabella, constitutionem Decumani et Cardinis fuisse fixam in liminibus et *ingressibus* templorum, dubium relinquit utrum in *summo* limine portarum an in infimo, in solo, id signum positum fuerit. Sed cum multa templa fuerint sine aedificio, alia, ut Rostra, portam non haberent, nihil superesse videtur quam ut statuamus, signum expressum fuisse in solo, in ipso ostio templi. Quae praeterea dicunt auctores, ostendunt hanc stellam templorum fuisse simillimam stellae illi lituo ferreo affixae quae hodie servatur, et apparet imaginem artis auguralis sumptam esse ex hoc ornamento templorum. Tantummodo licebit hanc stellam aliquanto maiorem cogitare. Fuit enim parva lamina, ex aere ducta, rotunda (ita enim refertur in figuris 127 et 229 ad verba Dolabellae et Hygini) aut quadrata, in qua erant duo sulci aut orbitae, in aes impressae, quae, figuram decussis referentes, se in umbilico secabant, quae, si lamina quadrata erat, in angulos adversos discurrebant. Adscripta erant in aere vocabula *antica* et *postica*, et ita quidem stella figebatur, ut illud staret a parte qua adveniebant ei qui templum foris intrabant, hoc a parte adversa, itaque sulcus transversus referebat Cardinem stellae, sulcus prorsus Decumanum [1]). Verisimile est, etiam aliquid adscriptum fuisse in lamina, quod demonstraret quo pertineret ipsa, veluti in reliquis templis nomen eius templi, in Aedibus sacris et Sacellis nomen dei cui, cum locus inauguraretur, futurum erat ut consecraretur; id ut credam adducor eo quod Cicero memoriae tradidit, extra portam Collinam fuisse aram quam in loco publico esse et olim consecratam esse non antea comperissent Romani quam inventa esset ad illam aram *lamina*, in qua scriptum erat *Honoris*, tum intellexisse Romanos, locum eum antiquitus publicum et Honori sacrum esse, eosque curavisse ut sepulcris quae ibi erant exaratis aedes Honori in eo loco dedicaretur [2]). Apparet, hanc stellam, in solo templorum fixam, idem

1) Cfr. Fest. pag. 220: „posticum ostium dicitur in posteriore parte aedium. Ceterum antiqui etiam vicinum habitantem ad posteriorem partem aedium sic appellarunt"; Non. pag 217: „Varro ...: perrexit in interiores partes domus posticae, ut ait Plautus, penitissimae"; Varr. l.l. 5. 42: „post aedem Saturni in aedificiorum legibus privatis parietes *postici muri* sunt scripti"; quod vocabulum non ad antiquum oppidum Saturnium, sed ad aedem ipsam Saturni est referendum. — 2) Cic. leg. 2.28.58.

Digitized by Google

valuisse quod groma suo loco posita valeret in castris et in nonnullis agris, de qua re supra mentionem feci (pag. 382 adn. 4—6); indicabat enim quae esset directio loci, e qua parte esset frons templi et pateret aditus; quod idem etiam verbis demonstratum erat in *effatis* (supr. pag. 379). Sed quamdiu in loco inaugurato staret aedificium ibi exstructum aut saepes circumposita, utilitatem huius stellae nullam fuisse manifestum est; usum aliquem tum demum praebere poterat, cum ita eversum esset templum ut nihil praeter solum remaneret, quod umquam futurum esse credibile non erat; apparet igitur, hanc stellam quoque nihil aliud fuisse quam signum aliquod, quod demonstraret, locum illum esse rite inauguratum.

Addendum ad pag. 373 lin. 8 ab ima pag.:

Ostendi, *regiones* quibus loca *determinata* essent, non proprie fuisse lineas, neque partes caeli, sed *directiones*. Hae directiones, si definiebantur per nomina partium caeli, erant „viae rectae, quibus puncta singula, ex singulis angulis loci emissa, se movere putarentur simul versus proximum angulum, simul versus aliquam caeli partem". Sed addendum videtur, necessarium non esse ut id, quod definiret hunc motum puncti alicuius quo linea efficitur, fuerit regio caeli. Etiam alias res fuisse manifestum est, quibus directiones definiri possent, veluti aedificia, et omnes alias res stabiles et conspicuas quae *nominatim* indicari possent, veluti extremos fines agrorum et aras et loca publica, si opportune sita essent; tum nomina harum rerum, si addebatur vocabulum *ad*, ipsa fiebant regiones. Quin etiam statuendum est, hanc rationem Romanis magis usitatam fuisse ubi de templis sermo esset, quam alteram rationem qua regiones significarentur nominibus partium caeli. Causa haec erat, quod caeli regiones, quarum *sedecim* tantum habebant Etrusci, apud Romanos *quatuor* tantum propriis nominibus distinguebantur. Facile autem accidebat, ut orae templorum quae definiendae erant, cum non tenderent in unam harum quatuor partium caeli, accurate definiri non possent caeli regionibus. Ut in § 4 ostendam, hoc cadebat in omnia fere templa Romana (paucis exceptis velut aede Capitolina), ut secundum regiones caeli constituta non essent; idem cadebat in pomerium, si oppidum non erat ex ratione Decumani et Cardinis limitatum et directum. In his igitur *regiones determinantes* sunt 1°: motus vel viae singulorum punctorum ex singulis angulis emissorum quae se movere putantur simul versus proximum angulum simul versus locum illum qui nominatim indicatus est; 2° lineae ab uno angulo ad proxumum ductae, quae non attingunt locum illum qui nominatus est, sed eum attingent si producuntur; 3° nomina ipsa locorum, certo ordine enuntiata, quibus semper additum est voc. *ad*. Hanc rationem adhibitam esse in effatis augurum, ostendunt exempla quae attuli pag 379 adn. 1—3. — Sed in ratione antiqua Decumani et Cardinis directiones solebant definiri partibus caeli, supr. pag. 385 (ex. gr. „decumanus in Orientem, cardo in Meridianum" Agrim. 1 pag. 208 et passim).

(Continuabitur).

Digitized by Google

AD ODYSSEAM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Prodiit nuper alterum Odysseae volumen, quo perfecto J. van Leeuwen et M. B. Mendes da Costa universam suam carminum Homericorum recensionem ad magnum bonarum litterarum emolumentum susceptam et elaboratam absolverunt. Grati mei animi testimonium dicant hae paucae in posteriorem Odysseae partem observationes.

ξ 30 αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ἔζετο κερδοσύνῃ, σκῆπτρον δέ οἱ ἔκπεσε χειρός. —
33 ἀλλὰ συβώτης ὦκα ποσὶ κραιπνοῖσι μετασπὼν
ἴσσυτ' ἀνὰ πρόθυρον, σκῦτος δέ οἱ ἔκπεσε χειρός.
τοὺς μὲν ὁμοκλήσας σεῦεν κύνας ἄλλυδις ἄλλον
πυκνῇσιν λιθάδεσσιν, ὃ δὲ προσέτρεπε γάναχτα.

Adnotatum: „si clavam callido consilio *deiecisse* dicitur Ulixes, ne canibus minari videretur, non ἔκπεσε dicendum erat, sed ἔκβαλε quod est in GX, sed propter pronomen οἱ quod praecedit recipi nequit." Vere quidem editores, si locum ad usum Homericum verbi ἐκπίπτειν exegeris (cf. Δ 493. Θ 329. Ο 421. 465. Χ 448. al.), quia tamen manifeste nullam aliam hic locus admittit interpretationem (quod bene intellexit glossator, cuius est lectio ἔκβαλε), eaque non tantum valet de vs. 31, sed etiam de vs. 34, ubi subulcus, qui dextra libera uti debebat ad abigendos canes πυκνῇσι λιθάδεσσιν, corium consulto abicit, nec de utriusque versus corruptela ullo modo cogitari potest, statuere cogimur poetam, qui hanc Odysseae partem aut particulam panxit aut concinnavit, recentiore fere more verbo ἐκπίπτειν

Digitized by Google

tribuisse vim passivam, ut *οἱ ἔκπεσε* pro *ἐξεβλήθη ὑπ' αὐτοῦ* dixerit.

Quod si recte statuo, nescio an tertius fuerit olim locus, ubi idem usus obtinebat, in eodem libro vs. 276 sq., qui hodie depravati sic scribuntur:

αὐτίκ' ἀπὸ κρατὸς κυνέην εὐτυκτον ἔθηκα
καὶ σάκος ὤμοιιν, δόρυ δ' ἔκβαλον ἔκτοσε χειρός.

Hic enim in vocabulo non Graeco ΕΚΤΟCΕ vix aliud latet quam ΕΚΠΕCΕ, cuius glossema *ἔκβαλον* in textum irrepsit; locum sic restituerim:

καὶ σάκος ὤμοιιν, δόρυ δ' ⟨ὀξύ μοι⟩ ἔκπεσε χειρός.

o 176 *ὥς Ὀδυσεὺς κακὰ πολλὰ παθὼν καὶ πόλλ' ἐπαληθεὶς*
τοίκαδε νοστήσει καὶ τείσεται· ἠὲ καὶ ἤδη
τοίκοι, ἀτὰρ μνηστῆρσι κακὸν πάντεσσι Φυτεύει.

Verisimilior me iudice Bothii coniectura *ἥκει, μνηστήρεσσι* (fortasse sufficit *τοίκοι μνηστήρεσσι*) quam Nauckiana *τοίκοι ἐὼν μνηστῆρσι*, quod corruptela formae epicae dativi in volgarem necessario peperit supplementum *ἀτάρ*, cuius originem haec non explicat.

o 312 quam male volgo scribatur *πύρνον* olim in *Quaestiunculis Epicis et Elegiacis* eo demonstravi quod vocalis natura longa est et syncopen desiderare scripturam *πυρνόν* (non *πῦρνον*) ostendi exemplo vocabuli *νεογνός* = *νεόγονος*, ignorans iam Etymologum magnum id suasisse, cui vellem editores obtemperassent.

o 435 *εἴη κεν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε, ναῦται,*
ὅρκῳ πιστωθήμεν' ἀπήμονα τοίκαδ' ἀπάξειν.

Quia ancilla non nautas alloquitur, sed unum illum cui *ἐμίσγετο λάθρᾳ*, sequitur *ναῦται* hic non esse vocativum sed nominativum = *ὑμεῖς οἱ ναῦται*, itaque utramque virgulam delendam esse.

π 194. Telemachus ad Ulixem, quem Minerva e sene et squalido mendico in iuvenem formosum ac bene vestitum mutarat:

οὐ σύ γ' Ὀδυσσεύς ἐσσι πατὴρ ἐμός, ἀλλά με δαίμων
θέλγεις, ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στενάχίζω.
οὐ γάρ πως κε θνητὸς ἀνὴρ τάδε μηχανάοιτο
[τῷ αὐτοῦ γε νόῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν

Digitized by Google

ῥηιδίως ἐθέλων θείη νέον ἠὲ γέροντα].
ἦ γάρ τοι νέον ἧσθα γέρων καὶ ἀρειπέ' ἔρεσσο,
νῦν δὲ θεοῖσι τέτοικας, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι.

Duos quos uncinis saepsi versiculos nemo monitus non sentiet quanto aptiores sint altero loco ψ 185 sq., ubi pro τῷ — νόῳ est καὶ μάλ' ἐπισταμένῳ. Quibus deletis praeterea aberit offensio, qua non carere mihi videtur vox νέον in duobus versibus contiguis sensu adhibita prorsus diverso.

π 254 τῶν εἴ κεν πάντων ἀντήσομεν ἔνδον ἐόντων,
μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτείσεαι ἐλθών.

Editores „hoc uno loco legitur compositum vix sanum; τάχα πικρά?" Olim et ipse dubitavi, reperio enim in margine exemplaris quo uti soleo annotatum „num forte μάλα πικρά, an τάχα πικρά?"

π 387 βόλεσθε. Cur hanc formam quantumvis raram, loco tamen Iliadis Λ 319 tutam, Homero nostrates abiudicent mihi obscurum est. Militat enim pro eius antiquitate verbum Latinum *vŏlo* et Arcades, si recte memini, βόλεσθαι pro βούλεσθαι dixisse constat.

ρ 237 ἢ πρὸς γῆν ἐλάσειε κάρη ἀμφουδὶς ἀείρας.

Noviciam formam γῆν non magis fero apud Homerum quam illi. Fortasse poeta dedit ἠὲ χαμᾶζ' ἐλάσειε, ut volgata lectio sit glossatoris. Gravius vitium in sequentibus, de quo ipsos conferas, non tango.

ρ 286 γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν.

Neque apta nec lenis est editorum coniectura ἀποπλῆξαι. Vix aliud latet quam ἀποΤρΘψαι.

ρ 503 ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐνέπλησάν τ' ἔδοσάν τε,
οὗτος δὲ θρήνυι πρυμνὸν βάλε δεξιὸν ὦμον.

Praeter ὕστερον πρότερον admodum displicet omissum, quod necessarium est, obiectum πήρην, nec memoratum neque indicatum in praegressis. Collato vs. 411 expectes

ἔνθ' ἄλλοι πάντες δίδοσαν, πλῆσαν δ' ἄρα πήρην.

Digitized by Google

υ 52 ἀνίη καὶ τὸ Φυλάσσειν
πάννυχον ἐγρήσσοντα.

Tuetur voculam καὶ ο 394 ἀνίη καὶ πολὺς ὕπνος, si quis autem in Homericis non fert verum articulum, interpretari poterit aut τοῦτο τὸ Φυλάσσειν, istae excubiae, aut ἀνίη καὶ τόδε, Φυλάσσειν πάννυχον ἐγρήσσοντα. Quo vero pacto locus χ 364, quem afferunt editores, tueatur Naberi coniecturam νύκτα pro καὶ τὸ haud assequor. Typothetae error subesse videtur.

υ 166 ξεῖν', ἦ ἄρ τί σε μᾶλλον Ἀχαιοὶ εἰσοράουσι.
ἦέ σ' ἀτιμάζουσι κατὰ μέγαρ', ὡς τὸ πάρος περ;

Vitium metricum fortasse curari potest scribendo:

ξεῖν', ἦ ἄρ ⟨νύ⟩ τι μᾶλλον Ἀχαιοί σ' εἰσοράουσι.

φ 136 ὣς εἰπὼν τόξον μὲν ἀπὸ τέο θῆκε χαμᾶζε
κλίνας κολλητῇσιν ἐὺ ξεστῇσι σανίσσι,
αὐτόθι δ' ὠκὺ βέλος καλῇ προσέκλινε κορώνῃ.

Nostrates „manubrio ianuae acclines statuit arcum et sagittam. De *arcus* κορώνῃ cogitandum non videtur; utramque explicationem novit Eustathius." Scire tamen pervelim, quo pacto sagitta, nisi ingentis fuerit magnitudinis, acclinari potuerit ianuae manubrio, quod tres quatuorve fere pedibus a solo remotum fuisse cogitandum est.

φ 193 βουκόλε καὶ σὺ συφορβέ, τέπος τί κε μυθησαίμην·
ἦ αὐτὸς κεύθω; Φάσθαι δέ με θυμὸς ἀνώγει.

Pronomen αὐτὸς omni sensu caret, et vix dubito quin recte Bothe et Platt praetulerint alteram lectionem αὖτως, quod adverbium cum ab Homero usurpetur de rei statu non immutato, verba ἦ αὖτως κεύθω; significare poterunt „*an, ut hucusque feci, celem?*"

φ 259 — τίς δέ κε τόξα τιταίνοιτ'; ἀλλὰ τέκηλοι
κάτθετ', ἀτὰρ πελέκυς γε καὶ εἴ κ' ἐάωμεν ἅπαντας
ἑστάμεν', κτέ.

Apta sed paullo violentior editorum coniectura

ἀτὰρ πελέκυς γε ἐάσομεν (codd. εἰῶμεν) ἐνθάδ' ἅπαντας.

Lenius correxerim:

Digitized by Google

ἀτὰρ πελέκυς γε κεν αὖθ' ἑάωμεν ἅπαντας
ἑστάμεν', οὐ μὲν γάρ τιν' ἀναιρήσεσθαι ὀΐω.

„sinemus stare quo stant loco (αὖθι) secures." Noto usu interdum Homerus coniunctivum cum particula κεν ponit pro futuro, ut in illo ἐγὼ δέ κ' ἄγω Βρισηίδα καλλιπάρῃον.

Φ 290 αὐτὰρ ἀκούεις
μύθων ἡμετέρων καὶ ῥήσιος;

Editoribus ῥήσιος incommodum videtur post μύθων. Non tamen incommodius est quam ἔπεσσι δ 597

αἰνῶς γὰρ μύθοισι τέπεσσί τε σοῖσιν ἀκούων
τέρπομαι κτἑ.

Sed utrobique fortasse distinguendum inter longiores sermones et breviora colloquentium dicta.

Φ 305 ὥς καὶ σοὶ μέγα πῆμα πιΦαύσκομαι, αἴ κε τὸ τόξον
ἐντανύσῃς· οὐ γάρ τε' ἐπητύος ἀντιβολήσεις
ἡμετέρῳ ἐνὶ δήμῳ, ἄΦαρ δέ σε νηὶ μελαίνῃ
εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων
πέμψομεν· κτἑ.

Ambigunt nostrates utra sit vocabuli nusquam alibi lecti potestas, *comitas* an *laus*. Me si audis, neutra: clamat enim universi loci sententia requiri notionem *misericordiam*, sed quin ἐπητύς vox nihili sit et corruptela nata nullus dubito. Leni manu emendo:

οὐ γάρ τ' ἐλεητύος ἀντιβολήσεις κτλ.

quod est vocabulum Odysseae proprium: ξ 82 οὐκ ὄπιδα Φρονέοντες ἐνὶ Φρεσὶν οὐδ' ἐλεητύν et ρ 451 οὔ τις ἐπίσχεσις οὐδ' ἐλεητύς ἀλλοτρίων χαρίσασθαι. Similiter ἐλεήμων habet sola Odyssea ε 191, sed ἐλεεινός est utrique carmini commune. Ad sic iunctas particulas γάρ τε cf. v. c. notissimum illud καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. Ceterum loco nostro vocula τε (codd. τευ) non necessario addenda propter caesuram, ita ut scribi quoque possit:

ἐντανύσῃς· οὐ γὰρ ἐλεητύος ἀντιβολήσεις.

Φ 421 πελέκεων δ' οὐκ ἤμβροτε πάντων
πρώτης στειλειῆς, διὰ δ' ἀμπερὲς ἦλθε θύραζε
ἰὸς χαλκοβαρής.

Digitized by Google

Loci difficillimi interpretationem vide apud nostrates, qui „manubrii lignei" inquiunt „quod fistulae ferri insertum est, summa pars inter cornua bipennis aliquantulum prominens voce πρώτη στειλειή videtur significari; sagitta stringit manubria nec tamen impingit." Nihil novi melius; subit tamen mirari Homerum non more suo aut ἄκρης aut πρύμνης στειλειῆς dedisse. — Mox vs. 427 optimo iure damnavit criticus apud Nauckium. Similiter suspectum habeo vs. 430, sed genuini esse possunt versus utrique interpositi.

χ 13 τίς κ' ὀΐοιτο μετ' ἀνδράσι δαιτυμόνεσσι
μοῦνον ἐνὶ πλείοσσι, καὶ εἰ μάλα καρτερὸς εἴη,
τοὶ τεύξειν θάνατόν τε κακὸν καὶ κῆρα μέλαιναν;

Pronomen encliticum, cui nulla hic emphasis, recte hexametrum ordiri dubitans conieci τεύξειν τοι θάνατον κτλ. Longe alia est ratio locorum, qualis est Ε 62 sqq.

χ 173 σΦῶι δ' ἀποστρέψαντε πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε
ἐς θάλαμον βαλέμεν, σανίδας δ' ἐκδῆσαι ὄπισθε,
σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτόο πειρήναντε
κίον' ἀν' ὑψηλὴν τερύσαι πελάσαι τε δοκοῖσι,
ὥς κεν δηθὰ ζωὸς ἐὼν χαλέπ' ἄλγεα πάσχῃ.

Nollem editores recepissent infelicem Bothii coniecturam σανίδος ex Φ 51, ubi Penelope arcum mariti petens:

— ἐΦ' ὑψηλῆς σανίδος ἔβη, ἔνθα τε χηλοὶ
ἕστασαν, ἐν δ' ἄρα τῇσι θυώδεα εἵματ' ἔκειτο.
ἔνθεν ὀρεξαμένη ἀπὸ πασσάλου ἥνυτο τόξον.

ubi recte σανίδα interpretantur *tabulatum*. Quid enim recepta ista coniectura iam fiet? Melanthius a tergo vincietur ex illo tabulato, tum vero, ita vinctus, laqueo nexo ex ipso in altam columnam ad tecti usque trabes trahetur sublimis. Qui vero quaeso id fieri poterat, non solutis vinculis, quibus tabulato illi fuit alligatus?

Sive vera est quam olim proposui coniectura ἐὺ δῆσαι pro ἐκδῆσαι, sive aliud latet (nam δῆσαι mire sane dictum pro κληῖσαι), nullus dubito quin σανίδες sint valvae cubiculi, in quod retortis pedibus manibusque Melanthium conicere iubentur subulcus et Telemachus, hique admonentur (quod minime super-

Digitized by Google

vacaneum erat, quia paullo ante Telemachi incuria acciderat ut e thalamo non bene clauso arma peterent proci, cf. 154 sqq.), ut peracta re exeuntes cubiculum a tergo bene claudant. Praeterea si iussisset Ulixes Melanthium *σανίδος ἐκδῆσαι*, vix et ne vix quidem ea re omitti potuisset infra 187 sqq., ubi Telemachus et socius imperata exequuntur.

χ 231 *πῶς δὴ νῦν, ὅτε σόν γε δόμον καὶ κτήματ' ἱκάνεις,*
ἔντα μνηστήρων δολοφύρεαι ἄλκιμος εἶναι;

Nihil profici Doederlini interpunctione post *δολοφύρεαι*, ut *εἶναι* sit infinitivus pro imperativo, bene ostenderunt editores, sed quin gravi corruptela ipsum verbum laboret dubitari nequit propterea quod in praegressis non lamentatur Ulixes. Leni quidem mutatione verbum emendare nequeo, sed non facile quis negabit aptissime dici potuisse

ἔντα μνηστήρων ἐκλήθεαι ἄλκιμος εἶναι;

quod verbum similiter cum infinitivo poeta iunxit K 557. Ad sententiam cf. Π 602 *ἀλκῆς ἐξελάθοντο*. Z 285. γ 224. Ita passim *μιμνήσκεσθαι* iungitur cum genetivis *ἀλκῆς, χάρμης, Φόβοιο*, similibus, semel vero cum Infinitivo P 364 *μέμνητο γὰρ αἰεὶ | ἀλλήλοις καθ' ὅμιλον ἀλεξέμεναι Φόνον αἰπύν*.

χ 322 *πολλάκι που μέλλεις ἀρήμεναι ἐν μεγάροισι*
τηλόθ' ἐμοὶ νόστοιο τέλος γλυκεροῖο γενέσθαι.

Ἀρήμεναι, quod nostrates (praeeunte Buttmanno Gr. II 118) habent pro aoristo II, admodum mihi suspectum est, licet coniecturae *ἀρήσασθ'* obstare videatur molossus ante caesuram bucolicam. In versu sequenti perplacet mihi elegans illorum suspitio *γλυκεροῦ ἀπολέσθαι* (cl. ρ 253. ψ 68), quamquam clausula sana esse potest, modo pro *τηλόθ'* legatur *μήποτ'*, quod tamen minus pulchre dictum videtur. — In praegressis ad vs. 306 P. Knightii et Naberi opinionem fuse olim impugnavi in „Verslagen en Mededeelingen der Kon. Ned. Acad. v. Wet., Afd. Letterkunde, 2de reeks deel VII." Gaudeo quod mecum faciunt editores.

χ 367
ὦ φίλ', ἐγὼ μὲν δὴ εἰμί· σὺ δ' ἴσχεο, πεῖπὲ δὲ πατρὶ

Digitized by Google

μή με περισθενέων δηλήσεται ὀξέι χαλκῷ,
ἀνδρῶν μνηστήρων κεχολωμένος, κτἐ.

Gravissima hic locus corruptela laborat. Medon enim, qui, ut ipse ait poeta, audierat dicta a Telemacho ad patrem, itaque audierat dicentem vs. 356:

ἴσχεο μηδέ τι τοῦτον ἀναίτιον οὔτασε χαλκῷ,
καὶ κήρυκα Μέδοντα σαώσομεν, κτλ.

qui quaeso Telemacho dicere potuit ἴσχεο, *cohibe te?* Praeterea vero in sequenti versu vehementer mihi suspectum est περισθενέων, de cuius sanitate dubitant quoque editores. Expectabam aliquid huiuscemodi:

ὦ Φίλ', ἐγὼ μὲν ὅδ' εἰμί· σὺ δ' ἴσχε τε τιέμενόν περ (cf. 409),
μή με πατὴρ θείνων δηλήσεται ὀξέι χαλκῷ κτἐ.

sed prior correctio non plane mihi satisfacit. Quaerant alii.

ψ 133 αὐτὰρ θεῖος ἀοιδὸς ἔχων Φόρμιγγα λιγεῖαν
ἡγείσθω ἧμιν Φιλοπαίσμονος ὀρχηθμοῖο, κτἐ.

Sine controversia vera est altera lectio ὔμιν, nam ipsum Ulixem non saltasse cum reliquis docent vss. 153—296 et 297 sqq.

ω 231. Pace virorum doctissimorum dixerim, Hyperboraeis dignam sententiam videri iudicantium pro πένθος ἀέξων aptius esse ψῦχος vel ὄμβρον quam quod ego olim θάλπος aut nuper Schulze πνῖγος ἀ<λ>έξων proposui. Quam enim gravis calvo fortasse capiti senis λιστρεύοντος ἐν ἀλώῃ solis meridionalis ardor esse debuerit, cadit in oculos. Ceterum sermoni Homerico minus congruam esse coniecturam neque olim me latebat nec hodie eam tueor, sed hoc video quod volgatur prorsus absurdum esse. Certa contra mihi videtur editorum emendatio vs. 337 ἔρεον (pro ἧτεον), quod imperiose postulant ipsa sequentia. Vellem recepissent in textum.

ω 394 ὦ γέρον, ἴζ' ἐπὶ δεῖπνον, ἀπεκλελάθεσθε δὲ [θάμβευς.

Versum triplici vitio laborantem sic tento:

ὦ γέρον, ἴζετε δεῖπνον ἔπ', ἐκλελάθεσθε δὲ [θάμβου.

Digitized by Google

Iubet enim Ulixes non solum Dolium sed etiam eius filios, quod docent sequentia, epulatum considere, tum male sanum compositum est ἀπεκλελάθεσθε pro ἐκλελάθεσθε et novicia forma est, quod animadverterunt editores, θάμβευς. Nihil vero sumere nos vetat, substantivum θάμβος, quod hoc uno loco excepto non nisi in nominativo extat apud Homerum, non fuisse neutrius, ut apud Pindarum tragicosque, generis, sed masculini et secundae declinationis, ut apud Semonidem fuit auctore scholiasta ad Δ 79.

ω 529 εἰ μὴ Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,
ἤυσεν Φωνῇ, κατὰ δ' ἔσχεθε λαὸν ἅπαντα.

Dudum suspectum habui languidum additamentum Φωνῇ, quod pro depravato habent editores. Male olim suppletum esse suspicor, fuisse vero:

ἤυσε ⟨δεινόν⟩, κατὰ δ' ἔσχεθε λαὸν ἅπαντα.

Cf. Δ 10. Ξ 401. Π 566.

Scribebam Traiecti ad Rhenum.
m. Junio a. 1892.

DIODORUS SICULUS.

Diodor. Sicul. I. 83. οἱ δὲ τοῖς μὲν ἱέραξι κρέα κατατέμνοντες καὶ προσκαλούμενοι μεγάλῃ τῇ Φωνῇ πετομένοις ἀναρρίπτουσι, μέχρι ἂν δέξωνται, τοῖς δὲ αἰλούροις καὶ τοῖς ἰχνεύμοσι καταθρύπτοντες τοὺς ἄρτους εἰς γάλα καὶ ποππύζοντες παρατιθέασιν ἢ τῶν ἰχθύων τῶν ἐκ τοῦ Νείλου κατατέμνοντες ὠμῶς σιτίζουσιν.

Legendum κατατέμνοντες ὠμοὺς σιτίζουσιν.

W. F. A. VAN DAM.

Digitized by Google

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM CRITICARUM AD SCRIPTORES GRAECOS.

SCRIPSIT

G. M. SAKORRAPHUS.

(*Continuantur ex Vol. XX pag.* 310).

ISAEUS. ACCEDUNT LOCI SOPHOCL. PHIL. 631. DEMOSTH. XIX, 257. AESCHIN. II, 147. III, 122, 208.

Antequam aegrotos Isaei locos ordine persequar, liceat mihi duo sanos locos apponere, ut dictiones quasdam illustrem.

IX, 16 *ὥστε πολὺ ἂν θᾶττον διαθέμενον μηδένα ποτὲ τῶν ἑαυτοῦ οἰκείων διαλεχθῆναι Κλέωνι μᾶλλον ἢ τὸν τούτου υἱὸν ποιησάμενον.*

De *ὥστε* per attractionem cum participio coniuncto vid. Kuehner. art. gramm. II, 586, 3. Schneider. ad Isocr. IV, 64. — Adverbium *μᾶλλον* non ad vim augendam comparativi *θᾶττον* (de quo usu vid. Thom. Mag. s. v. *μᾶλλον*. Porson. ad Eurip. Hec. 618. Monk. ad Hippol. 487. Blaydes. ad Aristoph. Eccles. 1131), sed ad notionem redintegrandam evidentiae sermonis adiuvandae causa positum est. Quae abundantia multis exemplis defenditur. Cf. Isae. I, 43. II, 15. IX, 10. Lincke, de elocut. Isaei p. 23. Gehlert, de elocut. Isocrat. p. 25. — Notissima est significatio comparativi *θᾶττον* in eiusmodi dictionibus, qualis est Isaei et quas nunc dabimus. Isocr. XIX, 29 *ὅτι πολὺ ἂν θᾶττον ἐλοίμην ἀποθανεῖν ἢ 'κεῖνον περιδεῖν τελευτήσαντα.* Cf. § 46. XXI, 3. Lyc. c. Leocr. 30. Lucian. Pseudol. 11. Timon 28 *θᾶττον ἂν τὴν κεφαλὴν ἢ τὸ προσωπεῖον πρόοιντο.* Demosth. XIX, 254 *θᾶττον γὰρ ἂν τοῦ αἵματος ἢ λόγου μεταδοῦναί τινι.* Saepe,

Digitized by Google

ut vides, cum ironia usurpatur, ut fere semper cognata huic locutio ταχύ γ' ἄν ..., de qua vid. Maetzner ad Lycurg. p. 302. Aesch. I, 181. Demosth. XXI, 209. XXV, 95. LVIII, 15. Aristoph. Nub. 647: ταχύ γ' ἂν (sic scrib.) δύναιο μανθάνειν περὶ ῥυθμῶν i. e. οὐδέποτε δυνήσει μανθάνειν π. ῥ. Recte igitur Schneidewinus in suspitionem vocavit negationem οὐ apud Soph. Phil. 631, ubi acerbissima cum ironia dicit Philoctetes:

οὐ θᾶσσον ἂν τῆς πλεῖστον ἐχθίστης ἐμοὶ
κλύοιμ' ἐχίδνης κτέ.

sed quod proposuit (ἤ pro οὐ) non placet; malim θᾶσσον γὰρ ἂν κτέ. Dubitanti dabit tibi Cobetus exempla et negationis additiciae et omissionis particulae γάρ ad Hyperid. p. 34 et 42 sqq. Meklerus in textum recepit Welckeri coniecturam οὔ, qua et sensus et usus turbatur.

In oratione de Pyrrhi hereditate § 69 legimus: πῶς ἂν ὑμεῖς ἐπετρέψατε ἐπιδικάζεσθαι τῷ τοῦ Πύρρου θετῷ (?) τοῦ Πύρρου κλήρου ἄνευ τῆς γνησίας θυγατρὸς, εἰ ἦν ἐκείνῳ, ἄλλως τε εἰ καὶ ἐμαρτυρήσατε ὡς ἐπέσκηψεν ὁ ἀδελφιδοῦς ἐπιμελεῖσθαι τούτου τοῦ παιδίου;

Formula ἄλλως τε καὶ saepissime cum participio coniungitur. *Nomin.* Isae. III, 70. Demosth. XLVII, 57. *Genit.* Isocr. V, 45. VI, 3. Lys. VII, 36. Thuc. II, 89, 7. *Accus.* Thuc. III, 43, 4. Isocr. VII, 73. *Genit. absol. cum accus. absol.* Isae. III, 46. Coniungitur etiam cum partic. εἰ, ἄν, ἐπειδή etc. Vid. Viger. de idiotismis p. 377 sqq. Buttmann. art. gr. § 137. E particulis τε καί facile intelligimus duas esse notiones, quarum una cum ἄλλως τε est coniungenda altera cum καί. Docent id diserte multi loci, quorum unum tantum apponam: Xenoph. Cyrop. I, 6, 11: ἄλλως τέ μοι καλῶς δοκεῖς ταῦτα λέγειν καὶ ὅτι ὧν μὲν νῦν λέγονται λήψεσθαι οἱ ϛρατιῶται — οὐδεὶς αὐτῶν — χάριν εἴσεται. Sed omittitur saepe primum membrum et tota formula ἄλλως τε καὶ ad unam tantum notionem refertur altera tacite supplenda. Quod breviter Herwerdenus expressit ad Eur. Ion. 618 „ἄλλως τε καὶ est *cum alia de causa tum hac*, unde fit ut saepe significet *cum praesertim*." Ponitur etiam absolute (= praesertim) Thuc. III, 11, 1. 55, 2. Demosth. XLVIII, 1, 56 etc. Initio periodi inveni ἄλλως τε καὶ apud Lys. VII, 6. XXVIII, 5.

Digitized by Google

Lucian. Nigrin. 6. — Isaei locus, quem supra apposuimus, eam habet difficultatem, quod καὶ post part. εἰ ponitur. Cf. Isae. III, 58: ἄλλως τε καὶ εἰ. Quapropter fuerunt qui transponere vellent; sed satis multa sunt exempla, in quibus haec ἀνωμαλία occurrit. Isocr. IV, 66 ἄλλως τ' ἐπειδὴ καὶ τὸν λόγον κατεστησάμην, ubi vide Schneideri annotat. V, 79. Demosth. XLI, 17: ἄλλως τ' εἰ καὶ μηδὲν ἴσον εἶχεν. Lucian. Nigrin. 6. Hermann ad Viger. p. 780 sqq. Schäfer Apparat. crit. V, p. 56. Kühner ad Xenoph. Mem. I, 2, 59.

Nunc ad propositum.

I, 12 ὕστερον δὲ τούτων, ὃ μέγιστον ἡμῖν τεκμήριον, ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἔπραξεν ἡμᾶς βλάπτειν βουλόμενος· τελευτήσαντος γὰρ Δεινίου καὶ τῶν πραγμάτων ἡμῖν πονηρῶς ἐχόντων οὐδὲ περιεῖδεν ἡμᾶς οὐδ' ἐνὸς ἐνδεεῖς ὄντας, ἀλλ' αὐτοὺς μὲν — ἐπαίδευε, τὴν δὲ οὐσίαν — ἔσωσεν ἡμῖν, ἐπεμελεῖτό τε κτἑ. Bekkerus, quem Dobraeus atque Cobetus secuti sunt, vidit illud οὐδὲ non esse ferendum et mutandum censuit in οὐ. Schoemannus miro quodam modo οὐδὲ retinuit et haec annotavit: „ne quis posterius οὐδὲ in οὔτε mutandum censeat, cui respondeat in seqq. ἐπεμελεῖτό τε, tenendum est inter duo illa membra relationem quamdam et comparationem intercedere, *ne hoc quidem eo animo fecit, ut nobis noceret, quandoquidem nec* (*etiam non*) *neglexit nos* etc." Quae persuasit Scheibio atque Roedero (Ueber C. G. Cobets emendat. der att. Redner, insbesondere des Isaios. Gnesen 1882 pag. 8). Vollertus autem, qui annotationes *criticas* ad Isaeum (Schleiz. 1885) edidit, prius οὐδὲ in οὐδὲν ταῦτα aut οὐ δῆτα ταῦτα mutari voluit. Cave pareas. Equidem quamquam non reicio lectionem οὐ, quam summi viri approbaverint, suspicor tamen post partic. ἐχόντων excidisse verba οὐκ ἠμέλησεν.

I, 41 διαθήκας δ' ἤδη πολλοὶ ψευδεῖς ἀπέφηναν, καὶ οἱ μὲν τὸ παράπαν οὐ γενομένας, ἐνίων δ' οὐκ ὀρθῶς βεβουλευμένων. Corruptum est istud ἐνίων δ' fortasse ex ἔνιοι δ' $\overline{\text{ανων}}$ i. e. ἔνιοι δ' ἀνθρώπων.

II, 1 ἡγούμην μὲν — εἴ τις καὶ ἄλλος ἐποιήθη — κατὰ τοὺς νόμους καὶ ἐγὼ ποιηθῆναι. Iterum § 18 καὶ ἐγὼ τὸν αὐτὸν τρόπον ὥσπερ γόνῳ ὄντα πατέρα ἐμαυτοῦ ἐθεράπευόν τε καὶ ᾐσχυνόμην, καὶ ἐγὼ καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἐμή. Oratoris manus servata est § 36 καὶ

Digitized by Google

ἐγὼ μὲν ὁ ποιητὸς ἐκεῖνόν τε ζῶντα ἐθεράπευον καὶ αὐτὸς καὶ ἡ ἐμὴ γυνή. Αὐτὸς igitur substitue pronomini ἐγώ. Sunt apud oratores multi loci, in quibus interpolatorum interpretamenta scribae pro oratorum verbis substituerunt. Et ubi indicia desunt, tacendum est; sunt tamen nonnumquam vestigia manifesta, ut apud Aeschinem III, 122 προελθὼν ὁ κήρυξ ἀνεῖπε, Δελφῶν ὅσοι ἐπὶ δίετες ἠβῶσι — ἥκειν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ πρὸς τὸ θυτεῖον ἐκεῖ καλούμενον· καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς κήρυξ ἀνηγόρευε (libri nonnulli ἀναγορεύει, Frankius et Schultzius *emendaverunt* ἀνηγόρευσε!) τοὺς ἱερομνήμονας καὶ πυλαγόρους ἥκειν εἰς τὸν αὐτὸν τόπον. Mitto de verbis ὁ αὐτὸς κήρυξ ἀνηγόρευε disputare. Sed cui repetitio verbi ἥκειν non molesta esse videtur? Servarunt tamen libri *ekl* oratoris manum una litterula mutata; in iis enim libris legitur: ἅπαντας ἥκειν, ex qua scriptura restituitur Aeschinis manus ἁπαντᾶν. Idem verbum in idem vocabulum mutavit codex Barberinus infra § 198. Aeschines igitur scripserat: τοὺς ἱερομνήμονας καὶ πυλαγόρους ἁπαντᾶν εἰς τὸν αὐτὸν τόπον. Cf. § 126: κωλύει γὰρ εἰς τὸν σύλλογον τὸν ἐν Πύλαις ἁπαντᾶν.

II, 5 δίδομεν (τὴν ἀδελφήν) αὐτῷ οὐκ ἄπροικον — ἀλλὰ τὴν ἴσην προῖκα ἐπιδόντες, ἥνπερ καὶ τῇ πρεσβυτέρᾳ ἀδελφῇ [ἐπέδομεν].

II, 9 καὶ ὁ Μενεκλῆς τήν τε προῖκα ἀποδίδωσιν (sic Scheibe, libri ἐπιδ.) — καὶ τὰ ἱμάτια ἃ ἦλθεν ἔχουσα παρ' ἐκεῖνον, καὶ τὰ χρυσίδια, ἃ ἦν, [δίδωσιν] αὐτῇ. Verba ἐπέδομεν et δίδωσιν ex interpolatione nata sunt; „sequiorum enim temporum magistri male seduli quod omissum est inconcinne explent" ut Cobeti verbis utar. Δίδωσιν etiam sententiae nocet sic positum; neque enim omnes aureas tricas quae domi erant (nam id valet ἃ ἦν) reddidit Menecles, sed eas tantum quas ipsa habuit, i. e. ἃ ἦν αὐτῇ, nec coniugi reddidit sed fratri.

II, 14 ἀλλ' ὑγιαίνων, εὖ φρονῶν, εὖ νοῶν ποιησάμενος εἰσάγει με εἰς τοὺς φράτορας. Cum εὖ νοεῖν *favere* non *sapere* significet, Cobetus Dobraeo praeeunte deleri iussit v. εὖ νοῶν. Utilissima ad hunc locum emendandum sunt ea, quae nobis C. S. Contus, praeceptor dilectissimus, suppeditavit. Egit summus vir in observationibus ad Aristotel. rempublicam de v. Φρονεῖν et εὖ Φρονεῖν et haec e variis inscriptionibus attulit (Ἀθηνᾶ, σύγγραμμα περιοδικὸν τῆς ἐν Ἀθήναις ἐπιστημονικῆς ἑταιρείας. Vol. IV pag. 79): τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον εὐδόκησε Φίλων νοέων Φρονέων ὑγιαίνων. —

Digitized by Google

Τάδε διέθετο νοοῦσα καὶ φρονοῦσα Ἐπικτήτα Γρίννου. — Δαυλιεῖς νοέοντες καὶ φρονέοντες ἀνέθηκαν τᾷ Ἀθάνᾳ. Quid si Isaeus ὑγιαίνων φρονῶν νοῶν dederit? φρονεῖν enim vel sine εὖ sapere significat. Ad nubem exemplorum, quam Contus contraxit, unum addam ex Aeschine III, 94 τὰς ἐξ Ὠρεοῦ συντάξεις καὶ τὰς ἐξ Ἐρετρίας — ὁρώντων φρονούντων βλεπόντων ἔλαθον ὑμῶν ὑφελόμενοι.

II, 19 ὅτι δὲ οὐ παρανοῶν οὐδὲ γυναικὶ πειθόμενος ὁ Μενεκλῆς ἐποιήσατο. Post partic. πειθόμενος interpone necessarium pronomen ἐμέ.

Ibd. πρῶτον μὲν γὰρ ἡ ἀδελφὴ — πολλῷ πρότερον ἦν ἐκδεδομένη πρὶν (codd. πρὶν ἢ) τὴν ποίησιν γενέσθαι, ὥστ' εἴ γ' ἐκείνῃ πεισθεὶς τὸν υἱὸν ἐποιεῖτο, τῶν ἐκείνης παίδων τὸν ἕτερον ἐποιήσατ' ἄν. „τὸν υἱὸν ἐποιεῖτο. Articulus ne quem offendat. Est hoc idem ac si dixisset τὸν υἱὸν ἐσόμενον, cum quem filium habiturus esset" (Schoemann.). Equidem mutandum artic. censeo in pronom. τιν' υἱόν. Facillime in libris manuscriptis τὸν et τιν' confunduntur. Editur apud Demosth. XIX, 257: ἄνθρωπος (Aeschinem puta) πολλὰ καὶ δεινὰ πρεσβεύσας καὶ χώρας ἐκδεδωκὼς, ἐν αἷς τοὺς θεοὺς ὑφ' ἡμῶν καὶ τῶν συμμάχων τιμᾶσθαι προσῆκεν, ἠτίμωσεν ὑπακούσαντά τιν' αὐτοῦ κατήγορον. Ad quae Blassius annotavit: cf. Liban. IV, 553, 15: καλοῦντος ἐφ' ἑαυτὸν τοῦ μοιχοῦ μήθ' ὑπακροῦσαι μήτε δίκην λαβεῖν. „Ad verbum ὑπακούειν illustrandum iuvat haec apponere. Cobet Collect. crit. p. 505: discrimen tamen est certum et perspicuum." (inter ἐπακούειν et ὑπακούειν). „Vocatum (vel citatum) respondere, venire, adesse si quis iusserit et similia his omnia ὑπακούειν dicuntur. Frequentissime ponitur de ianitore, qui quum quis ostium pulsasset ὑπακούει." Attulit Cobetus duo locos e Plutarchi Moral. 969 F et 419 B, in quibus v. ὑπακούειν cum dativo est coniunctum. Cf. Hyperid. III, 18: ἀλλ' ἦν σπάνιον ἰδεῖν ἀπ' εἰσαγγελίας τινὰ κρινόμενον ὑπακούσαντα εἰς τὸ δικαστήριον. Xenoph. Hist. Gr. V, 4, 24 οἱ δὲ ἔφοροι ἀνεκάλεσάν τε τὸν Σφοδρίαν καὶ ὑπῆγον θανάτου· ἐκεῖνος μέντοι φοβούμενος οὐχ ὑπήκουσεν· ὅμως δὲ καίπερ οὐχ ὑπακούων εἰς τὴν κρίσιν ἀπέφυγε. Similiter ponitur v. ἀπαντᾶν. Aesch. I, 170 ὥστ' οὐδ' ἀπαντήσεσθαί με εἰς τὸ δικαστήριον ἀπολογησόμενον. Stahl. ad Thuc. IV, 89, 1. Saepius v. ὑπακούειν usurpatur absolute Isocr. XVII, 43 κληθεὶς καὶ ὑπακούσας. Demosth. L, 51. Isae. IV, 29. Locum Demosthenis supra appositum corruptum

Digitized by Google

puto et libenter scripserim: *τὸν αὐτοῦ κατήγορον* h. e. Timarchum.

II, 30 *ἐκεῖνοι δ' εἶπον ἡμῖν, εἰ μὲν ἐπιτρέποιμεν αὐτοῖς ὥστε τὰ δίκαια διαγνῶναι, οὐκ ἂν* [*ἔφασαν*] *διαιτῆσαι — εἰ δὲ ἐάσομεν αὐτοὺς γνῶναι τὰ συμφέροντα, ἔφασαν διαιτήσειν.* Uncinis inclusum *ἔφασαν* nemo defendet. Intermissis autem nonnullis orator repetiit verbum *ἔφασαν*, quod neminem offendet. Cf. V, 32.

II, 43. Ut verbis parcam, hoc tantum monebo, me neque Nabero, qui verba *τὰ ποιοῦντά με ἀγωνίζεσθαι τὸν ἀγῶνα τοῦτον* deleri iussit, nec Buermanno, qui v. *ὑπὸ δὲ παραφρονοῦντος* in suspitionem vocavit, assentire, sed verba *ταῦτ' ἐστι τὰ λυποῦντά με* revera *λυπεῖ με*.

II, 47 *ἀλλὰ μεμνημένοι τοῦ νόμου καὶ τοῦ ὅρκου, ὃν ὀμωμόκατε — τὰ δίκαια καὶ τὰ εὔορκα κατὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθε.* Tritissima sunt haec verba in peroratione apud oratores, sed vix inveniri potest, quod h. l. legimus, singularis *τοῦ νόμου*. Codex Abrosianus servavit id, quod orator dederat, praebens: *τῶν τε νόμων*. Singularis *τοῦ ὅρκου* potest stare. Cf. Demosth. XVIII, 2 *ἀλλὰ τοὺς νόμους καὶ τὸν ὅρκον*. XXI, 177.

III, 25 *ναὶ μὰ Δία, ὡς ἔγωγε ᾤμην, εἴ γε ἦν ἀληθὲς τὸ πρᾶγμα*. Facile adduci possis *ὡς ἔγωγε οἶμαι* rescribere, dummodo quae § 39 leguntur et quae Cobetus ad Hyperid. pag. 15 et 37 annotavit inspicias. Innumerabilia sunt eiusmodi menda in Isaei libris, quorum bonam partem vel libri accuratius excussi vel editores sustulerunt. Equidem haec quoque mutanda censeo: V, 13 *δύναται* in *ἐδύνατο*. VI, 3 *φαίνοιτο* in *φανοῖτο*. VII, 4 *ἐξελέγχω* in *ἐξελέγξω*. VIII, 8 *κάμνων* in *καμών*. VIII, 37 *ἐτελεύτησεν* in *τελευτήσειεν*. IX, 10 *διατιθέμενον* in *διαθέμενον*. IX, 26 *ἔχειν* in *ἕξειν*.

III, 40 *φέρε γάρ, ὦ Νικόδημε, εἰ ἤσθα ἡγγυηκὼς τῷ Πύρρῳ τὴν ἀδελφὴν καὶ* [*εἰ*] *ἤδεις ἐξ αὐτῆς θυγατέρα γνησίαν καταλειπομένην κτέ.* Alterum *εἰ* delendum est. Simile emblema reseca III, 15 *ὅτι*. VIII, 9 *εἰ*, quod etiam libri nonnulli omittunt, et X, 23 *εἰ* ante *μηδέ*.

III, 47 *ἀλλὰ τοῖς μὲν διώκουσιν ἀκινδύνως εἰσαγγέλλειν ἔξεστι* [*τῷ βουλομένῳ*] *κτέ.* Verba *τῷ βουλομένῳ* addidit magistellus non immemor praegressi loci § 46 *ἄλλως τε καὶ μόνων τούτων τῶν δικῶν ἀκινδύνων τοῖς διώκουσιν οὐσῶν καὶ ἐξὸν τῷ βουλομένῳ βοηθεῖν ταῖς ἐπικλήροις*.

Digitized by Google

IV, 4 καὶ εἰ μὲν τὸ ὄνομα πατρόθεν τὸ αὐτὸ ὡμολόγουν εἶναι τοῦ Νικοσράτου, περὶ δὲ τοῦ κλήρου μόνου διεφέροντο, οὐδὲν ἂν ἔδει ὑμᾶς σκέψασθε ἀλλ' ἢ εἰ διέθετο ἐκεῖνος [ὁ Νικόστρατος], ὃν ἀμφότεροι ὡμολόγουν. Nomen ὁ Νικόστρατος interpolatum „esse putes et non fallare putando." Quae sequuntur vix possunt sana esse, sed quid restituendum esset equidem coniicere non potui.

IV, 8 οὐδὲ τριετῆ γεγονότα. Miror editores ne mentionem quidem fecisse egregiae emendationis οὐδὲ τρί' ἔτη, quam Cobetus proposuit ad Hyperid. p. 91 extr.

IV, 13 τοῦ δὲ συμβαίνοντός ἐστι καὶ γραμματεῖον ἀλλαγῆναι καὶ τἀναντία ταῖς τοῦ τεθνεῶτος διαθήκαις μεταγραφῆναι. Schoemannus annotavit: τοῦ δὲ συμβαίνοντός ἐστι h. e. πολλάκις δὲ συμβαίνει. Rarior locutio, cuius aliud exemplum non est in promptu." Crede mihi, neque erit. Audacius scripserim: ἐκ τούτου δὲ συμβαίνει ἔστιν ὅτε κτἑ.

IV, 18 νῦν δὲ οὔτε συσσίτους οὔτε φίλους οὔτ' ἐν τάξει τῇ αὐτῇ ..... τούτων δ' ὑμῖν μάρτυρας ἁπάντων παρεσχήμεθα. Post αὐτῇ exciderunt nonnulla. Reiskius sensui tantum modo consulens proposuit οὔτ' ἐν τάξει τῇ αὐτῇ οὐδεὶς οἶδε τούτους πώποτε τῷ Νικοσράτῳ γεγονότας, quod est vere ludere. Equidem suppleverim: οὔτ' ἐν τάξει τῇ αὐτῇ ⟨τούτους ἡμῖν ποιούμενος ἐπιδέδεικται⟩ τούτων δ' ὑμῖν κτἑ.

V, 5 εἰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες, περὶ τούτων ἔμελλον ἀπολογήσασθαι μόνον [Λεωχάρης ἢ Δικαιογένης] ἦρκει ἄν μοι τὰ εἰρημένα. Quae uncinis inclusimus interpolationem redolent.

V, 10 ἀλλ' ὀρφανοὶ καὶ ἔρημοι καὶ πένητες γενόμενοι πάντων καὶ τῶν καθ' ἡμέραν ἐπιτηδείων ἦσαν ἐνδεεῖς. Codices quidam et Aldina praebent πένητες καὶ ἔρημοι, unde apparet emblema hic ali. Buermannus voc. πάντων delevit. Sed vocem πένητες potius esse delendam sensus ostendit. Dicit enim orator: *sed quum orbi et deserti essent, etiam in diem necessariis rebus carebant.* Si igitur post *deserti* addis: *et pauperes*, absurdum et otiosum addis. Etiam v. ἐπιτηδείων unde originem duxerit non difficile est intellectu. Orator scripserat καὶ τῶν καθ' ἡμέραν ἔτι ἦσαν ἐνδεεῖς. Scriba, qui in mentem haberet ἐνδεὴς τῶν ἐπιτηδείων (Isae. V, 39. VIII, 32), alias res agens ἐπιτηδείων effecit. Simile quid apud Aeschinem inveni, quod iuvat hic apponere et emendare. II, 147 σὺ μὲν γὰρ, ὦ Δημόσθενες, ταῦτ' ἐπλάσω ἐπ' ἐμὲ, ἐγὼ δ' ὡς

Digitized by Google

ἐπαιδεύθην καὶ δικαίως ἐξηγήσομαι. Οὗτοσὶ μέν μοί ἐστι πατήρ κτέ. Quoniam verba καὶ δικαίως sensu vacua sunt, multi Marklando praeeunte supplerunt ὡς καλῶς ἐπαιδεύθην καὶ δικαίως. Mihi autem statim legenti in mentem venit: ἐγὼ δ' ὡς ἐπαιδεύθην καὶ δὴ ἐξηγήσομαι. Nam δικαίως παιδεύομαι nihil est.

V, 19 ἡμεῖς τοίνυν ταῦτα παθόντες ὑπὸ Λεωχάρους καὶ ἐγγενόμενον ἡμῖν αὐτὸν — ἀτιμῶσαι. Scribendum esse ἐγγενόμενον quisquis intelligat, dum § 17 inspiciat.

V, 25 ἡμεῖς δέ, ὦ ἄνδρες, τότ' ἐπὶ τοῦ βήματος σπεύδοντες τὰ μὲν ἐγράψαμεν, τῶν δὲ μάρτυρας ἐποιησάμεθα. Μάρτυρας ποιεῖσθαι est testari (deos, heroas) non testes producere, quod hic postulatur. Lege μάρτυρας ἐπορισάμεθα coll. Aesch. I, 92 πολλοὺς γὰρ ἤδη ἔγωγ' ἐναγχος τεθεώρηκα καὶ ἐν τῷ βουλευτηρίῳ τούτῳ εὖ πάνυ εἰπόντας καὶ μάρτυρας πορισαμένους ἁλόντας. V. Cobet ad Hyperid. p. 87 et 112. Miscell. crit. p. 570. Contum ἐν τῇ Ἀθηνᾷ IV p. 25.

VI, 4 ἀποστερῶν — ὑμᾶς τοῦ κυρίους γενέσθαι ὄντινα δεῖ κληρονόμον καταστήσασθαι τῶν Φιλοκτήμονος. Restitue formam activam: καταστῆσαι.

VI, 20 χρόνῳ δὲ ὕστερον ὁ μὲν Δίων ζημίαν εἰργασμένος καὶ δείσας ὑπὲρ αὐτοῦ. Locutio ζημίαν εἰργασμένος librario debetur temere lacunam .... μένος de suo supplere conato. Orator dederat ζημίᾳ κεχρημένος. Non minus mirabilis est locutio ζημίαν εἰληφὼς apud Lys. XXXII, 29 et Demosth. XI, 11, de qua vid. Frohbergium ad Lysiae locum.

VI, 24 ἀπορῶν δ' ὅ,τι χρήσαιτο τῷ παρόντι κακῷ. Postremum vocabulum suspectum est.

VII, 6 ἀλλὰ τὸν μὲν Μνήσονος κλῆρον, οὗ καὶ Ἀπολλοδώρῳ προσῆκε [τὸ ἡμικλήριον] πάντα εἰς αὐτὸν περιποίησε. Otiosum additamentum vel incommoda sedes arguit.

VII, 9 ἐξ εὐπόρου τε ἀπορωτέρῳ γεγενημένῳ κτέ. Quidni ἀπορωτάτῳ?

VIII, 8 ἐπεὶ συνοικεῖν εἶχεν ἡλικίαν. Interpone post ἐπεὶ necessarium vocab. ἀνδρί.

VIII, 29 τῶν μὲν παλαιῶν ἀκοὴν μαρτυρούντων παρεχόμενος, τῶν δὲ ἔτι ζώντων τοὺς εἰδότας ἕκαστα τούτων. Genitivum μαρτυρούντων non intellego; intellegerem μαρτυροῦντας. Verba τῶν παλαιῶν pendent ab ἀκοήν. Sic IX, 18 ὡς δὲ ταῦτ' ἐστιν ἀληθῆ, ἴσως μὲν

Digitized by Google

καὶ Ἀραφηνίων καὶ πολλοὶ τῶν τότε συγγεωργούντων μαρτυρήσειαν ἄν μοι, διαρρήδην δὲ περὶ τηλικούτου πράγματος οὐκ ἂν ἔχοιμι ὅπως ὑμῖν παρασχοίμην interpone post πράγματος ⟨μαρτυροῦντας⟩. Cf. Isae. II, 38. Aesch. I, 98 ἐνταῦθα μέντοι νὴ Δία σαφῶς πάνυ καὶ διαρρήδην ἐγὼ μαρτυροῦντας ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι.

VIII, 45 ὑμῶν δ' ἐγὼ δέομαι καὶ ἱκετεύω, μή με περιίδητε περὶ τούτων ὑβρισθέντα τῶν χρημάτων, ὧν ὁ πάππος κατέλιπε, μηδ' ἀποστερηθέντα, ἀλλὰ βοηθήσατε καθ' ὅσον ὑμῶν ἕκαστος τυγχάνει δυνάμενος. Misere corruptus est hic locus. Nam, ut alia omittam, quid est περὶ τῶν χρημάτων ὑβρίζεσθαι? Diu mihi quaerenti opem tulerunt Isaei duo loci: V, 24 καὶ ἐγὼ μὲν ὁ ἄθλιος οὐχ ὅπως τι ἐκ τοῦ κλήρου εἰληφὼς, ἀλλὰ ⟨καὶ⟩ προσαπολωλεκὼς τετταράκοντα μνᾶς, ἀπῳκα ὑβρισμένος ὑπὸ τοῦ Δικαιογένους. IX, 37 ἔτι δὲ ἐμὲ, ὦ ἄνδρες δικασταί, — συμπαιδευθέντα Ἀστυφίλῳ καὶ ἀδελφὸν ὄντα περιόψεσθε ὑπὸ Κλέωνος ἀποστερηθέντα τῶν ἐκείνου. Unusquisque nunc intelligit praepositionem περὶ ferri non posse et verborum ordinem librarii inconsiderantia turbatum esse, molestissime enim adduntur illa μηδ' ἀποστερηθέντα. Scriba facili oculorum errore omisit v. μηδ' ἀποστερηθέντα, deceptus similitudine terminationis cum priore ὑβρισθέντα; deinde vel ipse vel alius in margine omissa verba adscripsit, quae, qui posthac descripsit, non sua sede collocavit. Scribendum igitur: μή με περιίδητε ὑπὸ τούτων ὑβρισθέντα, μηδ' ἀποστερηθέντα τῶν χρημάτων, ὧν ὁ πάππος κατέλιπεν κτέ.

IX, 5 ὅτι μὲν οὐκ ἔθαψε Κλέων Ἀστύφιλον οὐδ' ἂν αὐτὸς ἔξαρνος γένοιτο μεμαρτύρηταί τε ὑμῖν. Satis e partic. τε apparet pro οὐδ' legendum esse οὔτ'.

IX, 29 ἱκανὴν γὰρ ἡγήσατο βάσανον εἰληφέναι ἀπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ τῆς εἰς αὐτὸν εὐνοίας. Βάσανον (aut πεῖραν) λαμβάνειν ἀπό τινος soloecum est. Graeci dicebant παρά τινος vel potius τινός. Redde igitur praepositionem quibus debetur. Similiter perperam intellectum genitivum addendis variis praepositionibus explicare conati sunt magistelli apud Aeschin. III, 208 ὅταν δ' ἐπίορκος ὢν εἰς τὴν διὰ τῶν ὅρκων πίστιν καταφυγγάνῃ κτέ. Pro τὴν διὰ Laurent. habet διὰ τὴν, libri vero *ehl* τὴν ἀπό. Quis punctum temporis dubitabit oratori reddere εἰς τὴν τῶν ὅρκων πίστιν καταφυγγάνῃ? Cf. Eur. Med. 492 ὅρκων δὲ Φρούδη πίστις, quem locum iam scholiastes contulit.

Digitized by Google

IX, 30 *εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ ὥσπερ καὶ ἐμὲ πανταχῆ.* Immo *τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ⟨ὄντα⟩.*

IX, 32 excidit, ut saepissime hoc in libris deprehendimus, particula *μέν*, quam insere in verbis *ἐπεὶ τούτοις γε οὐδὲ προσποιήσασθαι καλὸν ἦν τῶν Ἀστυφίλου, οἵτινες οὕτω ⟨μὲν⟩ διέκειντο πρὸς αὐτόν, τὰ δὲ ὀστᾶ οὐκ ἔθαψαν κτέ.*

XI, 2 *ἐὰν δὲ καὶ τοῦτ' ἐκλείπῃ.* Est aliquid inter *ἐκλείπειν* et *ἐλλείπειν*, quod reponendum h. l., clamante sententia.

(*Continuabitur*).

AD PLUTARCH. MORAL. 347 C.

Οἱ δὲ πλεῖστοι λέγουσιν Εὐκλέα δραμόντα σὺν τοῖς ὅπλοις θερμὸν ἀπὸ τῆς μάχης καὶ ταῖς θύραις ἐμπεσόντα τῶν πρώτων τοσοῦτο μόνον εἰπεῖν „χαίρετε καὶ χαίρομεν," εἶτ' εὐθὺς ἐκπνεῦσαι. De nuntio agitur, qui Marathone Athenas properavit, ut suis popularibus praeclaram victoriam nuntiaret. Putasne illum tam stulte locutum esse *χαίρετε καὶ χαίρομεν*? Offendit aures Cobeti (Collect. crit.) ista dictionis insulsitas, quam tollere conatus est coniiciendo: *χαίρετε νικῶμεν.* Eandem rem mutato nuntii nomine narrat Lucianus *pro lapsu in salutando* § 3 *πρῶτος δ' αὐτὸ Φιλιππίδης ὁ ἡμεροδρομήσας λέγεται ἀπὸ Μαραθῶνος ἀγγέλλων τὴν νίκην εἰπεῖν πρὸς τοὺς ἄρχοντας καθημένους καὶ πεφροντικότας ὑπὲρ τοῦ τέλους τῆς μάχης „χαίρετε, νικῶμεν," καὶ τοῦτο εἰπὼν συναποθανεῖν τῇ ἀγγελίᾳ καὶ τῷ χαίρειν συνεκπνεῦσαι.* Qui locus defendit Cobeti coniecturam. Cf. etiam Plutarch. vit. Demetr. XVII *χαῖρε, βασιλεῦ Ἀντίγονε, νικῶμεν βασιλέα Πτολεμαῖον* etc. Maxime igitur probabile est nuntium illum dixisse: *χαίρετε νικῶμεν.* Sed apud Plutarchum quo modo *νικῶμεν* in *καὶ χαίρομεν* mutari potuit? Immo aliud eum scripsisse apparet; sed quomodo restituenda est eius manus? Aristophanes nobis viam monstrabit. Legimus in *Equitt.* vs. 251 sq.

ἀλλὰ παῖε καὶ δίωκε καὶ τάραττε καὶ κύκα
καὶ βδελύττου, καὶ γὰρ ἡμεῖς, κἀπικείμενος βόα.

Nisi igitur fallor, Plutarchus nuntio tribuit verba: *χαίρετε, καὶ γὰρ ἡμεῖς.* Supra verba *γὰρ ἡμεῖς* magistellus *χαίρομεν* scripsit, quod scriba pro genuina lectione substituit.

G. M. Sakorraphus.

Digitized by Google

FLUCTUS IN SIMPULO.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Admirabile est quod Tacitus tradit in undecimo Annali de Messalina quo fato perierit. Ipse tragoediam ita narrare instituit c. 27: „Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalibus securitatis fuisse, in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum, cum uxore principis, praedicta die, adhibitis qui obsignarent velut suscipiendorum liberorum causa convenisse atque illam audisse auspicum verba, subisse(?), sacrificasse apud deos; discubitum inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentia coniugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam." Ita est: haec fidem longe longeque excedunt itaque sedulo videndum num forte Tacitus nimis cupide plebis rumusculos captaverit atque aliquid remanserit ex illis recentibus odiis, quibus res Iuliae gentis olim compositae fuerunt. Omnium primum audiamus quid tandem rerum Messalina egerit. Quo forte tempore Ostiam Caesar secesserat, uxor principis „non alias solutior luxu, adulto auctumno simulacrum vindemiae per domum celebrat. Urgeri prela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchae: ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro." Non praestiterim Messalinae castimoniam, sed tamen video non insecutam fuisse noctem „actam licentia coniugali." Mox Silius c. 32 ad munia fori digreditur itaque illud

Digitized by Google

de nocte ex mendaciunculis unum est, quae vel ipse Tacitus de suo finxit ad augendam probrosi ludicri atrocitatem vel forte hausit ex Agrippinae commentariis, quae Domitiam Lepidam cum filia pessime oderat. Verum quid tandem purpurata adultera et praetextatus adulescens peccarunt, ut tanto opere bilem Claudio moverent? Mense Octobri effusi in omne iocorum et lasciviarum genus vindemiae tempus per domum transegerunt. In hortis opinor festus dies celebratus fuit. Aderat procax Baccharum chorus pellibus amictarum. Romana matrona thyrsum quatiebat ipseque consul designatus hedera vinctus et histrionali habitu una cum reliquis qui aderant, risus iocosque miscebat. Hic ad *mimum* quid deest? Nihil, uti arbitror. „Ferunt Vectium Valentem lascivia in praealtam arborem connisum, interrogantibus quid adspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem: sive ceperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit." Cur tandem adscenderat ille in arborem eamque praealtam? Hic pro me respondebit unusquisque qui Euripidis Bacchas legit. Nempe Penthei partes agebat: nonne? Huic ludicri generi, mimos volo, saepe ex mythologia argumentum petebatur. Veluti Suetonius in vita Domitiani c. 10 exodium memoravit, in quo Paris et Oenone prodiere nec Flavii mei hic immemor ero, qui Archaeol. XIX § 94 ludicrum describit, quod celebratum fuit quo die Caligula interfectus est: *καὶ γὰρ μῖμος εἰσάγεται καθ' ὃν ταυροῦται λῃστῶν ἡγεμών, ὅ τε ὀρχηστὴς δρᾶμα εἰσάγει Κινύραν, ἐν ᾧ αὐτός τ' ἐκτείνετο καὶ ἡ θυγάτηρ Μύρρα, αἵμά τ' ἦν τεχνητὸν πολύ.* Tempus erat quum populus Romanus impense delectabatur istiusmodi fabulis, plerumque obscenis et indiligenter connexis, in quibus clausula non inveniebatur, quemadmodum Cicero scribit. Non mimi tantum et mimae cupide spectabantur, sed nobiles saepe viri et feminae illustres in scena visi sunt cantare, quod Claudius vehementer improbabat, cf. Dio Cass. LX 7. Excanduit ira, postquam rescivit ipsam uxorem, quamquam privatim intra parietes neque in scena, peccavisse in legem quam ipse promulgarat et diligenter sanxerat. Omnes tamen vel metuebant ne Caesar placabilis esset vel morum facilitate confidebant, quod disertis Taciti verbis constat: sequitur de nuptiis illis Messalinae et Silii falsa postea relata fuisse vel certe ad mendacium usque ea fuisse

Digitized by Google

amplificata; qui enim ipsa post tantam admissam turpitudinem potuerat sperare salutem?

Statuimus Vectium Valentem partes egisse Penthei: sed quae fuerunt Silii? Verum hoc quidem apparet: Bacchum egit. Itaque Messalina Ariadnes habitu prodiit. Nunc demum videmus unde rumor natus sit perlatusque Ostiam de nefariis nuptiis. „Sed in eo discrimen erat, si defensio audiretur utque clausae aures etiam *confitenti* forent," ut est c. 28. Quid enim? Imprudenter egerat, sed cantando certe nullum fuerat susceptum flagitium.

Addit Suetonius Claud. 26 etiam dotem inter auspices consignatam fuisse. Auspices illi qui fuerint, per quos Bacchus et Ariadne in nuptiis captati fuerunt, apparet: Baccharum illarum chorus intelligitur. Dotis autem nomine agnoscimus coronam datam, quae postea inter sidera relata fuit. Audi modo Hyginum Astronom. II 5: „Dicitur in insula Dia cum Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri a Venere et Horis accepisse, cum omnes dii in eius nuptiis dona conferrent." Hanc *dotalem* coronam Claudianus appellavit Epithal. Honorii vs. 272. Quodsi autem miraris, in eadem fabula Penthea et Ariadnen prodiisse, respondeo mimorum, quod notum est, valde laxam compositionem fuisse; deinde etiam aliis licuisse in unum coniungere quae coniunxit Horatius, quum scriberet fas esse cantare Ariadnes „additum stellis honorem tectaque Penthei disiecta non leni ruina."

At non letali odio dignum est agere mimum: verum id quidem est; sed ipse Tacitus auctor est fuisse Caesaris libertos qui occasionem nacti Messalinam perdiderint. Nempe Messalina flagitiis cooperta, nolim enim impudicae mulieris patronus haberi, tamdiu in pulvinari salva fuit, quamdiu in aula praepotentes homines discordes erant, quum Pallas Agrippinae, Callistus Lolliae Pollinae, Narcissus autem Aeliae Petinae faveret. Tandem hic Messalinam perdidit, sed praemium cessit Pallanti et Agrippinae. Tacitus autem omnia exaggerat et amplificat et distorquet: remissa mors Caesonino: „vitiis protectus est tamquam in illo foedissimo coetu passus muliebria." Malo credere eum sustinuisse θῆλυν ἐνδῦναι ϛολήν, quemadmodum haud dissimili occasione ipse Nero fecit Annal. XV 37, nam

Digitized by Google

tum quoque „visi auspices, dos et genialis torus." Nec mirabor si ille Herculem egerit apud Omphalen.

Plura suspicari possumus quam liquido demonstrare. Quid tandem Silius et Messalina in scena peregere? Hic commode Xenophontis memini, qui in convivio ad calcem ita scripsit: *ἐκ τούτου πρῶτον μὲν ἡ Ἀριάδνη ὡς νύμφη κεκοσμημένη παρῆλθε καὶ ἐκαθέζετο ἐπὶ τοῦ θρόνου. Οὕτω* (sed lege *αὐτοῦ*) *δὲ Φαινομένου τοῦ Διονύσου, ηὐλεῖτο ὁ Βακχεῖος ῥυθμός. Ἔνθα δὴ ἠγάσθησαν τὸν ὀρχηστοδιδάσκαλον. Εὐθὺς μὲν γὰρ ἡ Ἀριάδνη ἀκούσασα τοιοῦτό τι ἐποίησεν, ὡς πᾶς ἂν ἔγνω, ὅτι ἀσμένη ἤκουσε καὶ ὑπήντησε μὲν οὔ, οὐδ' ἀνέςη, δήλη δ' ἦν μόλις ἠρεμοῦσα. Ἐπεί γε μὴν κατεῖδεν αὐτὴν ὁ Διόνυσος, ἐπιχορεύσας ὥσπερ ἂν εἴ τις φιλικώτατα, ἐκαθέζετο ἐπὶ τῶν γονάτων*(?) *καὶ περιλαβὼν ἐφίλησεν αὐτήν. Ἡ δ' αἰδουμένη μὲν ἐώκει, ὅμως δὲ φιλικῶς ἀντιπεριελάμβανεν. Οἱ δὲ συμπόται ὁρῶντες ἅμα μὲν ἐκρότουν, ἅμα δ' ἐβόων αὖθις. Ὡς δ' ὁ Διόνυσος ἀνιςάμενος συνανέςησε μεθ' ἑαυτοῦ τὴν Ἀριάδνην, ἐκ τούτου δὴ φιλούντων τε καὶ ἀσπαζομένων ἀλλήλους σχήματα παρῆν θεάσασθαι. Οἱ δ' ὁρῶντες ὄντως καλὸν μὲν τὸν Διόνυσον, ὡραίαν δὲ τὴν Ἀριάδνην, οὐ σκώπτοντας δὲ, ἀλλ' ἀληθινῶς τοῖς σώμασι φιλοῦντας, πάντες ἀνεπτερωμένοι ἐθεῶντο. Καὶ γὰρ ἤκουον τοῦ Διονύσου μὲν ἐπερωτῶντος αὐτὴν εἰ φιλεῖ αὐτόν, τῆς δ' οὕτως ἐπομνυούσης, ὥςε μὴ μόνον τὸν Διόνυσον ἀλλὰ καὶ τοὺς παρόντας ἅπαντας συνομόσαι, ἢ μὴν τὸν παῖδα καὶ τὴν παῖδα ὑπ' ἀλλήλων φιλεῖσθαι. Ἐώκεσαν γὰρ οὐ δεδιδαγμένοις τὰ σχήματα ἀλλ' ἐφειμένοις πράττειν ἃ πάλαι ἐπεθύμουν. Τέλος δ' οἱ συμπόται ἰδόντες περιβεβληκότας τ' ἀλλήλους καὶ ὡς εἰς εὐνὴν ἀπιόντας, οἱ μὲν ἄγαμοι γαμεῖν ἐπώμνυσαν, κτέ.*

Erat hercle turpe matronae Romanae tale spectaculum edere, absente viro praesertim; sed non opus erat tantos ciere tumultus: eorum, quae peccarat pessima mulier, hoc minimum erat. Sed erat uxorius princeps qualem describit Suetonius c. 29: „Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam levis exstitit, a quo non mediocri scrupulo iniecto ad cavendum ulciscendumque compelleretur.

Digitized by Google

VARIA AD VARIOS.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Orator. c. 42. § 144. *„At dignitatem docere non habet." Certe, si quasi in ludo; sed si monendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo, nescio cur non docendo etiam aliquid aliquando si possis meliores facere, cur nolis?* (Cicero edid. C. F. W. Muller. Oratorica, edid. W. Friedrich). Locus confusus, cum a sententia, tum a structura. *Monere, cohortari, percontari, communicare, una legere, audire* omnia illa notione *docendi* continentur, neque iis *docere aliquid aliquando* addi potest, quasi et ipsa per se distincta aliqua esset instituendi ratio. Videntur qui interrogationis signum sententiae apposuerunt separare *cur nolis* a *nescio cur*. Nullum erit igitur verbum, quod ad *nescio cur* referatur. *Nolis* enim non simul esse poterit interrogationis indirectae (*nescio cur non velis*) et directae (*cur nolis?*) cum praesertim ex negativo *nolis*, affirmativum *velis* mutuandum sit. Altera lectio et editorum (Orell. Jahn) et librorum: *cum docendo*, hoc quidem vitio non laborat. Sanae vero loci scripturae vestigium servasse videtur *Abrincensis*. Locus, quo de agitur, continetur ea parte libri, quam pro specimine edidit *Châtelain. Palaeographie des classiques Latins*. Livr. II. Pl. XIX b, ubi haec leguntur: *si interdum etiam una legendo, audiendo, nescio cur non d i c e n d o etiam aliquid aliquando possis meliores facere cur nolis*. Rhetor qui discipulos dicendi docebat artem, non modo ipsos dicentes audiebat, deinde quae commi-

Digitized by Google

serant, corrigebat, sed ut non modo praeceptis sed etiam exemplo erudiret, ipse quoque dicebat. Quod rhetor saepius facere solebat, id Cicero virum eloquentem, quem scholas quidem non habentem, neque tamen iunioribus admonitione, experientia, exemplo prodesse dedignantem introducit, aliquando aliquatenus non recusare facundiae dignitatem non dedecere opinatur. Neque ipse suo praecepto non optemperavit, qui a. 46 cum Hirtio et Dolabella *declamitaret*, quos se *dicendi discipulos* habere iocatur, *coenandi magistros*. (ad fam. 9. 16. 7.). Legimus autem: *si interdum etiam una legendo, audiendo, dicendo etiam aliquid aliquando possis meliores facere, nescio cur nolis.*

Apulei Apologia. c. 42. Postquam orator longiore excursu, qui incipit a capite 29, magiae crimen repulerat, reus, quod nonnulla piscium genera per piscatores quaesivisset et inspiciendi causa proscidisset, cap. 42 initio ad aliud crimen diluendum adgreditur: *Nunc quoniam pisces horum satis patuerunt, accipe aliud, pari quidem stultitia, sed multo tanto vanius et nequius excogitatum. Pisces satis patent*, quamquam Latine dici non solere vix quisquam fidenter affirmaverit, tamen parum elegantem et, ut ita dicam, inhabilem esse locutionem negari non poterit. Tolerabilius fuit: *satis late patuerunt.* Suspicor tamen Apuleium per contumeliam adversus accusatores, quos contemneret (cf. c. 29. *omnia Aemiliani huiusce deliramenta*, c. 45. i. f. *facilius fuit, Aemiliane, — tete ut ipsum diceres interfuisse et ex eo sacro coepisse dementire*, c. 53 i. f. *stulte*, cet.) vulgariore dicendi genere usum esse et scribendum: *quoniam pisces horum satis pŭtuerunt.* De formis litterae *a*, quae causae fuerunt, cur *a* et *u* saepissime inter se confusa sint, cf. *Wattenbach. Anl. z. L. P.* p. 25. (1.)

Min. Fel. c. 29. 10. *istae enim impudicitiae eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas, qui scortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae etiam si tacerent, quos prius taedescit impudicitiae suae quam pudescit.* Pro *tacerent*, reponendum: *tacent.*

Digitized by Google

Varro de linguae Latina (ed. C. O. Muller). V. 88.

Cohors, quod, ut in villa ex pluribus tectis coniungitur ac quiddam fit unum, sic hic ex manipulis pluribus copulatur.

Cohors militum nomen ab eo accepisse perhibetur, quod ex compluribus manipulis in unum coniunctis constat, sicut in villa locus quo compellitur et coercetur pecus cohorte circumdatur, quae ex compluribus partibus est composita. Cohors autem constat serie cratium, quae altera ad alteram acclinatae, muri vel maceriae instar pecus includunt cf. Hor. ep. 2. 45. *claudensque textis cratibus laetum pecus.* Cohors igitur in villa non ex compluribus *tectis* sed ex *textis* copulatur.

Plautus. Asinaria 654.

Di té servassint sémper,
Custós erilis, décus popli, thensaúrus copiárum,
Salus ínterioris córporis amórisque imperátor.

In editione quam curaverunt Goetzius et Loewius adnotatur: *interioris corporis* DEJFZ *interioris hominis* B. *Utrumque quin corruptum sit non dubitamus: fortasse vitae cordis corporis scribendum. interior corporis Bothius. vitae rex cupidinis, Goetzius. Nov. Ann. vol.* 113. (a. 1876) p. 360 *dubitanter. interioris nominis Ussingius.*

Verae lectionis partem quidem mihi Bothii scriptura continere videtur, quam, permutatis versuum vocabulis initialibus, expleverim ita:

Salús erilis, décus popli, thensaúrus copiárum,
Custós intérior córporis amórisque inperátor.

Ita loco rescripto et melior restituetur sensus et metrum expedietur.

Mendulo, si quid video, liberari potest Martialis epigramma, (IV. 43) ceterum insulsum spurcumque satis, vix dignum, quod emendetur:

Non dixi, Coracine, te cinaedum:
non sum tam temerarius nec audax
nec mendacia qui loquar libenter.
si dixi, Coracine, te cinaedum,
iratam mihi Pontiae lagonam,
iratum calicem mihi Metili

Digitized by Google

iuro per Syrios tibi tumores,
iuro per Berecyntios furores.
quod dixi tamen, hoc leve et pusillum,
quod notum est, quod et ipse non negabis,
dixi te, Coracine, cunnilingum.

Ultima accuratius auscultantibus auribus impedita neque satis explicata videbuntur: *quod dixi, hoc leve et pusillum* (est), (hoc est) *quod notum est*, (hoc est) *quod et ipse non negabis*. Elegantius futtilis poeta, postquam negavit: *non dixi te cinaedum* se ipse interrogat: *quid dixi tamen?* ipse respondet: *hoc leve et pusillum, quod notum est* cet. *dixi*, scilicet, *te cunnilingum*.

ANOMOIOTHTEΣ.

Constat hodie inter omnes, in Homeri carminibus complures inesse repugnantias et contradictiones, nec tamen umquam eorum opiniones probare potui, qui illinc *unice* profecti quaerere instituerunt de immortalium carminum origine ac primitiva compositione. Semper idem teneo quod olim defendi in meis Quaestionibus Homericis, neque operae pretium foret nunc eodem redire, nisi nuper demum cognovissem quid Goethius de ea re senserit. Nam quum forte Eckermannus d. 18 m. April. 1827 de regina Macbetha mentionem iniecisset, quae simul in tragoedia peperisse nec peperisse dicitur, hoc modo poeta de poeta iudicium tulisse fertur: „Der Dichter läszt seine Personen jedesmal das reden, was eben *an dieser Stelle* gehörig, wirksam und gut ist, ohne sich viel und ängstlich zu bekümmern und zu kalkulieren, ob diese Worte vielleicht mit einer andern Stelle in scheinbaren Widerspruch geraten möchten. Ueberhaupt hat Shakspeare bei seinen Stücken schwerlich daran gedacht, dass sie als gedruckte Buchstaben vorliegen würden, die man überzählen und gegen einander vergleichen und berechnen möchte; vielmehr hatte er die Bühne vor Augen, als er schrieb; er sah seine Stücke als ein Bewegliches, Lebendiges an, das von den Brettern herab den Augen und Ohren rasch vorüberfliessen würde, das man nicht fest halten und im einzelnen bekritteln könnte, und wobei es bloss darauf ankam, immer nur im gegenwärtigen Moment wirksam und bedeutend zu sein". Equidem in tali re poetarum sententias sequi malo quam doctorum umbraticorum.

S. A. N.

Digitized by Google

AD HORATII ARTEM POETICAM VSS. 251 SQQ.

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
pes citus, unde etiam trimetris accrescere iussit
nomen iambeis.

His versibus si quis nulla emendatione opus esse contendat, equidem quid Horatius voluerit satis apparere minime negem. Hoc enim dicit: „iambus tam citus pes est ut versum sex iamborum trimetrum appellare possis, binis pedibus sumptis pro uno". Quo nihil verius est vel ad intelligendum facilius. Sin quomodo ea sententia e traditis verbis elici possit nos roget, haud statim, ut opinor, paratum sit responsum. Qui annotationibus locum nostrum illustrant sic fere scribunt: „verbi *iussit* subiectum est *pes iambus;* vocabulo *iambeis* significatur versus e pedibus iambicis constans sive, artiore sensu, versus *senarius*. Pedis ergo iambi brevitas ipsa postulat ut senariis etiam *trimetris* nomen detur." Satis contorta, ut vides, ea est explicatio, qua tamen non probatur vocabuli *unde* usus. Quis enim post illud non *novum* exspectet subiectum? Quis hanc ferat vocabulorum coniunctionem: „pes iambus brevis est, *unde* senarios iussit trimetros appellari" et noh: „unde factum est ut senarius appelletur trimeter" vel eiusmodi aliquid? Quod autem dicebam veram esse et perspicuam nostrorum versuum sententiam, ita dictum sit ut vocabulis accurate pensitatis, tersam puramque eam esse minime concedam. Quid enim? Ipsa iambi pedis natura *iubet* versibus senorum pedum trimetris nomen dare? Qui iubet is, ut opinor, aliter fieri vetat. Ergo uno eiusdem versus nomine contentus esse iambus non vult. At Latine versus ille senarius appellatur et nunquam aliter. Et quis omnino verbo „*iubendi*" locus ubi sermo est de duobus nominibus, quorum utro vis uti possis? Nihil hic, ut opinor, iubemur, sed iuris aliquid et licentiae nobis permittitur. Iam dixi quomodo versum corrigere velim. Scripsit enim me iudice Horatius:

pes citus, unde etiam trimetris accrescere ius est
nomen iambeis.

Sic omnia plana fiunt et simplicia. Ne tamen poëta prava utatur „consecutione temporum" quae dicitur, post *iambeis* incidatur oratio; vocabula enim „cum senos redderet ictus primus ad extremum similis sibi" vel sic cum sequentibus sunt coniungenda: „(olim) senarius ab initio ad finem purus fuit; postea certis sedibus spondeum admisit".

J. J. H.

Digitized by Google

Digitized by Google



THEATRUM GRAECUM AD CONSTRUCTIONEM VITRUVII.

Digitized by Google

AD VITRUVII V. 8.

SCRIPSIT

K. DUMON.

Vitruvius in praefatione libri VII, postquam nomina multorum enumeravit architectorum Graecorum, qui singuli de singulorum operum symmetriis commentaria reliquerunt; qua ratione et quem ad finem volumina sua de symmetriis tria composuerit, breviter exponit scribens:

„Quorum ex commentariis quae utilia esse his rebus animadverti collecta in unum coegi corpus, et ideo maxime quod animadverti in ea re ab Graecis volumina plura edita, ab nostris oppido quam pauca. Fuficius enim mirum de his rebus ni primus instituit edere volumen, item Terentius Varro de novem disciplinis unum de architectura, Publius Septimius duo. Amplius vero in id genus scripturae adhuc nemo incubuisse videtur."

Penuriam igitur animadverteus voluminum de symmetriis, meliusque hac de re populares suos docere cupiens, ea quae utilia esse iudicavit ex fontibus Graecis mutuatus est. Hi fontes autem de symmetriis fuisse dicuntur, unde sequitur ut argumentum principale constiterit in symmetriis explicandis. Quodsi architecti in singulis commentariis de singulorum aedificiorum symmetriis disserere consuerunt, non dubium est, quin quod eorum cuique in symmetriis constituendis proprium fuerit id in commentariis declaratum sit. Tale quid e fontibus non desumpsit Vitruvius multumque eum a fontibus recessisse ex sequentibus apparebit. Namque, praeterquam quod symmetrias ab Hermogene constitutas in tribus explicat aedium formis quae pertinent ad eustyli speciem ionici generis, scilicet in tetrastylo,

Digitized by Google

hexastylo, octastylo, quid cuique aedificio, id est quid cuique architecto in arte sit proprium, non memorat. Quae symmetriae explicantur, eae non ad singula opera, ut in fontibus, sed ad species quattuor generis ionici et ad totidem generis dorici spectant. Cf. L. III et IV.

De eustylo ionici generis sic scribit:

„Frons loci quae in aede constituta fuerit si tetrastylos facienda fuerit, dividatur in partes XIS praeter crepidines et proiecturas spirarum, si sex erit columnarum in partes XVIII, si octastylos constituatur dividatur in XXIV et semissem. Item ex his partibus sive tetrastyli sive hexastyli sive octastyli una pars sumatur eaque erit modulus, cuius moduli unius erit crassitudo columnarum. Eas autem symmetrias constituit Hermogenes".

Floruit ille Hermogenes aetate Alexandri Magni, si Brunnio fidem habes.

Quibus symmetriis fecerint architecti reliquas species aedium ionici generis, excepta araeostylo, sic explicatur:

„Species sunt pycnostylos, id est crebris columnis, systylos paulo remissioribus intercolumniorum spatiis, diastylos amplius patentibus, rarius quam oportet inter se diductis araeostylos.

Pycnostylos est cuius intercolumnio unius et dimidiatae columnae crassitudo interponi potest quemadmodum est divi Iulii et in Caesaris foro Veneris et si quae aliae sic sunt compositae.

Item systylos est in qua duarum columnarum crassitudo in intercolumnio poterit conlocari, quemadmodum est Fortunae Equestris ad theatrum lapideum reliquaeque quae iisdem rationibus sunt compositae.

Diastyli autem haec erit compositio, cum trium columnarum crassitudinem intercolumnio interponere possumus tamquam est Apollinis et Dianae aedes."

In aedibus araeostylis quot columnarum crassitudo in intercolumnio interponi potuerit in incerto reliquit Vitruvius. Columnae autem sic factae sunt uti crassitudo sit partis octavae ad altitudinem. Unde mihi quidem colligendum esse videtur modulum fuisse et in his columnae crassitudinem. „Huius speciei exemplaria fuerunt ad Circum Maximum Cereris et Herculis Pompeiani, item Capitolii."

Digitized by Google

De aedibus doricis docet haec:

Frons aedis doricae in loco quo columnae constituuntur, dividatur si tetrastylos erit in partes XXVII, si hexastylos, XXXXII. Ex his pars una erit modulus qui graece ἐμβάτης dicitur cuius moduli constitutione ratiocinationibus efficiuntur omnis operis distributiones. Crassitudo columnarum erit duorum modulorum, altitudo cum capitulo XIIII, capituli crassitudo unius moduli. Haec ratio in operibus diastylis erit constituta.

Si vero systylon et monotriglyphon opus erit faciundum frons aedis, si tetrastylos erit, dividatur in partes XVIIII S, si hexastylos erit dividatur in XXVIIII S. Ex his pars una erit modulus, ad quem uti supra scriptum est ea dividantur.

Aedibus corinthiis proprias symmetrias non fuisse audimus. „Columnae corinthiae praeter capitula omnes symmetrias habent uti ionicae, sed capitulorum altitudines efficiunt eas pro rata parte excelsiores et graciliores, quod ionici capituli altitudo tertia pars est crassitudinis columnae, corinthii tota crassitudo scapi. Cetera membra quae supra columnas inponuntur aut e doricis symmetriis aut ionicis moribus in corinthiis columnis conlocantur."

Tantum descripsi quantum sufficit ad modulum indicandum, quia moduli constitutione ratiocinationibus efficiuntur omnis operis distributiones. Itaque praescripta quattuor antiquiore tempore exstiterunt ad quae architecti aedes ionicas, totidemque ad quae doricas fecerunt. Quod si verum esset, octo tantum commentaria de symmetriis suffecissent, reliqua nihil novi attulissent.

Multa autem libris III et IV desiderantur et, id quod gravius est, nonnulla offensioni sunt, praesertim si praescripta Vitruvii quae ex eis fontibus hausta esse censenda sunt ad monumentorum ipsorum proportiones comparantur. Libro VII et aedes octastyli memorantur dorici generis, qualis est aedes Minervae Athenis. Quibus autem symmetriis haec templa constituta sint, non exponitur et quod de Palladis aede in fine libri IV scripsit manifesto falsum esse apparet.

Eo loco sic legimus: „Hoc autem genere primo factae sunt uti est Castoris in Circo, Athenis in arce et in Attica Sunio Palladis Minervae. Earum non aliae sed eaedem sunt propor-

Digitized by Google

tiones. Cellae enim longitudinibus duplices sunt ad latitudines". Quod attinet ad Palladis aedem, nostrae aetatis architecti ab eo dissentiunt. Si metra Gallica III S longitudini adiciuntur, tum demum cella longitudine duplex est ad latitudinem.

Quum libro VII legimus Vitruvium Graecorum ex commentariis quae utilia esse his rebus animadverterit, collecta in unum coegisse corpus, magnopere miramur quod libro III, ubi praescriptiones de symmetriis identidem exemplis illustrantur, ne ullam quidem aedem Graecam pseudodiptero excepta inter species quattuor ionici generis offendimus.

Inter fontes nominat Apollinis aedem Mileti quam ionicis symmetriis a Paeonio Daphnique institutam esse narrat. Si ex his verbis sequitur eum aedem novisse, quales essent eius proprietates inter scribendum oblitus est. Magnopere enim libro III offendimur legentes dipteros aedes esse octastylos. Id plane falsum esse viri docti iam ante multos annos animadverterunt. Constat enim inter omnes hanc aedem dipteron ionici generis fuisse decastylon.

Aedes ad speciem pertinentes eam quae dicitur eustylos ad principia factae esse videntur tria. Distinguuntur prout habebant aut quattuor aut sex aut octo columnas in fronte. Harum aedium modulum tribus modis diversis constitui iubet Hermogenes. Nonne eundem in modum Vitruvius distinguere debuerat aedes ionicas, quae pertinent ad singulas species reliquas? Nonne diversae formae fuerunt in eis aedibus ionicis, quarum species appellantur pycnostylos, systylos, diastylos, araeostylos? Quid movit Vitruvium ut rem tanti momenti silentio praeteriret? Nihil, opinor, nisi artium mathematicarum imperitia, quam animadvertit apud Romanos. Documentum est locus, ubi agit de variis disciplinis quibus architecto opus est. Sic enim legimus libro I. 1: „difficilesque symmetriarum quaestiones geometricis rationibus et methodis inveniuntur". Hic rogo quid libris III et IV scriptum sit, quod suspicionem moveat quaestiones symmetriarum fuisse difficiles diversasque exstitisse methodos quibus eae quaestiones solverentur. Non solum quaestiones ibi non reperiuntur difficiles, sed ne quaestiones quidem quae difficultatis speciem praebeant. Argumentum eorum voluminum duorum constat ex paucis simplicissimisque praescriptionibus,

Digitized by Google

unde concludere licet eas difficiles symmetriarum quaestiones et methodos diversas pertinere ad graecos fontes. Quum animadvertimus quem ad finem Vitruvius opus suum scripserit et qua ratione fontibus suis usus sit, mirari non possumus quod quidquid de symmetriis disserere instituit, difficilibus quaestionibus diversisque architectorum methodis vacare debuit. Cuius rei causam praeclare illustravit in praefatione libri V scribens: Cum animo advertam inusitatas et obscuras multis res esse mihi scribendas, quo facilius ad sensus legentium pervenire possint, brevibus voluminibus iudicavi scribere". Sed brevitati studens Graecorum praescriptiones de aedium symmetriis adeo recisas immutatasque recepit, ut monumenta quoad exstant ad longe alias symmetrias facta esse videantur.

Ea quae supra sunt disputata, etsi plura eiusmodi exempla afferre licet, satis demonstrant praescriptiones de aedium symmetriis esse generales et indefinitas. Haud supervacaneum esse putavi id ostendere, antequam quaestionem instituerem de praescriptionibus libri V, ubi theatra tractantur. Sic enim magis confirmatur opinio eorum qui suspicantur monumentis fidem maiorem habendam esse quam Vitruvii praescriptionibus. Quantopere et hic brevitati studuerit, demonstrant praefatio libri V, ut supra iam vidimus, et locus V. 7. 7 et ipsa monumenta. Libro V. 7. 7. narrat: „Nec tamen in omnibus theatris symmetriae ad omnes rationes et effectus possunt respondere, sed oportet architectum animadvertere quibus proportionibus necesse sit sequi symmetriam et quibus ad loci naturam aut magnitudinem operis temperari. Sunt enim res quas et in pusillo et in magno theatro necesse est eadem magnitudine fieri propter usum, uti gradus, diazomata pluteos, itinera, ascensus, pulpita, tribunalia et si qua alia intercurrunt ex quibus necessitas cogit discedere ab symmetria ne inpediatur usus. Non minus si qua exiguitas copiarum, id est marmoris, materiae reliquarumque rerum quae parantur, in opere defuerit, paulum demere aut adicere, dum id ne nimium inprobe fiat, sed cum sensu, non erit alienum. Hoc autem erit si architectus erit usu peritus, praeterea ingenio mobili sollertiaque non fuerit viduatus."

Si causae quae supra enumeratae sunt cogebant discedere ab

Digitized by Google

symmetriis, tunc ingenio et acumine opus erat, ut de symmetriis detractiones aut adiectiones fierent. At quomodo hae detractiones et adiectiones fierent non exposuit Vitruvius. Verum multo gravius est quod nequaquam indicavit quibus symmetriis eaedem theatri partes faciendae essent in magnis theatris, ubi architecti non discedebant ab symmetriis. Locum tantum earum partium symmetriis, scilicet rata parte diametri, designavit, dimensiones ipsas symmetriis constituere neglexit. Namque, non per diametron, ut decebat, sed per pedis mensuram altitudinem logei et graduum dimensiones determinavit; de latitudine diazomatum, ascensuum, itinerum id est parodon, mentionem non fecit. Accedit quod ne locum quidem tribunalium, quae pertinent ad theatrum Romanum, designavit, quamquam ea ad symmetrias constituta esse satis ex praegressis apparet.

Si cum monumentis comparantur diagrammata ad Vitruvii praescriptiones facta, in his multa theatri membra deficere animadvertimus. Non enim memorantur parascaenia, postscaenium, canales, pontes, murorum latitudo, columnae quibus hyposcaenium ornari solebat, portarum dimensiones.

Quidquid plerisque theatris commune erat in textu enumeratur, sed non nisi res maiores inter ea quae enumerantur ad symmetrias determinavit Vitruvius. Omnia praetermittens quae singulis theatris propria erant, numerum ingentem descriptionum redigere conatus est ad duo exempla, quorum alterum repraesentat theatrum Latinum, alterum theatrum Graecorum. Prioris theatri descriptio facile expeditur. Hoc non valet de descriptione theatri Graeci, quod textus diversas admittit interpretationes. Multa a multis disputata sunt de hoc loco difficillimo, qui coniecturis cum antea tum hac aetate in textum receptis non sanior sed desperatior factus est. Nam textus a Iucundo, illustrissimo architecto, ad optimos codices anno 1511 constitutus multo praestat ei quem Rosius et Müller-Strübingius anno 1867 vulgaverunt, ut ex sequentibus apparebit. Tamen ne credas Iucundi lectionem vitiis carere. Is enim, quamquam textum longe praestantiorem ante oculos habuit quam viri docti huius saeculi, tamen descriptionem reliquit non praestantiorem eis quae hoc saeculo factae sunt ad textum depravatissimum. Ex quo efficitur ut Iucundus textum nequaquam intellexerit.

Digitized by Google

Editores supra nominati sic legunt:

„In Graecorum theatris non omnia isdem rationibus sunt facienda, quod primum in ima circinatione ut in Latino trigonorum IIII, in eo quadratorum trium anguli circinationis lineam tangunt et cuius quadrati latus est proximum scaenae praeciditque curvaturam circinationis, ea regione designatur finitio proscaenii. Et ab ea regione ad extremam circinationem curvaturae parallelos linea designatur in qua constituitur frons scaenae,"

In his nihil est quo offendamur. Pergit oratio hunc in modum:

„per centrumque orchestrae a proscaenii regione parallelos linea describitur et qua secat circinationis lineas dextra ac sinistra in cornibus hemicyclii centra signantur".

Nunquam quisquam vel mediocriter artis mathematicae peritus ita scribere potuit. Qui fieri potest ut diametros, quae circinationem dividat in duo hemicyclia, circinationis lineas secet in cornibus unius hemicyclii Si qua linea in circinatione descripta circinationis lineas secat in cornibus unius hemicyclii, fieri non potest ut per centrum ducta sit. Ex quo efficitur ut in hac sententia de duabus agatur lineis parallelis, quarum altera describatur per centrum, altera in hemicyclio. Disertis verbis Vitruvius indicavit in utro hemicyclio linea parallelos describenda esset, scribens „proscaenii regione parallelos linea describitur. Sic enim cum MSS. legendum est. Hanc lectionem antea emendare conatus est Salmasius rescribens: „proscaenii e regione". Quae coniectura in editiones plurimas recepta reicienda est, quod si orchestram ante proscaenium sitam esse iam ex descriptione apparuit, diametros non nisi proscaenii e regione describi potest. Male igitur abundaret locutio „proscaenii e regione". Iure talem lectionem spreverunt Rosius et Müller-Strübingius, qui tamen hunc locum comparantes ad exempla duo haec „ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur" et „ab ea regione ad extremam circinationem curvaturae parallelos linea designatur" coniecerunt „a proscaenii regione".

Proscaenii regione significat a parte proscaenii. Iubet igitur Vitruvius praeter diametron lineam describi in eo hemicyclio quod est a parte proscaenii. Unde sequitur vocabula „per centrumque orchestrae" et ea quae sequuntur ad eandem sen-

Digitized by Google

tentiam non pertinere. Ergo distinctione sunt seiungenda. Nihil vero obstat quominus verba „per centrumque orchestrae" cum proxime antecedentibus coniungantur. Mente supplendum esse „parallelos linea designatur" neminem fugit. Quicunque dubitaverit num locus hunc in modum restitui debeat, vel MSS. vel editiones veteres inspiciat, ubi distinctionem a Philandro damnatam reperiet. Philandrum enim eam primum omisisse ex eius annotatione apparet. „Vide" inquit „quantum adferat obscuritatis interpunctio non suo loco posita. Tolle molestam distinctionem et coniunge sequentia, sensus erit apertus. Per centrumque orchestrae proscaenii regione parallelos linea describitur."

Distinctione restituta sententiae quae nascuntur duae hae sunt:

„Et ab ea regione ad extremam circinationem curvaturae parallelos linea designatur, in qua constituitur frons scaenae, per centrumque orchestrae. Proscaenii regione parallelos linea describitur et qua secat circinationis lineas dextra ac sinistra in cornibus hemicyclii centra signantur."

Vel sic tamen locus non sanatus est. Sententia altera gravissimo vitio laborat Pro codicum scriptura „quae" inde ab anno 1544 ex infelici eiusdem Philandri coniectura hucusque omnibus in editionibus legitur „qua". Nemo non videt in editionibus inepte abundare locutiones duas „dextra ac sinistra" et „in cornibus hemicyclii". Tanta enim vis inest verbis „qua secat circinationis lineas", ut si quis locos illos duorum centrorum accuratius designare vellet, omnibus mathematicis ridendi materiam praebiturus esset. Molesta illa verborum accumulatio tolli potest, si cum codicibus legimus „quae". Sic distinctio requiritur post vocabulum „lineas"; quod autem attinet ad copulam, aut expungatur aut relegetur ad initium sententiae.

Revocata et hac distinctione sententiae duae sic sunt constitutae:

„Et proscaenii regione parallelos linea describitur quae secat circinationis lineas. Dextra ac sinistra in cornibus hemicyclii centra signantur."

Deinde in textu sequentia legimus:

Digitized by Google

„et circino conlocato in dextro ab intervallo sinistro circumagitur circinatio ad proscaenii sinistram partem. Item centro conlocato in sinistro cornu ab intervallo dextro circumagitur ad proscaenii dextram partem."

Usque ad annum 1836 omnibus in editionibus textus sic constitutus erat: „ab intervallo sinistro — ad proscaenii dextram partem, ab intervallo dextro — ad proscaenii sinistram partem". Ita legit Iucundus, qui ad optimos codices textum constituit; Marinius autem primus transposuit verborum ordinem. Reicienda autem est Marinii coniectura, quae a Weckleinio et Petersenio probata veluti certissima emendatio in editionem Rosii et Müller-Strübingii recepta est. Male eum ob id ipsum de archaeologia scaenica meritum esse iam in libro de Polycleti theatro [1]) indicavi. Polycletus enim eas duas circinationes ab intervallo sinistro ad proscaenii dextram partem et ab intervallo dextro ad proscaenii sinistram partem circumegit, quemadmodum ex descriptione apparet, in qua designatae sunt litteris YH' et Y'H.

Postquam vidimus quot quantasque corruptelas textus Vitruvii passus sit, pauca dicenda sunt de intervalli loco. Textus genuinus non tres sed quattuor affert lineas parallelos, quarum duae, scilicet orchestrae diametros et ea linea quae proscaenii regione describere iubet Vitruvius, constituunt intervallum. De intervalli loco multa a multis disputata sunt. Non mirum hoc. Nam, si centrum secundum et tertium in diametro signantur, ut viri docti hactenus fecerunt, negari non poterit intervallum omnino abesse a quo circinationes duae agantur. Quanto spatio linea proscaenii regione descripta et orchestrae diametros inter se distent et quo loco ea duo centra in linea ipsa signanda sint, in incerto reliquit Vitruvius, quippe studens ut praescriptione generali et indefinita indicaretur cuiuslibet proscaenii longitudo. Non enim centra in extremis cornibus signari iussit, sed in cornibus hemicyclii, quod hic significat intra cornua hemicyclii. Ex quo efficitur haec lex: quo longiore radio cir-

1) Le théatre de Polyclète, reconstruction d'après un module, par K. Dumon, lit cl. docts. (ouvrage accompagné de trois planches), 1889.

Digitized by Google

cinationes alteram et tertiam descripseris, eo longius proscaenium habebis, quo breviore radio eas circinationes descripseris, eo brevius proscaenium.

Vix monere opus est architectos in descriptionibus expediendis intervallum et radium alterius et tertiae circinationum quam diligentissime definire debuisse. Optimo iure circinationes eas ab intervallo ad proscaenium descripsit Vitruvius. Non aliter fecit celeberrimus architectus theatri Epidaurii, Polycletus.

Ne quid desit, locum totum qui de theatro Graeco agit transscribam. Addenda sunt haec:

„Ita tribus centris hac descriptione ampliorem habent orchestram Graeci et scaenam recessiorem minoreque latitudine pulpitum, quod λογεῖον appellant, ideo quod eo tragici et comici actores in scaena peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram praestant actiones itaque ex eo scaenici et thymelici graece separatim nominantur. Eius logei altitudo non minus debet esse pedum X, non plus duodecim. Gradationes scalarum inter cuneos et sedes contra quadratorum angulos dirigantur ad primam praecinctionem, a praecinctione inter eas iterum mediae dirigantur, et ad summam quotiens praecinguntur, altero tanto semper amplificantur."

In his nihil impedimento est nisi „tribus centris" quia neque amplitudo orchestrae neque scaena recessior neque latitudo pulpiti referuntur ad ea centra sed ad unum quadratum, scilicet ad id, cuius latus designat scaenae finitionem. Etiamsi in hac conclusione Vitruvius de scaenae longitudine mentionem fecisset, ferri non posset „tribus". Nam, ut supra vidimus, proscaenii longitudo non tribus centris, sed duobus tantum determinatur. Vir doctissimus Oehmichenius ea vocabula expungere voluit. Quamdiu textus plenus erat difficultatum, diversasque admittebat interpretationes, in dubio relinquebatur utrum expungenda essent necne. Nunc vero quid postuletur in conclusione textus diserte docet, quippe qui omni ex parte sanatus unam tantum interpretationem admittat. Ne punctum quidem temporis dubitari potest, quin hic locus interpolatoris manum sit expertus, nisi forte credas id solum vitium quod in textu reperiatur ipsi Vitruvio esse tribuendum.

Digitized by Google

Subinde legimus tragicos et comicos actores in scaena peregisse, reliquos autem artifices suas per orchestram praestitisse actiones. Contra, nonnulli nostra aetate suspicantes scaenam antiquitus, scilicet quinto saeculo ante aeram nostram, ob latitudinem parum idoneam fuisse ad fabulas agendas, Vitruvio fidem non habent. Exemplum afferunt theatrum Polycleti, cuius scaena est lata metra Gallica tria. Hoc argumento innixi scaenicos cum thymelicis in orchestra egisse censent, suadentque ut, si fabulae graecae nunc doceantur, scaenici cum thymelicis vel eodem libramento stantes agant. Huius doctrinae auctor Vitruvium errasse pro certo habet contendens scaenae finitionem designandam esse in orchestrae diametro, scaenae frontem ubi Vitruvius scaenae finitionem designaverit.

Textus restitutus et eum et alios qui cum eo faciunt melius docebit. Proscaenium enim exacte definitur.

Quod attinet ad logei altitudinem, hanc praescriptionem tuetur logeum theatri Epidaurii, cuius altitudo est 3.53 metrorum Gallicorum. Logei altitudo et latitudo et longitudo quadrant ad Graecorum theatrum antiquum, quale est theatrum Polycleti, si quidem Pausaniae fidem habere non recusas scribenti theatrum Epidaurense constitutum esse a Polycleto.

Denique sic concludimus:

Praescriptiones de theatrorum aediumque symmetriis non respondent ad opera singula, sed ad eorum species, ex quo efficitur ut sint naturae generalis et indefinitae. Si ita intelleguntur, fidem Vitruvio habere possumus. Quicunque scire voluerit quid cuique architecto proprium fuerit in arte, opera singula examinare debebit.

Digitized by Google

AD TRAGICOS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

AESCHYLUS in *Glauco Potniensi* fr. 39 ap. Nck. ed. II

εἶλκον δ' ἄνω λυκηδόν, ὥστε δ ι π λ ό ο ι
λύκοι κτἑ.

Ne apud tragicos quidem in dialogo ferendae videntur formae non contractae, qualis est διπλόος. Solent autem tragici ubi numeri postulant formam trisyllabam usurpare adiectiva δίπτυχος et τρίπτυχος. Eurip. Phoen. 1629 τριπτύχων νεκρῶν, Herc. 474 τριπτύχοις τυραννίσιν, Or. 1513 λαιμοὺς τριπτύχους, Hec. 1287 διπτύχους νεκρούς, Phoen. 1363 διπτύχων παίδων. Iph. T. 242 et 1289 (cf. 474) δίπτυχοι νεανίαι, El. 1238 δίπτυχοι Διόσκοροι, alibi saepius. Similiter Sophocles ap. Schol. Pind. N. VI, 90 et Aristophanes (in parodia) apud Ath. IV 154 E. Quare hic quoque restituatur δ ί π τ υ χ ο ι. Deest τρίπτυχος (restitutum a Weilio pro τριύτατον), quo Aeschylus usus est fr. 74, lexico Aeschyleo Dindorfii.

Idem in Heraclidis fr. 74 Nck.

ἐκεῖθεν
ὄρμενος ὀρθοκέρως βοῦς ἥλασ' ἀπ' ἐσχάτων
γαίας, ὠκεανὸν περάσας ἐν δέπαι χρυσηλάτῳ,
βοτῆράς τ' ἀδίκους κατέκτα δεσπότην τε τρίπτυχον
τρία δόρη πάλλοντα χερσίν·
τρία δ ι ὰ τ ῆ ς σάκη προτείνων τρεῖς τ' ἐπισσείων λόφους
στεῖχεν ἴσος Ἄρει βίαν.

Annotat Nauck „διὰ τῆς verba nondum sanata, δὲ λαιαῖς Weck-

Digitized by Google

lein, ego δ' ἕεις [forma admodum dubia] tentabam." Non felicior fuit nuper Papabasileios coniciens δ' ἀρραγῆ. Una deleta littera prodibit versus sanissimus:

τρία δ' Ἴτης σάκη προτείνων τρεῖς τ' ἐπισσείων λόφους
στεῖχεν ἶσος Ἄρει βίαν.

Hesychius Ἴτης· ἰταμός, θρασύς, ἰσχυρός. Pollux III 135 τὸ δὲ Ἴτης κοινὸν ἐφ' ἑκατέρου. scil. ἐπί τε τοῦ ῥιψοκινδύνου καὶ τοῦ εὐψύχου. Vocabulo h. l. aptissime de Geryone adhibito e veteribus Atticis usi sunt Aristophanes Nub. 445 θρασὺς, εὔγλωττος, τολμηρός, ἴτης, ‖ βδελυρός, ψευδῶν ξυγκολλήτης et Plato Symp. p. 203 D de Amore et Protag. p. 349 E de viro forti.

Idem fr. 75 οὐ γάρ τι μεῖζον ἄλλο τοῦδε πείσομαι scil. τοῦ θανάτου, ut arbitror. Cf. Soph. Antig. 235 sq.

Idem in *Prometheo Soluto* fr. 192:

Φοινικόπεδόν τ' ἐρυθρᾶς ἱερὸν
χεῦμα θαλάσσης,
χαλκοκεραυνόν τε παρ' Ὠκεανῷ
λίμναν πάντων τροφὸν Αἰθιόπων, κτἑ.

E coniecturis ad h. l. propositis, quas congessit Nauck, mihi quidem longe felicissima videtur Hermanniana χαλκομάραυγον, nisi quod pro forma semibarbara ponere debuerat χαλκαμάρυγον. Sola enim vocabula ἀμαρύσσω, ἀμαρυγή et ἀμάρυγμα sunt antiquae et sincerae Graecitatis, μαραυγεῖν et μαραυγία sequioribus relinquantur.

Idem in *Incertarum fabularum fragm.* 300:

γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιοπίδος γῆς, ἔνθα Νεῖλος ἑπτάρους
γαῖαν κυλίνδων πνευμάτων ἐπομβρίᾳ κτἑ.

Corrigendum puto:

γάνος (*decus*) μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιοπίδος γῆς, ἔνθα Νεῖλος ἑπτάρους
νάματα κυλίνδει πνευμάτων ἐπομβρίᾳ κτλ.

in quibus νάματα mea coniectura est, κυλίνδει Salmasii, γάνος Deventerii, quae correctio mihi tantum non certa, Nauckio, nescio cur, parum probabilis videtur.

Digitized by Google

Idem ibidem fr. 404:

Αἴγινα δ' αὕτη πρὸς νότου κεῖται πνοάς.

Iure vitium subesse suspicati viri docti alius aliud coniecerunt, Loeschcke violentissime Αἴαντος ἄστυ, lenius Toepffer Αἴγινα τυύτῃ, Schmidt Αἴγινα δ' ἄστει. Accedat coniectura mea Αἴγινα δ' αὐτῇ, nihil enim sumere nos vetat, in praegressis sermonem fuisse de *terra Attica*.

Sophocles in *Achillis amatoribus* fr. 153:

τὸ γὰρ νόσημα τοῦτ' ἐφήμερον κακόν·
ἔχοιμ' ἂν αὐτὸ μὴ κακῶς ἀτεικάσαι.
ὅταν πάγου φανέντος αἰθρίου χεροῖν
κρύσταλλον ἁρπάσωσι παῖδες εὐπαγῆ,
τὰ πρῶτ' ἔχουσιν ἡδονὰς ποτικίνους·
τέλος δ' ὁ χυμὸς οὔθ' ὅπως ἀφῇ θέλει
οὔτ' ἐν χεροῖν τὸ πῆγμα σύμφορον μένειν.
οὕτω δὲ τοὺς ἐρῶντας αὐτὸς ἵμερος
δρᾶν κἀὶ τὸ μὴ δρᾶν πολλάκις προσίεται.

Amor, quem venustissime poetria Lesbia vocavit γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον, optime a Sophocle dici potuit ἐφίμερον κακόν (cf. vs. 8), itaque hanc Arsenii lectionem pro absurdo ἐφήμερον verissimam duco et aliquanto meliorem Nauckii coniectura ἀνήμερον, qua parum apte depingitur istius morbi, quem eleganti comparatione poeta illustrat, proprietas, quae est voluptatis et desiderii cum dolore coniunctio. Dolendum est quod ipsa comparatio misere laborat, nec praeter Meinekii inventum κρυμός, quod certum existimo, quidquam propositum est quod ullam habeat probabilitatem. Cuius rei hanc causam esse suspicor, quod oratio hiet post κρυμός (χυμός). Aut fallor, aut Sophocles huiuscemodi quid (ipsa enim verba quis praestet?) interposuerat:

τέλος δ' ὁ κρυμὸς ⟨οὐκ ἀνάσχετος πέλει·
ὅμως δ' ὁ πλίζων⟩ οὐθ' ὅπως ἀφῇ σφ' ἔχει,
οὔτ' ἐν χεροῖν τὸ πῆγμα σύμφορον μένειν.

Idem in *Thyeste*, fr. 236:

ὡς νῦν τάχος στείχωμεν· οὐ γὰρ ἴσθ' ὅπως
σπουδῆς δικαίας μῶμος ἄψεταί ποτε.

Digitized by Google

Pro δικαίας non male Schmidt proposuit ἀκμαίας, sed qui lenius rescripserit δίκαιος s. δικαίως, huius οὐκ ἔσθ' ὅπως δίκαιος μῶμος ἅψεταί ποτε. Nec tamen satis apud me constat, vulgatam ferri non posse. Quid enim vetabat poetam σπουδήν in re bona, iusta, necessaria vocare δικαίαν?

Idem in *Camicis* fr. 301. Roberti coniectura, locum Zenobii 4, 92 ex Apollodori Bibliotheca fluxisse, nunc stabilitur fragmentis Vaticanis II p. 56 ed. Wagner.

Idem in *Crisi Satyrica*, fr. 333:

καὶ δὴ φάρει τῷδ' ὡς ἐμῷ καλύπτομαι.

Schmidt ὡς ἔχω coniecit, sed nemini fas est in fabula prorsus incognita, ex qua hic unus versiculus servatus est, mutare, quod intellegi potest. Quid enim quaeso sumere vetat, ex fabulae Satyricae personis nescio quam aliena veste pro sua usam esse?

Idem in *Vatibus* fr. 366:

ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλός, ἦν δ' ἀμπέλου
σπουδή τε καὶ ῥᾳξ εὖ τεθησαυρισμένη· κτέ.

Lenius quam hucusque factum video corrigam:

ἦν δ' ⟨ἄμ'⟩ ἀμπέλου κτέ.

Idem in *Tereo*, fr. 532:

ἓν φῦλον ἀνθρώπων μί' ἔδειξε πατρὸς
καὶ ματρὸς ἀμέρα τοὺς πάντας· κτέ.

Primus depravatum esse vidi ἀμέρα, sed minus venuste proposui ἀδονά. Verum vidit nuper Weil scite et eleganter emendans ἁρμογά.

Idem in *Triptolemo*, fr. 553:

βρῦτον δὲ τὸν χερσαῖον οὐ δυεῖν.

Coniecit Knaack οὐ ⟨φίλον⟩ πιεῖν; quidni vero multo lenius οὐ⟨χ ἡ⟩δὺ⟨ν πι⟩εῖν? Praeterea vero dubito num sanum sit χερσαῖον, pro quo expectabam κριθαῖον (recte formatum, sed non traditum praeterquam in κριθαία) = κρίθινον.

Digitized by Google

Idem in *Tyro*, fr. 598.

Nobilissimi loci, in quo elegantissime describitur equi iuba privati, dum in aqua foedatam suam imaginem conspicit, moeror, tres ultimi versus sic scribuntur:

Φεῦ, κἂν ἀνοικτίρμων τις οἰκτίρειέ νιν
πτήσσουσαν αἰσχύναισιν οἷα μαίνεται,
πενθοῦσα καὶ κλαίουσα τὴν πάρος Φόβην.

Pulchre nuper Weil *οἷα μύρεται* et *χλιδήν* coniecit. Quin *χλιδὴν* verum sit vix dubito, sed pro *οἷα μαίνεται* fortasse lenius reponere licet *οἷ' ἀναίνεται*. Saepenumero enim verbum *ἀναίνεσθαι pudendi* sensu adhibuerunt poetae, plerumque quidem cum participio, sed absolute apud Eurip. Herc. 1124. Habet praeterea *μύρεται* hoc incommodi, quod nusquam in tragoedia occurrit, et sequentibus verbis *πενθοῦσα καὶ κλαίουσα* fere abundat.

Idem in *Phineo*, fr. 655:

κυνηδὸν ἐξέπραξαν κνυζούμενον.

Conieci:

κυνηδὸν ἐξήραξά ν‹ιν› κνυζώμενον.

Aliorum coniecturas vide apud Nauckium.

Idem in *Incertarum fabularum fragm.*, 685:

ἑτῆρας ἀμνοὺς θεοῖς ἔρεξ' ἑπακτίοις.

Addit grammaticus qui versum servavit Anecd. Oxon. IV. p. 329, 20 „γράφεται δὲ καὶ εὔειρας. Quam lectionem probavit L. Dindorf in Thes. III p. 2150 A, ut formam heteroclitam adiectivi *εὔειρος*; cur hanc opinionem ne memoria quidem dignam habuerit Nauck, me latet. Utrum verius sit ambigo.

Idem ibidem, 855:

ὦ παῖδες, ἦ τοι Κύπρις σὐ Κύπρις μόνον,
ἀλλ' ἐστὶ πολλῶν ὀνομάτων ἐπώνυμος.
ἔστιν μὲν Ἅιδης, ἔστι δ' ἄφθιτος βία,
ἔστιν δὲ λύσσα μανιάς, ἔστι δ' ἵμερος κτἑ.

Meineke *δυνάμεων ἐπώνυμος* coniecit, mihi in mentem venit *ὀνομάτων ἐπήβολος*, i. e. *multorum nominum compos* sive *particeps*.

Digitized by Google

EURIPIDES in *Andromeda*, fr. 141:

ἐγὼ δὲ παῖδας οὐκ ἐῶ νόθους λαβεῖν·
τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς
νόμῳ νοσοῦσιν· ὅ σε φυλάξασθαι χρεών.

Depravatum esse λαβεῖν viderunt Gomperz et Hense, quorum hic καλεῖν ille violentius λέγειν substituebat. Cum tamen passim in codicibus litteras B et K confundi constet, equidem nullus dubito quin genuina scriptura sit:

ἐγὼ δὲ παῖδας οὐκ ἐῶ νόθους λακεῖν,

quod verbum dicendi tragicis dilectum interdum simul celat vituperandi notionem, velut Androm. 672

ξένης ὕπερ
τοιαῦτα λάσκεις τοὺς ἀναγκαίους φίλους;

Idem in *Antigona*, fr. 170:

οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος,
καὶ βωμὸς αὐτῆς ἔστ' ἐν ἀνθρώπου φύσει.

Pro φύσει Kock coniecit φρενί, sed tradita littera C servari poterit scripto φρεσί.

Idem in *Antiopae* novis fragm. post Mahaffyum editis a Weilio *Journal des Savants Septembre* 1891. vs. 46

σὺ μὴ [καμοῦ] τὸ πνεῦμ[α] πολεμίων λαβών, κτέ.

Supplendum fuerat σὺ μὴ [κάμῃς] κτλ. Ibidem vs. 61

ὦ πόλλ' ἄελπτα Ζεὺς τιθεὶς καθ' ἡμέραν
ἔδειξ' ἀ[λούσας] τήνδ' ἀβουλίας ἐμάς.

legatur ὁ πόλλ' κτέ. et revocetur e papyro τάσδ'. Sententia „Iupiter qui quotidie insperata facit, ista mea stolida consilia irrita reddidit". — Vs. 4 suppleo [πεσὼν ἄφρουρος] τήνδ' ἀνὰ στέγην τάχα potius quam πεσὼν ἀπάλαμος cum Weilio, quia eo vocabulo tragici non usi sunt. Rex sine satellitibus domum intravit.

Idem in *Archelao*, fr. 235:

πλουτεῖς, ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία δεινόν θ' ἅμα.

Iure corruptum dicit Nauck. Suspicor

πλουτεῖς, ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθίᾳ δοῦλον θάμα.

Adverbio θάμα saepius utitur Sophocles, semel Euripides Iph. T. 6, nusquam Aeschylus.

Digitized by Google

Idem ibidem, fr. 263:

ἔστι καὶ παρὰ δάκρυσι
κείμενον ἡδὺ βροτοῖς, ὅταν
ἄνδρα φίλον στενάχῃ τις ἐν οἴκῳ.

Participium κείμενον non transponendum cum Schmidtio, sed prorsus delendum videtur, ut fuerit:

ἔστι ⟨δὲ?⟩ καὶ παρὰ δάκρυσιν ἡδὺ βροτοῖς, ὅταν
ἄνδρα φίλον στενάχῃ τις ἐν οἴκῳ.

Idem in *Autolyco satyrico*, fr. 282:

κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα
οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους·
οἳ πρῶτα μὲν ζῆν οὔτε μανθάνουσιν εὖ
οὔτ' ἂν δύναιντο· πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
γνάθου τε δοῦλος νηδύος θ' ἡσσημένος
κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;
οὐδ' αὖ πένεσθαι κἀξυπηρετεῖν τύχαις
οἷοί τ'· κτἑ.

Sensu cassa sunt verba εἰς ὑπερβολὴν πατρός, pro quibus apud Galenum legitur εἰς ὑπεκτροφὴν πάτρας, qui recte servavit πάτρας; expectatur enim quod significet *ad patriae utilitatem et auxilium*, scilicet *ut opibus suis* (liturgiis similibusque) *laboranti patriae subvenire possit*. Unde correxerim:

κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ἐπάρκεσιν πάτρας;

Verbo ἐπαρκεῖν, *opitulari*, omnes tres tragici saepius usi sunt, substantivo ἐπάρκεσις Sophocles O. C. 447 γένους ἐπάρκεσιν et Euripides Hecub. 758 τίς ἡμᾶς εἰς ἐπάρκεσιν καλεῖς; ubi deteriores libri exhibent vocabulum Polybianum ἐπάρκειαν.

Idem in *Dictye*, fr. 346:

εἷς γάρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω,
θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν·
τὰ δ' ἄλλα χωρὶς χρώμεθ' ἀλλήλων νόμοις.

Deleta importuna vocula καί, haec verba sic constituo:

εἷς γάρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
(θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω,)
θηρσίν τε πᾶσι, κτλ.

Digitized by Google

Idem in *Erechtheo*, fr. 351 (Schol. Ven. Ar. Pac. 97):

ὀλολύζετ', ὦ γυναῖκες, ὡς ἔλθῃ θεὰ
χρυσῆν ἔχουσα Γοργόν' ἐπίκουρος πόλει.

Praetulerim ὀλολύξατ', ut Aesch. Eum. 1013, 1047, eoque ducit optimi cod. Ravennatis scriptura ὀλόλυξαν.

Idem in *Melanippa*, fr. 503, vs. 3.

κῦρσαι θνητοῖσιν ἄριστον.

Quia vocalis in radice κυρ natura brevis est et non nisi productione suppletoria in κύρω = κύρjω, κῦρος et derivatis inde vocabulis longa fit, verus accentus fuerit κύρσαι.

Idem in *Oeneo*, fr. 564:

ὅταν κακοὶ πράξωσιν, ὦ ξένοι, καλῶς,
ἄγαν κρατοῦντες κοὐ νομίζοντες δίκην
δώσειν ἔδρασαν πάντ' ἐφέντες ἡδονῇ.

In primo versu, quem violenter tentavit Schmidt Kr. St. II p. 475 sq., nihil est quod iure reprehendas, sed in secundo recte vidit verba ἄγαν κρατοῦντες bene intellegi non posse. Cum vero, quod dixi, vitio carere videatur versus praecedens, locus non est leni eius coniecturae αἶαν κρατοῦντες. Expectatur fere ὑπερφρονοῦντες aut simile quid, sed leniorem expecto medelam.

Idem in *Syleo*, fr. 690.

Hoc fragmentum adeo apte excipit fr. 689, ut non tantum ex eodem loco sumptum videatur, sed statim in fabula illi successisse. Quare explere ausim:

⟨καὶ πᾶν⟩ τό γ' εἶδος αὐτό σου κατηγορεῖ
σιγῶντος, ὡς εἴης ἂν οὐχ ὑπήκοος,
τάσσειν δὲ μᾶλλον ἢ ἐπιτάσσεσθαι θέλοις.

Idem ibidem, fr. 692:

τοῖς δ' αὖ κακοῖς
πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Iniuria μέγιστον tentavit Seyffart. Tam recte dicitur μέγιστος πολέμιος quam μέγας φίλος Med. 549. Herc. 1252 aut μείζονα φίλον Soph. Ant. 182.

Digitized by Google

Idem in *Phoenice*, fr. 805.

Hunc locum ex mea aliorumque coniecturis sic constituerim:

ἀλλ' οὔποτ' αὐτὸς ἀμπλακὼν ἄλλον βροτὸν
παραινέσαιμ' ἂν παισὶ προσθεῖναι κράτη,
πρὶν ἂν κατ' ὄσσων κιγχάνῃ μέλας σκότος,
εἰ λῷ διαζῆν πρὸς τέκνων τιμώμενος.

In his κιγχάνῃ pro τυγχάνῃ debetur Monkio, μέλας pro με καὶ Grotio, τιμώμενος pro νικώμενον Vitellio, εἰ λῷ διαζῆν pro εἰ χρὴ διελθεῖν mea est correctio.

Idem ibidem fr. 815.

In corruptissimo fragmento, quod peringeniose sic correxit Valckenaer:

δμωσὶν δ' ἐμοῖσιν εἶπον ὡς καυτήρια
ἐς πῦρ ἕδει καὶ ⟨ταῦτα⟩ δὴ διιπετῆ
θεῖναι.

soloecum est ἕδει, pro quo δέοι scribere debebat.

Idem in *Phrixo*, fr. 822:

γυνὴ γὰρ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
ἥδιστόν ἐστι, δώματ' ἢν οἰκῇ καλῶς
ὀργήν τε πραῦνουσα καὶ δυσθυμίας
ψυχὴν μεθιστᾶσ'· ἡδὺ κἀπάται Φίλων.

Ingeniose Schmidt, probante Nauckio, temptavit κἀπῳδαί, nec tamen mihi persuasit. Nam uxor quidem mariti iram demulcens eiusque aegritudines amovens utitur quasi incantamentis, sed quid quaeso tum sibi vult additum καί? Incantari enim numquam non est res dulcis. Contra eadem vocula necessaria est, si tuemur volgatam scripturam, cuius hic sensus videtur: „Dulces etiam (piae) fraudes sunt, si amici iis utuntur ad iram nostram leniendam cett.".

Idem in *Inc. fab. fragmentis*. Fr. 953, 9:

ἀλλ' ἀγνοῶ δὴ τυχὸν ἴσως ἄφρων ἐγὼ
οὖσ', οὐκ ἂν ἀντείποιμι· κτέ.

Num recte quidem τάχ' ἂν pro τυχὸν substituat Kock dubitari potest, sed nihil certius est quam funditus eum profligasse in Museo Rhenano a. 1891, pag. 299—310 inanes Wilamowitzii

Digitized by Google

criminationes, quas Euripidi locum abiudicans contra sermonis proprietatem protulit in Herme XV p. 491. Rectissime Nauck „equidem non ausim dubitare de Euripide versuum auctore, quem disputandi ratio ac numeri arguunt. Sed miramur sane adeo sui dissimilem exstitisse Euripidem ut versus faceret humi repentes nullisque poeticae dictionis luminibus insignes nec possumus sine taedio legere declamationem ieiunam et passim (?) ineptam." Quare multifariam interpolatos hos versus censet a ludimagistro, qui mutans quaecumque puerili aetati parum convenirent vel ipsi displicerent, insigni cum audacia et perversitate genuina verba corruperit. Cui sententiae non aeque facile subscribo; si enim res ita se haberet, fieri vix potuit, ut tam puro sermone et bonis numeris conscripti hi versus ad nos pervenirent.

Idem ibidem, fr. 1046:

πολλοῦ γὰρ χρυσοῦ καὶ πλούτου
κρείσσων πάτρα σώφρονι ναίειν
τὸ δὲ σύντροφον ἀδύ τι θνητοῖς
[ἐν βίῳ χωρεῖ].

Ultima vocabula ut glossema delenda, non corrigenda mihi videntur; et vitio carere τὸ σύντροφον.

Aristias Κηρσίν, fr. 3:

σύνδειπνος ἢ ἐπίκωμος ἢ μαζαγρέτας
Ἅιδου τραπεζεύς, ἀκρατέα νηδὺν ἔχων.

Forma admodum suspecta pro ἀκρατῆ.

Chares fr. 1, pag. 826 apud Nauckium, vs. 4:

ὅστις δὲ γαστρὸς μὴ κρατεῖν ἐπίσταται
οὗτος τὰ πλείω τῶν κακῶν ἔχει κακά.

Ultimus versus corruptus videtur. Quid enim sibi vult *plura malorum mala?*

Fragm. adespot. 28:

μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα,
χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις.

Propter oppositum πολέμιον expectatur φίλον vel εὔνουν λόγοισι, aut simile quidpiam.

Digitized by Google

Ibidem 33: πυρὸς δ' ἐξ ὀμμάτων
ἔλαμπεν αἴγλην.
Cur mire dictum videatur Nauckio ἔλαμπεν αἴγλην, non exputo. Euripides Phoen. 228 ὦ λάμπουσα πέτρα πυρὸς δικόρυφον σέλας.

Ibidem 90:
ἀλλὰ ξενῶνας οἶγε καὶ ῥᾶνον δόμους
στρώννυ τε κοίτας καὶ πυρὸς φλέξον μένος
κρατῆρά τ' αἴρου καὶ τὸν ἥδιστον κέρα.
Fortasse κῷνον ἥδιστον κέρα, licet non me lateat, quid pro librorum scriptura afferri possit.

Ibidem 263:
Verba σαρκήρη στάχυν significare videntur Spartos Thebanos, qui e Pythonis dentibus a Cadmo satis excreverant, *carnea seges*.

Ibidem 348:
ἐάν τι δέλτος ἐν πτύχαις πάθῃ.
Adeo miram haec verba habent similitudem cum noto loco Euripidis in Iphigenia Taur. 755:
ἐξαιρετόν μοι δὸς τόδ', ἤν τι ναῦς πάθῃ
χἠ δέλτος ἐν κλύδωνι χρημάτων μέτα
ἀΦανὴς γένηται κτἑ. et mox 760
τἀνόντα τἀγγεγραμμέν' ἐν δέλτου πτυχαῖς.
ut valde dubitem num verba in Epistula II Pseudo-Platonica et apud Clementem et Eusebium servata, unde hanc senarii partem, aut quem integrum finxit Cobet senarium
ἵν', ἤν τι δέλτος ἐν πτυχαῖς πόντου πάθῃ,
constituerunt viri docti, genuinum poetae tragici fragmentum contineant.

Idem 374:
ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.
Tam argumentum horum versuum quam prioris numeri suadent ut Euripidi eos tribuamus.

Digitized by Google

Ibidem 458, 8:

τίς μοι τόδ' ἀντόμοιον μισητὸν κρέας
πέμπων;

Olim proposui: τίς μοι τόδ' ἄρ' ἐτόλμησε — πέμπειν; nunc malo: — ἀπετόλμησε — πέμπειν;

Ibidem 483:

ὁρῶ γὰρ χρόνῳ
δίκαν πάντ' ἄγουσαν εἰς Φῶς βροτοῖς.

Legatur ἐς Φῶς β.

Ibidem fr. 506:

πάντων τύραννος ἡ τύχη ἐστὶ τῶν θεῶν,
τὰ δ' ἄλλ' ὀνόματα ταῦτα πρόσκειται μάτην·
μόνη διοικεῖ γοῦν ἅπανθ' ἣ βούλεται.

Minime Aeschyli, cui tribuit Wachsmuth, ingenium hi versus spirant, sed Euripidis aut Critiae.

Ibidem 522:

ὅσοι δὲ Φιλοσοφοῦντες ἐκμοχθοῦσί τι,
ἐνταῦθ' ὑπάρχει τῷ βίῳ γαστρὸς κρατεῖν·
διδάσκαλος γὰρ ἡὐτέλεια τῶν σοφῶν
καὶ τῶν ἀρίστων γίγνεται βουλευμάτων.

Vix acquiescendum videtur Schmidtii coniecturae ἐνταῦθ' — τοῦ βίου, quia *in hac vitae parte* vel *hoc vitae tempore* permoleste trahitur ad versum praegressum. Quod enim ipse vir doctissimus interpretatur „*Einem solchen Leben* ist Mässigkeit eigen" verbis Graecis ita correctis inesse dubito. Cum vero ὑπάρχειν τινί interdum (cf. Dindorf. Thes. VIII p. 130) induat necessitatis notionem, nescio fere an una mutata literula salvus locus evadat scribendo:

ἓν τοῦθ' ὑπάρχει τῷ βίῳ· γαστρὸς κρατεῖν.

hoc unum (eorum) *vitae necessarium est, ut ventri imperent.*

Idem 545:

τοὺς εὖ γεγονότας καὶ τεθραμμένους καλῶς
κἂν τοῖς κακοῖς δεῖ λόγον ἔχειν εὐφημίας.

Digitized by Google

Editorem non recepisse meliorem codicis A (Stobaei) lectionem γεγῶτας miror.

Ibidem 547, 12

πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ Φθόνος βιάζεται,
σΦάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

Leniter sed parum apte Wecklein coniecit λιάζεται, longe aptius sed iusto violentius Blaydes τιτύσκεται. Simili sensu ego reponendum suspicor τοξάζεται.

Haec praelo mandanti affertur mihi eheu! tristissimus nuntius, eum quem toties cum in hac scriptiuncula tum in aliis nominavi, magnum tragicorum sospitatorem Nauckium diem obiisse supremum. Summi viri amicos et admiratores in maximo eius desiderio luctuque haec certe erigit consolatio, quod qui tot tantaque ingenii et doctrinae relinquit monumenta non omnis moritur. Viventes, si reliquas eius virtutes assequi non valemus, imitemur saltem eximiam humanitatem et stupendam industriam!

Corollarii instar his addo paucas quasdam observationes ad Aeschyli Orestiam (ed. Wecklein Lips. 1886).

Agam. 14 ἀντίπνους pro ἀνθ' ὕπνου, quod latuit editorem, mea est correctio in *Exercitationibus Criticis* a. 1862 pag. 96.

Vs. 287 οὐδ' ὄψαν' ἂν λάβοιμι βριζούσης Φρενός.
Revoca cod. lectionem οὐ δόξαν, in qua nihil reprehendendum. In editoris coniectura sensu cassum est οὐδέ.

Vs. 353 ἔρως δὲ μή τις πρότερον ἐμπίπτῃ στρατῷ
πορθεῖν ἃ μὴ χρή, κέρδεσιν νικωμένους.

Annotat Wecklein „vor der Heimkehr". Adsentirer, si in praegressis de reditu sermo fuisset. Nunc refugio ad veterem meam coniecturam (l.l.) Aeschylum dedisse:

ἔρως δὲ μὴ πονηρὸς ἐμπίπτῃ στρατῷ κτέ.

Digitized by Google

Vs. 400 κακοῦ δὲ χαλκοῦ τρόπον
τρίβῳ τε καὶ προσβολαῖς
μελαμπαγὴς πέλει
δικαιωθεὶς ἐπεὶ
διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν,
πόλει πρόστριμμ' ἄφερτον ἐνθείς.

„δικαιωθεὶς ἐπεὶ διώκει für das unverständliche δικαιωθεὶς διώκων". Quae perdura videtur interpretatio. Num forte poeta scribens δικαιωθεὶς ἔπει „διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν" voluit: *iudicatus* s. *damnatus dicto „persequitur puer* (pueri instar) *volantem avem"?* Erat enim proverbium τὰ πετόμενα διώκειν et amat talia Aeschylus. Infra 1333 „μηκέτ' ἐσέλθῃς" τάδε Φωνῶν. Pers. 122 καὶ τὸ κισσίων πόλισμ' ἀντίδουπον ἄσεται „δᾶ δᾶ". τοῦτ' ἔπος κτὲ. Eum. 514 τοῦτ' ἔπος θροούμενος „ὦ δίκα, ὦ θρόνοι τ' Ἐρινύων".

Vs. 528 ἥκει γὰρ ὑμῖν Φῶς ἐν εὐΦρόνῃ Φέρων
καὶ τοῖσδ' ἅπασι κοινὸν Ἀγαμέμνων ἄναξ.

Acute nuper Stadtmüller ἀστοῖς θ' ἅπασι. Vide tamen ne facilior correctio sit κἀστοῖς. Nam ΚΑCΤΟΙCΑΠΑCΙ et ΚΑΙΤΟΙCΔΑΠΑCΙ minus clare scripta difficulter distinguuntur.

Vs. 550 Praeco ποθεῖν ποθοῦντα τήνδε γῆν στρατὸν λέγεις;
Chor. ὡς πόλλ' ἀμαυρᾶς ἐκ Φρενός μ' ἀναστένειν.

Fortasse verum est ἐκ Φρενός γ' ἀναστένειν. Sollemnis est enim particulae usus in huiusmodi responsis et abiecto pronomine idem manet subiectum στρατόν.

Vs. 575 τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήΦῳ λέγειν,
τὸν ζῶντα δ' ἄλγους χρὴ τυχεῖν παλιγκότου;

Longe praestat quam olim commendavi scriptura κἄλγους, deleta virgula post λέγειν; ita enim et commodius χρὴ cum utroque infinitivo iungitur et aptius opponitur ὁ ζῶν τοῖς ἀναλωθεῖσιν, i. e. ἀπολωλόσιν. — In praegressis vs. 510 πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων dubito num recte scholiasta scripserit ἐκ μεταΦορᾶς τῶν ἀγκυρῶν, quia ἀπορρήγνυνται ancorae non ῥήγνυνται, ut arbitror. Metaphora ducta videtur a *scissis vestimentis*.

Digitized by Google

Vs. 629 Praeco ἀνὴρ (Menelaus) ἄφαντος ἐξ Ἀχαικοῦ στρατοῦ
αὐτός τε καὶ τὸ πλοῖον. οὐ ψευδῆ λέγω.
Chor. πότερον ἀναχθεὶς ἐμφανῶς ἐξ Ἰλίου,
ἢ χεῖμα, κοινὸν ἄχθος, ἥρπασε στρατοῦ;

Admodum obscure ita scripsit poeta, si haec poterunt significare „ist er *vielleicht unvermerkt* vor Troia *zurückgeblieben*, *oder* hat *vielmehr* ein Sturm ihn von den Heere fortgerissen."

Manifestum arbitror non disiunctiva quaestione usum esse poetam, sed dedisse:

πότερον ἀναχθεὶς ἐμφανῶς ἐξ Ἰλίου,
καὶ χεῖμα, κοινὸν ἄχθος, ἥρπασε στρατοῦ;

i. e. *utrum* (= an) *manifesto* (vobiscum) *ab Ilio profectum hiems a classe abripuit Menelaum?* Utramque voculam passim a librariis confundi quis nescit?

Vs. 679 Μενέλεων γὰρ οὖν
πρῶτόν τε καὶ μάλιστα προσδόκα καμεῖν.

Editor „denn von Menelaos jedenfalls musst du annehmen, dass er zuerst und am meisten gelitten hat (vgl. 629)". Vix satis causae erat cur Menelaus eandem quam reliqui Graeci tempestatem passus plus quam ceteri laborasse crederetur, sed quia nondum in patriam reverterat, magna tamen erat sollicitudo ne omnino non sospes rediret. Quare nescio an verba πρῶτόν τε καὶ μάλιστα non cum ultimo verbo iungenda sint, sed cum imperativo προσδόκα. Quod si ita est, minus probabilis est editoris coniectura καμεῖν pro corrupta codicum scriptura μολεῖν, sed praestiterit θανεῖν. Cf. 635.

Vs. 792 σὺ δέ μοι τότε μὲν στέλλων στρατιὰν
Ἑλένης ἕνεκ', οὐκ ἐπικεύσω,
κάρτ' ἀπομούσως ἦσθα γεγραμμένος
οὐδ' εὖ πραπίδων οἴακα νέμων, κτέ.

Requiri ἀπόμουσος intellexit iam Elmsley, qui ἀπομουσός τ' — οὔτ' proposuit. Etiam lenius tamen possis ἀπόμουσός γ' — οὐδ'.

Vs. 796 νῦν δ' οὐκ ἀπ' ἄκρας Φρενὸς οὐδ' ἀφίλως
εὔφρων πόνος εὖ τελέσασιν.

Weilii coniectura πνόος mihi displicet, quia neque subst. πνόος

Digitized by Google

excepto Hesychio ullius scriptoris Graeci auctoritate nititur, neque suspitione carent formae non contractae in diverbiis et anapaestis. Quare vide an potius corrigendum sit aut

εὔφρων (scil. εἰμὶ) πόνον εὖ τελέσασιν

aut plenius:

εὔφρων πόνον ⟨εἰμ'⟩ εὖ τελέσασιν.

Vs. 1034 ἀλλ' εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην
ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κρατημένη,
ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν λόγῳ.

Ita codex. Wecklein:

ἔσω φρενῶν γεγωνὰ πειθέ νιν λέγων.

Coniectura quantumvis ingeniosa mihi non persuadet. Venit in mentem:

ἔξω φρενῶν γεγῶσ' ἀπειθεῖ που λόγῳ.

ut Clytaemnestra hic coniciat, quod infra ut certum pronuntiat vs. 1048:

ἦ μαίνεταί γε καὶ κακῶν κλύει φρενῶν κτἑ.

Vs. 1165 θαῦμα δ' ἐμοὶ κλύειν.

Apte editor θρᾶγμα = τάραγμα; si recte, scribatur θράγμα, nam syncope est, non contractio, ut θρίζειν (= θερίζειν) habet Aor. θρίσαι, non θρῖσαι. Eur. 1204 (1188) κόμας σίδηρον ἐμβαλοῦσ' ἀπέθρισας.

Vs. 1222 ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινὰ
λέοντ' ἄναλκιν κτἑ.

Importunum ἐκ τῶνδε. Malim certe καὶ τῶνδε ποινάς κτἑ.

Vs. 1291 ἀσφάδαστος, quod olim monui, Graecum non est, sed ἀσφάδαστος, quia vera verbi forma est σφαδάζω.

Vs. 1342 ὤμοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω.

Ridiculum est ἔσω, sive cum Karstenio corrigendum est ἐγώ, sive, quod putarim, latet interiectio ut ἔ ἔ vel ἰώ.

Vs. 1432 καὶ τήνδ' ἀκούεις ὁρκίων ἐμῶν θέμιν·
μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην κτἑ.

Digitized by Google

Pro ἀκούεις expectatur ἄκουσον vel ἀκούσαθ' (potius quam ἀκούεθ'). Demonstrat autem vocula μὰ vss. 1435—1438 iniuria ab editore deletos esse, hac enim (non νὴ) praegressa, sequi non potuit:

κεῖται γυναικὸς τῇσδε λυμαντήριος κτἑ.

Vs. 1651

Chor. εἶα δή, ξίφος πρόκωπον πᾶς τις εὐτρεπιζέτω.

Aeg. ἀλλὰ μὴν κἀγὼ πρόκωπος οὐκ ἀναίνομαι θανεῖν.

Quam apte πρόκωπον in priore, tam inepte in posteriore versu πρόκωπος dictum est. Haud dubie ea vox male repetita est a librariis, poeta autem dedisse videtur:

ἀλλὰ μὴν κἀγὼ ξιφήρης οὐκ ἀναίνομαι θανεῖν.

Choephor. 90 sq.

τῶν δ' οὐ πάρεστι θάρσος, οὐδ' ἔχω τί φῶ
χέουσα τόνδε πέλανον ἐν τύμβῳ πατρός.

Hi versus arte cohaerent cum vs. 88 sq.:

πότερα λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν
γυναικὸς ἀνδρὶ, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα;

unde male divulsi sunt ab editore, qui eos transposuit inter vs. 94 et 95.

Vs. 142 ἡμῖν μὲν εὐχὰς τάσδε, τοῖς δ' ἐναντίοις
λέγω φανῆναί σου, πάτερ, τιμάορον,
καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατθανεῖν δίκην.

Wecklein „man erwartet ἀνταμύνασθαι oder ἀντιτίσασθαι δίκην. Weil denkt an den Ausfall eines Verses δίκην τίνοντας ὧν ἔδρασαν ἀξίαν κακῶν." Quia κτανόντας ἀντικατθανεῖν optime dictum est, et solum δίκην exhibet molestiam, vide annon sufficiat reponere δίκῃ = ἐν δίκῃ, sive δικαίως. Sic Sophocles El. 70 σοῦ γὰρ ἔρχομαι δίκῃ καθαρτής et saepe alibi.

Vs. 154

πρὸς τόδ' ἕρυμα κακῶν ἀπότροπον κεδνῶν τ'
ἄγος ἐπεύχετον (Stanley pro ἀπεύχετον) κεχυμένων χοᾶν.

Pro ἄγος conieci ἄρος i. e. ὠφέλειαν sive ὄφελος (cf. Hesych.), collato Supplicum loco 885 βρέτεος ἄρος ἄτα, ubi scholiasta ἡ

Digitized by Google

τῶν βρετέων ἐπιχουρία βλάπτει με. Cf. Dindorf. in lexico Aesch. s. v.

Vs. 156 κλύε δέ μοι σέβας,
κλύ', ὦ δέσποτ', ἐξ ἀμαυρᾶς Φρενός.
Non sinit ratio grammatica cum Weckleinio haec interpretari „die Klagen, *welche kommen* aus gramumdunkelter Seele." Vix dubito quin interpolata sint verba ὦ δέσποτα (glossema ad σέβας?) et oblitterarint verba, unde suspensum fuerit ἐξ ἀμαυρᾶς Φρενός, sive fuit:
κλύ', ὧν λίσσομαι 'ξ ἀμαυρᾶς Φρενός
sive aliquid simile.

Vs. 242 πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἥσθ' ἐμοὶ σέβας Φέρων.
Expectatur Φάος, *lucem*, *salutem*, quod intellexit Schuetz lenius corrigens σέλας, sed σέλας non solet metaphorice usurpari.

Vs. 329 χάριτες δ' ὁμοίως
κέκληνται γόος εὐκλεής
προσθοδόμοις Ἀτρείδαις.
Nihil prorsus interpreti non licebit, si γόος εὐκλεής cum Weckleinio vertere licet „ein *kräftiger* Seufzer". Εὐκλεής enim semper et ubique est *gloriosus*, *clarus*. Intellegam γόος εὐσεβής.

Vs. 375 τῶν μὲν ἀρωγοὶ
κατὰ γῆς ἤδη.
Iure editor „Für ἤδη erwartet man ζῶσιν, wie Soph. El. 1419." Cogitavi de scribendo ἀρωγὸς — ἠβᾷ, i. e. *viget*. Cf. Ag. 584 Cho. 879. Eur. Or. 685, nisi forte praestat ἀρωγὴ — ἠβᾷ *horum quidem auxilium* (quod feret pater) *apud inferos viget*.

Vs. 416 τί δ' ἂν Φάντες τύχοιμεν; ἢ τάπερ
πάθομεν ἄχεα πρός γε τῶν τεκομένων,
πάρεστι σαίνειν, τὰ δ' οὔτι θέλγεται;
λύκος γὰρ ὥστ' ὠμόφρων
ἅσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.
Rectissime iam Schoemann intellexit interpungendum esse
πάρεστι σαίνειν; τὰ δ' οὔτι θέλγεται.

Digitized by Google

Nam neque ipsa haec verba nec totus loci contextus favent Weckleinii interpretationi, quam legas apud ipsum.

Vs. 565. Hodie non magis quam olim adulescens, cum ἐποικτίζειν conicerem, intellego quid sibi hic velit ἐπεικάζειν, quod omnes aptum iudicare videntur.

Vs. 637 τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ
διὰ Δίκας, τὸ μὴ θέμις,
λάξ πέδοι πατουμένας
τὸ πᾶν Διὸς
σέβας παρεκβάντας οὐ θεμιστῶς.

Vehementer friget languetque additum τὸ μὴ θέμις, quod genuinum non esse videtur. Quid pro eo olim lectum fuerit incertum. Possis v. c. conicere

δίαι Δίκας ⟨μεγασθενοῦς⟩,

ut Sept. 70. 977. 989 Erinys vocatur μεγασθενής.

Vs. 870 ἀποσταθῶμεν πράγματος τελουμένου, κτέ.

Sententia postulat „*procul stemus* dum facinus perpetratur" nec fert, quod nunc legitur „*procul abeamus* cett.". Itaque legendum ἀποστατῶμεν.

Vs. 1016 οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον
διὰ παντὸς ἄτιμος ἀμείψει.

Pro ἀσινῆ olim Exerc. Crit. 104 correxi ἀσινής, quod nuper ut suum repetivit Stadtmüller, qui pro ἄτιμος proposuit ἀπήμον'; mihi placebat ἀτηρὸν, Weckleinio qui ἀσινῆ retinet, ἄνατον. Utrivis viro docto obtemperantes habemus poetam bis idem dicentem; me si audis, dixit „neminem mortalium vitam (ut pote) plenam calamitatibus illaesum transiturum esse."

(*Continuabitur*).

UNIV. OF MICHIGAN,

APR 10 1912

Digitized by Google

Digitized by Google



UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 02049 0838

DO NOT REMOVE
OR
MUTILATE CAR

Digitized by Google

Digitized by Google